Hom. 2344

Th. Rot. 995.

ADVOCATUS Peccatorum.

144 F

Character Advocati *Peccatorum.*

Sicut ADVOCATUS, â Malefactorê instructus, ad tribunal accedit, & personam gerit ejus; cui patrocinatur: & omnia crimina ejus, qui judicatur, in se assumit; &, quasi pro sê ipsô, apud judicem Causam agit; tametsi criminum minimè reus sit: eum in modum Dominus noster, JESUS CHRISTUS, venit è cœlis impeccabilis; &, pro mê, intercedit. *S. Chrysost. serm. contrà Hæreticos.*

Bayerische Staatsbibliothek München

Collegii Oo: Jesu Monachii.

ADVOCATUS PECCATORUM;

SEU:

JESUS PATIENS, MUNDI MALEFICI,

Variîs ab Actoribûs,

Ad apertum Tribunal Justitiæ Divinæ criminaliter delati,
Sed, ex oppositô Divinæ Passionis Codicê,
Disertim asserti, Vindex efficacissimus.

SUGGESTUM PRIMUM,

SERMONUM QUADRAGESIMALIUM;

Quos, præter Ordinarios, Dominicîs, Festîsque diebûs,
Annîs, un de viginti continuîs,
In Ecclesiâ Domûs Professorum, Societatis JESU, Viennæ,
Unô constanter è pulpitô, pro Concionê dixit;
Nunc autem, Orationê latinâ, quâ scripserat omnes, typîs vulgavit,

THOMAS WINTER,

è Societatê Jesu, Austriacus Viennensis, ejusdem Soc. Theologus.

Præter Indicem Alphabeticum, rerum singularium, appositum in finê,
Præponuntur Operi Tabulæ Tres;
Et in his,
I. Titulorum Epitome; seu, Suggestorum XIX. Quadragesimalium Argumenta.
II. Causæ Criminales Actionum omnium, Suggesti, seu, Quadragesimalis I.,
Cum accommodatîs Divinæ Passionis Mysteriîs.
III. Usus omnium Sermonum, secundùm Evangelia totius Anni, Dominicis,
Festísque diebus accommodatus.
Cum Gratiâ, & Privilegiô Sac. Cæs. Majest., & Superiorum Indultô.

Viennæ Austriæ, typîs Joannis Jacobi Kûrner, Procerûm Typographi, Anno 1714.

CELSISSIMÆ

PRINCIPI,

DOMINÆ, DOMINÆ,

MARIÆ,

ANTONIÆ,

JOSEPHÆ,

Sac. Roman. Imp. Principi

DE

MONTECUCULI,

Natæ Comiti de

COLLOREDO,

Dominæ Dominiorum,

Walperſtorff, Hauſenbach, Ainödt, Abſtorff,

Dobra, Floyana, Dymukhur, Smitar, & Enzersfeldt,

DOMINÆ, DOMINÆ,

Principi Munificentiſſimæ.

CELSISSIMA

PRINCEPS,

DOMINA,

Domina Munificentissima.

SI mensuram omnem Beneficentiæ, quæ non tantùm ipsô cum Solê (qui sese vel non poscentibus offert a) *mirè, summéque conspicuos, verùm insuper, ex adumbrationê quâdam divinæ largitatis, communi sortê mortalium fulgentiores, & submississimè venerandos reddit, ille, præ ceteris, adeò cumulatè judicandus est adimpleviſſe; nihil ut munificentiùs optare Cordubensis ille Beneficiorum, etsi Censor accuratissimus, valeat:* (b) qui desideria postulantis præve-

)(2 nit,

(a) Claudianus. (b) L. Seneca. Lib. 2. de Benefic. cap. 1.

nit, occupans antè, quàm rogatus? *Nemo jam, vel invidus, in hujus libri frontê, nominê fulgentissimô Vestræ Celsitudinis perculsus hærebit; vel, curiosus explorator, urgebit inquirendo: Cur primum hoc meum Quadragesimale Suggestum, publicam in lucem, eô præcipuè cum splendorê producere decreverim?*

Innotuerat Vestræ Celsitudini (a *quod quidem, ad inclinandam in vota mentem, verè munificam, arbitrô Senecâ, vel unum satìs esse, supérque solet*) *geminâ me solicitudinê jam indè, cùm obsequi calamus imperio cœpit, eáque pro typîs, Orbi legenda digerere, quæ nuper Urbs hæc, Orbem complexa, non ingratìs audierat, immodicè fuisse gravatum. Earum altera, nunquàm non anxiâ supputationê, sumtus, eósque non leves ingerebat, pro typîs hujus locî; quorum, utì rerum ceterarum, omnium propè, publicîs ex causîs, auctius, quàm aliorum, alibi, pretium esse constat: qui tamen, ùt ùt, remotioribûs minùs carîs, idcircò semper mihi prælibuêre; quòd propinquis, non opportunior modò censura, sed, accuratior etiam peccantium characterum emendatio posset impendi.*

Altera solicitudinis meæ pars ea fuit; quæ tantùm non antiquæ deliberationis consilium evertit: quô munificam Largitatem Vestræ Celsitudinis, ad sumtus prædictos implorare, jam penè totum in animum induxeram. Religiosus quippè metus, an scrupulus? me quidam perterruit: nè, post multa jam, eáque non mediocria, pluribûs etiam annis, pro decorê Domûs DEI (*quam, ex officiô, redditibûs destitutam procuro*) *perpetua veluti beneficia, constanter indepta, si porrò, præsens ad opus, Munificentiam eandem supplex rogitarem, aut eam, defectu justæ moderationis, ingratus offenderem; aut, quod non seciùs horrebam, ab illius tam sacri subsidij continuandô favorê, per importunitatem averterem.*

Hiscè geminîs curîs agitatum animum, vix dum, undè undè, Celsitudo Vestra cognovit, extemplò, velut edocta, de Beneficentiæ virtutê summâ, non tantùm exspectare supplicem noluit, sed, rogari metuens, antevertit; & (quòd optâsse magìs, quàm sperâsse videtur, ad supremæ Largitatis officium, Annæus ille) sic totum implevit: ut, quod actum est, quasi vivîs characteribûs præscriptum ab eôdem fuisse, censeri queat, in eâ, quam exactissimæ Beneficentiæ definivit, ideâ: Beneficium, *inquiens*, illud jucundum, victurúmque in animô scias; quod obviam venit. Primum est, antecedere desiderium cujúsque: proximum, sequi. Illud melius: occupare, antè quàm rogemur. Ideò divinanda cujúsque voluntas; &, cùm intellecta est, necessitatê gravissimâ liberanda est: nè

rogati

(a) Seneca. Lib. 2. de Benefic. Cap. 1.

rogati videamur. Sed, certiores facti, ſtatim promittamus; facturósque nos, etiam antè, quàm interpellaremur, ipsâ feſtinationê approbemus. (a)

Talis, in mea, per indaginem pietatis, explorata magìs, quàm, ſuppliciter indicata vota, fuit Veſtræ Celſitudinis, nimirum, quæ obviam venit, antè quàm rogata, ſumma virtus tribuentis (b): *undè mihi*, cumulatus *pariter, ac, tergeminus quidem, favor Principalis obvênit. Præter enim, quòd Ingrati cenſuram, quam frequens Deprecator incurrere verebar, præventus evaſi; ſimul, & illô religiosô metu veteris, in DEI Domum, nitorémque divinorum officiorum procurandum, influxûs munifici, forſan ſiſtendi, per ultroneam Beneficentiam abſolutus integrè ſum: ad hæc illud inſuper adeptus continuò fui; quod, in Benignitatis humanæ Celſiſſimô culminê Beneficiorum Cenſor ſtatuit, cùm ait*: Major eſt muneris gratia; quò minùs diù pependit. Omnis Benignitas properat: & proprium eſt, libenter facientis, citò facere. (c)

Tantus autem ſplendor Munificentiæ, vultum indutus animi, verè ſereniſſimi (quia, Solis æmulum) num fortè, ſinè criminê, ſub illâ nubê ſilentij, quâ Celſiſſimæ tantùm virtutes amant, volúntque celari, diſſimulandus â mê pariter ità fuiſſet; uti geſtiebat? nè ſcilicet, primum hoc meum Suggeſtum ſuam Orbi frontem, eô nominê Principalî conſpicuam exporrigeret; undè, publicam ut in lucem poſt longa multorum vota prodire poſſet, accepit?

Noveram quidem, antiquiùs nihil, hôc votô, Largitati Veſtræ Celſitudinis eſſe: quia frequentiùs jám (d *quod Seneca*, dulce, pretiosúmque *dixit*) gratias agi ſibi, pro datîs, paſſa non eſt, *erubeſcens, omnia gratitudinis officia; quæ, vetita licèt, evitare tamen, ùt ùt reluctando, nequiverat. Tùm autem, indéque magìs, ea modeſtia claruit: cùm nuper nomen ſuum Beneficentia Principalis altiſſimis illis fundaminibus commiſit; quæ, quàm profundô ſilentiô cœpta, tam nunc* (*Regiâ penè*) *patentê Magnificentiâ, ſacrum ad culmen deducta, Munificentiſſimam Pietatem Nominis* MONTECUCULIANO-COLLOREDIANI, *non Auſtriæ tantùm noſtræ, ſed omni Germaniæ* (*nisi plùs ultrà velint extollere, quibus amplior eſt remotioris Orbis notitia*) *venerandam potiùs, quàm invidendam, in ſacrarum Veſtalium Seraphicæ Matris celeberrimô Parthenonê, maximô Civitatis Hippolytopolitanæ, cùm ornamentô, tùm adjumentô, reddiderunt.*

)(3 *Idem*

(a) Seneca. Lib. 2. de Benef. cap. 1., & 2. (b) Idem. Ibidem. (c) Idem. Lib. 2. cap. 5. propè finem. (d) Seneca loc. cit. cap. 6.

Idem omninò ſupprimendi Nominis, occultandæquè Celſiſſimæ Beneficentiæ conſilium, hôc pariter pro Librô, modeſtia vetus, notaq; ſuggeſſerat, irritô tamen votô: cùm, adeò peccare primum in debitum, ſacrúmque Grati nomen, accepti beneficij præconiô diſſimulatô, perhorreſcam: nè calumniam in me Philoſophi Cordubenſis exacuam, &, Ingratus audiam cum illîs; qui dant operam: ut beneficium, in ipſos collatum, quàm ignotiſſimum ſit (a); & verentur, palàm ferre. *Tota me Pietas, atquè Religio, ſic tacentem, reum ageret: cùm Orbi, qui nunc ad ea, quæ, pro DEI cumprimìs gloriâ, dein, animarum ad ſalutem faciunt, non parcus tantùm, ſed lippus, invidúsque deprehenditur, manifeſtum eſſe debuerit: non penitùs deſiiſſe, ſed, admirandô fulgorê conſpicuam*, in Unâ, *ſicut* Viduâ, Principê Montecuculianâ, *ſic*, & Unicâ *pariter*, Hæredê Colloredianâ, *ſupereſſe totam adhuc, nè dicam*, Unam, *largiſſimæ Pietatis, ac pijſſimæ Largitatis, Munificam Virtutem: Quæ magnas opes, deſuper acceptas, non in ſterile Mundi ſolum, nihil reddentis (& quem, exoſa ſemper, hoſtem habuit) ſed, in gloriam ſupremi Largitoris, cùm ſuômet grandî ſolatio, tùm earundem inceſſabilî proventu diſpenſandas, ità ſapientiſſimè cenſuit, atquè collocandas: ut, cùm hinc, ex illîs, ædium ſacrarum culmina ſurgunt, & officiorum divinorum nitor illuſtratur; Pietásque, DEO, variîs in Aſceteriîs, per obſequia religioſa ſervientium (undè plurimùm, in Reipublicæ ſalutem, &, ad avertendas communes plagas, auxilij confluit) perpetuîs adjumentîs fovetur: inde verò, par earundem Liberalitas, etiam in Libros impenditur; ex quibûs Chriſtianæ diſciplinæ documenta, ſimul & vitiorum (undè publici Boni peſtis omnis, & corruptio naſcitur) fugiendorum argumenta ſuſcipiuntur: ſanè, tantò cumulatius utrinque de ſuîs, ità piè profuſîs facultatibûs, emolumentum â ſê conferri judicavit, in communis rei ſalutem; quantò ſemper, ad ſervandam illius, augendámque felicitatem, ſubſidij plùs influxit, â procuratîs avitæ Religionis, ac pietatis officiîs; quàm, â primâ quâvis, imò totâ, ſperari, vel exſpectari poterat, ab humanâ providentiâ.*

Jam verò mirum neutiquàm ulli videri debet: poſt ingentes impenſas, vulgô jam claras, multas autem, necdum nominatas, Numinis tamen in causâ, largiſſimè factas, ultroneos etiam ſumtus ab eâdem Celſiſſimâ Beneficentiâ, meum hoc primum ad Suggeſtum oblatos; quô diſertiſſimus juxtà, ac potentiſſimus, miſerabilium illorum reorum Advocatus *exhibetur; quos, alius ab eô, nemo poteſt, â deploratiſſimis, quibûs oppreſſi ſunt, Causis, extremâquè miſeriâ vindicare. Noluit veteris quic-*

(a) Idem. loc. cit. cap. 22.

quicquam instituti Pietas hæc Principalis â sê desiderari; cui, quàm pretiosa, carâque sint, Causidicorum patrocinia, sicut ex annosis jam Actionibûs perspicuum est; ità non potuit ignotum esse: quòd (cùm personis miserabilibus publicô sit ex censu providendum: vel, ut, noti juris verbis utar a, commiserationis gratiâ, sit æquissimum, & fieri debeat: ut, pauperibus litigantibus, dentur Advocati, publicîs expensis) *geminatum, cumulatúmque Beneficium inde proventurum esset: unde Causarum illarum afflictissimarum Patrocinium, censûs communis debitô sublevatô, procul omnî gravaminê posterorum, fundationê quasi perpetuâ, firmum, & indeficiens permaneret.*

Quòdsi quis ad id consilij, tam liberalis, pietatis quâdam religionê Celsitudinem Vestram excitatam arbitrabitur: næ procul is â temeritatê senserit. Hæc enim Virtus, utì summa, Celsissimáque præfulget, nusquàm non influens lucê beneficâ, sic & omnibus ceteris splendorem, tantò communicat amæniorem; quantò plùs eis divinæ similitudinis tribuit: Cujus, etsi sit lumen immensum, nisi tamen ejusdem, ex beneficiîs, foret sensus, census deforet omnis. Quæ verò sit in vulgus ex hâc munificâ Pietatê, de Vestræ Celsitudinis Vitâ, quam in omnem partem solâ videt Virtutê Principalem, æstimatio; non est, hujus paginæ terminîs, brevibûs nimiùm, constringendum: nè detraxisse multitudini Virtutum illarum arguar; quas, dum quotidiè novas amplissima fama, cum admirationê, commendat, & amat, ipsa nomina Virtutum deficere sibi contestatur, ad ea, verbis, ùt par est, extollenda; quæ Vestræ Celsitudinis consuetudo jam familiaris vivendi, sic in mores accepit: ut in eâ, quæ nunc est, adultâ quamvìs, mirè tamen floridâ, Viduitatê, muliebris decoris Ideam consummatam, omnis, quæ mentem eò cum oculis adverterit, ætas, atquè conditio, præfulgere sibi sentiat, ad omnem, quôcúnque tandem nominê censeri, vel exigi solet, aut potest, Virtutem.

Constat eadem adhuc sibi, quæ paternîs ex ædibûs, illô famosô, Pietatis atquè Virtutis omnis Gymnasiô, prodijt, angelica vultûs Modestia. Pudor idem verecundus, qui teneris ab annis adolescentulam Conjugem, Amoris omne nomen erubescere non tantùm, sed, ad id etiam excandescere, fecerat, utì nunc, Juvenilis Viduitatis ornamentum grande, sic par est etiam Amoris, longè sublimioris, castissimum argumentum. Solitudo, quamvìs nec legibûs, nec religionê constricta, Celsissimæ tamen Pietatis, ità servit officijs: ut, ex arbitrij libertatê, jam totam Celsitudinem Vestram, sacri Parthenonis cellula (sê major, tantam per incolam facta) constringat: jam rursùs Eandem, vigili subjectorum providentiæ, ceterisque negotijs, nullis

)( )(

ta-

(a) Gloss. in l. 1. §. Prætor. ff. de Postuland. Covarr. pract. q. c. 6. n. 4.

tamen, vel Mundi, vel mundanorum consortijs, aut accessibus reddat. Nihil uspiam, præterquàm sacrîs in ædibûs, & inter officia publicæ pietatis, divinásque tantùm, &, eas quidem frequentissimas, ad epulas, tantâ de Virtutê, totô Principis habitu dissimulatô, se conspicuum ingerit: nisi maximi fulgoris instar, atquè, prout est, summè conspicuum, censendum illud sit: Viduam, Celsissimi Nominis, nec exteræ minùs, quàm Austriacæ, totius propè Nobilitatis cognationê celebratissimam, in quam, cum virtutum, etiam quæ corpus afficiunt, prærogativîs, ingentes opes, &, quicquid æstimari, tùm & amari solet, ac potest, cum naturâ liberali, locuples etiam Fortuna congessit, continuò tamen, â primâ divortij lethalis horâ, sic â seculi moribûs, & amoribûs divertisse totam: ut non ab omnî tantùm subindè torô, vel cogitandô, mentem castissimam obfirmaverit; sed, nè quenquam in sui forsan amorem, præter intentionem etiam, incauta pelliceret, indè pariter omnia, quæ de Mundi muliebris illecebrîs, pretiosè nitent, ac micant, sibi subtracta, meliores in ornatus converterit; semet autem ipsam, ab omnium, quorumvis etiam Principum virorum, votîs, oculîs, & affatibûs, itáque penitùs â Mundi totius affectibûs avulsam, uniùs tantùm supremi Numinis obsequijs consecraverit. Quis autem, nisi mentê cæcus, & ad ea, quæ sunt virtutis, caligans, hoc ipsum, non maximè spectabile, summéque conspicuum, atquè suspiciendum dixerit? quòd, ætatê tam floridâ, facultatibûs tam copiosîs, conditionê tam Celsâ, Princeps Vidua, &, verè Vidua (a) *tam ipsa, nihil spectare Mundi gestiat; quàm de sê, vel spectari, vel exspectari sustineat â Mundô? Quâ quidem, suprà communem vivendi rationem, conditionê Celsissimâ, quia totô Mundô diversâ, mirum non est, omnium aciem, non perspicacium tantùm, sed eorum etiam, quibus ex mentis ægritudinê virtutis odiosa lux est, ejus fulgorê sic esse perstrictam: ut, quod frustrà fuit â multîs optatum, & unicâ tantùm de Viduâ, mulierum omnium fortissimâ, paginæ sacræ decantant, in alterâ, pariter* unâ jam, *illiúsque geminâ, Celsitudinê scilicet Vestrâ, non sit auditus, in hâc Orbis urbê;* qui loqueretur de eâ verbum malum. (b)

Hæc autem tanta, non solùm omnî criminationê, sed criminalis etiam suspicionis umbrâ, superiora, Virtutum famosissimarum decora, si, quod rê verâ sunt, quandam vitiorum, criminúmque singulorum (adversùm quæ, variîs ab Actoribûs, in hôc, primô meô Suggestô, severissimâ contentionê declamatur, non ità forsan, ùt â Celsitudinê Vestrâ, ceterîs universim ab omnibûs aliena) si quandam, inquam, eámque vivam, & omnî sermonê vehementiorem, Criminum illorum redargutionem, & apertam accusationem dixero: nemini non indè satìs erit, supérque tandem exploratum:

(a) 1. Timoth. 5. v. 3. (b) Judith. 8. v. 8.

tum: cur præsens ad opus ultroneâ largitatê, solicitam adeò se, beneficámque, Celsissima Pietas exhibuerit? Cùm enim in eâ, quam adumbravi duntaxat, conspicuâ, Vitæ totius ideâ, præconiô publicô suffragantê, quælibet actiones, Accusationes Mundi peccantis manifestæ sunt (quia corruptis moribus publicis convitium, benè vivendo, faciunt, & peccantium frontem, etsi non verbîs, quia tacent, ipsô tamen vivendi generê, dissimilî, feriunt, ac verberant a) : *hoc ipsum est; undè se, non tam suæ, quàm omnium salutis avida, religionê quâdam ad hoc obstringi, Censoria Virtus illa persensit: nè, quos adeò luculenter insimulat, etiam damnare velle videretur: Ut suîs impensîs,* Advocatus Peccatorum, *tot Actionibûs, tantùm non oppressorum, publici juris esset, usuique pauperum Illorum deserviret: itaq; miseris, undiq; prægravatis, ab exitiô sempiternô vindicandis, nihil, suîs de mediîs, & facultatibûs deforet; cum quibûs ipsa nihil sui voluit unquàm esse commune.*

Ex hîs, etsi clareat abundè principale motivum; ex quô Librum hunc, â Peccatorum Advocatô *nuncupatum, Vestræ Celsitudinis munificæ Pietati demississimè transcribere constituerim: celare tamen alterum nolui; quod, ut id omninò decernerem implorare, totum animum inclinavit. Non enim fugiebat me: quòd alijs, iisque non paucis, Actionê nonnunquàm acriorê, domesticum fortè reatum vehementiùs redarguentê, perstrictis, non semel* (b) inimicus factus, *cum Apostolo,* sim, verum dicens. *Undè, cùm haud imprudenter vereri debuerim, nihil indè subsidij conferendum ad has, typîs vulgandas, Actiones; quæ, vel auditæ, pluribus odiô fuêre: nusquàm certiùs obventurum illud sperare licuit, præterquàm ab Illâ; quæ, procul omnî ruborê, vel, per syntheresis exulcerationem, vel, per objurgati reatûs rancorem accensô, me, personarum omnium respectu posthabitô, de Suggestô declamantem, non tantùm eorum omnium, quæ criminabar, immunis audivit; sed eadem insuper, Suarum quoq; Virtutum objectâ publicâ Redargutionê, velut Actionis conformatæ manifestîs totidem argumentîs, constanter improperavit, illius instar;* cujus vestis, manus, pedes, caput, & lingua; cibus insuper, & potus, & lectus, & cilicium, os deniqúe, & facies, &, quicquid in ipsô erat, vox erat clamans, & accusans peccatores. (c)

Ad hæc, & aliud, illúdque postremum, quod ceteri quidem Scriptores primum plerùnq; respiciunt (ut ex magni fulgorê Nominis, in ipsâ Librorum frontê, splendor aliquis Lectores detineat) Celsitudinem Vestram, huic voto semper, unicam, solámque

(a) Lactant. Lib. 5. cap. 6. (b) Galat. 4. v. 16. (c) Didacus de stella. in cap. 8. Luc. de S. Joann. Bapt.

ſuggeſſit; in quâ, gemina per nomina, quicquid primæ, Principisq; Nobilitatis antiquiſſimô fulgorê, ſummè conſpicuum claruit olim, & etiamnum apprimè lucet, ſplendoribûs, velut in Unam collatîs, illuſtriſſimè refulget. Undè, ſi paterni Stemmatis, (quod in V: C: Solâ, cum hæreditatê ſubſiſtere, Numinis Providentia voluit) ad avita, reſpicere tantùm decora, foret animus: quàm longa COLLOREDIANORUM *Heroum ſeries, eundem, continuatîs perpetuò, munerum, ac meritorum excellentiſſimorum fulgoribûs perſtringeret? quibûs, â Conradi II. ſeculô, per Liabordum,* (a) Collorediana *Virtus, ad Excellentiſſimum úsque, V. Celſitudinis Patrem, rebûs, tùm belli, fortiſſimè, tùm in rê publicâ, ſapientiſſimè, nec non ad arcana Cæſarum Conſilia, præclariſſimè ſemper geſtîs, & perpetuâ cum gloriâ, non tam decurrens, quàm augeſcens, ità micuit; ut hâc etiam, ætatê noſtrâ, Romanâ quidem in purpurâ, vulgô ſancta, Cæſareîs in caſtrîs, æmula Martis, etiam inter hoſtes, audierit: hodiè verò, tam, ad aras, pro populò, ſacer, ex Oratoriô, quàm, Excellentiſſimus, pro Cæſareo-Regiâ, Catholicâ Majeſtatê, Sereniſſimam ad Rempublicam Venetorum Orator, ex eâdem, admirabili lucê reſplendeant.*

Quodſi jam eos pariter, quos Materni Nominis Claritas, tùm paternô, ZINZENDORFFIORUM, *tùm & maternô,* KHEVEHILLERIORUM *â ſanguinê, plura jam per ſecula, ſplendidiſſimê ſemper, & cum ingentibûs, utì meritîs, ità præconiîs propagatô, Celſitudini V. cognatos dedit, atq; propinquos, commemorare, vel ſolâ Nominum inductionê conſtitutum haberem: quantæ me Lucis fulgor, utrinque collatus, occuparet, ab illîs? in quibûs, Virtutis omnis, ac Fortitudinis, rerumq; præclariſſimarum, in ſagô, togâq;, pro Numinê pariter, ac Cæſarê, tam geſtarum theatrum, quàm, rectè gerandarum Gymnaſium* (b) *ùt eruditionis, ità probatæ, per domeſtica non minùs munia, quàm longas, variasq; Legationes, experientiæ diſciplinîs refertum, ſicut olim, ad exterarum regionum ſtuporem, præluſit, atq; præluxit; ità Mundi totius etiamnùm, primæq; præſertim Aulæ Mundi, cõnſtat in oculis.*

Ad hæc, ſi Montecuculiani *fulgoris Principale jubar accedat; quid porrò lucis, atq; ſplendoris, â Nominum illuſtriſſimorum, qualiumcúnque, vel Excellentiâ, vel Celſitudinê, potuiſſet in hujus Libri frontem optari; quod, Celſiſſimam Viduam,* Principem de MONTECUCULI, *ſanguinis aviti, nobiliſſimiq;, quàm famosá, tam gloriosâ cognationê, non colluſtrat? Illius enim eſt Vidua,* LEOPOLDI, Principis de MONTECUCULI; *qui, Delicium Auguſtiſſimi* LEOPOLDI, Cæſaris, *Magni verò*

(a) Part. 1. Lexic. Univers. Hiſtor. Lit. C. v. Colloredo. (b) Annales Ferdinandæi. Franc. Chriſt. Khevehillern,

verò RAYMUNDI, *militis illius Quinquagenarij, gradus omnes emensi*, Primiq;, Copiarum Cæsarearum, Generalis Locum-tenentis, *ex Prosapiæ Celsissimæ juxtà, atq; Amplissimæ, Matrê*, DIETRICHSTAINIANA (*Quantum hoc, & quàm famosæ Virtutis, Gloriæ, Cognationisq; Nomen est?*) *Filius unicus, & hæres non tantùm, sed, Auctor etiam, Paternæ Gloriæ fuit, ac Principatûs. Quem* (*quia, velut exhausta jam, fatigatáq; Fortuna, se defuturam ejus longiori vitæ, paribûs incrementîs exornandæ, prævidit; aut, nè Patris Nomen, quod Invidiam omnem superaverat, in Filiô superatum, antiqui splendoris amitteret aliquid*) *aureô jam vellerê, quod supremum esse solet, Meritorum insigne præconium, Torquatos inter Heroës venerandum, præmatura, nè dicam invida, Mors meliorem in lucem, & supremos transtulit in splendores. Ut nimirum ex ipsâ, tantæ Mortis umbrâ, plùs Lucis, â Patrê luminum, in V. Celsitudinis, jam Solius, auctô Virtutum Celsissimarum splendorê clarescceret.*

Quæ, cùm omnia plurimùm in hujus mei Libri lucem ampliorem conferant, cui, præter Celsissimam Beneficentiam, datum insuper, tantô sub Nominê, publicam in lucem prodire: quô tandem Nominê me gratum, ùt par est, valeam contestari, nusquàm invenio. Suggesserat quidem aliquid is, qui Cæsari fassus: Effecisti, ut viverem, & morerer, ingratus. Quid enim est animi tam grati? quàm, nullô modô sibi satisfacere: nec ad spem quidem exæquandi unquàm Beneficij accedere (a): *Tantùm autem abest; ut, pariter sentiendo, totum deficere me confitear: ut, cùm ex integrô par esse nequeam debito, partem tamen spìritualium omnium profectuum, quos ad me forsan, ex hôc, ceterisque Libris meis, Divina Bonitas, per animarum, hinc adjutarum, salutem redundare permiserit, non tantùm cum Vestrâ Celsitudinê communem velim: sed, ut ille quoquè velit, ac faciat, qui per Eam, adeò providè, Librum hunc in lucem prodire fecit, in hâc, & alterâ vitâ, sim futurus*

Pro Celsitudinê Vestrâ

Perpetuus Deprecator.

THOMAS WINTER,
è Soc. JESU.

(a) Seneca. Lib. 1. de Benef. cap. 25.

LECTORI BENEVOLO.

INdulge, Lector Benevole: tribûs ut verbîs, in aditu Quadrageſimalis hujus mei primi Suggeſti, te morer; ex quibûs, nè convenire te ſubindè frequentiùs, aut, ad quorundam cenſuras temerarias avertendas, præmunire cogar; qui levitatê quâdam deſultoriâ, de Librîs, integrâ vix paginâ notîs, continuò tamen, velut intimè jam exploratîs, audaciſſimè pronunciare ſolent; cùm hujus, tùm ceterorum, quæ typîs conſtitutîs, juxta ſeriem, in Tabulâ primâ præfixam, patebunt, omnium Suggeſtorum Quadrageſimalium conſtabit liquidò: Primò quidem, Editionis deliberatæ principale motivum: Dein, & Exſpectationis, tam diù fruſtratæ, tantumq; non fatigatæ, conſilium: Tandem verò generale, non hujus duntaxat, ſed, reliquorum pariter, Suggeſtorum omnium argumentum, cum eô; quô jam uſus in hiſcè ſum, in ceterîs autem Sermonibûs deinceps uti decrevi, Scriptionis totius Inſtitutô, ſtylóque.

Enim verò, quod animum, ab Editionê meorum Sermonum ſemper alienum, expugnavìt, eóq; tandem inflexit; ut id, â quô conſtanter abhorrueram, inclinatus aggrederer, aliud prorſus erat ab eô; quô concitati, nonnulli, magìs ipſi provolitant, proruúntque; quàm urgentur, aut pertrahuntur: dum, partumejâ quâdam ingenij fœcunditatê, quicquid mentê primâ concipiunt, ità partu dignum cenſent ocyùs; ut præſtô ſit Lucina, manus Typographi, quæ tollat infantem, & ſervet immortalitati.

Non me, ſacrorum æquè, profanorúmq; Scriptorum hortamenta vetera fugiebant; quibûs animus meus, niſi cohibitus, penéque præſtrictus aliîs, altè jam ſuſceptîs, rationibûs fuiſſet, flecti ſanè, promoveríque debuiſſet ad ſcribendum, typísque mandan-

dandum. Quid enim, ùt ùt obſtinati torporis, illa, cùmulatîs argumentîs aggravata Parænesis, Divi Patris Claravallenſis, non diſſolviſſet ingeſta? *Bonum eſt, ſi dicantur verba: ſed nihilô minùs bonum eſt, ſi ſcribantur verba. Volat enim irrevocabile Verbum; nisì ſcripto mandetur. Scriptura verbum, & ſtabile facit, & viſibile. Mandatum paginæ, repoſcetur, cùm voles. Bonus Depoſitarius, eſt Liber, integrè, quod acceperit, reſignans: cùm voles, ſumes: ubi voles, leges: quamdiù voles, moraberis. Tutò verbi medicamenta illic condis: ſervantur enim illæſa*; non (prout infidelis aurium carptura ſolet) vel, per invidiam, ſuppreſsô meliorî ſenſu, truncata, vel, alienîs, â mentê non ſolùm, ſed etiam Oratoris orê, commentîs fædè ſarta. *S. Bernar. ſerm. 47. in Cant: ſeu, Gilbert. eôdem loc. cit.*

Nec minùs inerat virium, ad perſuadendum idipſum, ùt Caſſiodori conſultiſſimis, ità diſertiſſimis, & in eunden propè ſenſum congeſtis, Trithemij rationibus. *Felix intentio* (ſic ille) *laudanda ſedulitas: manu hominibus prædicare; digitîs linguas aperire; ſalutem mortalibus tacitam dare; &, contrà Diaboli ſurreptiones illicitas, calamô, atramentôque pugnare. Tot enim vulnera Diabolus accipit; quot Antiquarius Domini verba deſcribit. Unô itaquè locô ſitus, operis ſui diſſeminationê, per diverſas Provincias vadit: in locis ſanctis legitur labor ipſius: audiunt populi; undè ſe â pravâ voluntatê convertant, & Domino purâ mentê deſerviant. Operatur abſens de operê ſuô.* Quâ quidem ex operationê *major eſt* (arguentê Trithemiô) *Scriptoris pietas, officiô Prædicantis: quia Iſtius, cum tempore, perit monitio: Illius perſeverat in annos multos annunciatio. Prædicator loquitur duntaxat præſentibus: Scriptor prædicat etiam futuris. Illius ſermo, ſemel auditus, in nihil redigitur: Iſtius lectio, millies repetita, nunquàm minuitur. Cùm Prædicator deficit, ceſſat officium: Scriptor, etiam mortuus, in moribûs facit officium.* *Caſſiodor. ex Libr. divin. Lect. cap. 30.* *Trithem. Libr. de laud. ſcript. cap. 6*

Ad hæc, ùt ajebam, nequè profanorum deerant Auctorum veterum ſtimuli, crebrîs inſinuationibûs exacuti; quibûs olim, Seneca, Scriptionis pertæſum, amicum verò Plinius, id ſtudij pariter faſtidientem, urgere conati ſunt. Ille quidem, excitans, objiciendo: *Sume in manibûs Indicem Philoſophorum. Hæc ipſa res expergiſci te coget. Si videris, quàm multi tibi laboraverint: concupiſces & ipſe, unus ex illis eſſe.* Quod ipſum alter, obteſtando, ſuadebat: *Senec. cap. 39. de Inſomn.*

Effin-

Plin. Lib. 1. Epiſt. 3. *Effinge aliquid, & excude; quod ſit perpetuò tuum. Hoc enim nunquàm tuum eſſe deſinet, cùm ſemel cœperit.*

Hæc, eorúmque ſimilia plura, Domeſticorum juxtà, atquè Externorum, nè dicam Amicorum, ſed, Principum etiam, Summorúmque virorum vota, cùm ſincerîs hortatibûs, tùm querulîs etiam precibûs, ubi ubi tandem offenſo, ſæpiùs non inoffenſo ſuggerebant, multîs jam annîs; vix cùm audiri cœperam de Suggeſtô. Nequè defuit religioſa quorundam expoſtulatio, meam, aut inertiam, aut invidiam accuſans, cùm incuſsô, reatûs, ægrè, prout arguebant, excuſandi, defugiendíque metu: ſi, neq; deinceps legenda, nec alibi, pro ſalutê plurium prædicanda, concederentur; quæ, licèt Orbis in Urbê dicta, tamen â paucîs duntaxat, ex Orbê totô fuerunt, eôque ſolatiô plerúmque percepta (nihil hìc jactabundus extollo) rarus ut, pro Concionê, de Suggeſtô fuerit Sermo prolatus; quem non, è veſtigiô propè, plurimorum vota, tùm ſalutis alienæ zelô, tùm ſpirituali ſuâ pro refectionê, ſæpiùs indè repetendâ, typis mandandum depopoſcerint.

Aliud autem, ut intima tandem pandam, Sermonibûs deîs, arcani mei, domeſticiq; Tribunalis judicium erat ſemper, &, ab eorum longè levitatê diverſum; quos Cordubenſis cenſura redarguit: *Familiariter domeſtica aſpicimus, & ſemper judicio favor officit, adulationê, non tam alienâ, quàm noſtrâ, deceptis.* Egeſtatis igitur privatæ conſcius, illorum ab opinionê, vel ægritudinê, ſtabam potiùs, quàm pendebam; qui ſemper ſibi diſplicent, & nihil unquàm eorum, quæ præſtant, in omnem conſtare partem, quin, & undequaquè deficere, juſtô ſeveriores, arbitrantur: ut, *& in ſilentium usquè deſcendant, laborê conſumti*, miſerantê Quintilianô; vel, penè cum Apollodorô deſipiant; qui, formatas temporê longô ſtatuas, oppidò ſcrupuloſus nimiæ perfectionis exactor, malleô tandem impactô confregit: nè, quam anxiè verebatur, ſugillationem publicam, erubeſcens, ferre cogeretur. Et quamvìs, ut poſtremum hoc decernerem, quâdam abſterreri me religionê perſenſerim, impetrare tamen â mê nunquam potui: morem ut gererem exaggeratis illis, nequè ſemel oneroſis, tam hortan-

Seneca. de Tranquill. cap 8.

Quintil. apud Betrarch.

tantium, quàm obteſtantium poſtulatis. Verebar (ut ingenuè, quod me potiſſimùm reſtringebat, aperiam) utriúsque, tam inſipientis, quàm ſapientis Mundi judicium, non modò, cum Plinio *cogitans: quàm ſit magnum, dare aliquid in manus hominum!* ſed etiam Stridonenſi cum Patre deliberans: *Prudentis hominis eſt: nôſſe menſuram ſuam; nec, imperitiæ ſuæ, Orbem, teſtem facere.* Nam (quod ex communi propè ſententiâ, Pragenſis ille noſter, Academicus Eccleſiaſtes, argutè non minùs, quàm diſertè, ſuô ſcilicet morê, præfatus eſt) *aliud eſt, è pulpitô ſermonem audire; aliud, eundem in chartâ legere. Fluit in pulpitô, dicentis ab orê, ad inſtar fluminis, ſinè interruptionê; adeóque, ut ità dicam, quaſi nullam relinquit in Criticîs moram. Sed, in chartâ, legitur morosè, relegitúrque; & defectus, qui curſim occurrebat in pulpitô, ac (utpotè volans) cum ceterîs, etiam ad palatum erat benevolo Auditori, deinde, in chartâ ſtabilis, etiam movet ſtomachum moroſo, rigidóque Lectori.*

Plin. Lib. 7. Epiſt.

S. Hieron. ad Vigil.

P. Caſpar. Knittel. in Præfat. Conc. Dominic. ad Lectorem.

Hanc, publicæ Cenſuræ formidinem, auxit inſuper alia, nec temeraria, vel, ſolîs ab umbrîs excitata ſolicitudo. Præter enim communem illam Scriptorum omnium, judicio publico commiſſorum, infeſtiſſimam diſcuſſionem, quâ de verborum, etiam liquidô ſenſu, pravè diſtortô, prorſùs ab ingeniô ſcribentis aliena (quámque, vel per ſomnium objectam, exhorruiſſet) non erui tantùm præpoſterè, ſed, firmiter etiam, ejus adjudicari ſolet menti ſententia, diſcrimen aliud cautus metuebam; cui porrò committere me, nec debere, nec poſſe, cenſebam. Nam, cùm aliàs jam, per verba, non æquè, prout fuêre prolata, quôlibet ab Auditorê ſuſcepta (*difficilis res! Auditor, non intelligens, & ſedens. Nam, propter dementiam, ſeipſum non culpat*) calumniarum quaſdam tempeſtates, in me concitatas, &, velut conjuratas, perſenſerim: quî poteram arbitrari prudens, aut ſperare? futurum: ut, Sermonibûs iîſdem, in Mundum omnem è prelô diſpersîs, ab eâdem infeſtâ, malevolâque concuſſionê liber ſim, & immunis? dum ea, quæ

Theoph. Antioch. lib. 3. de Ant. ex Philemon.

graviter, & adversîs auribûs, in animos admissa sunt ægros, oculis insuper objecta, cum illô, qui singulorum ex arbitriô pendet, sensu, pro variîs diversorum affectibûs depravata, morosis Censoribus inhærebunt? Quid enim? an eum, quem unius Urbis Patriæ, nota quibûsdam è vitiîs ægritudo tolerare sinè querelâ non potuit arguentem, jam, palàm exprobrantem, eadémque, velut super tecta, per typum, prædicantem, patientior, aut modestior feret accusatus, in unâ semper urbê reus pariter, Orbis universus?

Non me confero magnîs cum virîs; â quorum non vestigiîs tantùm, sed umbrîs etiam, procul esse me novî. Verùm hôc ipsô, quô tam eximiîs, tantîsque sum inferior, ea, quæ nequè sublimes adeò, sacríque defugere poterant Oratores, ampliùs metuenda mihi videbantur. Ecquis autem ullum unquàm, emunctissimi licèt, ac, propè Jovialis ingenii partum, luci publicæ dedit; quem approbatio communis exceperit? qui non in Theonum dentes, Momorum cavillos, & aculeos Aristarchorum inciderit? quibus ipsa quoquè Minerva, si per acumen, quod in hastâ coruscat, etiam non pungens offendit, continuò visa non fuerit, vel, aliquid non satìs perspicuè nitens, in frontê; vel in oculîs quicquam, æquè non perspicax, aut illustre; vel minùs quidpiam elegans, atquè decorum, ex orê proferre? Cùm *hæc*, âb Hieronymô, sit promulgata *conditio Veritatis: ut eam semper inimicitiæ persequantur. Offendit enim omne, quod nolumus.* Quam ob rem, pro Concionê dixisse duntaxat, contentus, officio meo satìs â mê factum existimabam in eô: quòd eâ libertatê, pro muneris dignitatê, sim usus; quam nullîs unquàm comminationibûs improborum absterreri, nullîs criminationibûs obtrectantium restringi; nequè minimùm, â debitæ correctionis austeritatê (quam inolita vitia postulabant) averti sustinui. Cujus, cùm integra mihi semper conscientia fuerit: (nihil â mê scilicèt, per Ecclesiasticæ Censuræ præposteram conniventiam, fuisse neglectum) â Ser-

S. Hieron. in Ep. ad Galat. cap. 4.

monum

monum eorundem Editionê non minùs abhorrui ; quàm, inauſpicati fœtûs conſcia mater, cùm ad partum urgens natura ſolicitat, jamjam enixura cunctatur; ſolétque, manifeſtandæ prolis opprobrium, ùtùt poteſt, obnitendo celare, dulcéque ceteris, nomen matris effugere: dum judicii, de ſobolis confuſionê, contrà ſpem forſan formatæ, metuendi, certa non conſtat immunitas.

Sed, altior alia poteſtas, â cujus nutu, cùm loqui, tùm tacere, voti me religio fecit hàc tenùs, omnes animi cunctantis fluctus, quibûs jactabar, unicô ſeriæ ſuæ voluntatis indiciô compreſſit: &, ut illud continuò vellem, obtinuit; ad quod amplectendum, nullius me vel inclinâſſet perſuaſio, vel pertraxiſſet voluntas. Fuit autem ejus poſtulati, quàm ſuavis, tam fortis efficacia: totum ut extemplò Cenſuræ cujusvis horrorem, obtrectationis etiam omnis metu protritô, firmatus excuſſerim ; confeſtímque decreverim (quod egeſtatis meæ conſcientia pertinaciſſimè ſuppreſſum geſtiebat, ibátque ſemper, velut indignum, cui locus aliquis inter ſacros Oratores, quos veneratur Orbis eruditus, daretur) in publicam, obſequendo, lucem producere. Satiùs enim arbitrabar, obtrectantium cavillis patére, dum pareo; quàm, obnitendo, vel deprecando, culpâ, minùs obtemperantis, gravari. Cùm *ad hoc poſiti ſimus*, ipſô gentium Doctorê, ſic perſuaſô, quod & græca parœmia canit: *utcúnque vixeris* (aut ſcripſeris) *calumniam feres.* *Theſſal. 3. v. 3. S. Iſidor. lib. 5. Epiſt. 238.*

Quòd autem, hôc parendi propoſitô, jam obfirmatô, par tamen, &, utì multorum vota, tantùm non cum faſtidiô, fatigatâque forſan exſpectationê flagrabant, obſequendi promtitudo defuerit (id, quod alterô præfandi verbô patefactum iri, ſuprà ſpoponderam) dabis moræ veniam, Lector Benevole. Nec enim, hôc primô pro Suggeſtô cumulatior labor, ex quô ceterorum omnium ordo, diſpoſitióque pendebat, animô, plures inſuper alias per occupationes, ac ſolicitudines diſtra-

ctô, celeriùs poterat optatum ad finem deduci. Multum præterea tempus exigendum erat: ut, & commodiorê pro Typothetarum usu, Sermones omnes characterum formâ meliorî describerentur; & Latii sermonis aliquid, ùt ùt exile, pro meæ scilicet inopiâ facultatis accederet, si non elegantiæ, cultûs tamen, ac numeri, nitorísque melioris: nè cum eô squalore, prorsùs impexus, in publicô comparerem, discutiendus propè de singulîs; quô primam in chartam, de sensu magìs, & rationum gravitatê, quàm comtu, verborúmve delectu solicitus, omnia, calamô properantê congesseram; quæ subinde, vernaculô fuerunt idiomatê, de pedestris illius, & quotidianæ latinitatis apparatu, studiosiùs exculta, tam ingesta memoriæ, quàm pro Concionê prolata.

Sidon. lib. 9. Epist. 7.

Istud igitur, ut impensiùs hôc primô pro Suggestô conarer, iîs immodicè perurgeri me sensi; quæ dudùm â Sidoniô memineram, in Remigiô desiderata fuisse: nè pariter meîs etiam de Sermonibûs accuratior nonnemo (nimirum, ità *magìs intentô studium Censorê laborat*) exigendo requirat: *An sit opportunitas, in Exemplîs? fides, in Testimoniîs? proprietas, in Epistolîs? urbanitas, in Figurîs? virtus, in Argumentîs? pondus in Sensibûs? flumen, in Verbîs? fulmen, in Clausulîs.* Ad hæc illius etiam recordatio pupugit; quod olim, ex Didacticô Cordubensî, cùm legi, legis instar

Claudian. de Bell. Geth.

Seneca L. 10. c. 3. Ep. 100.

suscepi: *Quæ impetu placent, minùs placent, ad manum relata. Non enim, citò scribendo, fit; ut benè scribatur: sed, benè scribendo; ut citô.*

Roman. 1. v. 20.

Et hoc, ipse, grandis illius Libri, voluminísque molítor, quô rerum Universitas, per visibilia, quæ facta sunt, invisibilem Conditorem, & apertè legendum, & intellectu cognoscendum exhibet, suô longè fortiùs exemplô, postulare videtur â nobîs, & exigere; quàm persuadere quisquam alius, rationibûs accumulatîs posset. Cùm enim universum unicô diê Mundum condidisset, è nihilô compositum; eundem, quinîs exindè diebûs continuîs exornatum, sapientiâ mirâ perfecit;

utì

utì Patrum ſacrorum eloquentiſſimus, omnibus erudiendis, expreſſit, inquiens: *Priùs condit, & molitur res corporeas: deinde, perficit, illuminat, abſolvit. Imitatores enim ſuos, nos eſſe voluit: ut priùs faciamus aliqua; deinde venuſtemus: nè, dum ſimul utrúmque adorimur, neutrum poſſimus implere.* Quapropter (utì Litteratorum nonnemo cupiebat univerſim) Argum Briaréo jungendum arbitrabar (ſi tamen voto par, ſtudióque, labor fuit) nè, dum ſcriptionum velocitati, centum velut manuum impenditur præcipitata ſolertia, ſtudioſa minùs, aut accurata, totidem oculorum examina deficerent. Noveram apprimè, velut pro mê factum, votum illud: *Beatæ litteræ! ſi ſuas Libri haberent hyemes; quarum principiô, magnam partem folia ponerent: ùt ſuîs nudantur frondibûs arbores.* Nec me fugiebat illius, in ſuâ quidem artê, forſan æquô plùs, rigidi, ſeveríque Vatis præceptum; quô juſſit:

S. Ambroſ. lib. 1. Hex. cap. 7.

P. Bartoli. in charact. Hom. Lit. mihi fol. 258.

Nonum usquè prematur in annum,
Membranîs intùs poſitîs: delere licebit,
Quod non edideris: neſcit vox miſſa reverti.

Horat. in artê Poët.

Verùm, ùt hæc, elaboratæ nimiùm Eloquentiæ ſtudia, ſacrîs ab Oratoribûs eſſe prorſûs aliena debere cognovi; tantùm abeſt, ut in id ſuperſtitioſi conatûs otium negotioſum diſtrahi me, vel implicari, ſim paſſus: ut, qui nihil me ſublime poſſe noveram, omne, quod impendi ſtudium, in id ſolum, unicúmque conſtrinxerim; quô præſtarem: nè ſqualidus prodirem, vel barbarus audirem, ex Proſperi conſtitutô. *Cùm ſententiarum vivacitatem ſermo, ex induſtriâ cultus, enervet; &, totam vim doctorum, ſplendor elaboratus evacuet: quis non judicet, me affectationem compoſitionis debuiſſe contemnere, etiam ſi eam potuiſſem, veluti dicendi peritus, implere? Quapropter ea mihi viſa eſt compoſitio ſatis ornata; quæ conceptiones animi cum neceſſariâ quâdam perſpicuitatê proferret; non, quæ illecebris aurium deſerviret. Ea eſt enim, nî fallor, judicata Latinitas; quæ breviter, & apertè, obſervatâ duntaxat uſita-*

Credit. Proſper. lib. 3. de vit. Contemplat. cap. 34. ità cit â Theoph. Raynaudô Tom. 20. fol. 9. col. 1,

torum verborum proprietatê, res intelligendas enunciat; non, quæ vernantis eloquii venuſtatê, atquè amœnitatê luxuriat.

Quòdſi tamen in hoc ipſum animi mei decretum, aliquid forſan deliquiſſe, vel impegiſſe videbor, indéque plùs, ac par erat, accurationi tribuiſſe, tùm &, ex eô, moram traxiſſe, multis ingratam, culpabilémque cenſebor: quòd, *ſcripta torquens, de ſingulîs verbîs in conſilium venerim*: tum verò: quòd ſtylô, mihi jam familiarî, conatus fuerim: nè conſonantium litterarum aſperîs colliſionibûs, aut abſorbendarum vocalium ingratîs eliſionibûs Lectoris aviditas, ad ſenſûs intelligentiam feſtinans offenderetur: id, ut integrè nunc indulgeas, cum ceteris, velim; quæ probè novi, paſſim, in omnem partem deficere. Sic enim de ceterîs deliberatum habeo, fixúmque (Præſidum ut, ex integrô, morem geram, plenéque ſatisfaciam voluntati) Suggeſta reliqua, cùm ſic jubear, utì primô calami laborê congeſta ſunt, iîs duntaxat emendatîs, quæ ſorduerint &, â latii ſermonis, vel uſu receptô, vel rectitudinê, fuerint aliena, legentium utilitati, ſolatióque ſuggerere.

Seneca cit. â Sidon. in Epiſt.

Videbatur hoc ipſum ille quondam, immodicô de cultu latinæ venuſtatis, ad regulam Tullianam anxiè nimiùm ſublectæ, deſuper caſtigatus exigere: *Non decet*, inquiens, pro ſacrô ſcilicet ſuggeſtô, per typum ea ſuggerenti, quæ corripiendis, corrigendísque peccatoribus deſerviant, *Ariſtotelis argumenta conquirere: nec ex fluminê Tullianæ eloquentiæ ducendus eſt rivulus: nec aures, Quintiliani floſculîs, & ſcholarî declamationê mulcendæ. Pedeſtris; & quotidianæ ſimilis, &, nullam lucubrationem redolens, Oratio neceſſaria eſt; quæ rem explicet, ſenſum ediſſerat, obſcura manifeſtet: non, quæ verborum compoſitionê frondeſcat.* Nam, *qui maturitatis fructum quærit* (Oratoris Chryſologi decretô) *deſpicit amœna camporum.*

S. Hieron. Epiſt. 125. q. 2. in fine.

S. Petrus Chryſolog. ſerm. 18.

Protritîs igitur omnibûs arbitrii ſequioris cenſurîs, qualis, in Editionê ceterorum Suggeſtorum omnium, ſim futurus, hiſcè ſecurum te velim, certúmque, ſi veniam huic dederis mo-

morosæ Cunctationi, Lector Benevole. Talem habebis, qualem, in suîs Heroicorum Libris, omnem voluit esse Scriptorem, ille, qui sic statuit:

Solum laudabile dicit,
Quod commune facit: Criticas, in bella cohortes,
Grammaticásque Tribus, tristésque, ob puncta, Magistros
Provocat; & longum libros diffundit in ævum.

Barlæus. lib. 3. Heroicor.

Habes in hîs, amice Lector, præter moram, ingenuè confessam, accusatámque, summos insuper apices illius, cujus adhuc debitor sum, ex factâ Præfationê, Verbi Tertii. Quid nimirum, hôc primô? quid, ceterîs in Suggestîs, argumenti? tum, & quô stylô sim universa tractaturus? Habes hujus instituti syntagma brevissimum, in primâ Tabulâ; quæ Titulos exhibet omnes, &, cum explicationê quidem aliquâ, sic digestos; ut simul, & princeps omnium omninò Sermonum Quadragesimalium argumentum, indè pateat, *nostri scilicèt Servatoris, amara Passio, Mortisque, pro nobis toleratæ, supplicium*: tùm verò, moralis ut etiam, singulîs in Suggestîs variæ, rationê tamen talî, fixæ semper, doctrinæ thema perspicuum sit: ut ad unum, idémque propositum, ex Domini Passionê susceptum, & ad mores Christianos accommodatum, omnes cujuslibet Suggesti Sermones colliment. Id, quod primus hic Liber, *in Advocatô Peccatorum*, de ceterîs pariter manifestat. Ut enim in istô, totius est Instituti summa, generaléque propositum: Accusata, coràm DEI tribunalî, quæ famosa magìs, notáque sunt, ac noxia publico Mundi Crimina, vel, in Domini Patientis tortoribûs, judicibûsque reperta, vel, ex arcanâ dolorum, pro nobîs assumtorum, discussionê susceptа, tùm diversîs ab Actoribûs, per Actiones criminales (utì vocant) quotidiè variatas, in pœnam, extremámque damnationem postulata, sic persequi: singulorum ut Maleficorum Causas,

in

in ſe ſuſceptas, ex eôdem, undè fuerant accuſata, myſteriô, Domini Patientis interveniens, Advocati nominê, Pietas, ab interitu vindicet, aſſerátque ſecuras. Ità reliquîs par erit in Suggeſtîs, *Domini Servatoris tormenta, cum unô ſemper, inſtituti moralis argumentô*, tractandi modus.

In quô, nè formam, aut legem Oratoriæ diſpoſitionis inquiras: id, quod addo, præmonendum duxi. Sic enim omnis fermè Sermo Quadrageſimalium horum Suggeſtorum, tribûs partibûs cohæret; ut miſsîs, exordiendi, proponendi, ceterísque, formandarum Orationum ſtatutîs, pars prima, myſterium Domini, pro nobîs paſſi, perſtringat: Altera, major, atquè diffuſior, aſſumtum inde doctrinæ moralis argumentum perſequatur: Poſtrema verò, brevior, & abrupta quandóque, ſicut, in hôc primô Librô, Dominum, pro Maleficîs Advocatum exhibet; ſic in ceterîs plerúnque, repetitâ Doloroſi myſterii mentionê, jam inculcatâ Veritatê perſuaſum, ſuum ad officium urgeat, atquè conſtringat Auditorem Chriſtianum.

Ceterùm, nè forſan eadem te materia, Paſſi Servatoris offendat, novendecim per Suggeſta, totidem ùt annîs pro Concionê declamata, lectoribus itidem oculis exhibita. Nôſti mecum, quid M. Papa, ſacríque Pater eloquii, Leo, ſuper eôdem argumentô pronunciaverit: *Quia, etſi difficile eſt, de eâdem ſolemnitatê* (Dominicæ, de quâ loquebatur, Paſſionis) *ſæpiùs dignè, aptéque diſſerere: non eſt tamen liberum Sacerdoti, in tantô Divinæ miſericordiæ Sacramentô, fidelibus populis ſubtrahere ſermonis officium. Cùm ipſa materia, ex eô, quod eſt ineffabilis, fandi tribuat facultatem: nec poſſit deficere, quod dicatur; dum nunquàm poteſt ſatìs eſſe, quod dicitur.* Nihil novum: eâdem de materiâ, quamplures jam alii, pro ſuâ quisquè facultatê, tractârunt, alios inſuper auſos eſſe, quæ deſuper acceperunt, proferre. *Semper enim* (utì modeſtiſſimè ſuos conatus defendit S. Gregorius Nyſſenus) *cum grandioribûs, nonnulla humiliora. Nam onerariam na-*

S. Leo P. ſerm. 11. de Paſſ. Dom.

S. Gregor. Nyſſen. in Præfat. contrà Uſurarios.

vem

vem, quæquè millenîs mercibûs referta, â ventîs hinc inde impellitur, ſequitur exigua quædam cymbula, idem ſecans æquor; virîsque, athleticô morê depugnantibûs, eâdem legê digladiantur & pueri. Prætereo, quod in hanc rem ab ipsô S. Auguſtinô, D. Cyrillô, ceterîsque SS. PP. non modò conſilii, ſed etiam exempli relictum eſt. Id ſolum, cum S. Chryſoſtomô, ſuffecerit, ad excuſandam, ejuſdem argumenti ſacri frequentatam ſcriptionem, â mê præfatum fuiſſe: *Nolite moleſtè ferre; ſi rurſus idem argumentum tractare incipimus. Nequè enim vetera dicemus, ſed nova quædam, ac recentia. Nam in conviviô corporalî, ex eôdem obſoniô multa eduliorum genera poteſt aliquis conficere. Quin & aurifices videmus, ex eâdem auri maſsâ, & armillas, & inaures, aliásque multas res aureas fingere. Quanquàm enim ejuſdem generis eſt materia; ars tamen eſt varia: nec coarctatur ſimilitudinê materiæ ſubjectæ; quòd ipſa ſit copioſa, variíque artificii.* S. Chryſoſt. Homil. 2. de fidê Anne.

Deniquè, cùm non ignorem fuiſſe; quibus videbar, aut copioſior, aut prolixior, in exſcribendîs veterum, præſertim SS. Patrum, locîs fuiſſe. Neutrum diffiteor: nec ullius me, vel pudet, vel pœnitet. Mihi namquè probata nunquàm eſt ea, quæ labem animi non grati redolet, agendi ratio: quâ nè nominetur quidem Autor, cujus & ſenſus aſſumitur, & ipſa quandóque doctrina, verbatim, quaſi furtô ſublata, profertur. *Obnoxii profectò* (judicê Pliniô) *animi, & infelicis eſt: deprehendi in furtô malle; quàm, mutuum reddere.* Ceterùm, cum D. Bernardô, *libenter, ubi mihi congruere video, verba Sanctorum aſſumo; quô, vel ex vaſculorum pulchritudinê gratiora fiant, quæ in eîs Lectori apposuerim.* Et, ex Petri Cellenſis calamô, deniquè *hæc ſummatim de dictîs Sanctorum recolligo: ut, ſi opuſculum noſtrum propter ſe diſpliceat, vel propter Sanctorum ſacras reliquias, non uſquèquaquè abjiciatur. Etſi enim ligneam pyxidem propter ſe non ſuſcipio: tamen, quia continet ſanctorum corpora, & oſſa, debitâ venerationê illam excipiens, ſummîs digitîs, lotîsque manibûs tenens, lignum aliter, quàm lignum, honoro. Hunc equidem modum, â ſanctîs Patribûs mutuavi; qui in universîs operibûs ſuîs, novi, ac veteris teſtamenti verba frequenter interſerunt:* Plin. in Præf. natur. hiſt. S. Bernar. homil. 3. ſuper miſſus eſt. Petr. Cellenſ. lib. 1. Expoſit. Tabernac. Idem. Epiſt. 92.

)()()()(

ſerunt : ut eorum artificî junctûrâ dictis ſuis robur adjiciant, & ornatum. Et, quæ invidia eſt ? ſi, quod ex multiplicî librorum Lectionê decerpſi, ferventiorî ſtudiô digerentê, in materiam virtutis, & exercitium prudentiæ coäleſcit ? Demùm ità cum Eô concludo : *Scimus, Apoſtolos â Prophetîs, Doctores ab Apoſtolîs, & â Doctoribûs, alios Doctores, ſicut Hieronymum, de libris Origenis; Auguſtinum, & Bedam, de Librîs Ambroſii; Ambroſium verò, de ſcriptîs Ciceronis, & Senecæ; Gregorium quóque, de ſcriptîs Auguſtini, & Hieronymi, non ſolùm ſententias, ſed verba ipſa, in cauſâ mutui accepiſſe.*

Nequè tibi, Benevole Lector, quicquam eorum, quæ meîs in Sermonibûs forſan arriſerint (quin uti pro tuâ libertatê poſſis) invideo. Prout voles, integros, an truncatos, tuô prorſus ex arbitriô ſtat, uſurpare, mê, non ſolùm indulgentê, ſed gaudentê. Cùm eô conſiliô, quæ pro Concionê dixi, publici juris etiam, ex partê, fieri conſenſerim: ut, cùm ipſe pro pulpitô defeciſſe cenſear; & aliquando, fati communis neceſſitatê, totus, você ſim, ac ſermonê, defuturus, non omninò tamen deſim: ſed, ex iîsdem, quæ dixi, typo mandatîs, aut lectîs, aut pro Concionê prolatîs, adhuc, in animarum ſalutem Domino ſerviam, non quidem ex meô, ſed Ejusdem ipſius, qui dat, prout vult, &, cui vult. Huic, quicquid probaveris in iîs, quæ legeris, tribue, mihi totum, quod improbaveris, uni, ſolíque tribuendo. Quem, utì non fugit, extrà juſtæ reprehenſionis ictum, nequaquàm, ex omnî partê me ſtare (quis enim tantùm audeat arrogare ſibi felicitatis; ut, nullibi ceſpitâſſe, videri velit?) ità me ſolatur ea cogitatio: quòd, apud ſupremum cordium ſcrutatorem, Deum, &, falli neſcium rerum noſtrarum æſtimatorem, ſolum, alios juvandi, tùm, & ejus gloriam promovendi, præter (quod maximè ſpectat) obtemperandi ſtudium, etiam ſi labes interveniant operi (quarum hâc in vitâ nihil eſt penitùs expers) mercedis vacuum non erit.

Hâc

Hâc mentê cuncta, tam in hôc Suggestô proposita, quàm in secuturîs edenda, censuræ S. Matris Ecclesiæ, cujus, ùt unius, ità solius est, integrum omnî de veritatê judicium, genuflexus ità submitto: nihil ut aliter â quôquam velim, aliô sensu recipi; quàm, qui sit ejusdem Sacrosanctæ Matris arbitrio, communíque doctrinæ conformis. Tandem, etsi jam Sexagenariô major, certum te volo tamen, Lector Benevole: non me defuturum (si Deus velit) ut integram promissorum omnium Suggestorum fidem expleam: dum audire mihi videor incitantem, Annæum illum: *Festinemus! & opus, nescio, an superabile, magnum certè, sinè ætatis excusationê tractemus!* Et, cùm neque liceat, ad majora vocato, religioso mihi; nequè deceat, cum Aulo Gelliô dicere: *Longiora mihi dari spatia vivendi nolo; quàm, dum ero ad hanc facultatem scribendi idoneus*: inficias tamen ire non possum: quòd, cum Varronê, *dum hæc musinamur, pluribûs horis vivimus.* Quod quidem, donec omnia mea Suggesta, tam Quadragesimalia, quàm cetera, Dominicalia scilicet, atquè Festalia, variáque reliqua, tuas ad manus, usúsque devenerint, animitùs tibi quoquè precor in Dominô: Vale!

Seneca. cit. â Bart. in charact. hom. litter.

Plin. de Varr. Præfat. lib. 1.

MEN-

MENDA TYPOGRAPHICA.

Fol.	Col.	Lin.	
14.	2.	35.	pernicis, lege : pernicies.
18.	2.	11.	Audinn, lege : Audin'.
24.	2.	32.	defuiffet, lege : defuiſſet.
44.	1.	15.	Thaifis, lege : Thais.
46.	2.	14.	neg-lectu, lege : ne-glectu.
62.	2.		citat: Margin: Ferm. lege : Serm.
69.	1.	3.	nu-mmis, lege : num-mis.
71.	1.	23.	repiriri, lege : reperiri.
71.	1.	24.	poſeſſio, lege : poſſeſſio.
72.	2.	21.	terorrem, lege : terrorem.
75.	2.	22.	agnoſeere, lege : agnoſcere.
98.	2.	25.	mê, lege : me.
99.	2.		citat. Margin. Neroni, lege : Nerone.
100.	2.	19.	tratitoribus, lege : traditoribus.
102.	2.	14.	diſcerpra, lege : diſcerpta.
110.	1.	33.	moſtri, lege : monſtri.
117.	1.	4.	tanqam, lege : tanquam.
119.	1.	35.	acuratius, lege : accuratius.
122.	2.	27.	momenſi, lege : momenti.
127.	2.	15.	millê mundîs, lege : mille mundis.
127.	2.		in Notis Marg: Bronienſi, lege: Bononienſi.
142.	2.	34.	longanimen, lege: longanimem.
146.	1.	12.	aut, lege : at.
148.	1.	19.	conculare, lege : conculcare.
152.	1.	33.	igenti, lege : ingenti.
163.			in Margin: Ecloga, lege : Elegia.
166.	2.	22.	pejuros, lege : perjuros.
167.	1.	33.	pejurabis, lege : perjurabis.
205.	2.	6.	conſtantium, lege : conteſtantium.
228.	1.	16.	Theolgicam, lege: Theologicam.
243.	2.	23.	Magaritæ, lege : Margaritæ.

Fol.	Col.	Lin.	
245.	2.	26.	demi-ſſione, lege : demiſ-ſione.
247.	—	24.	Achatholicus, lege : Acatholicus.
248.	1.	8.	crucruentatam, lege : cruentatam.
274.	1.	24.	Judiabit, lege : judicabit.
279.	2.	9.	proprofluxit, lege : profluxit.
280.	1.	12.	langu-or, lege : lan-guor.
280.	2.	27.	degneri, lege : degeneri.
281.	1.	38.	brunæ, lege : prunæ.
365.	2.	38.	terribililis, lege : terribilis.
374.	2.		notis Margin: Vidua, lege : Vida.
380.	2.	29.	ſui, lege : tui.
386.	1.	36.	divinia, lege : divina.
396.	2.	9.	unqam, lege : unquam.
400.	1.	12.	voluptaria, lege : voluptuaria.
411.	2.		notis Marg: Taulerm, lege : Taulerum.
413.	2.	6.	fminam, lege : fœminam.
419.	2.	39.	mnemnoſynon, lege : mnemoſynon.
453.	2.	30.	ſcandapila, lege : ſandapila.
492.			Queſtûs, lege : Quæſtûs.
511.	1.	11.	ohſequio, lege : obſequio.
511.	1.	11.	conditotis, lege : conditoris.
525.	2.	12.	nunqam, lege : nunquam.
529.	2.		notis Margin: Canc. lege : Concion.
581.	2.	31.	blaspemantum, lege : blaspemantûm.
592.	1.	23.	hnmanæ, lege : humanæ.
625.	2.	36.	Caſaris, lege : Cæſaris.
628.	2.	15.	Dccreti, lege : Decreti.
638.	1.	15.	exprob-rare, lege : expro-brare.
653.	2.	3.	crrcifixerunt, lege : crucifixerunt.
674.	2.	35.	exprob-ret, lege : expro-bret.

FA-

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS.

EGo, Gabriel Heveneſi, Societatis JESU, per Provinciam Auſtriæ, Præpoſitus Provincialis, poteſtatê mihi factâ, â Patrê noſtrô, Michaëlê Angelô Tamburinô, Præpoſitô Generalî, facultatem concedo: ut Liber, qui inſcribitur: ADVOCATUS PECCATORUM, â Patrê Thomâ Winter, ejuſdem Societatis Sacerdotê, conſcriptus, & à Reviſoribûs memoratæ Societatis lectus, & approbatus, typis mandetur, â Dominô Joannê Jacobô Kürner, Bibliopolâ Viennenſi. Quem in finem eidem indulgeo Jus, Cæſarei Privilegii uſurpandi; quô Typographi omnes, & Bibliopolæ, prohibentur: nè ullos libros, â quôquam è Societatê JESU conſcriptos, imprimant, recudant, aut, alibi impreſſos, venales proponant, intrà Sacri Romani Imperii, Regnorúmque, ac Dominiorum, Suæ Cæſareæ Majeſtatis hæreditariorum, fines, absquè Superiorum prædictæ Societatis JESU permiſſionê. In quorum fidem hoc illi teſtimonium dedi, manu propriâ, & Sigillô officii mei munitum. Viennæ 24. Martii, 1714.

L.S.

TABULA I.

TITULORUM EXHIBENS EPITOMEN.

Seu,

Suggestorum XIX. Quadragesimalium Argumenta;

Quæ, totidem annis, pro Concionê proposita,
Tomis un de viginti digesta,
Continuis, hâc seriê, Typis edentur.

SUGGESTUM I.

ADVOCATUS PECCATORUM.

ID est: JESUS Patiens, Mundi Malefici, variîs ab Actoribûs, ad apertum Tribunal Justitiæ divinæ Criminaliter delati, sed, ex oppositô Divinæ Passionis Codicê, disertim asserti, Vindex efficacissimus.

SUGGESTUM II.

PALINODIA LIBERTINORUM.

Id est: Proterva credendi, quod libet, &, ùt libet, vivendi, Libertas, in Academiâ Solymæâ, per Evangelicæ Doctrinæ Theses, ex Filii DEI Passionê, Mortêque desumtas, non tantùm ad Saniorem sensum, de Fidê, Vitâque Christianâ, reducta; sed etiam, ad seriæ Pœnitentiæ Saccum redacta.

SUGGESTUM III.

AURIFODINA SALUTIS.

Id est: Anima, per peccatum, in profundum delapsa, sub allegoriâ Metallarij, per Pœnalia Christi, pro nobîs passi, Mysteria, traditô, Pœni-

Pœnitentiæ ritè peragendæ laborê, requiſita; tùm, & ab imîs eruta, per officia Chriſtianæ Pœnitentiæ, velut metallarias totidem per Officinas, â ſcoriîs purgata; geminîs tandem, cùm Chriſti Crucifixi, tùm & Compatientis Matris, formîs monetariîs, in aureum Nummum, ærariô cœleſtî dignum, ſignata.

SUGGESTUM IV.

EXORCISMUS ATHEISMI.

Id eſt: Mundus Energumenus, per impium Atheiſmi ſpiritum, â Machiavellô, totus in Malignô poſitus, &, omnibûs indè flagitiîs obſeſſus, myſticîs Exorciſmîs, ex Paſſionê, Mortêque Servatoris Mundi deſumtis, operoſè liberatus.

SUGGESTUM V.

RESPIRATIO MORTUORUM.

Id eſt: Animæ, per triplicem Peccati malitiam, ſpiritualiter mortuæ, trinam ad Vitam, Rationalem, Chriſtianam, atquè Divinam, Viâ triplicî, per S. Ignatij, Societatis JESU Fundatoris, Spiritum, ex aureô Spiritualium Exercitiorum libellô receptum, feliciſſimè reſuſcitatæ.

SUGGESTUM VI.

EVANGELICUS ANNI SANCTI PRÆDICATOR.

Id eſt: Evangelia, de Temporê Sacræ Quadrageſimæ, cum Dominicæ Paſſionis Myſteriîs, expenſa, cunctis Fidelibus, ad Chriſtianam, ſeu, conformem Evangelicæ doctrinæ Sanctitatem, inſtituendis, Annô Sanctô prædicata.

SUGGESTUM VII.

CHARACTER PRÆDESTINATIONIS. SEU: JESUS CRUCIFIXUS, IMPRESSUS, ET EXPRESSUS.

Id eſt: Chriſtus, pro Mundi ſalutê Crucifixus, per Apoſtolicam Prædicationem Cordibus Fidelium impreſſus; &, ab iîsdem, per Fi-

delem Imitationem, in eandem Imaginem transformatîs, expreſſus, omnium, ad vitam æternam Prædeſtinatorum, Palpabile Signum.

SUGGESTUM VIII.

TALIO VOLUNTARIA.

Id eſt: Spontanea, per ſuſceptas, pro culpîs, pœnas, Pœnitentia, Chriſti pro nobis paſſi pœnalibus Myſterijs conformata, Divinæ Talionis, in peccata vindicantis, Averſio.

SUGGESTUM IX.

MORTIS PROLUSIO.

Id eſt: Chriſtianus, pro ſeriâ Mortis Actionê, momentô quôvis proſperè peragendâ, ſimul Auditor, & Actor, ex patheticâ Prælusionê, Chriſti Morientis, in Theatrô Jeroſolymitanô, ſinè Scenà, per Actus Quinquè Tragicos, inſtitutus.

SUGGESTUM X.

MANUALE PRÆCAUTIONUM. SEU: NUNC, PRO TUNC.

Id eſt: Chriſtus, olim pro Peccatoribûs, â Judæîs; nunc, â Peccatoribûs, in Ipsîsmet, magìs impiè, quàm â Judæîs, Crucifixus; in Particularî, ſeu, momentaneô (quod eſt â Mortê) Judiciô, futurus, ex apertô ſuæ Paſſionis Libro, Peccatorum Accuſator, & Judex inexorabilis: Nunc, pro Tunc (ſic expenſus) omnibus Peccatoribus, maturè ſolicitis, convertitur in Manuale Præcautionum.

SUGGESTUM XI.

APOCALYPSIS DOLORUM, ET GAUDIORUM.

Id eſt: Æterna Beatorum Gaudia, per Dolores, & Mortem, JESU Chriſti, DEI Filij, revelata; nulli, niſi, per Compaſſionem, & ejuſdem veſtigia, ſuccedenti, Reſeranda.

SUGGESTUM XII.

PYROTECHNICA PARADOXA. SEU: IGNIS, EXTINGUENDO SUCCENSUS.

Id eſt: Amor in DEUM, per Ejus, in homines, Amorem, Doloribûs Inferni (pro Gehennæ reîs) circumdatum, itáque (debitos peccatis) Inferni rogos extinguentem, Accenſus.

SUGGESTUM XIII.

INNOCENTIA SATISFACIENS.

Id eſt: DEUS Homo, pro Hominê Peccatorê, factus ipſe Peccatum, toleratîs Peccatorum omnium pœnîs, pro Reatibûs omnium hominum, in ſe ſuſceptîs, in Peccatoris Formâ Satisfaciens.

SUGGESTUM XIV.

SOL ORIENS.

Id eſt: Orans, in Oliveti montê, Servator, per omnia Myſteria ſuæ Paſſionis, tunc prævisa, novum Fidei, Salutis, ac Vitæ Diem, excæcato, per mortifera ſeptem peccata, Mundo manifeſtans, in allegoriâ Solis Orientis, docet: Quid homini Chriſtiano credendum ſit?

SUGGESTUM XV.

VITIS VERA.

Id eſt: Chriſtus Patiens, per Evangelicæ legis Præcepta, Paſſionis, & Crucis Mortê confirmata, Vitæ verè Chriſtianæ Norma, docens: Quid, ex Legis Chriſtianæ præceptîs, homini Chriſtiano ſit agendum?

SUGGESTUM XVI.

SACER POLIORCETES.

Id eſt: Zelus animarum, Peccatores, DEO, Domino ſuo, rebelles, in Mundi, Dæmonis, & Carnis (Confœderatorum hoſtium) Arcibûs,

pertinaciter munitos, apparatu bellicô, de Servatoris Passionê desumtô, Fortiter, & Constanter obsessos, ac, tandem expugnatos, Numini mancipans.

SUGGESTUM XVII.

ARCHI-STRATEGUS ANIMARUM.

Id est: Christus, in cruentô suæ Passionis Conflictu, contrà quotidianos Tentationum Incursus, non tantùm, fidenter, & fortiter pugnare, sed etiam, per Strategemata Salutis, antiquô de Hostê Victorias referre, Christianos instituens.

SUGGESTUM XVIII.

ARCHI-ATER MUNDI.

Id est: Christus, ipse Patiens, apertô suæ salvificæ Passionis Pharmacopoliô, per eadem, quæ passus in Quinquè Sensibûs Externîs fuit, Ægri totius Orbis, Quinquè Sensuum Externorum Delictis opportunè succurrens.

SUGGESTUM XIX.

FONTES CONSOLATORII.

Id est: Solida Solatia, de JESU Christi Patientis Internîs, & Externîs, Afflictionibûs hausta, per hujus vitæ Desertum Peregrinis, adversûs omnes ærumnas, & mœrores confortandis (nè deficiant in Viâ) liquidè propinata.

TA-

TABULA II.

In quâ Causæ Criminales Actionum omnium, Suggesti præsentis, seu, Quadragesimalis I. Cum accommodatis, Divinæ Passionis Mysteriis, proponuntur.

FERIA IV.

Post Dominicam Quinquagesimæ. Die Cinerum.

SERMO I.

Ceterorum omnium Sermonum Prologus, & Argumentum.

IN quô, Peccatores (velut mortui, per mortiferum peccatum) citantur ad Justitiæ Divinæ Tribunal, propositô simul totius Judicij progressu, contrà Maleficum hominem, gravissimorum Criminum, variis ab Actoribûs, accusandum; ab Ipsô verò, Patientê, Morientêque Servatorê, defendendum: Qui, Malefici Hominis Causîs, in se susceptîs, quotidiè, pro Eôdem, efficaciter peroraturus, ex Codicê Passionis, promittitur Advocatus.

Tessera. Nunc Judicium est Mundi. *Joann. 12. vers. 31.*

FERIA V.

Post Dominicam Quinquagesimæ.

SERMO II.

Apertô jam Justitiæ Divinæ Tribunalî, Malefici Hominis Anima, contrà suum, ipsa, Corpus, ùt omnium reatuum suorum Causam unicam, ac Seductorem domesticum, primam instituit lamentabilem Actionem, angustiîs extremîs adacta. Tandem, Causæ suæ periclitanti diffisa, Patrocinium implorat ex Animæ Doloribûs; quos, Agonizans in Oliveti montê, Servator passus est: unde respirat, in fiduciam erecta, Verbô; quô futurum se, Christus, Animæ, quamvìs afflictus ipse, pollicetur, Advocatum.

Tessera. Tristis est Anima mea, usquè ad mortem. *Matth. 26. v. 34.*

FERIA VI.

Post Dominicam Quinquagesimæ.

SERMO III.

Hominis Malefici Corpus, Criminaliter accusatum, adversùs Actionem, ab Animâ, sibi conjunctâ, prolatam, non tantùm judicialiter excipit; sed insuper, de Dolô, simul, & Injuriâ, conquestum, per Actionem oppositam, reatum omnem in Animam retorquet. Metuens tamen, ex Participationê Culpæ, de sui cum Animâ conjunctionê, Participium Pœnæ, ab Externîs Doloribûs Christi, sanguinem sudantis, contrà tremendum Divinæ Justitiæ Judicium, Patrocinium implorat, & intelligit, ex Angelô consolantê: Servatorem, ex Doloribûs, quos Patiens, ac Moriens, Corporê pertulit, accusati, de Corporis, Animæque Delictîs, Malefici, futurum efficacissimum Advocatum.

Tessera. Factus est sudor Ejus, sicut guttæ sanguinis, decurrentis in terram. *Lucæ. 22. v. 44.*

FERIA II.

Post Dominicam I. Quadragesimæ.

SERMO IV.

Forum I. Justitiæ Divinæ: Oliveti mons, in Hortô Gethsemani.

Actio I. De Contumaciâ: Contrà Verbi divini Detrectatores, id negligentes, & exsibilantes.

Actor I. Diabolus: Exaggeratô divini Verbi Contemptu, laborat: â Patrociniô Causarum Advocatum avertere.

Mysterium I. Et Actionis Argumentum: Discipuli dor-

dormientes, tertiùm, â Magiſtrô, ſuum ad officium excitati.

Teſſera. Et vênit ad Diſcipulos ſuos; & invênit eos dormientes. Et vênit iterum; & invênit eos dormientes. Et iterum abiit, & oravit tertiò. Tunc venit ad Diſcipulos ſuos, & dixit illis: Dormite jam, &c. Surgite! Eamus. *Matth.* 26. *verſ.* 40. & 46.

FERIA III.

Poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

SERMO V.

In Foro I. Juſtitiæ divinæ &c.

Actio II. De Pecuniâ, pro malô peragendô, acceptâ: Contrà eos; qui, ut acquirant, quod optant, omnia perdere non verentur; nihílque, pro turpî lucrô, turpe non agunt.

Actor II. Zelus Æqui: Nimiùm inhiantes Nummis, &, iniquè ditatos, accuſat.

Myſterium II. Et Actionis Argumentum: Judas Proditor, cum Prætoriâ cohortê, pro lucrô modicô, Summi Boni jacturam facere non gravatur.

Teſſera. Conſtituerunt ei triginta argenteos; &, exinde, quærebat opportunitatem: ut Eum traderet. *Matth.* 26. *verſ.* 15.

FERIA IV.

Poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

SERMO VI.

In Forô I. Juſtitiæ Divinæ, &c.

Actio III. De Depoſitô, Directa: Contrà eos; qui ſuæ ſuperflua neceſſitati (Depoſitum ſcilicèt egenorum) in vana, turpiáque converunt.

Actor III. S. Ivo: Sumtus profuſos, cum Pauperum Defraudationê, perſtringit.

Myſterium III. Et Actionis Argumentum: Pontifices, & Principes Judæorum, Chriſto capiendo, nullis parcunt ſumtibus: qui, de Nummô, Cæſari dandô, ſcrupuloſi priùs angebantur.

Teſſera. Judas ergo, cùm accepiſſet cohortem, &, â Pontificibûs, & Phariſæîs, miniſtros, venit illuc, cum laternîs, & facibûs, & armîs. *Joann.* 18. *verſ.* 3.

FERIA V.

Poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

SERMO VII.

In Forô I. Juſtitiæ Divinæ, &c.

Actio IV. De Lenociniô, in generê; Contrà Conciliatores Amorum Furtivorum, cum Innocentium interitu.

Actor IV. Pater-familias Chriſtianus, Lenas, & Lenones, alienæ concupiſcentiæ turpiſſimos Negotiatores, accuſat.

Myſterium IV. Et Actionis Argumentum: Judæ, Chriſtum Innocentem, per oſculum tradentis, proditoria cum Hoſtibûs colluſio.

Teſſera. Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum, dicens: Quemcúnque oſculatus fuero, ipſe eſt; tenete Eum. *Matth.* 26. *v.* 48.

FERIA VI.

Poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.

SERMO VIII.

Clauſô Forô I. Divinæ Juſtitiæ, proponitur in Hortô Gethſemani

Juſtitium I. In quô Maleficus homo conſolatoriam Recognitionem, ſuo gratus Advocato, per devotam toleratæ Paſſionis Rememorationem, conficit, & offert.

Commemoratio I. Dolorum omnium; Quos in Hortô, priùs, quàm captus eſt, Advocatus Peccatorum ſuſtinuit.

Teſſera. Gratiam Fidejuſſoris non obliviſcaris: dedit enim pro tê animam ſuam. *Eccli.* 29. *v.* 20.

FERIA

FERIA II.

Post Dominicam II. Quadragesimæ.

SERMO IX.

Forum II. Justitiæ divinæ; Tribunalia sacra, Profanáque, Jerosolymæ.

Actio V. De Criminé læsæ Majestatis: Contrà reos peccati lethalis, in Conscientiâ.

Actor V. S. Michaël Archangelus; Deum, voluntariè, graviter offendentes, criminatur.

Mysterium V. Et Actionis argumentum: Christus Dominus, per enormem audaciam, alapâ contumeliosâ, percussus in faciem, propter hominem.

Tessera. Unus, Assistens Ministrorum, dedit alapam JESU. *Joann.* 18. *v.* 22.

FERIA III.

Post Dominicam II. Quadragesimæ.

SERMO X.

In Forô II. Justitiæ Divinæ, &c.

Actio VI. De Perjuriô, & Falsô: Contrà Pejerantes, tam intrà, quàm, extrà Judicium, &c.

Actor VI. Vir ignoti Nominis Damnandos exigit; qui, cùm alios, falsa testando, tùm semetipsos, execrando, perditos volunt.

Mysterium VI. Et Actionis Argumentum: Falsa Testimonia, contrà Veritatem æternam, & Sanctitatem Christi, nequiter subornata per Judices, in judiciô frustrà prolata.

Tessera. Quærebant falsum testimonium contrà JESUM; ut eum morti traderent: &, non invenerunt. &c. *Matth.* 26. *v.* 59. 60.

FERIA IV.

Post Dominicam II. Quadragesimæ.

SERMO XI.

In Forô II. Justitiæ Divinæ, &c.

Actio VII. De Conspirationé: Contrà eos; qui nocturnîs, ex morê jam infamî, Congressibûs, Tempus, Pecuniam, Proximum, & Semetipsos, perdunt.

Actor VII. Castroverdus, Ecclesiastes eximius: Nocturna Conventicula, vulgô jam infamata, tanquàm Conspirationes, contrà Deum, & Virtutem, &, ad omne malum factas, accusat.

Mysterium VII Et Actionis argumentum: Christus, in sordidô Pontificiæ domûs angulô, totâ noctê dirè vexatus.

Tessera. Non cognoverunt Eum: sed fecerunt inEô, quæcúnque voluerunt. *Matth.* 17. *v.* 12.

FERIA V.

Post Dominicam II. Quadragesimæ.

SERMO XII.

In Forô II. Justitiæ Divinæ, &c.

Actio VIII. De Albô, Vi corruptô: Contrà eos; qui, primum in lethale Peccatum, alienam Innocentiam præcipitem egerunt.

Actor VIII. Anima ex Infernô; suæ Damnationis Autorem, socium habere Pœnæ contendit.

Mysterium VIII. Et Actionis Argumentum: Per illusoriam Albæ vestis contumeliam, Christus innocentissimus, ab Herodê subsannantê, velut mentê corruptus, cum opprobriô Candoris, prostituitur.

Tessera. Sprevit autem illum Herodes, cum exercitu suô; & illusit, indutum vestê albâ. *Lucæ* 23. *v.* 11.

FERIA VI.

Post Dominicam II. Quadragesimæ.

SERMO XIII.

Clausô Forô II. Justitiæ divinæ, proponitur, in Tribunalibûs iniquîs,

Justitium II. In quô, Patronus Maleficorum, in Crimen vocatus, & undequáq; patrociniô destitutus, jussu Pietatis compatientis, ex officiô, defenditur ab Ecclesiastê, Delegatô.

Commemoratio II. Dolorum omnium; Quos, iniquis in Tribunalibûs, &, Barabbæ præsertim posthabitus, in suâ Causâ tacens, Advocatus Maleficorum sustinuit.

Tessera. Exclamavit autem simul universa turba, dicens: Tolle hunc! &, dimitte nobis Barabbam. *Lucæ* 23. *v.* 18.

FERIA II.

Post Dominicam III. Quadragesimæ.

SERMO XIV.

Forum III. Justitiæ Divinæ: seu, sanguinarium Pilati Prætorium.

Actio IX. Forensis, scripta, de Insolentiâ: Contrà eos; qui, post ipsam Pœnitentiam peccatorum suorum, deteriores, exsultant, cùm malè fecerint; & gloriantur, in peccatîs.

Actor IX. Acatholicus, per scandalum offensus; accusat perversam, Catholicorum quorundam, Pœnitentiam; qui, peccata confessi, nihil minùs, quàm Pœnitentiam, jactando malè facta, profitentur.

Mysterium IX. Et Actionis Argumentum: Tortores Domini, de Flagellationis immanitatê, jactabundi concertant.

Tessera. Apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit. *Joann.* 19. *v.* 1.

FERIA III.

Post Dominicam III. Quadragesimæ.

SERMO XV.

In Forô III. Justitiæ Divinæ, &c.

Actio X. Legis Agrariæ: Contrà eos; qui, per libidinem, etiam ipsi naturæ violentam, legis omnis, honestíque, terminos everterunt.

Actor X. Præoccupatur ab Advocatô, Causam inexcusabilis Libidinis, per suum, è lumbîs profusum, sanguinem, ab, inevitabilî ceteroquì, sententiâ mortis vindicantê.

Mysterium X. Et Argumentum Patrocinii singularis; Christus, ex Flagellationê prolapsus in terram, &, in sanguinê suô jacens, iteratâ Flagellationê vulneratus in Lumbîs.

Tessera. Convulneraverunt lumbos meos. *Job.* 16. *v.* 14.

FERIA IV.

Post Dominicam III. Quadragesimæ.

SERMO XVI.

In Forô III. Justitiæ Divinæ, &c.

Actio XI. De Dolô, Furtôque: Contrà eos; qui nefanda quævis, & iniquissima lucra, suam suprà Conscientiam, accipiunt omnia, procul omnî scrupulô.

Actor XI. Conscientia Christiana causatur: se nimiùm, ùtùt reclamantem, aggravatam; & urget, reos Inferni, sibi tam onerosos, omnis iniquitatis protervos Cumulatores.

Mysterium XI. Et Actionis Argumentum: Conclamans, in mortem Servatoris, Turba, sanguinem ejus, în suam, suorúmque Conscientiam, & perditionem, assumit.

Tessera. Universus populus dixit: Sanguis ejus super nos; &, super filios nostros! *Matth.* 27. *v.* 25.

FERIA V.

Post Dominicam III. Quadragesimæ.

SERMO XVII.

In Forô III. Justitiæ Divinæ, &c.

Actio XII. Popularis, & Appellatoria: in Causâ malæ Tractationis subditorum, Contrà crudeles Exactiones Dominantium; & impium eorum, indulti Dominatûs, ac herilis (per tyrannidem depravatæ) Potestatis abusum.

Actor XII. Curio sacer, seu, Pastor Animarum, appellans ad Majestatem supremam, ex officiô Pastoralî, criminatur horrendas, curæ suæ commissis oviculis, â sævâ nimiùm Tyrannidê Dominantium, per impunem violentiam, irrogatas injurias.

Mysterium XII. Et Actionis Argumentum: Christus,

ſtus, extremæ Crudelitatis, & ignominiæ tormentô, per ſpineam Coronam, in formâ Servi miſerabilis, afflictiſſimè vexatur.

Teſſera. Plectentes Coronam, de ſpinîs, poſuerunt ſuper caput ejus. *Matth. 27. verſ. 29.*

FERIA VI.

Poſt Dominicam III. Quadrageſimæ.

SERMO XVIII.

Clausô Forô III. Juſtitiæ Divinæ, ceteris Actoribus, in ſanguinariô Pilati Prætoriô, proponitur

Juſtitium III. In quô Maleficorum Advocatus, ex Litho-ſtrotô conſpicuus, per aperta vulnera dilaniati Corporis, Chriſtianos, cum ingratô populô, nihil piæ miſerationis exhibentê, Votorum plurimorum, & Promiſſorum, necdum adimpletorum, reos, manſuetiſſimè redarguit, *Actionê Ingratis.*

Commemoratio III. Dolorum omnium; quos in Prætoriô Pilati ſuſtinuit Servator, plenus vulneribûs, in ſpectaculum populi productus.

Teſſera. Exivit ergo JESUS, portans Coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum: & dicit eis (Pilatus) Ecce homo! *Joann. 19. v. 5.*

FERIA II.

Poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

SERMO XIX.

Forum IV. Juſtitiæ Divinæ: Via Crucis, ad montem Calvariæ.

Actio XIII. De malè judicatô: Contrà Judices, non tam Chriſti, quàm Chriſtianorum (ob Cauſas miſerorum, eas protelando, non æquè decernendo, ceterîsque, manifeſtîs injuriîs affictas) judicio damnationis obnoxios.

Actor XIII. S. Joannes Chryſoſtomus, Judices illos, quos, Cauſæ juſtæ, Tyrannos, iniquæ verò, Patronos experiuntur, nullô dignos patrocinio, ſed, ſeverô DEI Judicio condemnandos, urget.

Myſterium XIII. Et Actionis Argumentum: Chriſtus, â Præſidê, populi votis aſſentientê, damnatus, & (inter latrones, etſi noxios, Crucis tamen onerê liberos) eâdem inſuper oneratus, egreditur in montem Calvariæ.

Teſſera. Pilatus adjudicavit fieri petitionem illorum: JESUM verò tradidit voluntati eorum. *Lucæ 23. v. 24. 25.*

Et, bajulans ſibi Crucem, exivit. *Joann. 19. verſ. 25.*

FERIA III.

Poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

SERMO XX.

In Forô IV. Juſtitiæ Divinæ, &c.

Actio XIV. In Jurê, innominata; ſed, ex Factô, de malâ Filiorum Educationê: Contrà Parentes, Auctores æternæ Damnationis Filiorum ſuorum, ob Educationis, debitæquè Correptionis neglectum, & exempla prava, vitámque diſſolutam.

Actor XIV. Filius Anonymus, ex actuali flagitiô raptus ad judicium; qui, ſuæ ſocios damnationis, Parentes poſtulat; quorum exemplîs pravîs, & (præter indulgentiam nimiam) Educationis etiam debitæ defectu, periit, jam damnatus æternùm.

Myſterium XIV. Et Actionis Argumentum: Mulierum devotarum, plangentium, â Dominô reprobata Deploratio, propriorum potiùs, ob Filiorum interitum, imperata.

Teſſera. Filiæ Jeruſalem! nolite flere ſuper me: ſed, ſuper vos ipſas flete; &, ſuper filios veſtros! *Lucæ 23. v. 28.*

FERIA IV.

Poſt Dominicam IV. Quadrageſimæ.

SERMO XXI.

In Forô IV. Juſtitiæ Divinæ, &c.

Actio XV. De, injus vocatô, vî, Exemtô: Contrà eos; qui, Luxûs immodici, tam, ex Capillamentîs exoticîs, quàm, ex reliquô Capitis, nimiùm comti, cultu rei, redargutionis tamen Ecclesiasticæ censuras, causantur injurias.

Actor XV. Ecclesiastes ipse Quadragesimalis, ex officiô, magnum quendam (arrogatô *Respectûs* nominê) Dominum, cùm exotici, capillamentorum, & comendi Capitis, excessûs; tùm, & insolentiæ (propter arrogatam, hoc de criminê, correptionis immunitatem) accusat.

Mysterium XV. Et Actionis Argumentum: B. Veronica, sui Capitis velum, sibi palàm abstractum, spretîs Judæorum irrisionibûs, abstergendo sudori Dominici vultûs impendit.

Tessera. Sequebatur illum multa turba populi, & mulierum. *Lucæ* 23. *v.* 27.

FERIA V.

Post Dominicam IV. Quadragesimæ.

SERMO XXII.

In Forô IV. Justitiæ Divinæ, &c.

Actio XVI. Condicta, de Obstinationê: Contrà Hæreticos, & Infideles, inter Catholicos degentes, agnitæ tamen Veritati, pertinaciter, & obstinatè reluctantes.

Actor XVI. Regina Austri, Damnationis reos urget, cum Infidelibûs, Hæreticos, Evangelicam, cum Fidê, Doctrinam, etiam prodigiîs manifestîs confirmatam, per obstinatam perfidiam aspernantes.

Mysterium XVI. Et Actionis Argumentum: Simon Cyrenæus, Crucis onus, licèt coactus primùm, subindè tamen, desuper illustratus, obsequiosè portat, ab omnibûs Judæîs neglectum, & execratum.

Tessera. Invenerunt hominem Cyrenæum, nominê, Simonem: Hunc angariaverunt; ut tolleret Crucem ejus. *Matth.* 27. *vers.* 32.

FERIA VI.

Post Dominicam IV. Quadragesimæ.

SERMO XXIII.

Clausô Forô IV. Justitiæ Divinæ; Viâ scilicet Crucis, proponitur

Justitium IV. In quô, Peccatorum, hàc tenùs defensorum, Devotio Compatiens, Advocati sui Dolores miserata, pro Vinô myrrhatô, quod oblatum non accepit, Eidem, ex collectîs, in myrrhæ fasciculum, dolorosîs Mysteriîs, fidelî non minùs in imitationê, quàm, piâ memoriâ retinendîs, confectum offert, pro supplicio Crucis, fortiùs tolerandô, Cordiale solatium.

Commemoratio IV. Dolorum omnium; quos, Crucem bajulans, ad usquè Calvariæ montem, non animô minùs, quàm corporê, Servator afflictissimus pertulit.

Tessera. Dabant ei bibere myrrhatum vinum. *Marci* 15. *v.* 23.

FERIA II.

Post Dominicam V. Quadragesimæ.

SERMO XXIV.

Forum V. Justitiæ Divinæ: Publicus, in montê Calvariæ, supplicij locus.

Actio XVII. Condictio, ex L. 1. C. de Aleatoribûs: Contrà Lusores, immodico Ludo deditos, &, Quæstum, atquè Commercium, ex Ludô facientes, cum humanæ, divinæquè legis injuriâ.

Actor XVII. Theologus Antiquus, nimiam in lusu, seculi nostri licentiam, ejúsque (licèt peccatorum plenam) protervè tamen defensam, Impietatem criminatur.

Mysterium XVII. Et Actionis Argumentum: Milites, Domini Crucifixores, alearum sortê ludentes, ejusdem sacra Vestimenta partiuntur.

Tessera. Postquàm crucifixerunt Eum, divise-

viserunt vestimenta ejus, mittentes sortem. *Matth. 27. v. 35.*

FERIA III.

Post Dominicam V. Quadragesimæ.

SERMO XXV.

In Forô V. Justitiæ Divinæ, &c.

Solicitus, de Maleficorum salutê, divinus Advocatus, in favorem Causæ communis (Exceptionê Dilatoriâ factâ) Juridicum illis arcanum aperit, ad suas, omnî patrociniô destitutas (etiam olim, coràm Ipsô, futurô judicê) contrà quaslibet Actiones, vindicandas Causas: Devotam scilicèt Fiduciam, ergà Matrem suam; cui potestas (velut constitutæ Peccatorum Advocatæ) tradita: Quóscúnque voluerit, ab interitu, contrà quosvis Adversarios, asserendi.

Mysterium XVIII. Et, Exceptionis Dilatoriæ Argumentum: Christus Mariam, dolorum omnium suæ Crucis participem, Joanni Matrem designans, omnium Peccatorum Advocatam nominat.

Tessera. Cùm vidisset JESUS Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat; dicit Matri: Mulier! ecce Filius tuus! Deinde dicit Discipulo: Ecce, Mater tua! *Joann. 19. v. 26.*

FERIA IV.

Post Dominicam V. Quadragesimæ.

SERMO XXVI.

In Forô V. Justitiæ Divinæ, &c.

Actio XVIII. De Damni Injuriâ: contrà eos; qui, multîs ad Pœnitentiam invitati, Gratiæ contumaces, &, contumeliam Spiritui gratiæ facientes, de Veniâ desperant; itáque, secum (injuriâ damni, non reparabilis) perire faciunt insuper, thesauros misericordiæ Dei.

Actor XVIII. Peccator enormis, repentè Conversus; gravissimæ Damnationis reos postulat, salutem, etiam oblatâ veniâ, desperantes, & omne, secum, Redemtionis pretium, perdentes.

Mysterium XIX. Et Actionis Argumentum: Latro, crucifixus cum Dominô, conspectîs licèt, prodigiîs Pietatis divinæ, gratiam tamen omnem, in sê, sêcum, perire desperando facit.

Tessera. Alter increpabat eum, dicens: Nequè tu times DEUM, &c. Et dicebat ad JESUM: Domine, memento mei: cùm veneris in regnum tuum! Et dixit illi JESUS: Amen dico tibi: Hodiè mêcum eris in Paradisô. *Lucæ. 23. vers. 40. 42. 43.*

FERIA V.

Post Dominicam V. Quadragesimæ.

SERMO XXVII.

In Forô V. Justitiæ Divinæ, &c.

Actio XIX. Condictio, ex Cap. in nonnullîs 15. Extra: de Judæîs: Contrà Dissimulationem impiam Blasphemiarum, publicè, privatímque, notarum.

Actor XIX. S. Ludovicus, Rex Galliarum, criminaliter accusat eos; qui, sui quidem honoris, & nominis, ardentissimi Vindices, Blasphemos autem in DEUM, nequè reprehendunt, zelô pietatis; nèquè, plectendos, deferunt; neq; (pro judicii Potestatê, debitôque muneris) in delatos animadvertunt.

Mysterium XX. Et Actionis Argumentum: Latro pœnitens, in Crucê morientem, blasphemum sui supplicii socium, palàm reprehendit.

Tessera. Alter increpabat eum, dicens: Nequè tu times DEUM. *Lucæ 23. v. 40.*

Et clamavit JESUS, você magnâ, dicens: DEUS meus! DEUS meus! ut quid dereliquisti me? *Matth. 27. v. 46.*

FERIA VI.

Post Dominicam V. Quadragesimæ.

SERMO XXVIII.

In Forô V. Justitiæ Divinæ, &c.

Actio XX. De Effusô, vel, suspensô; undè alicui fieri potuit, vel, factum est, nocumentum: Contrà Gastrimargos, & Popinones; qui, per vitam, gulæ deliciîs immersam, corporibus, animísque suis perniciem accersunt, cùm temporaneam, tùm sempiternam, non sinè Christianæ legis injuriâ.

Actor XX. S. Antonius Eremita, reos agit æterni supplicii, Popinones, & Edones, Epicureæ Beatitudinis in hâc vitâ Sectatores, æternâ prorsùs indignos.

Mysterium XXI. Et Actionis Argumentum: Christus, doloribûs exhaustus, extremæ sitis tormentum indicans, inauditô supplicio, moriturus affligitur, acetô, per fel amaricatô, potatus.

Tessera. Sciens JEsus, quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio! Illi autem spongiam, plenam acetô, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. *Joann.* 19. *v.* 28. 29.

FERIA II.

Post Dominicam Palmarum.

SERMO XXIX.

Actionum omnium Conclusio; simul, & Causarum Criminalium Absolutio, duobûs Advocati, morientis in Crucê, Verbîs, maximô solatiô Maleficorum, declarata.

PARS I.

Moriens Advocatus exhibet, in suô dilaceratô Corporê, Peccati Chirographum (ex quô desumta sunt omnium Actionum argumenta) jam, in Crucê, penitùs â se dilaceratum, atquè confixum: in eâdem autem Virgineâ membranâ, saucii sui Corporis, aliud, salutis, & Absolutionis Chirographum, â divinâ Justitiâ, post præstitam superabundantem satisfactionem, subscriptum, assertis â sê Maleficis, palàm, in sêmetipsô, velut patentes litteras, affixum Cruci, proponit.

Tessera. Cùm ergo accepisset JEsus acetum, dixit: Consummatum est! *Joann.* 19. *v.* 30.

FERIA III.

Post Dominicam Palmarum.

SERMO XXX.

Actionum omnium Conclusio; simul, & Causarum Criminalium Absolutio finalis, ultimô Verbô, morientis in Crucê, Servatoris expressa.

PARS II.

Exspirans in Crucê Servator, post Chirographum Absolutionis patenter exhibitum, dum animam suam, tanquàm Depositum, ùt Fidejussor, pro liberatîs omnibûs, in manus æterni Patris commendat, simul universos admonitos esse vult: Nulli, datum â sê Chirographum, profuturum (id est: neminem Passionis ejus, Mortísque, participem futurum) nisì, qui conditam, eôdem pro Chirographô sortem, dignos videlicèt, Satisfactionis, & Pœnitentiæ, fructus attulerit.

Tessera. Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum! &, hæc dicens, exspiravit. *Lucæ* 23. *v.* 46.

FERIA VI.

MAJORIS HEBDOMADÆ.

Seu, Diê sanctô Parasceves.

SERMO XXXI.

Argumentum. Consummatâ, per Mortem, Causâ Maleficorum, Defunctus jam vitâ, fungens tamen adhuc Eloquiô, de Cordê terræ, suô scilicèt in sepulchrô, loquitur Advocatus; dum, per latus, lanceâ militis apertum, conspicuum exhibet Cor suum, ad oculum, ex eô, sic patentê, demonstrans omnibus: Argumenta cuncta, Causæ nostræ vindicandæ, solô tantùm ex Amorê, sic accepta, prolatáque fuisse: persuasum ut universis esse debeat: Eum, veraciter, fuisse pro nobîs locutum, *ex Cordê*: sed, utinam! pariter omnibus, *ad Cor!*

Tessera. Unus militum lanceâ latus ejus aperuit. *Joann.* 19. *v.* 34.

TABULA III.

In quâ Sermonum omnium Usus, omnibus, Anni totius, Dominicis, Festîsque Diebûs, occurrentibus Evangelijs accommodatus, proponitur.

PARS I.

Usus Quadragesimalium Sermonum, secundùm Evangelia, Dominicîs Diebûs legi solita.

Dominicâ I. Adventûs.

Prædicitur novissimi Judicii Terror.

Tunc videbunt Filium hominis, venientem in nubê, cum potestatê magnâ, & majestatê. *Lucæ 21. v. 27.*

I. Ex Divinîs oraculîs, utriúsque legis, &, inflictîs olim, peccatorum supplicîis, clarescit maximè, supremi futurus Terror judicij. *Serm. 2. à num. 1. usquè ad num. 8.*

Arescentibûs hominibûs, præ timorê, & exspectationê; quæ supervenient universo Orbi. *Lucæ 21. v. 26.*

II. Anima Peccatoris, horrorê judicii perculsa, suîs ut ab angustiîs extricare se valeat, frustrà culpam suorum reatuum, in sociatum sibi Corpus, exonerare laborat. *Serm. 2. à num. 8. ad finem. Et, Serm. 3. totô.*

Dominicâ II. Adventûs.

Joannes in Vinculis, de Christô, per suos inquirit.

Joannes, cùm audîsset, in vinculîs, opera Christi, mittens duos de Discipulîs suîs, ait illi: Tu es, qui venturus es? *Matth. 11. vers. 2.*

I. Quanta, cognoscendæ Veritatis, etiam inter ipsa vincula, solicitudo Joannis, ex auditîs mirabilibûs operibûs Christi? Tantò verò gravius judicium eos manet: qui, non tantùm auditîs, Christianæ fidei, mirabilibûs argumentîs, ejus de Veritatê non inquirunt; sed, etiam ad oculum, &, in conscientiâ convicti, reluctantur adhuc obstinatè. *Serm. 22. à num. 4. usquè ad finem.*

Joannes, cùm audîsset in vinculîs, &c. *Matth. 11. v. 2.*

II. Non impeditur, ab inquirendæ salutis curâ, per sua vincula, Christi Præcursor. Quàm ab illô dissentiunt? qui, levissimîs molestiîs occupati, suæ negotium salutis insuper habent. *Serm. 4. usquè ad num. 5.*

Joannes, cùm audîsset in vinculîs. *Matth. 11. vers. 2.*

III. Frustrà Joannem (sua scelera redarguentem) Herodes carcerê clausit, & vinculîs constrinxit, etiam in vinculîs non defuturum officio suo. Hoc habet mali Conscientia peracti: Quantumcúnque coneris, etiam violenter, ejus accusationes opprimere, reclamare tamen, & accusare, non cessat. *Serm. 16. à num. 8. usquè ad finem.*

Domi-

Dominicâ III. Adventûs.

Mittunt ad Joannem, requirentes Judæi.

Miſerunt Judæi, ab Jeroſolymîs, Sacerdotes, & Levitas, ad eum (Joannem) ut interrogarent eum: Tu, quis es? *Joann.* 1. *verſ.* 19.

I. Non cunctatur Joannes illis reſpondere; qui miſſi fuerunt â Judæîs, ejus de munerê percontantes. Non ſic multi: qui, DEI miſſos, &, internas Conſcientiæ percontationes, officii commonentes, aurê ſurdâ contemnunt. *Serm. 4. num. 3 4. 5.*

Ait: Ego, Vox clamantis, in Deſertô. *Joan.* 1. *verſ.* 23.

II. Quid aliud, hôc ævô, de sê fateri debent Verbi Divini Præcones? niſi, quòd ſint: *Vox clamantis, in Deſertô:* cùm Deſerti ſint, ùt ùt clamantes, ab iîs; quorum omnis eſt, ex neglectô DEI Verbô, perditio. *Serm. 4. â num. 5. & deinceps.*

Dominicâ IV. Adventûs.

Joannes, in Deſertô, Prædicans Adventum Domini.

Sicut ſcriptum eſt, in Librô Sermonum Iſaiæ, Prophetæ: Vox clamantis, in Deſertô: Parate viam Domini! *Lucæ* 3. *verſ.* 4.

I. Adverte: ut, ad parandam ſalutis viam, eámque recipiendam, Fideles inducantur, opùs eſt, *Vocé clamantis*; quâ tamen, ipsâ quoquè, parùm obtinetur: cùm, è conversô, vel modicum ad ſibilum Maligni, currant in viam perditionis integræ turbæ. *Serm. 5. uſquè ad num. 4.*

Et videbit omnis caro Salutare DEI. *Lucæ* 3. *v.* 6.

II. Tam evidens, etiam externa per ſigna, facta jam eſt Cognitio Salvatoris: ut meritò, Sabææ Reginæ, ſint accuſationê damnandi; qui necdum, etiam tanta poſt ſigna, ſe ſinunt, ut credant, induci. *Serm. 22. â num. 11. uſque ad finem.*

Dominicâ infrà Octav. Nativit. Chriſti.

Vaticinatur Simeon, de Chriſtô, Mariæ.

Et dixit ad Mariam, Matrem ejus: Ecce, poſitus eſt hic, in ruinam, & in reſurrectionem multorum. *Lucæ* 2. *v.* 34.

I. Gemina credentium videtur, in Chriſtô, manifeſtata conditio: quorum aliis, prædicitur Ille, futurus in ruinam; aliis, in reſurrectionem: ſicut alii, futuri ſunt ad ſiniſtram; alii, ad dexteram illius. Quidnî? Cùm ità vivant, etiam credentes in Chriſtum: ut, alii quidem, ſint in *reſurrectionem* egenorum; qui, nè deſint ulli, ſibi deeſſe plurima patiuntur: alii verò, multorum ſint in *ruinam*; qui nulli non deſunt (etiamſi pereant) ut ſibi proſint. *Serm. 6. â num. 7. uſquè ad num 17.*

Et in ſignum, cui contradicetur. *Lucæ* 2. *verſ.* 34.

II. Non eſt ulla deterior contradictio; quàm: Homo Chriſtianus, &, Expers Charitatis. *Serm. 6. â num. 6. & deinceps.*

Dominicâ infrà Octav. Epiphaniæ.

Chriſtus in Templum aſcendit, cum ſuîs Parentibûs.

Aſcendentibûs illîs Jeroſolymam, ſecundùm conſuetudinem diei Feſti. *Lucæ* 2. *v.* 42.

I. Si talî conſuetudinê, per Chriſtianæ Pietatis officia, ſuis præirent liberis Chriſtiani Parentes; tanta morum corruptio, cum veræ devotionis defectu, Chriſtianîs hodiè non foret in liberîs. *Serm. 20. â num. 13. & maximè, num. 21.*

Et dixit Mater ejus ad illum: Fili! -- Pater tuus, & ego, dolentes, quærebamus te. *Lucæ* 2. *v.* 48.

II. Quod

II. Quod Filio suo, divinis intento, Mater, innocenti suô de dolorè, sanctè testatur; hoc impiè nunc, parentes impii, non rarò, piîs queruntur de filiîs. Hos enim, ubi DEO devotos, &, sacris noverunt esse rebus addictos, continuò, tanquam perditos, queruntur, ac dolent. *Serm. 20. á num. 9. sed, maximè, num. 22. & 23.*

Dominicâ II. post Epiphan.

Nuptiæ in Canâ Galilææ, præsentè JESU.

Vocatus est autem & JESUS, cum Discipulîs suîs, ad Nuptias. *Joann. 2. v. 2.*

I. O sanctum Consortium! ad quod, cum suîs, vocatur *JESUS* Discipulîs, institutæ Conventionis *Præses* optatus. Non est idem votum *noc*turnorum, temporis nostri, Consortiorum; quæ, multîs convincuntur argumentîs, non aliud esse; quàm: Conspirationes, contrà DEUM, optantes, â se, JESUM, procul excluſum. *Serm. 11. num. 5. 11. & seqq.*

Et erat Mater JESU ibi. *Joann. 2. v. 1.*

II. *Ubi* Virgines, ad nuptias, convenerunt (Sponsus, cum Sponsâ) signanter exprimitur: erat Mater JESU *ibi*, non, utcúnque; sed, ùt Opitulatrix, in defectu vini, solicita. Quid simile sperandum Nuptiis; ad quas, violatus, antè Nuptias, pudor induxit? id est, malè quæsitus, &, pejùs conciliatq, ad Conjugium, Amor, per nocturna Consortia? *Serm. 11. num. 12. 13. sed, maximè, á num. 16. & deinceps.*

Dominicâ III. post Epiphan.

Mundatur Leprosus, & sanatur puer Centurionis.

Ecce Leprosus, veniens, adorabat Eum. *Matth. 8. v. 1.*

I. Cùm abominabilis adeò sit, inter homines, Leprosi corporis fœditas; ut nemo non, vel intueri, vitiatum eâ tabê perhorrescat: quantò solertiùs prima quæquè cavenda labes est innocentis animæ, leprâ quâvis, & fœdior, & exitiosior? Sicut enim incomparabiliter major est, integritatis internæ venustas; ità, semel violata, minùs est, imò, nullîs ampliùs remediîs, reparabilis. *Serm. 12. á num. 8. usquè ad num. 13.*

Domine! puer meus jacet in domô, paralyticus. *Matth. 8. v. 6.*

II. Centurio gentilis, pro famuli sui salutè corporeâ, medicam Servatoris opem solicitè requirit, & postulat, non sinè confusionê Fidelium: qui, mortuæ, per peccatum, animæ suæ conscii, nihil, ejùs pro reparationè, requirunt. *Serm. 12. á num. 13. & deinceps.*

Dominicâ IV. post Epiphan.

Sedatur á Dominô, suscitatô, maris Tempestas.

Accesserunt ad Eum Discipuli ejus; & suscitaverunt Eum. *Matth. 8. v. 23.*

I. Naviculæ periclitanti, suscitatus (ut ab interitu servaret) succurrit, sinè cunctationê, Servator. Hic enim verus Christi, Servatoris animarum, spiritus est; qui, de Proximi periculô, persecutionis in tempestatê laborantis, admonitus, missâ cunctationè succurrit. *Serm. 12. á num. 4. per totum.*

Homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic? quia venti, & mare, obediunt ei. *Matth. 8. v. 27.*

II. Mirantur homines; &, intuitu potestatis, quæ ventos, & mare sedavit, humanâ majorem suspicantur de Christô Virtutem. Sed illa magìs admiranda, de Christô, per patientiam repressæ potestatis, Virtus est: quæ nullam vim, vel ostendit, vel exeruit; etiam, cùm in eam, tota peccantium tempestas, concitata desæviit. *Serm. 14. á num. 1. usquè ad num. 9.*

Dominicâ V. post Epiphan.

Inimicus homo superseminans Zizania.

I. Etsi Catholicorum omnia peccata, cum infidelium, & heterodoxorum gravî scandalô, Zizaniorum instar appareant, in mediô tritici; nihil tamen, vindicî zelô, magìs videtur eradi-

candum; ùt (quæ potissimùm scandalizat alienos ab Ecclesiâ) proterva, post pœnitentiam, vix actam, de peccatîs, priùs factîs, jactantia. *Serm. 14. à num. 9. per totam.*

Et ait: Non: nè fortè, colligentes Zizania, eradicetis simul, cum eîs, & triticum. *Matth.* 13. *v.* 29.

II. Vetat, ab agrô Zizania, cum triticô malè nata, Seminator providus, per Ministros colligi: quô divinæ pietatis patescat ingenium. Sanctissimis enim in rebûs (ùt est, Pœnitentiæ Sacramentum) scandala, quamvìs manifesta, non continuô, justitiâ Vindicê, succiduntur: nè Pœnitentiæ, plurimis profuturæ, tollatur utilitas. *Serm. 14. à num. 9. & deinceps.*

Dominicâ VI. post. Epiphan.

Grano Sinapis, & Fermento, Regnum Cœlorum assimilatur.

Minimum est omnibûs seminibûs: cùm autem creverit, majus est omnibûs oleribûs; &, fit arbor. *Matth.* 13. *v.* 32.

I. Quid, non olim tantùm, in oculîs Judæorum, sed, etiamnùm, in corruptô mundanorum hominum judiciô, minus, & vilius, & contemptibilius, Crucê? Sic tamen eidem Regnum cœlorum, &, æternâ cum felicitatê, gaudium omne verum, conjunctum est; ut, qui Crucem fidelî cordê susçipiunt, futuram exinde possint exaltationem sui, cum cœlestium solatiorum affluxu, sperare certò. *Serm. 22. à num. 4. & deinceps.*

Simile est Regnum cœlorum fermento; quod acceptum, mulier, abscondit in farinæ satîs tribûs. *Matth.* 13. *v.* 33.

II. Utì modicum fermentum, tribus, â mulierê, farinæ satis admixtum, in suum universa saporem convertit; ità quævis Dominicæ Passionis amaritudo, per unicum tantùm oculi jactum, in animum devotum admissa, sufficit, ad omnem subinde vitam, Patienti Servatori conformandam. *Serm. 21. à num. 4. usquè ad num. 11.*

Dominicâ Septuagesimæ.

Operarii, ad vineam vocati; &, Electorum Paucitas.

Hi, novissimi, unâ horâ fecerunt; &, pares illos, nobis fecisti. *Matth.* 20. *v.* 12.

I. Quis, etiam inveteratus in malô, vitæquè jam deficientis, horâ novissimâ, de Domini misserentis pietatê desperet? quando, qui novissimi venerunt ad vineam, &, unâ tantùm, eâque novissimâ, laborârunt horâ, parem tamen ad mercedem, cum illîs, qui, diem totum, in Dominicîs exegerunt obsequiîs, ab eôdem vocati sunt. *Serm. 26. per totum.*

Multi enim, sunt vocati; pauci verò, Electi. *Matth.* 20. *v.* 16.

II. Ex multîs vocatîs, paucos, Electos esse (prout oraculum Veritatis affirmat) ipsa Vanitas pœnitentium, & frustratio remedii, tam salutaris, confirmat. Quis enim, ad salutem, verè pœnituisse censeat illos? qui, non tantùm pœnitendo non expiant, quæ pœnitenda, paulò priùs, fuêre confessi; sed, eadem insuper, exsultando, jactant? *Serm. 14. à num. 10. & deinceps.*

Dominicâ Sexagesimæ.

DEI Verbum Semini bono assimilatur.

Deinde venit Diabolus, & tollit Verbum de cordê eorum: nê, credentes, salvi fiant. *Lucæ* 8. *v.* 12.

I. Quantò nunc impensiùs impedire Dæmon divini Verbi laborat auditum; tantò vehementiùs, olim, ejus accusabit neglectum: quem ideò, nunc, vafer hostis, adeò negotiosè procurat; ut exindè, causam perditionis accumulet. *Serm. 4. à num. 5. & deinceps.*

Audiunt: & deindè venit Diabolus, & tollit Verbum, &c. *Lucæ* 8. *v.* 12.

II. Qui suæ subjectos curæ (sive Domini, sive Patres, matrésque familias) â Divini Ver-

bi

bi perceptionê, per obsequia detentos, impediunt, ipsô deteriores Diabolô, gravissimo Judicio se reddunt obnoxios. Dæmon enim tollit sæpè, quod audiri tamen sustinuit, Verbum: Ipsi verò tollunt, quod nequè voluerunt, nequè siverunt audiri. *Serm. 4. â num. 11. usquè ad num. 18.*

Dominicâ Quinquagesimæ.

Christus, ascendens Jerosolymam, prædicit suam Passionem; &, curat Cæcum, in viâ.

Cùm appropinquaret Jericho, cæcus quidam, sedebat secùs viam, mendicans. *Lucæ* 18. *v.* 35.

I. Ut, in viâ Jerichuntinâ sedens, cæcus visum recipiat; opùs fuit Christi (tendentis ad suam Passionem) auxiliô. Nam, ut ad perspicuam, suæ fœditatis, rerúmque supernarum agnitionem, vitiô carnis excæcati, perveniant (nisi Dominicæ Passionis divinâ virtutê) non efficitur. *Serm. 15. â num. 6. & seqq.*

Et ipsi nihil horum intellexerunt: & erat Verbum istud absconditum ab eîs: & non intelligebant, quæ dicebantur. *Luc. 18. v. 34.*

II. Triplicî commemorationê, Discipulorum hebetudinem, & mentis cæcitatem, repetens ingerit Evangelista: pungens fortè, Christianorum, non paucorum, hôc infamî Bacchanaliorum triduô, probrosam ruditatem; qui, dum inter umbras Jericho deliciantur, cæcíque desident, non intelligunt: Ideò, diebûs istîs, Dominicæ Passionis memoriam, per Evangelicam Lectionem, quotidiè, repeti: quia, nè per luxuriæ furorem, hôc temporê bacchantem (cui nemo Sanctorum non pessimè timet) universa pessum eant, sola Domini Servatoris Passio patrocinatur, & servat. *Serm. 15. totô.*

Dominicâ I. Quadragesimæ.

JESUS in Desertum ductus, â Spiritu S.

Tunc JESUS ductus est in Desertum, â Spiritu. *Matth. 4. v. 1.*

I. Proponitur, in Quadragesimæ sacræ principiô, Christus in Desertô. Sic enim, Ecclesia Christi, Fideles omnes, â Mundi negotiîs, curâque corporis, hôc temporê, subductos esse desiderat: ut, supernis intenti, suarum animarum saluti provideant. Cui negotio nullum opportunius, quàm, tempus Quadragesimæ, convenit. *Serm. 1 â num. 6. usquè ad finem.*

Et, cùm jejunâsset quadraginta diebûs, & quadraginta noctibûs, posteà esuriit. *Matth. 4. v. 2.*

II. Negotium humanæ salutis, â jejuniô, Dominus orditur in Desertô; qui Passionem orsus est, contrà primum gulæ peccatum, per Calicem, oblatum, & acceptum, in Hortô. Sic *Actio* Servatoris cum *Passionê* convenit. Sed hæc, quanti doloris, in Hortô, Passio fuit? *Serm. 4. â Num. 1. usquè ad 3. Et, serm. 8. totô propè decursu.*

Dominicâ II. Quadragesimæ.

Transfiguratur Christus in montê Thabor.

Vestimenta autem Ejus facta sunt alba, sicut Nix. *Matth. 17. v. 2.*

I. Albæ vestis indumentum, gloriæ cœlestis fulgens argumentum est: quô tamen, ad illudendum gloriæ Regem, Christum scilicèt, Herodes abusus est. Hic genius mundanæ pravitatis est; quô, cœlestia quæquè, divináque, per derisoriam impietatem, traducere solet. *Serm. 12. usquè ad num. 7.*

Et ecce! vox, de nubê, dicens: Hic, est Filius meus dilectus! *Matth. 17. v. 5.*

II. Ubi Christi vestimenta, niveô refulserunt candorê conspicua, Filius DEI, cœlestî præconiô promulgatur. Hæc enim innocentis animæ felicitas est: ut, sicut nihil, ejus candorê, cœlo gratiùs invenitur; ita ejus nihil prærogativâ, sublimius, Deóque simílius agnoscatur. *Serm. 12. â num. 8. usquè ad num. 13.*

Dominicâ III. Quadragesimæ.

Ejicitur mutum Dæmonium.

Erat JESUS ejiciens Dæmonium; & illud, erat mutum. *Lucæ* 11. *v.* 14.

I. Silentium, quod juſtitiam offendit, &, in proximi damnum, tacet, non eſt â DEI ſpiritu; ſed â malô Dæmonê. Participem enim iſte criminis alieni reddere laborat eum; quem, ab illius deterritum correctionê, mutum effecit. *Serm.* 13. *â num.* 1. *uſquè ad finem.*

Et, cùm ejeciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus: & admiratæ ſunt turbæ. *Lucæ* 11. *v.* 15.

II. Mirantur turbæ factum, â Verbô, muti loquentis prodigium. Videtur autem, potiùs admirandum, ipſius Verbi (per quod omnia facta ſunt) adverſùs iniquiſſimam ſui condemnationem, divinâ plenum Virtutê, ſilentium. Hoc Orator ſacer, de Domini patientis myſteriîs, iſtô forſan temporê, Dominicîs ad populum diebûs agens, pro concionê, ſic aſſumere poterit: ut (pro Chriſti tacentis Innocentiâ) munus Advocati ſuſtineat. *Serm.* 13. *totô.*

Extollens vocem quædam mulier, de turbâ, dixit illi: Beatus Venter, qui te portavit! *Lucæ* 11. *v.* 27.

III. Ità poterat, Filii tam felicis, Beatæ Genitricis Ventri, pia mulier benedicens applaudere. Sed (ſi liceret, ab inferîs, adeſſe?) quot filios audiremus hodiè, mutatâ você maledicentes (quos, neglecta cura parentum, & educatio prava damnarûnt) *Maledictus venter, qui me portavit! Serm.* 20. *â Num.* 7. *uſquè ad finem.*

Dominicâ IV. Quadrageſimæ.

Saturantur, quaſi quinquè millia hominum, quinquè panibûs, ac duobûs piſcibûs.

Accepit JESUS panes; &, cùm gratias egiſſet, diſtribuit. *Joann.* 6. *v.* 11.

I. Hoc veri ſignum Domini, vicariæquè Numinis, poteſtatis indicium eſt: benefacere ſubjectis; &, in eorum commoda, largâ manu, dona partiri. Rapere verò, per violentas Exactiones, quæ ſubditorum ſunt, immanitatis tyrannicæ magìs, quàm Dominicæ poteſtatis, argumentum eſt. *Serm.* 17. *num.* 1. *& reliquis; maximè verò, num.* 17.

JESUS ergo, cùm agnoviſſet (quia venturi eſſent, ut raperent Eum, & facerent Eum Regem) fugit iterum in montem. *Joann.* 6. *v.* 15.

II. Dominus gloriæ, quos populus, pro beneficiô gratus, decreverat, honores, fugiendo declinat: coronam ſcilicèt, hujus Mundi ſibi deferri, non ſuſtinens ab iîs; quibus aliam, in cœlô, coronam paraturus advenerat. Idem autem ſubindè, ſpinîs, per opprobrium coronatus, ejuſdem populi ſe paſſus eſt oculis exhiberi; ſtetítque palàm: nec ab ullô tamen, ex omnibûs, gratæ Recognitionis affectum obtinuit. In tantâ perverſitatê, quidnî meritò Salvator hominum, inhumanum, hominibus exprobret, ingratitudinis vitium? *Serm.* 18. *â num.* 8. *uſquè ad finem.*

Dominicâ V. Quadrageſimæ.

JESUS, Lapidibûs impetitus, abſcondit ſe.

Tulerunt lapides, ut jacerent in eum: JESUS autem abſcondit ſe. *Joann.* 8. *v.* 59.

I. Hoc eſt, quod recedere DEUM â nobîs, quaſi cogit: ut, nec videri, nec, in ærumnîs, ac, neceſſitatibûs noſtrîs quæſitus, inveniri ſe ſinat: cùm lapides in Eum, pro cœleſti doctrinâ, retortos conjicimus; reddimúsque, pro gratiîs perceptîs, injurias. *Serm.* 18. *â num.* 7. *& ſeqq.*

Abſcondit ſe, & exivit de Templô. *Joann.* 8. *v.* 59.

II. Qui lapidantium furori ſe ſubtraxit ad horam, palàm olim, furorem eundem, ſeverus judex, inevitabilem vocabit ad pœnam. Idem, peccantibus in ſuam Conſcientiam, omnibus metuendum. Quam enim nunc audire (ſuis auſibus, dum peccant, reclamantem) nolunt; &, â ſuâ mentê profligare contendunt

dunt Conscientiam ; eandem aliquando cogentur, in judiciô, severissimè criminantem, accusantémque tolerare. *Serm. 16. totô decursu.*

Dominicâ Palmarum.

Ingressus Domini, super asinam, & pullum sedentis, in Jerusalem.

Ecce, Rex tuus venit tibi, -- sedens super asinam, & pullum, filium subjugalis. *Matth. 21. v. 5.*

I. Quid est? quòd asinam, & pullum (lascivæ jumenta) suum, salutis Autor, in triumphum assumit? Num triumphos, per suam Passionem, quam tunc adiit, vel maximè de carnis vitiô (quod homines in jumenta convertit) futuros, præsignare voluit? *Serm. 15. à num. 1. & deinceps.*

Ecce, Rex tuus venit tibi, Mansuetus. *Matth. 21. v. 5.*

II. Illius populi conditio miserabilis, & infelix est; qui, Regem suum, non ex mansuetudinê sentit; sed, ex atrocî tantùm, sævâque, quam patitur, potestatê, Regem ingemiscit. Nunquàm in istam incidissent Judæi; si recepissent illam. Est nimirum, sæva regnantis Potestas, popularis, ergà DEUM, pervicaciæ pœna. *Serm. 17. usquè ad num. 9.*

Dominicâ Resurrectionis, D. N. J. C.

Nolite timere vos: scio enim; quòd JESUM, qui crucifixus est, quæritis. *Matth. 28. v. 5.*

I. Solatur mulieres Angelus; &, indè, jubet metu vacuas esse: quòd aliud nihil, præter JESUM, qui Crucifixus est, quod quærant, in mente habeant. Hæc enim fidelibus omnibus communis debet esse, cùm, timoris ponendi, tum, sincerè gaudendi, causa: quòd, quicunquè JESUM, qui Crucifixus est, Unum, &, fidelî mentê, requirunt; in eô simul, & cum eô, Causæ suæ, coràm DEO, feliciter absolutæ, consummatæquè salutis, Chirographum habeant. *Serm. 29. à num. 9. & deinceps, usquè in finem.*

Et dicit eis: Pax vobis! *Luc. 24. v. 36.*

II. Ità precans, vult suos, de suâ Resurrectionê, Discipulos, esse lætos, gauderéque, Dominus. Quidnî Christianos, etiam, pariter omnes? Indè jubilos hodiè frequentat Ecclesia, non tamen alios; quàm, qui de Domini gloriosâ Resurrectionê cantantur. Absit! ut, inter Christianos, audiantur hodiè; qui scelera, superioribûs diebûs cum Christô crucifixa, recantent. Hoc enim non foret, Christi de Resurrectionê cantare; sed, eam execrari; canticúmque Paschale turbare. *Serm. 14. totô, multa, propositum ad hoc, peropportuna.*

Feriâ II. Paschæ.

Discipuli redarguuntur, Emauntem euntes.

Et ipse dixit ad eos: O stulti! &, tardi cordê, ad credendum, in omnibûs; quæ locuti sunt Prophetæ. *Luc. 24. v. 25.*

Stultam exprobrat æterna sapientia, Discipulorum illam credendi vecordiam, ac difficultatem; quâ, tot post oracula Vatum divinorum, adhuc laborabant. Non minùs hodiè plurium, qui de Christi volunt Evangeliô, disciplinâque censeri, pertinax est objurganda dissensio: qui, multorum adhuc mysteriorum, ambigui, de veritatê contendunt; &, ea credere cunctantur; quæ, de Prophetarum spiritu consentientê, manifesta tenentur. *Serm. 22. à num. 10. usquè ad num. 15.*

Feriâ III. Paschæ.

Vulnera sua Christus exhibens, indè prædicari vult Pœnitentiam, & Remissionem peccatorum.

Et dixit eis: Quoniam -- sic oportebat Christum pati; & resurgere â mortuîs, tertiâ diê: & prædicari, in nominê ejus, pœnitentiam, & remissionem peccatorum. *Luc. 24. v. 46. & 47.*

I. Accuratè pensandum: quid prædicari, necessarium ad salutem, voluerit Autor salutis? Non aliud; nisi, *Pœnitentiam*; &, exinde, *Remissionem peccatorum.* Et hoc, ideò: quoniam, *sic*, oportebat Christum pati; tùm verò, glorioſè resurgere. Quare, frustrà sibi gloriæ Christi participium pollicetur; si quis, alienus â Passionis ejus participationê, tam necessariâ, vitam hîc exigere vult, absquè congruâ Pœnitentiæ satisfactionê, jucundam. *Serm. 30. totô.*

Quoniam sic scriptum est; & sic oportebat Christum pati. *Lucæ. 24. v. 46.*

II. Cùm Dominus ipse, nostræ salutis Negotiator, omnia, sicut fuerant scripta, novissimum ad usquè jota, patiendo compleverit: oportet sanè sic impleri pariter â nobis omnia; quæ contrà nos ipsi scripsimus, atquè promisimus; utì scripsimus, atquè promisimus. *Serm. 18. totô.*

Dominicâ in Albîs, I. post Pascha.

Congregatis Discipulis Christus apparet, & offert sacrum latus, manu palpandum, Thomæ.

Venit JESUS, & stetit in mediô. *Joann. 20. v. 19.*

I. In mediô stetit JESUS, exhibens vulnera sua Discipulis: quia non sua tantùm, quæ pertulit, vulnera, vult ab omnibûs respici; sed, quid pro cunctîs fuerit passus, ex intuitu vulnerum, pariter, ab omnibûs devotè considerari gaudet, atquè cognosci. *Serm. 23. â num. 8. usquè ad finem.*

Dixit eis: Pax vobis! &, cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus, *Joann. 20. v. 19. & 20.*

II. Quis non firmiter jam sibi persuadeat: Justitiam divinam reconciliatam penitùs esse Mundo, Pacémque firmatam, DEUM inter, & nos? Dum, suîs in vulneribûs, ejusdem, quam orê nunciavit, Pacis Chirographum, patenter exaratum, Pacis ipse Fundator monstravit. *Serm. 29. usquè ad num 16. Et Serm. 31. passim, hôc de argumentô, plurima.*

Deinde dicit Thomæ: - Affer manum tuam, & mitte in Latus meum. *Joann. 20. v. 27.*

III. Ut in Fidê Discipulum, priùs mœstè titubantem, firmaret, ejus de salutê solicitus Magister, explorandum ei sui vulnus lateris, attactu, manûque palpandum, exhibuit. Nam, laterê Servatoris, per lanceam apertô, non evidens tantùm, sed, adeò palpabilis nobis factus est, Cordis ejus Amor: ut (quî, mortuô pro nobîs DEI Filiô, necdum indè fidê firmâ tenet: quia sic DEUS dilexit Mundum) sensum omnem, & judicium hominis, amisisse se, prodat. *Serm. 31. per totam deductionem thematis, ibidem propositi.*

Dominicâ II. post Pascha.

Pastor Bonus.

Ego sum Pastor Bonus; & cognosco meas; & cognoscunt me meæ. *Joann. 10. v. 14.*

I. Duobûs ex argumentîs, Dominus, Pastor Bonus, agnosci vult: Primò quidem indè; quòd ipse cognoscat suas oves, *oves esse*, sibi scilicèt, ad pascendum, non ad excoriandum, aut, exindè se pascendum, commissas. Deindè verò subdit & alterum: quòd Ipsum quoquè suæ cognoscant oves, Pastorem esse suum; qui, non tam substantiam ab ipsis omnem, & sanguinem exigat, cum vitâ; quàm suam, cum sanguinê, vitam, ipsorum expendat pro salutê. Non sic illi Pastores atroces, & immites; qui se, non, ut suos pascant, servéntque subjectos, Præpositos esse, cum curâ simul, ùt potestatê, censent: sed, ut pro libidinê, vitam suorum, cum sanguinê, crudeles extorqueant, arbitrantur. *Serm. 19. totô, usquè ad finem.*

Vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Pastor. *Joann. 10. v. 16.*

II. Nemo jam inquirat: undè tam reprobi de Catholicâ fidê sensus? pravíque, de legis Evangelicæ doctrinâ juxtà, atquè obligationê, sermones, eructentur passim in fidelium con-

vi-

vivîs, & publicîs, privatîsque congressibûs? Unitas Ovilis, in sententiarum, & judiciorum conformitatê, nequit, nisi, de divinæ vocis auditu, consequi: *Vocem*, ait, *meam audient; & fiet unum Ovile.* Quantus igitur hodiè divinæ vocis audiendæ defectus est; tantus, in rectâ fidê, fideíque cùm doctrinâ, tùm observationê, dissensus est. *Serm. 4. totô.*

Dominicâ III. post Paschæ.

De Medicô; Mœrorêque Discipulorum, in Gaudium vertendô.

Mundus gaudebit; vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Joann. 16, v. 20.*

I. Eorum Dominus tristitiam, in gaudium prædicit versum iri; qui, Mundô gaudentê, mœrent, & afflicti sunt. Nulla verò, de gaudiô Mundi, fit mentio: qualis futura sit ejusdem, post hilaria transacta, conversio. Quid mirum? Deridet Mundus, nequè credit (etsi manifestissimîs ostendatur argumentis) quòd triste, terribiléque judicium accepturi sint; qui miserorum, hîc, mœrorê lætantur; & proborum, quos affligunt, persecutionibûs gaudent. *Serm. 17. â num. 8. & deinceps.*

Amen, Amen, dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos: Mundus autem gaudebit. *Joann. 16. v. 20.*

II. Vix aliud quicquam, asseveranter adeò, suis voluit persuasum esse Discipulis Christus; quàm: perpetuos, in Mundô, mœrores, ex Mundi persecutionê futuros. Quid enim probis, justísque Christianis, lamentabile magìs, ac deplorandum potiùs, occurere potest? quàm: cùm vident (sed ubi? vel, quando non vident?) iniquîs in Tribunalibûs, nequissimâ perversitatê, justos teneri; quin & condemnari: reos verò, scelestósque, non foveri tantùm, sed, etiam absolvi. *Serm. 19. â num. 5. &c.*

Dominicâ IV. post Paschæ.

Paracliti, Mundum arguturi, prædicitur Adventus.

Cùm venerit ille, arguet Mundum de peccatô. *Joann. 16. v. 8.*

I. Arguendæ peccati lethalis malitiæ nullus par est humani rigor arbitrii; nisi Spiritus ille Veritatis, qui solus in Veritatê judicat omnia, censor accedat. Cùm, quodlibet grave delictum, crimen sit læsæ divinæ Majestatis. *Serm. 9. â num. 5. usquè ad finem.*

Cùm autem venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem Veritatem. *Joann. 16. v. 13.*

II. Injurii sunt Spiritui sancto (qui Spiritus Veritatis est) fideles illi; qui falsîs testimoniîs, fictîs criminibûs, & Perjuriîs temerariîs, in fraudem, & calumniam Innocentiæ collaborant. Nam Spiritum Veritatis, per quem regenerati sunt, gravissimè, dum sic ei contradicunt, offendunt. *Serm. 10. â num. 2. & deinceps.*

Ille me clarificabit. *Joann. 16. v. 14.*

III. Hic finis est missionis divini Spiritûs; ut, in Fidelibûs, per Spiritum Christi regeneratîs, clarificetur Christus. Enormis ergo criminis rei sunt, Perjuri Christiani; quorum falsîs testimoniîs, non clarificatur, sed infamatur, quem acceperunt, Spiritus Christi. Gravis injuria fuit in aulâ Cayphæ, per testes, fictè conjurantes, irrogata Christo: gravior autem eidem irrogatur hodiè per Christianos; qui, Veritatem ipsam, & Christi Spiritum, pejerando, secum facere mendacem intendunt. *Serm. 10. totô.*

Arguet Mundum de justitiâ, & de judiciô. *Joann. 16. v. 8.*

IV. Qui pavent, nec audent, Mundum, iniquitatê refertum, de justitiâ, non justâ, judiciôque, non æquè judicantê, redarguere; quis eos, ardorê S. Spiritûs accensos, &, ejus gratiâ, virtutêque repletos, arbitretur? Hujus enim præsentiæ certum illud argumentum, â Dominô pronunciatum est: Mundum arguere de peccatô; quod, contrà justitiam,

&,

&, iniquè judicando, per ipsam judicii potestatem, neminê redarguentê, committitur. *Serm. 19. á num. 7. & seqq.*

Dominicâ V. post Pascha.

Suadetur simul, ac docetur, Oratio.

Petite, & accipietis; ut gaudium vestrum sit plenum. *Joann.* 16. *v.* 24.

I. Ad orandum hortatur Fideles, Autor salutis; qui salutis totius opus, ab Orationê, quam in hortô præmisit, auspicari voluit: ut suô nos erudiret exemplô: quantùm interfit, ad adversa quæquè, fortiter subeunda, salutémque consummandam, orare: cùm, ad suam, ipse se, mortem, Crucémque suscipiendam, præmuniverit Orationê. *Serm. 23. á num. 10.*

Usquè modò non petîstis quicquam, in Nominê meô. *Joann.* 16. *v.* 24.

II. Aptè convenit huic hebdomadæ (cui nostra vernacula denominationem â Crucê perpetuam fecit) Evangelium istud; in quô, non orare tantùm admonuit, sed, quâ sit orandum rationê, simul nos Magister divinus instituit. Ad Crucem enim, fortiter, constanter, & hilariter ferendam, nihil est, quod plùs virium, & gratiæ conferat; quàm, Oratio. Hoc autem luculenter multos confundit: *usquè modò, nè quicquam ab illîs*, ùt oportet, in orationê postulatum esse; qui necdum, patienter, suas ferre Cruces agnoscuntur. *Serm. 23. á num. 9. usquè ad 14.*

Festô Ascensionis D. N. J. C.

Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. *Marci.* 16. *v.* 14.

I. Si Dominus, allocutionê novissimâ, duritiam cordium suis Discipulis exprobravit: quòd morosi fuerint, atque difficiles, ad assensum fidei præbendum illis; qui, Magistrum â sê conspectum, verè resurrexisse testati sunt? quàm terribilis objurgatio manet illos in supremi judicii diê; qui, manifesta per signa, fideíque Veritates, oraculîs innumerîs, prodigiîsque firmatas, ad oculum ipsi convicti, victas tamen, cum intellectu, dare manus Ecclesiæ, pertinaciter abnuunt? *Serm. 22. á num. 4. per totum.*

Novissimè recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobravit incredulitatem eorum. *Marci.* 17. *v.* 14.

II. Quid sibi vult? quòd signanter ab Evangelistâ memoratur: *Novissimè, recumbentibus* apparuisse Dominum, prioris, quæ diù jam rea fuerit, incredulitatis Exprobratorem? Num cautiores hôc factô fideles voluit: nè quidpiam reatûs, non expiati, vel temerè contempti, negligant in tempus novissimum? Nam, qui suîs in delictîs, dum vivunt, nullam conscientiæ redargutionem admittunt, horâ novissimâ gravissimam ejus exprobrationem omnium commissorum audire cogentur. *Serm. 16. á num. 8. & seqq.*

Dominicâ infrà Octav. Ascensionis.

Persecutio ex Mundô prædicitur Apostolis.

Absquè Synagogîs facient vos. *Joann.* 16. *v.* 2.

I. Etsi Spiritus Mundi divinæ Veritatis Præcones, â Synagogîs, & Cathedrîs excludere contendat; &, odiô Veritatis, procul â sê proscriptos esse velit: ea tamen sancti Spiritûs virtus est; ut hujus, cùm odii, tùm exilii, metu contemptô, libertatem in ipsîs, ingerendæ Veritatis, vehementiùs inflammet. *Serm. 11. á num. 6. & subindè, usquè in finem.*

Hæc locutus sum vobis: ut non scandalizemini. *Joann.* 16. *v.* 1.

II. Qui Christi Spiritu præditus est, quantò minùs gratum esse novit peccantibus, delicta redargui; tantò fortiùs eadem, & audaciùs, objurgando perstringit: ut servet illos. *Serm. 21. á num. 12. usquè ad num. 17.*

Domi-

Dominicâ Pentecostes.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & Pater meus diliget eum: &, ad eum veniemus; & mansionem apud eum faciemus. *Joann.* 14. *v.* 23.

I. Cùm divinæ Dilectionis, â S. Spiritu fidelibus communicatæ, probatio, per operis exhibitionem, seu, fidelem Dominici Sermonis observationem claresçat; nullô negotiô certa jam conjectura patebit: an divinô moveantur, & vivant, spiritu; qui nihil eorum, quæ Dominô docentê statuêre, perficiunt: nec minùs quicquam fideliter præstant, ac reddunt; quàm ea: quæ, vel, illô spiritu moventê, promisêre; vel, illô postulantê, vovêre? *Serm.* 18. *â num.* 16. *& seqq.*

Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquàm ignis. *Act.* 2. *v.* 3.

II. Linguas Prædicantium Dæmon, tum per se, tum per suos, vel extingui, vel tolli penitùs, infensissimè satagit: quia nullô magis ignê torquetur ejus avida nocendi malitia; quam illô: quô, novit, Prædicantium ardere linguas, ad inflammandas ad salutem fidelium animas, ab ignê divinô S. Spiritûs accensas. *Serm.* 22. *â num.* 1. *usquè ad num.* 6.

Feriâ II. Pentecostes.

Promulgatur Adventus Christi, non, ad judicium, sed ad salutem, factus.

Non misit DEUS Filium suum in Mundum; ut judicet Mundum: sed, ut salvetur Mundus per ipsum. *Joann.* 3. *v.* 17.

I. Hoc primum Paracleti solatium est; quod, in Fidelium cordibûs, ùt Spiritus amoris Divini, diffundit: cùm illum, ergà peccatores, Domini confirmat amorem; quem suæ, Christus, legis, & fidei voluit esse fundamen. Ut credamus: non, ad perditionem Peccatorum, venisse DEI Filium in hunc Mundum; sed, ad salutem: nec, ùt Judicem; sed, ùt Peccatorum Advocatum. *Serm.* 1. *num.* 6. *usquè in finem.*

Sic DEUS dilexit Mundum: ut Filium suum Unigenitum daret. *Joann.* 3. *v.* 16.

II. Evidens divinæ dilectionis ostentum, visibilis inter homines, hominibus datus, DEI Filius! Idem tamen ipse, qui datus est ad salutem omnium, credentium in eum, in adventu primô, terribilis judex Mundi, non ùt par est, credentis in eum, futurus est in adventu secundô; quô *justitias judicaturus est.* *Serm.* 19. *â num.* 10.

Feriâ III. Pentecostes.

Furis, & Boni Pastoris, Iconismus.

Amen, Amen, dico vobis: qui non intrat per ostium, in Ovile ovium, -- ille fur est, & latro. *Joann.* 10. *v.* 1.

I. Reservatum est hoc Evangelium, de Furis Iconismô, ad solennia S. Spiritûs: quasi necessaria foret singularis illustratio divini luminis, ad eam declarandam, ùt par est, agnoscendámque malitiam: cùm tanta sit, non tantùm libido, sed, etiam furandi cæcitas; ut, quò quisque licentior, & enormior Fur est; eò minùs, talem se, vel esse censeat, vel fateatur. Immensîs enim iniquitatibûs oneratus, nihil tamen iniquum in suâ, gravatus, conscientiâ sentit. *Serm.* 16. *â num.* 8. *& subindè.*

Fur non venit, nisi; ut furetur, & mactet, & perdat. *Joann.* 10. *v.* 10.

II. Fures pernicioßissimi juxtà, & infelicissimi (qui furantur, & mactant, & perdunt) illi sunt; qui Furum, & Latronum, ipsi sunt judices iniquissimi. Dum enim, corrupti pecuniâ, malè judicant; &, impunes, â neminê judicantur, cum illîs in judicium, extremas daturi pœnas, reservantur; quos *judicabit DEUS.* *Hebr.* 13. *v.* 4. *Serm.* 19. *â num.* 12.

Dominicâ S. S. S. Trinitatis.

Mittuntur in omnem terram Apostoli, cum Potestatê.

Data est mihi omnis potestas, in cœlô, & in terrâ: Euntes ergo, docete omnes gentes. *Matth.* 28. *v.* 18. *&* 19.

I. Quàm â Principum terrenorum potestatê diversum, supremi Domini, Potestatis adstruitur argumentum! Christus enim, potestatem sibi datam affirmans, eam per Benefaciendi solicitudinem confirmat: cùm, eâ memoratâ, continuò subdit: *Euntes ergo, docete omnes gentes!* quasi, benefaciendi providentia, foret acceptæ Potestatis consequentia. Non sic argumentatur humana potentia; quæ, cum acceptâ potestatê, liberum sibi jus, exigendi (quin, & extorquendi) quod libet, &, â quô libet, arroganter usurpat. *Serm. 17. â num. 3. & subindè.*

Euntes ergo, docete omnes gentes. *Matth.* 28. *v.* 19.

II. En characterem, simul autem, & impositam hominibûs, â DEO traditæ, Potestatis obligationem. Sic enim omnis â DEO collata potestas est; ut, per Providentiam Præsidum, subditi, quæ scitu necessaria sunt ad salutem, edoceantur. Cujus igitur potestatis illi sunt hodiè Domini? qui, non tantùm sibi subjectis de salutis doctrinâ non providենt; sed, ab eâdem percipiendâ, cum injuriâ supremæ potestatis, per importuna nimiùm obsequia sua, detinent. *Serm. 4. num. 11. & 12.*

Dominicâ I. post Pentecosten.

Misericordia commendatur, & Charitas.

Date, & dabitur vobis. *Lucæ.* 6. *v.* 38.

I. Qui deficiunt egenis, in Dativô, tantúmque gaudent Ablativô, terribilem aliquando patientur, ab iîsdem ipsîs, Accusativam actionem; quibus, non dando, defuerunt; &, obfuerunt, accipiendo. *Serm. 6. totô.*

Eâdem quippè mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis. *Lucæ.* 6. *v.* 39.

II. Si mensura divinarum gratiarum, beneficentiæ commensuratur humanæ (prout Oraculô Veritatis enunciatum est) manibûs omninò vacuîs, illô diê magnô Retributionis, divites omnes reperientur; quorum ex manibûs, in manus egenorum, nihil unquàm pervenit. *Serm. 6. â num. 3.*

Dominicâ II. post Pentecosten.

Vocatio multorum ad Cœnam magnam.

Tunc iratus Pater familias dixit servo suo: Exi citò in plateas, & vicos civitatis. *Lucæ.* 14. *v.* 21.

I. Meritò Paterfamilias, ex plateîs, & vicîs, ad suam introduci cœnam pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos jubet, illîs, non ampliùs admittendîs; qui, cùm invitati fuerunt, venire noluerunt. Digni sunt enim excludi, sperníque, nec ad gratiam deinceps admitti; qui recipere neglexerunt oblatam. *Serm. 16. â num. 1. usquè ad num. 7.*

Dico autem vobis: quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. *Lucæ.* 14. *v.* 42.

II. Arcanum Domini judicium, &, non minùs formidandum, quàm admirandum est, in eô; quòd, nec unicam, omnium illarum excusationum, quas prætenderant invitati, pro solitâ suâ benignitatê receperit, omnes viros illos, â cœnæ suæ gustationê, perpetuò proscriptos declarans; qui vocati sunt. Nimirum â salutis æternæ negotiô, quod magnum, imò maximum, solúmque necessarium est, seriò pertractandô, perficiendôque (dum ad id vocati sunt omnes) excusatum nemo se credat (quicquid rationis attulerit) coràm DEO futurum. *Serm. 22. totô.*

Dominicâ III. post Pentecosten.

Ovis perdita, solicitè quæsita, cum gaudiô reperta.

Qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illîs, nonnè dimittit nonaginta novem in Desertô? *Lucæ.* 15. *v.* 4.

I. Ut

I. Utì pretium nullius rei sacræ majus est, ac Animæ; sic & Sacrilegii gravior nullius reatus est, ac ille; quô Deo subtrahitur, & perditur Anima. *Serm. 7. â num. 15.*

Ità, dico vobis, gaudium erit coràm Angelis DEI, super unô peccatorê, pœnitentiam agentê. *Lucæ. 15. v. 10.*

II. Gaudium Angelorum, unô super, non qualicúnque modô, pœnitentê peccatorê, prædicitur in cœlô futurum: sed, *super unô peccatorê, pœnitentiam agentê.* Quia, super peccatorê pœnitentê, de suîs verò peccatîs pœnitentiam non agentê; sed, ab eâdem agendâ, continuandâque, mox deficientê, quin, &, post pœnitentiam, exsultantê, non gaudent, sed plorant Angeli DEI; gaudent autem, & exsultant Angeli Satanæ. *Serm. 14 á num. 10.*

Dominicâ IV. post Pentecosten.

Turbarum, ad JESUM audiendum, compressio.

Cùm turbæ irruerent in eum: ut audirent Verbum DEI. *Lucæ. 5. v. 1.*

I. Pressô verbô notavit Evangelista: quòd irruerint, ad audiendum Verbum DEI, turbæ, prædicantê JESU. Beata tempora! quibûs, non in forô, vel, in scenæ locô, concurrunt ad spectaculum turbæ; sed, ad audiendum Dei Verbum! Quàm autem iste concursus ab ævô nostrô longè remotus est? *Serm. 4. âum. 12. usquè ad num. 16.*

Sedens, docebat de naviculâ turbas. *Lucæ. 5. v. 3.*

II. Peregrinum non est ab Ecclesiæ, Doctorúmque, sensu: Crucis Cathedram, ùt naviculam, venerari; de quâ, sedens, turbas docuit salutis æternæ Magister optimus. Hoc inter utrámque discrimen est: quòd ibi, de naviculâ, docebat, in eâ sedens: hìc autem doceat, progrediens ad mortem, sub Crucê, quam ipse portavit; itáque nobis, in viâ vitæ progrediendi, documenta proposuit. *Serm. 20. á num. 1. usquè ad num. 4. & Serm. 23. á num. 9. usquè ad finem.*

Dominicâ V. post Pentecosten.

Justitia Pharisæorum reprobatur; & Iracundia damnatur.

Nisi abundaverit justitia vestra, plùs, quàm Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum. *Matth. 5. v. 20.*

I. Si reprobatur â Dominô, Scribarum, & Pharisæorum, in Christianîs, affectata Justitia? quantò magìs periclitabitur, Scribarum, ac Tribunalium Judaicorum, in Christianîs reperta, deterior adhuc, Injustitia? *Serm. 12. á num. 1. usquè ad num. 6.*

Audîstis, quia dictum est Antiquis: non occides: qui autem occiderit, reus erit judiciô. *Matth. 5. v. 21.*

II. Inevitabile judicium corporeæ mortis, olim, in corporeæ vitæ peremtorem decretum fuit. An autem, & quomodo, crudelior, Animæ peremtor, Animæ suæ mortem perpetuam, & Judicium æternæ damnationis evadet? *Serm. 12. á num. 13. & seqq.*

Dominicâ VI. post Pentecosten,

Septem panibûs, & pisciculis paucîs satiantur quatuor millia hominum.

Misereor super turbam! *Marci. 8. v. 2.*

I. Ubi nullus Christianæ misericordiæ locus est; ibi nullus justitiæ Christianæ character est. Semper enim, congenitam Christo misericordiam, conjunctam habet Christiana Justitia. *Serm. 16. á num. 1, usquè ad num. 4.*

Ecce, jam triduò sustinent me; nec habent, quod manducent. *Marci. 8, v. 2.*

II. Videre proximi miseriam; & affectu miserationis non tangi, nequè moveri; non est hominis Christiani: imò, nec hominis est. *Serm. 18. á num. 1. usquè ad num. 8.*

Et manducaverunt, & ſaturati ſunt. *Marci.* 8. *v.* 8.

III. Geminum quis non ſtupeat paſti populi miraculum? tùm, quòd cibus, adeò modicus, tanto ſuffecerit populo paſcendo? tùm, quòd eôdem, omnes paſti, ſatiati ſimul, ad abundantiam fuerint? Hæc nimirum DEI, ſobriè, moderatéque paſcentis, gratia ſingularis eſt: magìs ut ſatientur, ab eô paſti, modicô, moderatéque ſumtô cibô; quàm, qui per ingluviem helluantur. Accedit: quòd, moderatè paſtis, aliquid ſemper adhuc ſuperſit, unde cæteri juvari poſſint. Edones verò, per immoderatam gulam, non ſua tantùm omnia, ſed, & ſuos, devorant; & ad extremam tandem inopiam deveniunt. *Serm. 28. copioſè.*

Dominicâ VII. poſt Pentecoſten.

Falſi Prophetæ deteguntur â Veritatè.

Attendite â falsîs Prophetîs; qui veniunt ad vos in veſtimentîs ovium. *Matth. 7. v.* 15.

I. Falſos inter, varios Prophetas, multósque perverſos Doctores, nulli fermè perniciosiores, magísque cavendi ſunt; atquè, qui graviſſimam luxuriæ malitiam, quæſitîs ex naturâ rationibûs, alleviant: cujus tamen immane pondus (ùt, quod, præ ceterîs vitiîs omnibûs, maximam partem humani generis deprimit in gehennam) nullô ſatìs ab hominê poteſt expendi; nec ullâ, niſi Verbi divini, patrocinantê virtutê ſublevari. *Serm. 15. â num. 1. & ſeqq. per totum decurſum.*

Attendite â falsîs Prophetîs. *Matth. 7. v.* 15.

II. Falſè de Miſericordiâ divinâ prophetant; qui, dum in eâ confidendum ſuadent; tantùm non adeò præfidendum hortantur: ut, quæ metuenda maximè ſunt, atquè cavenda, periculô tamen omnî procul eſſe (conſcientiâ licèt reclamantê) perſuadeant. *Serm. 16. â num. 5.*

Dominicâ VIII. poſt Pentecoſten.

Villicus iniquitatis ad Rationes vocatur.

Homo quidam erat dives, qui habebat Villicum: & hic diffamatus eſt apud illum: quaſi diſſipâſſet bona ipſius. *Lucæ* 16. *v.* 1.

I. Malè negotiatur, & iniquus verè DEI, ſupremi Domini, Villicus eſt; qui, ſuæ neceſſitati ſuperflua (quæ deberet in ſubſidium pauperum, ùt commiſſa ſibi, Dominô ſic providentê, partiri) temerariam per uſurpationem, in luxum, & alia, non conceſſa, profundit. *Serm. 6. â num. 3. uſquè in finem.*

II. Nummum ad libramentum expendere, dum ea, quæ debentur, ſolvenda ſunt; in illa verò, quæ ſinè DEI fieri non poſſunt injuriâ, profundere ſinè ſcrupulô ſumtus, etiam immodicos, iniquitatis eſt Oeconomia. *Serm. 6. â num. 1. &c*

Redde rationem Villicationis tuæ. *Lucæ* 16. *v.* 1.

III. Diffamatum ſuorum reddituum adminiſtratorem ad rationes vocat juſtus Dominus. Cùm enim, ex munerê ſibi commiſsô, ditatus repentè fertur, & agnoſcitur ſervus; injuria nulla fit ei: ſi commiſſorum illi bonorum ratio, cum rigorê, poſtulatur. *Serm. 16. â num. 16. uſquè ad finem.*

Dominicâ IX. poſt Pentecoſten.

Jeroſolyma defletur â Salvatorê.

Videns civitatem, flevit ſuper illam. *Lucæ* 19. *v.* 41.

I. Qui Jeroſolymæ cæcitatem in peccatîs, dum, ab Oliveti montê deſcendens, & appropinquans, vidit, miſericors Dominus, uberibûs oculorum lacrymîs deploravit; Idem ipſe, paulò poſt, cruentîs univerſi Corporis lacrymîs, peccata Mundi totius eôdem in montê deflevit. *Serm. 8. num. 11. uſquè ad num. 14.*

Si cognovisses & tu! & quidem in hâc diê tuâ, quæ ad pacem tibi! *Lucæ* 19. *v.* 24.

II. Dum oblatam â Dominô gratiam, in illâ diê, quæ nobis ad pacem data, respuimus: frustrà nobis, eandem rursùs oblatum iri pollicemur, in diê Domini; qui futurus est, ad judicium, illi. *Serm. 16. â num* 1. *usquè ad num. 7.*

Dominicâ X. post Pentecosten.

Pharisæus, justificatô Publicanô, reprobatur.

Duo homines ascenderunt in Templum: ut orarent. *Lucæ.* 18. *v.* 10.

I. Peccantis magìs, quàm precantis forma, jactabundus in templô, Pharisæus agnoscitur: qui tamen, ut oraret, in templum ascendit. Ità nobis, in virtutum persuasionê nostrarum, ipsi sæpè mentimur: dum palpabiles iniquitates, ùt justitias, intuemur. Quod nusquàm patet clariùs: atquè, si Domino nos, ad Calvariæ montem ascendenti, sub Crucê jungamus. Hujus enim intuitu, quàm omnis, putata nostra justitia, nulla sit, agnoscemus. *Serm. 23. â num.* 14. *usquè ad finem.*

Pharisæus stans, -- apud se, orabat: & Publicanus, â longè stans, -- percutiebat pectus suum. *Lucæ* 18. *v.* 11. *& vers.* 13.

II. Multùm oravit Pharisæus; qui, longam orationem attexens, *apud se*, sua DEO facta cantavit. Parùm oravit Publicanus; qui totum, unô supplicî suspiriô, propitium poscens DEUM, absolvit. Et iste tamen, justificatus, illô reprobatô, descendit. Adeò, non quælibet Oratio, sed ea, quæ Christo precanti conformis est, DEO grata est. *Serm. 23. â num. 9. usquè ad num. 14.*

Dico vobis: Descendit hîc justificatus in domum suam, ab illô. *Lucæ* 18. *v.* 14.

III. An ideò, Publicanus orans, oranti Pharisæo, Dominô judicantê, præfertur: quòd *apud se*, seu, confidens in se, stans, Pharisæus orabat? Publicanus verò, *percutiens pectus suum*, orabat? Ille nimirum cordê duntaxat, eôque, jactabundô; sed alter, manibûs insuper, iisquè, Cor contritum, & humiliatum percutiens, precabatur. Vacua namquè meritorum est oratio, vacuáque gratiarum orantis fiducia: cùm cordi non adjungitur manus; debitáque fiduciam operatio deficit. *Serm.* 30. *â num. 9. & seqq.*

Dominicâ XI. post Pentecosten.

Surdus, & Mutus, curatur.

Surdos, fecit audire; & mutos, loqui. *Marci. 7. v.* 73.

I. Utrúmque pariter, hôc seculô perversô, necessarium est; ut virtutê divinâ præstetur. Cùm enim, ad arguendam justitiam, sint muti; quorum interest, ex officiô, loqui: surdi verò pariter, ad audienda salutis præcepta; qui maximè sunt eorum, ùt ignari, sic indigi: tentare debet utrúmque Prædicator Apostolicus, in ejus nominê; qui surdos, fecit audire; & mutos, loqui. *Serm. 19. â num. 10.*

Solutum est vinculum linguæ ejus; & loquebatur rectè. *Marci. 7. v.* 35.

II. Qui priùs mutus fuerat, ubi modica tantùm saliva, Servatoris ex orê desumta, *tetigit linguam ejus*, continuò, locutus *rectè*, memoratur. Si tanta virtus, ad rectè loquendum, ex Domini sputô percepta? quantò major ex ipsa Christi, tam silentê, quàm, loquentê linguâ (cùm utraquè, non mysterii tantùm, sed & prodigii plena fuerit) ad rectè loquendum, speranda virtus est? *Serm. 23. â num. 19. usquè ad num. 23.*

Dominicâ XII. post Pentecosten.

Præceptum Dilectionis, in Samaritanô, declaratum.

Descendebat ab Jerusalem in Jericho; & incidit in latrones. *Lucæ.* 10. *v.* 30.

I. Quòd â Samaritanô solô (qui Christi, Servatoris nostri, typus erat) homini misero subventum illi sit; qui, descendens in Jericho,

vulneratus â latronibûs, in quos incidit, ſemivivus relictus eſt, illius ægritudinis miſerrimæ remedium omne deſperatum, auxiliumque ſignificat; quæ carnalium ex voluptatum libidinosâ cupiditatê contrahitur. Hujus enim vitii vulneribus, non corpori tantùm, ſed animæ quoquè, lethaliter inflictis (niſi divina Chriſti Servatoris virtus opituletur) non eſt, nec â Sacerdotê, nec â Levitâ, nec ab ullô ſperandum hominê remedium; quô ſalus reſtauretur afflicta. *Serm.* 15. *totô.*

Et ajt illi JESUS: vade & tu, fac ſimiliter. *Lucæ.* 10. *v.* 37.

II. Ad exemplum Samaritani, pariter conſectandum, remittitur â Dominô, cupidus perfectæ charitatis, vitæquè cœleſtis conſequendæ, Diſcipulus. Quòdſi, per Samaritanum, ipſe Dominus, æternæ vitæ conſequendæ Magiſter, intelligi voluit, & agnoſci? quidnì viam certam, &, ad vitam illam veniendi, modum breviſſimum inquirenti (demonſtratîs Chriſti veſtigiîs, cum Crucê ſuâ montem, & mortem adeuntis) dicemus: *Vade, & tu: fac ſimiliter? Serm.* 23 *á num.* 9. *uſquè ad finem.*

Dominicâ XIII. poſt Pentecoſten.

Curantur decem Leproſi.

Occurrerunt ei decem viri leproſi; qui ſteterunt â longè. *Lucæ* 17. *v.* 12.

I. Decimus ægrorum numerus in leprosîs occurrit, omnium, animi, corporisque morborum, divino Medico: quia, totius Decalogi reatu ſordet, cum omnium propè ſceletum inquinamentô; qui carnis vitiô laborat. Nec, ſinè myſteriô, ſtant â longè Leproſi. Nihil enim â DEO magìs elongat, & removet; Sanctísque ſic reddit omnibus, homines abominabiles, & execrabiles; ùt lepra Luxuriæ. *Serm.* 15.; *præcipuè á num.* 1. *uſquè ad* 6.

Quòs, ùt vidit, dixit: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. *Lucæ* 17. *v.* 14.

II. Ad Sacerdotes mittuntur â Dominô, miſſique ſe conferunt Leproſi, ſecundùm legem, ab illîs, de leprâ judicium, non autem, â leprâ liberationem, accepturi. Nam, etſi malignitas tanta ſit inveteratæ jam libidinis; ut, niſi divinâ, mirificâ virtutê, tolli nequeat ab hominê; tamen humana vult omnia Dominus, etiam â peccatorê præſtari; quæ debet, ac poteſt, ad ſuimet ipſe mundationem, integramque converſionem adhibere. *Serm.* 15. *á num.* 6. *uſquè ad finem, & præſertim á num.* 17.

Dominicâ XIV. poſt Pentecoſten.

De duobûs Dominîs, quibus nemo ſervire poteſt.

Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. *Matth.* 6. *v.* 24.

I. Cùm hoc æternæ Veritatis Oraculum ſit; neceſſarium eſt, eos non tam ſibi, quàm aliis mentiri; qui dicunt: ſe, DEO ſervire, ſuæque negotio ſalutis intentos eſſe: quorum tamen omnis in eô verſari cura deprehenditur; ut placeant Mundo. Nullum enim poteſt habere DEUS, illorum in cordibûs, locum; quorum alia potior non eſt, in cogitationibûs, cura; quàm, ſuîs de capitibûs, comîsque comendîs. *Serm.* 21. *a num.* 18, *uſquè ad finem.*

Non poteſtis DEO ſervire, & Mammonæ. *Matth.* 6. *v.* 25.

II. Quia lucri terreni cupidus, turpe, nihil non, promtus eſt agere, exiguâ pro pecuniâ; liquet manifeſtè: quantùm, ab obſequiô Divinô, tum, & ab obſervationê juſtitiæ, Mammonæ mancipatus avertat? *Serm.* 5. *fermè totô.*

Dominicâ XV. poſt Pentecoſten.

Suſcitatur á morte Filius Viduæ.

Quam, cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus, ſuper eam, dixit illi: noli flere. *Lucæ.* 7. *v.* 13.

I. Admiranda diverſitas! Hanc matrem viduam, quæ mortuum deploravit filium, flere vetuit, luctum ejus miſeratus, Dominus; qui mulieres illas, quæ ſequebantur ipſum, cúmque de-

deplorabant, super suos, etiam tum viventes, flere filios jussit. Illi nimirum deplorandi sunt â matribûs filii; qui, viventes, mortui sunt; & matrum culpâ, mortê damnabuntur æternâ. *Serm.* 1. *num.* 2. *usquè ad* 4. *& serm.* 20. *fermè totô.*

Et ajt: Adolescens, tibi dico: surge! *Lucæ* 7. *v.* 14.

II. Ut, mortui per peccatum (quos adolescens iste defunctus adumbrat) ad vitam Christianam, sub Ecclesiæ, viduæ Matris, piâ curâ deinceps instituendam, excitentur, præsentiùs nihil est, nequè validiùs, auditâ, Christi Judicis, você. *Serm.* 1. *usquè ad num.* 7.

Dominicâ XVI. post Pentecosten.

Sabbatô sanatur Hydropicus.

Cùm intraret JESUS in domum cujusdam Principis Pharisæorum, Sabbatô, manducare panem. *Lucæ* 14. *v.* 1.

I. Adoranda temperantia Domini! qui (Principis etiam Pharisæorum in domô) pro sui refectionê corporis, non aliud, quàm, necessarium alimentum vitæ (panem scilicet solum) & quæsivit, & sumsit. Pudeat Christianos infamiæ; quam, per immodicam gulam, enormésque conviviorum luxus, & excessus, Religioni, quam profitentur, & antiquæ moderationi Christianorum, inurunt! *Serm.* 28. *toto.*

Dixit ad Legis peritos, & Pharisæos, dicens: si licet Sabbatô curare? *Lucæ* 14. *v.* 3.

II. Prodigium in Hydropici sanationê facturus, ex illîs, quos hostiliter operum suorum censuræ noverat intentos esse, requirit: num, id agere, liceret? Nec exspectatâ malevolorum sententiâ, quod sanctè statuerat, sinè cunctationê peregit: ità volens, comparatos esse suæ legis Doctores, adversùs eos; qui sibi jus arrogant, statuendi, de rebûs divinîs, Deíque Verbô: quid agendum, dicendúmque sit. Quasi Verbum DEI (quod non est alligatum) intrà limites, eorum arbitriô definitos, continere se, nec *plus ultrà*, quàm iis lubet, suam, in quos voluerit, sanandi solicitudinem, & virtutem, exerere deberet. *Serm.* 21. *à num.* 13.

Ipse verò apprehensum sanavit. *Lucæ* 14. *vers.* 4.

III. Grande miraculum, Hydropici, momentô sanati (cujus aliàs longa solet esse, vel, omninò desperata, restauratio) testimonium virtutis, humanâ majoris, &, operantis in Christô, Divinitatis argumentum non obscurum Pharisæis exhibuit. Eadem divina virtus, ad curandam, inextinguibilem, Bibonum, & Potatorum, hydropicorum sitim, aceto, cum fellê misto (quod, sitiens in Crucê, salutis nostræ Medicus gustavit) inest efficacissimè. Nam ejus unica gutta, piâ, seriâque meditationê delibata, sufficit, ad omnem Potatorum hydropem sanandam. *Serm.* 28. *multa super hoc argumentô.*

Dominicâ XVII. post Pentecosten.

De præceptô Dilectionis, ergà Deum, & Proximum.

Et nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam, ex illâ horâ, eum ampliùs interrogare. *Matth.* 22. *vers.* 46.

I. Acceptô divinæ doctrinæ, mirabilî, plenôque veritatis irrefragabilis, responsô, Pharisæorum, in quæstionibûs captiosîs, insolens malignitas obmutuit, velut enervata penitùs, atquè protrita. Sed continuò, vî desperatâ verborum, ad hostilia facta, convertitur nocendi voluntas: ut, quem linguîs perdere non possent, actibûs inimicîs opprimerent. Hæc enim (ùt ait Ecstaticus) *consuetudo impiorum: ut, quando prævalere non possunt per rationem, atquè justitiam; prævalere conentur per oppressionem, & violentiam. Dionys. Carthus. in Matth. loc. cit. Vide, pro thematis hujus deductionê, multa, Serm.* 19. *à num.* 4. *usquè ad finem.*

Di-

Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. *Matth. 22. v. 39.*

II. Proximum diligendi regulam, omnis æquitatis Arbiter, in propriô cujuſquè ſtatuit amorê, ſic, volens, â quôvis amari proximum; ùt, ſuimet amans, eſt quisquè. Quô conficitur apertè: quòd, quisquis proximo perdebitam juſtitiam defuerit, ſuimet ſit hoſtis infenſiſſimus: utpotè, qui legem omnem in ſui condemnationem obarmat; dum charitatem, ex quâ lex pendet omnis, exterminat. Ut igitur, nullius legis obſervans, certus perditionis eſt; ità, dilectionis, per injuſtitiam, interemtor, juſtiſſimæ damnationis exactor eſt. *Serm. 19. á num. 20. uſquè ad finem.*

Dominicâ XVIII. poſt Pentecoſten.

Sanatur Paralyticus: & Chriſtus blaſphematur; dum blaſphemus arguitur.

Et ecce, quidam de Scribîs, dixerunt intrà ſe: Hic blaſphemat. *Matth. 9. v. 3.*

I. Quanta Scribarum ignorantia fuit in eô; quòd, ex manifeſtîs operibûs Divinitatis Chriſti, blasphemiæ tamen ſanctiſſimam ejus Virtutem arguerint? non animadvertentes, eôdem ipsô judiciô, ſe graviſſimæ reos factos eſſe blasphemiæ; quæ, non tam verbîs, quàm, perverſæ mentis, de rebûs divinîs, judiciô committitur. *Serm. 27. totô.*

Quid eſt faciliùs, dicere: dimittuntur tibi peccata tua? an, dicere: ſurge, & ambula? *Matth. 9. v. 5.*

II. Dominus, divinam ineſſe ſibi virtutem, per hæc verba (prout notavit Carthuſianus Richelius) ex utrôque, quod interrogabat, credendam perſuadere volebat: ſcilicet; ut, erigi videntes paralyticum, crederent, eidem virtuti poteſtatĕ etiam ineſſe, dimittendi peccata. Quid ergo de divinâ Pietatê, vel Omnipotentiâ dubitat, aut, omninò deſperat (ùt ût proſtratus, & omnî deſtitutus virtutê) peccator? Qui verbô Paralyticum liberavit, ab utrâque, corporis, animæquè paralysî, non rogantem; quid precanti, ſperantíque, Miſericors, & Omnipotens, negaturus eſt? *Vide totô Sermonê 26. plurima.*

Dominicâ XIX. poſt Pentecoſten.

A Nuptiali convivio, ſinè veſtê Nuptiali deprehenſus, ejicitur.

Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam. *Matth. 22. v. 5.*

I. Si ſeveram Regis iram, in ſe concitârunt vindicem, & experti meritò ſunt; qui tam liberaliter, ad participationem gaudiorum vocati, venire noluerunt, & abierunt, ad ruſtica ſua, ceteráque negotia? major ira formidanda Chriſtianis illis eſt; qui, per pravam ludendi conſuetudinem, quæ jam negotiationis inſtar apud quosdam invaluit, omnia religionis officia, divináq; myſteria, totúmq; ſalutis negotium, negligunt; quod, (homo factus) DEI Filius, inſtar Nuptiarum, celeberrimum ſibi, ſummúmquè delegit. *Serm. 24. fermè totô.*

Rex autem, cùm audîſſet, iratus eſt, &, miſsîs exercitibûs ſuîs, perdidit homicidas illos: &c. *Matth. 22. v. 7.*

II. En, ad puniendam pervicaciam, & immanitatem ingratiſſimam eorum, qui non tantùm gratiam deſpexerunt oblatam, ſed, miſſos etiam Regios, â quibûs vocati fuerant, ſervos occiderunt, contumeliîs affectos, exercitus immiſſi ſunt vindices: per quos, non tantùm in crudelem ingratitudinem, ſed, ipſam etiam in civitatem, cum ejus excidiô, vindicatum eſt. Ità juſtè divina Bonitas, adverſûs impios luſores, juſtitiæ ſuæ meritas pœnas diſtringit; qui per atrocem ludendi pravitatem, nullis, neq; ſacris, neq; divinis rebus parcunt; ipſúmq; Chriſtum denuò crucifigunt. Unde meritò calamitatum earum ſupplicia veniunt; quibûs aliquando, cùm urbes, tum integræ Provinciæ caſtigantur, & perduntur. *Serm. 24. á num. 1. &c. Et rurſùm, circà finem, á num. 22. reliquîsque.*

Li-

Ligatîs manibûs, & pedibûs, mittite eum in tenebras exteriores. *Matth.* 22. *v.* 13.

III. Quòd, obmutescens, in tenebras exteriores, manibûs, pedibûsquè ligatîs abjectus fuerit, importunus convivij nuptialis affectator, neglecta cura nuptialis vestis effecit. Eâdem culpâ reos tenebrarum illarum se noverint; qui nuptialem Christi Redemtoris vestem, per fidelem suæ vitæ conformationem, & justitiæ Christianæ studium, suâmet induere cooperationê neglexerint. Nec enim sufficit, ad nuptias Verbi, Christi meritîs oblatîs gaudere: sed, proprias adhibere manus, &, suos quoquê movere pedes, oportet: cujus neglectus, manibûs, pedibûsquè ligatîs, mulctatur. *Serm. 30. plurima super hôc argumentô.*

Dominicâ XX. post Pentecosten.

Sanatur Filius moriens, Capharnaitani Reguli.

Dicit ad eum Regulus: Domine, descende; priùsquàm moriatur Filius meus. *Joann.* 4. *v.* 49.

Laudabilis est, Reguli, Patris, pro Filij sui deficientê vitâ solicitudo; quâ periculo, priùs, quàm tota desierat vitæ spes, occurrit. Illorum, è conversô, parentum desidiam nulla satis condemnare poterit exaggeratio; qui liberorum suorum (etsi, circà corpora, nunquàm non vigilem) spiritualem tamen animarum curam, in postremîs habent; vel ideò, suos ipsi liberos accusatores habituri, coràm Patrê supremô, terribiles. *Serm. 20. totô.*

Dominicâ XXI. post Pentecosten.

Nequam servus, in suum severus conservum, damnatur.

Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus. *Matth.* 18. *v.* 34.

I. Nullum veniæ locum invenit, severus nimiùm exactor debiti Servus, nullîs conservi sui precibûs mitigatus. Quid enim, nisi severissimum judicem, digni sunt, experiri DEUM, homines? qui, per crudelem nimiùm dominatum, suorum conservorum sunt exactores immites, & inexorabiles. *Serm. 17. à num. 3. & reliquis.*

Serve nequam: omne debitum dimisi tibi, quoniam rogâsti me: nonnè ergo oportuit & te misereri conservi tui? *Matth.* 18. *v.* 32. 33.

II. Non liberi, sed servilis, & abjectissimi, rhamnóque simillimi genij, dominatus est; qui sævus, immitis, &, in exigendo durus, ac, tantùm non ipsius vitæ, trux, ac trucidans, exactor est. *Serm. 17. totô.*

Dominicâ XXII. post Pentecosten.

Captiosa Pharisæorum inquisitio de Censu Cæsareô.

Dic ergo nobis: quid tibi videtur? Licet censum dare Cæsari, an non? *Matth.* 22. *v.* 17.

I. Hic hominum depravatæ conscientiæ typus est: quod exploratum, & justitiæ debitum est, scrupulosæ discussioni subjiciunt, & autoritatê Theologicâ pronunciatum volunt: ubi verò palpabilis est iniquitas, & injustitia manifesta, nec propriam admittunt syntaresin; nec ullius arbitrij Theologici ponderê se premi, vel urgeri patiuntur. *Serm. 5. totô.*

Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; &, quæ sunt DEI, DEO. *Matth.* 22. *v.* 21.

II. Si, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; tum &, quæ sunt DEI, DEO (prout necessarium est, ad omnem salutis justitiam) redderentur â singulîs hodiè? quid, & quantula substantiæ pars, multis, non in arcîs tantùm, aut arcibûs, vel areîs permaneret: sed, etiam ipsîs ex indumentîs, quid corpori reliquum, aut parietibus foret? Quando, ditescendi libido, nihil non, sacrum æq;, atq; profanum, quin, & animam, ac DEum ipsum, pro nummîs, venumdat. *Serm. 5.*

Dominicâ XXIII. post Pentecosten.

Defuncta Jairi Filia suscitatur â Dominô.

Intravit, & tenuit manum ejus, & surrexit puella. *Matth.* 9. *v.* 25.

Adoranda meritò, liberalis in peccatorum conversionê, Clementia Servatoris est, in mortuîs, ad vitam suscitatîs, virtutem non unam, sed variam, velut infinitæ (divinæ scilicet) potestatis, ac bonitatis argumentum, luculentum præbens. Nam, qui mortuum, non Lazarum solum, sed, & Filium viduæ, solô vocis imperiô vitæ reddidit (ubi major calamitas infirmi sexûs mortui fuit) non vocem, sed manum adhibuit: ut â mortê puella resurgeret. Quotidiè diversitas ista divinæ virtutis in Ecclesiæ Filiîs patescit. Ubi major miseria mortuorum est; ibi liberalior succurrit beneficentia. Quis neget, eum esse, *Clementiæ DEUM*? *Serm. 26. â num. 1. usquè ad num. 9.*

Dominicâ XXIV. post Pentecosten.

Prædicitur, terrificum, Finale judicium.

Videbunt Filium hominis, venientem in nubibûs cœli, cum virtutê multâ, & majestatê. *Matth.* 24. *v* 30.

I. Væ! perversis Judicibus, non æquè Causas (personarum intuitu) judicantibus! cùm *videbunt Filium hominis, venientem cum virtutê multâ, & majestatê*; quem hic illi, latentem in infirmitate, paupertatêq;, damnârunt. Nam, qui secundùm hominem hîc judicârunt, æquitatis in miseros Tyranni, fautores autem iniquitatis, ergà potentes; injustæ suæ justitiæ severissimum patientur Judicem, *Filium hominis*; cùm venerit in majestatê. *Serm. 19. â num. 10. &c.*

Et mittet Angelos suos, cum tubâ, & você magnâ. *Matth.* 24. *v.* 31.

II. Ad evitandum novissimæ tubæ terribilem sonum (nè tunc horrorê percellat) juvabit: nunc, ejus memoriâ, mentis in aures (ubi primùm reatus conscientiam pungit) admissâ, de peccati mortê continuò, sacro Pœnitentiæ tribunali se sistendo, resugere. Cùm nemini formidandum adeò judicium illud sit; ùt ei, quem nulla nunc absterret â peccando judicij formido. *Serm. 1. â num. 1. usquè ad num. 6.*

TA

TABULÆ III.

PARS II.

Usus Quadragesimalium Sermonum, secundùm Evangelia, Festîs Domini, B. Virginis, atquè Sanctorum diebûs, legi solita.

Festô S. Andreæ, Ap.

At illi continuò, relictìs retibûs, secuti sunt eum. *Matth.* 4. *v.* 19.

Mira promtitudo S. fuit Andreæ; qui continuô Dominum, ad ignotum licèt munus vocantem, secutus est. Sed longè mirabilior alacritas illa mentis, & promtitudo fuit ejusdem; quâ, vix dum vidit, anhelans concupivit, non jam ignotum, sed notum, supplicium Crucis. Quis genuinum, non tam ex primâ, quàm, secundâ sequelâ, discipulum Christi, non dixerit hunc Apostolum? qui, sicut Magister ejus, *proposito sibi gaudiô, sustinuit crucem? Serm.* 19. *á num.* 1. *usquè ad* 10.

Festô S. Nicolai, Ep. & Con.

Vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. *Matth.* 25. *v.* 14.

I. Apertè Dominus, bona sua servis traditurus, agit cum illîs: non ità cum egenîs puellîs D. Nicolaus; quibus ipse, clàm, & noctê, præteriens, non ingrediens domum, aurum, quô pudor earum integer servaretur, per fenestras injecit. Adeò namquè fœminarum, etiam probarum, aditus, ùtùt innocentî, quin, & beneficâ voluntatê præsumtus, nocturnîs præsertim in congressibûs, periculosus est: ut, eô temporê, nec illarum innocentiæ servandæ zelô, committere suam viri sancti conscientiam in periculum velint. *Serm.* 11. *per plurimos numeros.*

Festô Conceptionis immaculatæ, B. V. M.

De quâ natus est JESUS. *Matth.* 1. *v.* 16.

Cùm innocentis animæ, per gratiam justificantem dealbatæ, tanta prærogativa sit, atq; venustas; ut ei nihil, post Angelos, &, universô sub solê, comparabile reperiatur: quis Marianæ Puritatis prærogativam æquus arbiter aut expendere poterit, aut exponere? quam originariæ labis contagio (ceteris omnibus congenita, communísque) nec unicô quidem, etiam primô, quô creata fuit, momentô vitiavit unquàm? *Serm.* 12. *á num.* 8. *usquè ad num.* 13.

Festô S. Thomæ, Ap.

Vide suprà, quæ, pro Dominicâ in Albîs, assignata.

Festô Nativitatis D. N. J. C.

Mundus per ipsum factus est; & Mundus eum non cognovit. *Joann.* 1. *v.* 10.

Hæc vecordis ingratitudinis est probrosissima cæcitas: non modò, præsentem habere Redemtorem; sed, ejusdem etiam præsentis, redemtionê beneficentissimâ perfrui: nequè tamen, vel Redemtorem suum, vel Redemtionis ejus beneficium agnoscere! Nemo vehementiùs hoc ingratitudinis monstrum exprobrare poterit, præter eum; qui, jacens in stabulô, sicut prostitutus in Litho-strotô, duobûs Mundum ingratum verbîs redarguit: *Ecce homo! Serm.* 18. *á num.* 5.

Festô S. Stephani, Proto-M.

Continuerunt aures suas, & impetum fecerunt, unanimiter, in eum. *Actor. 7. v. 56.*

Hoc stipendium est Evangelicæ libertatis: ut, pro salutis verbîs, recipiat saxa; quosquè liberalissimâ charitatê (vitia reprehendendo) prosequitur; eosdem in se concitet, infensissimos persecutores. *Serm. 7. á num. 6.*

Festô S. Joannis, Evan.

Conversus Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat JESUS, sequentem. *Joann. 21. v. 20.*

Observationê dignum: quòd Joannes, de sê scribens, ipse, discipulum se dicat illum; quem diligebat JESUS: non tam allegans antonomasiam, & acceptum, aliorum ab appellationê, nomen; quàm, ex propriâ conscientiâ, Domini dilectionem ergà se confirmans. Nihil in hôc temerè, vel arroganter dictum esse, verbum unicum, quô: *sequentem*, dixit, absolvit. Quisquis enim Christum, quem diligit, sequitur, nec in sequelâ deficit, etiam, si subire Calvariæ montem oporteat, poterit & ipse discipulus JESU dilectus esse, dicíque. *Serm. 23. usquè ad finem.*

Festô SS. Innocentûm.

Herodes, iratus est valdè; &, mittens, occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem. *Matth. 2. v. 16.*

Illa sævior est, Herodis immanitatê, crudelitas; quæ, non corporalem, sed spiritualem, imò, geminam Innocentium perditionem, non, hostilitatê manifestâ, sed occultissimâ, scilicet, per lenocinia, quôvis, etiam sævissimô furorê atrociora, negotiatur. *Serm. 7. á num. 5. & seqq.*

Festô Circumcisionis D. N. J. C.

Ut circumcideretur Puer. *Lucæ. 2. v. 21.*

Olim Anni principium â Martiô mensê factum est: ut omen ad bella faustum acciperent, â Martê, Romani. Melius Christiani cursum Anni solaris auspicantur, â fusô primùm sanguinê Redemtoris; qui finem antiqui belli fecit, pacificans universa per sanguinem suum. Non enim quicquam est; unde certiùs, annos æternos ominari possumus; quàm, ex Domini sanguinê, pro nobis, abundanter, in Passionê profusô. *Serm. 30. multa.*

Festô Epiphaniæ.

Cùm inveneritis, renunciate mihi: ut & ego, veniens, adorem eum. *Matth. 2. v. 8.*

Pietatis offensa, nulla, magìs impia; sicut, & humanitatis injuria, nulla, magìs injuriosa; quàm, fraudulenta pietatis, officiíque simulatio. Nam, os amicum præferre, cor autem inimicum adferre, non inhumana tantùm est nequitia, sed, inimicitia Diabolica. *Serm. 7. á num. 1. usquè ad num. 6.*

Festô SS. Fabiani, & Sebastiani. M. M.

Venerant; ut audirent eum, & sanarentur á languoribûs suîs. *Lucæ 6. v. 18.*

Ut â pestê (quæ conversantium ex contagionê proficit, publicóque pernicioſa lues est) indemne, cum temporali vitâ, servetur corpus, nemo quicquam in devotô Sancti Sebastiani M., hôc patrociniô singularis, cultu, patitur â sê desiderari. Quid autem juvat, â pestê servari corpo; quod luxuriæ non conservatur â luê: quæ turpissima juxtà, ac pernicio-sissima, corporis, animæquè pestis est? Adversùs hanc nullum securius amuletum; quàm, jugiter in cordê fixa sagitta, devotam, Domini de Passionê, compunctionem ingerens. *Serm. 15. varia.*

Festô Conversionis S. Pauli Ap.

Sedebitis & vos, super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israël. *Matth. 19. v. 28.*

Dum, Ecclesiæ persecutorem, integrô cordê conversum, futurum aliquando Divini Tribunalis Assessorem, Peccatorúmque Judicem intelligimus: quid ab eô, magìs improperatum iri peccatoribus arbitramur? nisi: quòd misericordiæ Domini confidere noluerint, nec ipsius etiam exemplô permoti; qui de sêmetipsô testatur: *Quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio; qui priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed, misericordiam DEI consecutus. 1. Timoth. 1. v. 13. vide Serm. 26. totô.*

Festô Purificat. B. V. M.

Quod parâsti antè faciem omnium populorum. *Lucæ 2. v. 31.*

Salutare DEI, seu, fides Christi, tam apertis indiciis, & argumentis, universis gentibus, ac populis, est manifestata: nullus ut porrò sit excusabilis in judiciô; qui tanto lumini, per suam pervicaciam, rebellis obstitit. *Serm 22.*

Festô S. Mathiæ, Ap.

Jugum enim meum, suave est; &, onus meum, leve. *Matth. 11. v. 29.*

Cùm hoc sit effatum æternæ Veritatis: illi convincuntur, mendacij palpabilis; qui legem Evangelicam, &, eidem insertam Christi crucem, ùt intolerabile jugum, ac onus importabile, calumniantur, odiosámque reddunt. *Serm. 22. à num. 3. usquè ad num. 8.*

Festô S. Josephi, Deiparæ Sponsi.

Joseph autem vir ejus, cùm esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. *Matth. 1. v. 19.*

Dum suspicari Joseph justus incepit, videns uterum castissimæ sponsæ (de quâ malè sentire nolebat) id consultissimum perplexitati tollendæ censuit: *occultè dimittere eam.* Maluit, absquè tantô solatiô, solus habitare; quàm, suspicionis tantùm, ex consortiô, licèt innocentissimô, molestias pati. Quidnî dignè laudatur, tam justus? Qualis igitur justitiæ potest esse præsumtio de consortiis illîs; quæ, quantò sunt periculosiora, tantò sunt familiariora? *Serm. 11. à num. 11. præsertim, & seqq.*

Festô Annunciationis, B. V. M.

Ecce, concipies in uterô, & paries Filium. *Lucæ 1. v. 31.*

Dies hæc, eadem, & supremi doloris, & summi, Beatissimæ Virginis Mariæ, gaudij fuit. Nam, quâ diê DEum hominem concepit in uterô, jubilantibûs, & applaudentibûs Angelîs, facta DEI Mater, & ineffabilî tunc repleta gaudiô; eâdem ipsâ diê, Peccatorum omnium, ad salutem eorum procurandam, complorantibûs Angelîs, & inexplicabilî tunc repleta dolorê, pariter facta mater est. *Serm. 25. usquè ad num. 5.*

Festô S. Georgii, M.

Omnem palmitem in mê, non ferentem fructum, tollet eum. *Joann. 15. v. 2.*

Cur Vitis veræ sibi nomen assumserit salutis nostræ Consummator, ex adjectâ proprietatê patescit. Vites enim sylvestres (quæ non veræ) palmitibûs quidem abundant; sed, aut nullum, aut, amarum ferentibûs fructum. Neuter ad Christum pertinet Christianus, ùtût Christi se (Vitis videlicèt) palmitem jactet. Nullum enim ferre fructum, non minùs reprobum est, & obnoxium excidio; quàm, fructum ferre malum. Hoc, sylvestrem arguit; illud, veram infamat vitem. Ideò meritò tolletur, & abjicietur Christianus; qui, dum nihil ipse suam confert ad salutem, præter fidem in Christum, infamat fidem Christi. *Serm. 30. multa.*

Festô SS. Philippi, & Jacobi, AA.

Non turbetur cor vestrum, nequè formidet. *Joann. 14.*

Erigere Dominus, ad salutis fiduciam, suos hôc verbô fideles laborat: cùm jubet eos, de suâ

pastoralî solicitudinê securos esse. Quis enim cordê turbetur (etsi peccator fuerit, & reus jam factus judicij) dum novit: per Salvatoris misericordiam exaltatum iri judicium; quod iniquitatis pondus, gravissimum licèt, profundissimè depresserat? *Serm. 16. usquè ad num. 5.*

Festô Inventionis, S. Crucis.

Exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in illum, non pereat; sed, habeat vitam æternam. *Joannis. 3. v. 15.*

Loquitur de sui, per crucem futurâ, Christus exaltationê, velut exsultans: quia futuram indè, suorum Fidelium exaltationem prævidit. Hæc enim, secutura per Crucem, credentium exaltatio, causa fuit; ex quâ patientissimi Redemtoris mirabilis, in susceptionê Crucis, exsultatio provénit. *Serm. 19. á num. 1. usquè ad 5.*

Festô S. Joannis, Baptistæ.

Multos, Filiorum Israël, convertet ad Dominum Deum ipsorum. *Luca. 1. v. 16.*

Mirabilis conditio Dominici Præcursoris emicuit, in convertendîs filiîs Israël. Clamans in desertô, non blandâ, sed, plenâ spiritu, terribilîque você peccatores redarguens, auditores tamen, & benevolos habuit, & obsequentes. Id nimirum potuit; qui *vinum, & siceram non bibit*, ideóque, Spiritu sanctô plenus, loquebatur. Multùm hôc ævô deficere primum illud queruntur Oratores: quia forsan, illud secundum, & alterum, deficit ipsis? Non est autem DEI spiritus, in immoderationê cibi, ac potûs. *Vide, pro primâ parte, Serm. 11. á num. 6. usquè ad 11. pro secundâ verò, Serm. 28. varia, multâque.*

Festô SS. Petri, & Pauli, AA.

Et tibi dabo claves Regni Cœlorum. *Matth. 16. v. 19.*

Quis Domini de pietatê, quantuscúnque peccator, desperet? quando summus totius Ecclesiæ Principatus illi collatus est, Apostolis ceteris præpositô; qui ter, Dominum suum, etiam pejerando, negaverat? Utùt hoc scelus gravissimum, adeò tamen Petrum non depressit; quin, suprà ceteros omnes meruerit elevari, conversus. *Serm. 10. varia de pravitaté perjurij. Serm. 26. de misericordiâ DEI, conversorúmque felicitaté, multa, totô sermonê.*

Festô Visitationis, B. V. M.

Et factum est; ùt audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in uterô ejus. *Lucæ. 1. v. 41.*

O zelum DEIparæ, succensum ab illô Spiritu; cujus obumbrationê DEI mater est facta! Non patitur iste spiritus, ubi spirat, otiosam, ac desidem spiritualis periculi, præsertim in parvulîs, conscientiam. Quàm ergò diversô spiritu sunt, â spiritu Mariæ, DEI matris? qui periclitantem innocentiam, non tantùm scienter â peccatô vindicare, tuerique non satagunt; sed, in id ipsum præcipitare, non metuunt? *Serm. 11. & Serm. 12.*

Festô S. Mariæ Magdalenæ.

Lacrymîs cœpit rigare pedes Ejus. *Luc. 7. v. 38.*

I. Nullum piæ gratitudinis tributum, Servatori nostro gratius est; atquè, pedibus ejus, id est, arduæ Crucis, ac Passionis, cum eâ susceptæ gressibus, pro nobîs, obitis, impensæ, per devotam commemorationem, piæ lacrymæ. *Serm. 8. num. 15. 20. & 21.*

Et capillîs capitis sui tergebat. *Lucæ 7. v. 38.*

II. Pœnitens Magdalena suos, pedum divinorum obsequiô, sanctè damnat capillos; per quos in plurium cordium seductionem, perfidum priùs caput non semel erexerat. Hoc sacrificium justitiæ postulat, â mulierum capillarî vanitatê, multarum spiritualium rapinarum reâ, salutis Reparator: quia, non illicium solùm ad gravia flagitia, sed iniquitatum gravissimarum nidus quidam, & compendium est, muliebre capillitium. *Serm. 21. á num. 15.*

Festô

Festô S. Jacobi, Ap.

Potestis bibere Calicem; quem ego bibiturus sum? *Matth.* 20. *v.* 22.

I. Suam Dominus, ùtùt amarissimam Passionem, Calicem vocat. Quis in hôc effatô non suspicatur arcanum? Adeò nimirum, amor humani generis, & ejusdem salvandi desiderium, dulcem ei reddiderunt, atquè deliciosum, omnî licèt amaritudinê plenum, Calicem Passionis. *Serm. 19. usquè ad num. 5.*

Dicunt ei: possumus. *Matth.* 20. *v.* 22.

II. Paucos hodiè reperies; qui, cùm de Passionis bibendô Calicê quæritur, cum sanctîs, geminîs fratribûs, ad Fraternitatem (ùt vocant) bibere volentes, audeant respondere: *Possumus*! etsi per Calicem illum æterna *salus* ipsis propinetur. E conversô, dum vini calicem suîs audiunt â combibonibûs nominari (quamvis per eum, non *salus* propinetur, sed, utriúsque salutis interitus) nullô non temporê promti respondent, alacrésque: *Possumus*! *Serm. 28. plurima, super hôc argumentô.*

Festô S. Annæ, Deiparæ Genitricis.

Simile est Regnum Cœlorum thesauro, abscondito in agrô. *Matth.* 13. *v.* 24.

Meritò Regnum Cœlorum assimilatur thesauro, non aperto, sed abscondito. Sicut enim absconditus thesaurus, verè thesaurus est, pretium autem ejus absconditum, & ignotum est: ità regni cœlestis infinitus, ignotus tamen, thesaurus est. Hujus autem thesauri cœlestis (cujus inæstimabile pretium est) ager mysticus, feliciissimus fuit uterus Divæ Matris Annæ; in quô Virgo latuit, sinè labê concepta. Quid huic thesauro comparabile? cùm innocentis animæ pretium tantum sit; ut, etsi totus Mundus una foret margarita, minimè tamen ejus pretium adæquaret. *Serm. 12. usquè ad num. 12, præsertim, num. 11.*

Festô S. Laurentii, M.

Qui odit animam suam in hôc Mundô, in vitam æternam custodit eam. *Joann.* 13. *v.* 25.

Quid ad vitam æternam sanctum odium hujus vitæ corporalis, atquè temporaneæ, conferat, in terribilî suô patefecit supplicio S. Laurentius M., inter ignis tormenta jubilans, & exsultans. Adeò non obest, ad meritorum, & gloriæ cumulum, corporis, cum animâ conjuncti, societas: ut maximum, ex corporê, sicut, ad patiendum, sic, & ad promerendum, habeamus adjumentum. *Serm. 3. â num. 13. usquè ad finem.*

Festô Assumtionis, B. V. M.

Maria optimam partem elegit; quæ non auferetur ab eâ. *Lucæ* 10. *v.* 42.

Quàm hodiè gratulatur pietas Christiana gloriam DEIparæ, super omnes cœlos, ad Filij sui dexteram assumtæ: tam gaudere suâ debet felicitatê; quam, per Assumtionẽ hanc glorioſam, omnes Fideles adepti sunt. Ut enim DEI Salvatoris, Maria, mater est facta, pro salutê Peccatorum (quæ dignitas quædam est, quâ major esse non potest) ità & maximæ potestatis particeps est facta, salvandîs omnibûs peccatoribûs. Pro hîs enim, ùt fidelis, ac, pijssima juxtà, atquè, apud filium Judicem potentissima Advocata, tam efficaciter intercedit; ut nullius non (ùtùt graviſſimi peccatoris) Causa sublevanda sit; cui Maria suffragatur. *Serm. 25.*

Festô S. Bartholomæi, A.

Elegit duodecim ex ipsîs; quos & Apostolos nominavit. *Lucæ.* 6. *v.* 13.

Omnes quidem Apostoli præconium insigne merentur ex eâ promtitudinê; quâ continuò, relictîs, non solùm retibûs, verùm, & negotiationibûs ceterîs, vocantem secuti Dominum fuerunt. Plùs autem encomij S. Bartholomæo

lomæo nemo non tribuet; qui contulerit ad invicem, ea, quæ fuerunt â ceterîs, &, quæ ab ipsô relicta. Cùm enim arctiùs nihil adhæreat homini cutê suâ; plùs profectò difficultatis, indéque meriti, censendus est habuisse; qui pro Christô, Dominô suô, sibi cutem â capitê sustinuit, ad usq; plantas, crudelî cultrô subtrahi: quàm, qui totum sibi pateretur Orbem terrarum abstrahi; cujus nulla cum eô conjuncta pars est. Quid ad hæc illæ molles, ac delicatulæ? quæ nec fimbriam ullam de capitis velô, nequè crinem ullum tortum, extorqueri suâ sinunt â vanitatê, pro Deô? quin, etiam attingi tantùm, ab Ecclesiasticæ linguæ censurâ, cincinnum capitis, indignantur. *Serm. 21. propè totô.*

Festô Nativitatis, B. V. M.

De quâ natus est JESUS; qui vocatur Christus. *Matth.* 1. *v.* 16.

Natus, ex Mariâ, dicitur JESUS; quia Salvator totius Mundi, secundùm carnem, in quâ passus, crucifixus, & mortuus est, ex Mariâ Virginê natus est. Sicut autem JESUS, ex Mariâ natus, indè nobis factus est Salvator, unde fuerat JESUS: ità Maria, de quâ natus est JESUS, indè, (scilicèt, per JESUM, qui ex eâ natus est) facta nobis est, suô modô, salutis Cooperatrix. *Serm.* 25.

Festô SS. Angelorum Custodum.

Angeli eorum in cœlîs semper vident faciem Patris mei; qui in cœlîs est. *Matth.* 18. *v.* 10.

Angeli, nostris â Deô ministerijs designati, quamvis accuratissimè semper invigilent curæ nostræ, perpetuâ tamen observationê divinum in vultum defixi sunt: nè quid â nobîs in ejus Majestatem temerè committatur. Ut enim nostrî sunt amantes; divinæ tamen ità sunt gloriæ zelantes: ut ipsi quoquè, quàm, læsæ per peccatum divinæ Majestatis vindices, tam, in judiciô, suorum clientum acerrimi futuri sint accusatores. *Serm. 9. â num. 4., præcipuè num. 9.*

Festô Exaltationis, S. Crucis.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in desertô; ità exaltari oportet Filium hominis. *Joann.* 3. *v.* 14.

Si Filium hominis oportuit exaltari per Crucem, in salutem omnium, per fidem, intuentium in eum? nemo credentium istorum, se, nisi per crucem, ad salutem æternam exaltatum iri confidat. Felicitatem hanc veteres figuræ Crucis adumbrant, & innumera Patrum antiquorum encomia confirmant. *Serm. 22, â num. 3. usquè ad num. 9.*

Festô S. Matthæi, Ap.

Ait illi: sequere me! Et surgens, secutus est eum. *Matth. 9. v. 9.*

Magna fuit hæc promtitudo Matthæi, telonium, iniquitatis officinam, unicô tantùm, avocantis Christi, verbô perceptô, continuò deferentis, & in Domini vestigia succedentis. Non ità sunt moveri faciles; qui, vel moneri, reperiuntur difficiles. Quis hodiè Telonarium, vel Usurarium, abstrahet ab iniquitatis inveteratæ negotiô? cùm sua nemo toleret malè facta redargui. Quin, & immunitatis ibi præfiguntur insignia (non tantùm, nè quis gladium è vaginâ, sed, nè quis linguam exerat ferientem) ubi justitiæ nominê nequissimè negotiatur iniquitas. *Serm. 21. â num. 1. vide etiam, quæ Serm. 11. â num. 5. usquè ad num. 11.*

Festô S. Michaëlis, Arch.

Væ Mundo â scandalîs! *Matth.* 18. *v.* 7.

Etsi omnia scandala gravi sint obnoxia judicio, gravissimum tamen illis formidandum judicium est; quæ, cùm ex Catholicæ fidei professionê consurgant, ab ejusdem communionè, secùs redituros, absterrent. *Serm. 21. â num. 18. Vide, quæ superiùs, Festô SS. Angelorum Custod.*

Festô

Festô. SS. Simonis, & Judæ.

Non est servus major Dominô suô. *Joann.* **15. *v.* 20.**

Stringens argumentum hoc est; â quô se nemo potest extricare. Sicut enim, Redemtionis jurê nemo non strictissimè Christi servus est (quia nemo non per Christum redemtus est) ità nullus, ab ejusdem oneris portandi, se potest obligationê subtrahere; quod â Dominô, non in suâ, sed nostrâ causâ, videt, ex infinitâ charitatê, priùs jam fuisse susceptum. *Serm. 23. fermè totô.*

Festô Sanctorum omnium.

Gaudete, & exsultate! quoniam merces vestra copiosa est in cœlîs. *Matth.* **5. *v.* 12.**

Jubet gaudere nos, & exsultare, Beatitudinum Prædicator, Dominus, fiduciâ copiosæ mercedis, ac retributionis in cœlô, pro paupertatê, pro luctu piô, pro justitiæ contentionê, ceterîsque hujus operosæ vitæ laboribûs, olim futuræ. Sed, adverte: nihil beatitudinis, nisì, pro factô, sponderi; totúmque, quod promissum est, mercedem appellari. Cùm igitur, laboris correlativum, sit merces: frustrà, qui multùm laborare noluerit, participem se mercedis copiosæ futurum sperat. *Serm. 30.*

Diê Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum.

Venit hora, in quâ omnes, qui in monumentîs sunt, audient vocem Filii DEI. *Joann.* **5. *v.* 25.**

Evangelium, quod hodiè legitur, cum Hymnô convenit, Epistolæ subjectô. Dies enim resurrectionis, ad evocantis judicis vocem futuræ, describitur in utrôque. Quid autem indè subsidij Fidelibus Defunctis accedit? An Ecclesia (quæ, cum Defunctorum pœnîs memorandîs, judicij rigorem ingeri vult viventibus) utrôque salubrî terrorê persuadere contendit: ut per per dignos pœnitentiæ fructus, cùm adhuc possumus, tam particularis, quàm universalis judicij pœnas (tunc non ampliùs evitabiles) præveniamus, & evadamus? *Serm. 30.*

Festô S. Martini, Ep.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. *Lucæ* **11. *v.* 34.**

Cùm oculi sint fenestræ corporis, convenienter, ex eorum simplicitatê, totius corporis lux decernitur. Magnum tamen aliquid, fenestram inter, oculúmque, discriminis est. Nam lux in conclavia, si fenestræ sint obstructæ, non descendit: in corda verò tum demum subit lux; cùm oculi fuerint occlusi: qui periculosiùs nunquam patent, nec majoribus aliàs tenebris obnoxij sunt; quàm, cùm in conventiculîs nocturnîs videre gestiunt; ac, in tenebrîs, videri. *Serm 11. â num. 16.*

Festô S. Leopoldi, Conf., & Aust. Tutel.

Vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. *Matth.* **25. *v.* 14.**

O! quàm ex geniô supremi, cœlestísque Domini, suîs cum servîs pius ille, providúsque, Dominus egit? qui, de Regni sui finibûs dilatandîs, incrementîsque solicitus, non, quæ fuerant subditorum, ab eîs accepit; sed, bona sua tradidit illis. Nam, per immites exactiones exprimere substantiam subditorum, non est compendium; sed Regni maximum, & bonorum omnium, dispendium. *Serm. 17.*

Festô S. Catharinæ, V. & M.

At ille respondens, ait: nescio vos! Vigilate itaquè! *Matth.* **25. *v.* 12. 13.**

Quî tam severus, ergà supplices Virgines, & inexorabilis fuit Sponsus? ut illas etiam sibi dicat ignotas; quas tamen priùs, ad nuptiale voluit gaudium invitatas? Ea nimirum est

conditio plurium infelix ; quos meritò Dominus ignorabit in diê terroris, atquè judicij : quia, priùs ipsi noluerunt eum cogitare judicem, in temporê salutis, & gratiæ. *Serm. 1.*

Festô Dedicationis Ecclesiæ.

Ecce, dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : &, si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. *Lucæ* 19. *v*, 8.

Non continuò, cùm domum Zachæi subire dignatus est Mundi Salvator, factam illi do mui salutem promulgavit ; sed, postquàm omnem â Zachæô justitiam, adimpletum i percepit : qui non tantùm aliena, quæ pe fraudem collegerat, sed etiam sua, quæ cu pauperum fraudê retinuerat, se mox daturu redditurúmque spopondit. Non minùs eni officiunt saluti suæ ; qui, sinè conscientiâ, r piunt aliena : quàm, qui, sinè misericordiâ retinent sua. *Vide, pro partê primâ Serm. 1 pro parte verò secundâ, Serm. 6.*

FE

FERIA IV.
POST DOMINICAM QUINQUAGESIMÆ.
DIE CINERUM.
SERMO PRIMUS.

Cæterorum omnium Sermonum Prologus, & Argumentum.

In quo Peccatores, velut mortui, per mortiferum peccatum,
Citantur ad Juſtitiæ Divinæ Tribunal,
Propoſitô ſimul, futuri judicij totius Progreſſu,
Contra Maleficum Hominem,
Accuſandum, varijs ab Actoribus, graviſſimorum Criminum;
Ab ipſo verò, Patiente, Morientéque Servatore defendendum:
Qui, Malefici Hominis Causîs in ſe ſuſceptîs,
Quotìdiè, pro Eodem, efficaciter peroraturus,
Ex Codice Paſſionis, promittitur Advocatus.

Teſſera. Nunc judicium eſt Mundi. *Joann. 12. v. 31.*

In aſcenſu ad Suggeſtum, reſonantibûs tubîs, ac tympanis, territum ſe oſtendit Eccleſiaſtes. Joſue 7. v. 8.

I. QUid ſonus iſte lugubris? quid feralis tubæ clangor inſinuat? Credámne, rurſum auditos eſſe, ſeptem illos, inductos â Joſue, Sacerdotes; qui buccinîs clangerent circùm urbem Jericho, præſidium illud Satanæ vaſtaturi? Foret hoc, ità ſi foret, ex voto S. P. Auguſtini: *Ut, ſicut, canentibûs tubîs, muri Jericho cecidérunt; ità, & nunc, Civitas mundi, id eſt, Superbia, cum ſuis turribus, avaritiâ ſcilicet, invidiâ, atque luxuriâ, ſimul cum populis, id eſt, omnibûs concupiſcentiîs malîs, aſſiduâ Sacerdotum prædicatione deſtruatur.* An verò cogitandum illud eſt: miſſos huc, ſuis iterum, cum tubis (ùt Joannes Apocalypticus, & viderat, & audierat olim) ſeptem Angelos illos; quos, â ſe, de ſemetipſo, miſſum iri, prædixerat, ipſe judicij prædicator extremi: *Mittet Angelos ſuos cum tuba?* Quis autem, ſinè concuſſione totius naturæ, ſubſiſtet, memor eorum; quæ ferales illos buccinantium Angelorum ſonos conſecuta leguntur? Nam, ad Angeli primi clangorem, *facta eſt grando, & ignis, miſta in ſanguine*; unde tertia

S. Auguſt. ſerm. 106. de tempore.

Apocal. 8. v. 2.

Matth. 24. v. 31.

Apocal. 8. v. 7.

pars terræ, & arborum, & *omne fœnum viride* combuſtum eſt. Ad buccinæ ſecundæ ſonum igneus mons in mare devolutus, ipſum, cruentum effecit, tertiámque partem, viventium in mari, occídit, paritérque partem tertiam navium demerſit. Cùm tertius tubæ fragor increpuit; fulgens, è cœlo ſtella decidit, quæ partem tertiam fluminum, & aquarum, in abſynthium convertit; cujus amaritudo plurimos hominum exanimavit. Ad quartæ tubæ feralem clangorem, ſol, luna, ſtellæ, diésque cum nocte, tertiam ſuæ lucis partem amiſerunt. Quintæ buccinæ ſonus puteum reſeravit abyſſi; unde omnia fumô, tenebrîs, & locuſtîs perniciosiſſimîs impleta ſunt. Cecinit ſextus Angelus tubâ; cùm ſubitò prodijt *numerus equeſtris exercitûs, vicies millia dena millia*, formâque terribilî: *quoniam equorum capita, tanquam capita leonum*; & fumus, & ignis, cum ſulphure, in interitum tertiæ partis hominum, ex ore eorum. Denique, & *ſeptimus Angelus tubâ cecinit*, futurúmque totius orbis nunciavit judicium: quia *facta ſunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna; & iratæ ſunt gentes: & advénit ira, & tempus mortuorum, judicari, &c. Et exterminandi eos, qui corruperunt terram.*

Apocal. v. 8.

Ibidem v. 9. 10.

Ibidem v. 12.

Apocal. 9. v. 1. & ſeqq.

Ibidem v. 17. & ſeqq.

Apoc. 11. v. 15. & ſeqq.

II. Iſtáne feralis ille tubarum clangor, quem accedente mê percepiſtis, minatus eſt? An ad judicium vocamini, Sacerdotum, & Angelorum admoniti vocibûs? An verò munus hoc â DEO mihi commiſſum; ut, quod fieri de more ſolet, cùm per tubæ ſonum quidpiam in vulgus promulgatur, ipſe nunc præſtem, triſtî clangore commonens univerſos: *Surgite mortui! venite ad Judicium!* Cùm voco mortuos, nemo cogitet: me, in pari fortè raptu cum Ezechiele, non aliud oculis objectum habere; quàm, horridam oſſium humanorum congeriem. Illi mortui, qui per tubæ clangorem citantur ad judicium terribile, non abſunt â nobis; hîc, hîc ſedent, & ſtant coràm, ſuáque ſepulchra ſecum, ad ſpeciem dealbata, ſed intùs, cadaveribûs putidiſſimîs fædiore inquinamentô repleta circumferunt, minùs nihil cogitantes, etſi totum ſit inſperſum caput cineribus, quàm; quòd ſint mortales; quòd mortui. Epulantur, & bibunt; vident, & audiunt; loquuntur, & ludunt hi, malè mortui. Dicam paucîs: Illos ego mortuos ad judicium voco; qui carne circumdati, variâque vermium, nec pretiosâ minùs, quàm, ad luxum fulgente texturâ ſuperbi, *ducunt in bonis dies ſuos*, unôque, quod ſummum, ſolúmque Bonum eſt, carentes, cæterîs equidem gaudent omnibûs, & abundant, illi inte-

Ezech. 37. v. 3.

Matth. 23. v. 27.

Apocal. 3. v. 1.

interim obnoxij cenſuræ, cum Epiſcopo Sardienſi: *Nomen habes, quòd vivas; &, mortuus es*; morte nimirum eâ, quam Ezechiel minatus eſt animæ, *quæ peccaverit; ipſa morietur*: morte, quam exaggeravit coronatus Propheta; *mors peccatorum peſſima*: morte, denique, quam Gerſon ingemuit ex effectu triſtiſſimo; quia *Peccatum interimit, & occídit animas, millê, & millê modîs mortis.*

Ezech. 18. v. 4.

Pſalm. 33. v. 21.

Gerſon. Tom. 4. fol. 305.

III. Sed fortè me viſus fefellit; cui peccatores omnes, velut mortui, ſunt objecti? Hoc ſi quis arguit, næ is Auguſtini pupillam offendit; qui ſic ipſe, peccatores intuitus, judicavit: *Mortui, ambulant; &, viventes, portant funera ſua. Vivere quidem videntur in corpore, ſed mortui probantur in corde.* Ita, & Ambroſio, Gregorióque cum Bernardo, mortuorum inſtar, viſi ſunt peccatores. S. Hieronymus illa verba Pauli (*Canet tuba, & mortui reſurgent incorrupti*) non alijs de mortuis putat eſſe prolata; quàm ipſis illîs, quibus â me judicium nunc annunciatum eſt. *Peccatores intelligendi ſunt*, inquit ſanctus Doctor, *qui, etiam viventes, mortuì eſſe dicuntur.* Hujusmodi verò miſerè defunctis, arbitriô S. Auguſtini, nihil eſt æquè neceſſarium; quàm, qui torpentes excitet, feralis tubæ ſonus, per aures in corda cum impetu feriente deſcendens: *Tuba, peccatoribus neceſſaria eſt, quæ non ſolùm aures eorum penetret; ſed, & corda concutiat.* Utinam id adeò feliciter, parîque ſuccedat efficaciâ; quâ perculſus olim reſipuit ad vitam ſalutis, magni Regis frater, notus D. Damaſceno. Hic petulanter ſæpiùs illudens deriſit Regem: quòd viris quibusdam DEO ſacris, habitu vilî, contemptôque ſordidis, honorem tamen præſtiturus, ad eorum affatus præter ſolitum familiaris, Majeſtatem ſuam nimiùm dejeciſſet. Non multîs Rex verbîs in contumeliam: ſub Veſperum aliquando, Præconem ad ædes miſit; qui, pro more regionis, per tubæ ſonum, ad fatalem ſententiam diê poſterô recipiendam fratrem vocaret. Perculſa lugubrî ſonô, & omine deſperatô, univerſa aula; totáque nox, vacua ſomnô, metu plena, transacta, cum anxia familia. Vix illuxerat; & luctum cum ſuis indutus, adeſt coràm judice Rege Frater, pavore tantùm non mortuus. Neque tamen aliud, eô tempore, judicium à Fratre paſſus eſt; quàm, ut modeſtior, caveret ſubinde, divinis officijs conſecratos, qui per vitæ ſuæ, doctrinæque ſonum, ſacræ tubæ ſunt ſupremi Numinis, ad illud inevitabile judicium Peccatores evocantis, offendere, cõtemnere, ſubſannare; judiciũ verò illud noviſſimũ, ſuo deinceps impreſſum animo, perpetuò circumferret.

S. Damaſc. in vit. Bar. & Joſ.

S. Auguſt. lib. de 10. plagis.

S. Ambroſ. Lib. 5. in Lucam.

S. Greg. M. l. 31. mor. c. 22.

S. Bern. Serm. 1. pro Devot. Pſalt.

1. Corinth. 15. v. 52.

S. Hieron. in loc. cit.

S. Auguſt. Serm. 106. de Tempore.

IV. Talem horrorem, faxit ſpiritus ille veritatis, qui movet omnia! ut, & ego ſingulorũ ingerere mentibus peccatorum valeam; quibus hîſce ſeptem hebdomadîs Quadrageſimalis Pœnitentiæ, cum ſeptenis Joſue Sacerdotibus, per quotidianum tubæ clangorem, judicium divinum annunciantis, aures feriam, aliud nihil, diebûs hiſce triſtibûs propoſiturus, quàm: *Judicialem Progreſſum adverſùs maleficum hominẽ*; quem, ex nunc, primâ jam citatione provocatum, *ad Juſtitiæ Divinæ Tribunal* expecto. Quod dixi, repeto (nemo unus citanti, ſe vel ſubtrahere audeat, vel obſtrepere!) ad Juſtitiæ Divinæ Tribunal omnes vocati ſunt peccatores; ubi diebûs hîs magni jejunij, non ſimulatè, nec ad ſpeciem, & comicè; ſed, prout ibi res agetur, terribiliter, ac ſeriò, de reatibus omnibus, accuſabuntur.

V. Cur autem has in cogitationes deſcenderim, & hôc, tam devotô, ſacrôque tempore, delegerim argumentum, adeò triſte; jam, ex parte, liquet in prædictis. Cùm enim Adventûs Dominici diebûs, nuper elapsîs, primum Adventum Domini, cum timore, momentîs omnibûs expectandum prædicaverim; viſum eſt mihi, non poſſe quidquam opportunius, utiliúsque nunc ſubjungi; quàm, ſi, quod momentum illud conſequitur, judicium, continuò tractaretur. Altiùs autem Conſilium hoc impreſſit animo, concepta ſpes, multorum, ac magnorum peccatorum optatæ converſionis. Ecquid enim, ex D. Paſchaſij definitione illâ: *Judicij timor, ſchola pietatis eſt?* Quid, ex illâ cenſurâ Davidicâ peccatoris: *Inquinatæ ſunt viæ illius omnî tempore: quia auferuntur judicia tua â facie ejus?* Quid expendenti, cum Hugone Purpurato, Salomonis illud oraculum: *Rex, qui ſedet in ſolio judicij, diſſipat omne malum intuitu ſuô?* Quid ex Magni Baſilij, graviſſimi Patris, aſſeveratione: *Timor judicij pædagogus eſt ad pietatem: &, ideò mirum non eſt; quòd ij, qui Pædagogum hunc non admittunt, in omnia ſcelera præcipites corruant?* Quid, inquam, hîs aſſertîs, arbitriô prudentî volutîs, præſumendum aliud erat? quàm, plurimorum peccatorum æternæ ſalutis compendium, dubiô procul omnî, conſecuturum: ſi ſeriò, diſtrictum ad tribunal juſtitiæ Divinæ (quod, nulli evitabile, fides docet) Peccatores, coacti, perculſíque de conſcientiæ patefactæ culpis, cum rigore, miſsâ diſſimulatione, redarguerentur.

S. Paſchaſ. lib. 11. in Matthæum.

Pſalm. 10. v. 5.

Prov. 20. v. 8.

Hugo Card. in loc. cit.

S. Baſil. Tom. 3. de Judicio.

VI. Alterum, quod in hoc me propoſitum inclinavit, ipſum iſtud ſacrum tempus Quadrageſimæ fuit; quô, memoria recolitur paſſi, pro Mundo peccatore,

Ser-

Matth. 25. v. 31. &c.

Servatoris: â quo, in ipſo illo ſermone, quem cum Diſcipulis, de Paſſione, Cruce, Mortéque ſuâ, jam diſceſſurus inſtituit, horrendi judicij, per terribiles circumſtantias, mentio eô creditur ingeſta documentô; ſimul ut â ſacris Oratoribus, cum ſalvificæ Paſſionis myſterijs, comminatio tremendi judicij ſociaretur. Quod quidem haud obſcurè ſuggeſſit; cùm, & ipſum ſe, per Crucé exaltatum iri, diceret; &: *nunc Judicium eſt Mundi*, pariter indicaret. Advertiſtis conjunctionem? *Nunc, Judicium eſt mundi.* Ecquî, *nunc*? dicet fors aliquis: cùm, DEO pro culpis placando, cuncti ſtudemus. *Nunc*? cùm per ſeveriſſimum gulæ moderamen, & præcepta jejunia, totius anni delicta pœnitentes expungimus. *Nunc*? cùm infinitæ charitatis, in ſuſceptâ morte, manifeſta proponuntur nobis Divina myſteria, noſtræ ſpes unica ſalutis. *Nunc*? cùm geſtiens, hilaria nobis declamat Orator aureus de ſemetipſô confeſſus: *Hodiè ingentî alacritate ſurrexi, unà vobiſcum, lætitiæ illius ſpiritualis particeps futurus; &, volens, Adventûs ſacræ Quadrageſimæ Annunciator eſſe.* *Nunc*, inquam, judicium cogitemus eſſe Mundi? cùm Apoſtolicæ nobis promiſſiones, DEI miſericordiam, judicium ſuperexaltantem, perſuadent. Quandónam ergo tempus illius implebitur ſolatij:

Joan. 12. v. 31.

S. Chryſ. hom. 1. in Geneſ. apud Piſe. Tomo 3. f. 120. Col. 1.

Jacob. 2. v. 13.

Convertimini Peccatores, & facite Juſtitiam coram DEO! credentes: quòd faciat vobiſcum miſericordiam ſuam? Nunquid promiſſum, olim jam, per Davidem: *Convertetur populus meus hic*; &, *Dies pleni inveniantur in eis?* Num vanus fuit vates, Ezechiel, cohortatus: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris*; &, *non erit vobis in ruinam iniquitas?* Si *nunc*, & iſtô tempore, quô valediximus vanitati, jam conſperſi cineribûs; quô, per jejunium, clauſus eſt acceſſus luxuriæ; per continentiam verò, virtutibus apertus eſt aditus: quô, corporibûs, & animîs proſcripta, jam fecimus exulare delicta; nec aliud, nisi pietas, & pœnitentia cogitatur? Si *nunc* Judicium eſt Mundi; cùm recolimus noſtræ ſalutis dies, & Servatoris acceptabile tempus? Quandónam id, obſecro, licebit experiri; cujus nos, judex idem, Redemptórque, ſecuros eſſe, certósque voluit: *Venit Filius hominis ſalvare, quod perierat?* Quando videbimus: quòd *Filius hominis non vênit animas perdere*; *ſed, ſalvare?* Quî ſubſiſtet Evangelica veritas illa: *Non miſit DEUS Filium ſuum in Mundum, ut judicet Mundum*; *ſed, ut ſalvetur Mundus per ipſum?* Si, *nunc*, eſt judicium Mundi: fateor, neſcire me; quô debeam ſenſu Divinum Chriſti verbum vel ipſe ſuſcipere, vel ex officio interpretari: *Ego non judico quemquam.*

Tob. 13. v. 8.

Pſalm. 72. v. 10.

Ezech. 18. v. 13.

Matth. 18. v. 11.

Luc. 9. v. 56.

Joann. 3. v. 7.

Joann. 8. v. 15.

Latet aliquid, myſterij chriſtiani: quòd hôc ipsô tempore, quô Dominicæ Paſſionis conſolatorium Sacramentum annuâ devotione recolitur, terrifica pavendi judicij commemoratio, ùt â Servatore prædicta, ſic, & â me ſit repetita. Novimus: quòd *Pater non judicat quemquam; ſed omne judicium dedit Filio.* Credendum eſt igitur: judicium verè Mundi *nunc* eſſe: ità autem; ut, & miſericordiæ ſimul, tempus idem adſit, ac ſalutis: cum hoc autem, ipſis illis in verbis, denunciati *nunc* judicij, mera quoquè ſint ſolatia, & gaudiorum argumenta. Felix! iſto qui tempore, ſalutaris adhuc juſtitiæ tribunal, accuſandus accedet; quô *judicium eſt Mundi, non, ut condemnetur; ſed, ut ſalvetur Mundus.* Quô JEſus comparebit: *Non perdere, ſed, ſalvare, quod perierat.* Verbô: quô Chriſtus oſtendet veraciter: *Non judico quemquam.* Nam, qui demum futurus eſt, *judex vivorum, & mortuorum*; ille *nunc*, hoc in judicio, quod, cum devotâ dolorum, ac tormentorum Domini commemoratione, ſimul ingerendâ, jam, & indictum omnibus, & ſuſceptum eſt, non, ùt ſeverus vindex, terrificúsque ſcelerum Ultor apparebit; ſed, ad ſolatium, peccatorum omnium ſuſcipiet Cauſas, agétque, velut pro domo ſua, diſertiſſimus Advocatus.

Joann. 5. v. 22.

Joann. 3. v. 17.

Matth. 18. v. 11.

Joann. 8. v. 19.

Actor. 10. v. 14.

VII. Gaudete nunc, etſi Cauſarum, forſan hactenùs deploratarum conſcij, Peccatores! *Advocatum habemus apud Patrem, JEſum Chriſtum, juſtum; & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm; ſed, etiam pro totius Mundi.* Non diffidite qualicunque Cauſæ; quos reos, immanî pondere gravata, premit conſcientia! *Unus eſt Mediator, DEI, & hominum, homo, Chriſtus JESUS.* Non vos terreat Accuſatorum iniquitas, odiúmque, Vatinianô infenſius: *Quis accuſabit adversùs electos DEI? DEUS eſt, qui juſtificat: quis eſt, qui condemnet? Si DEUS pro nobis; quis contra nos?* Quid igitur univerſorũ ſolàtiô potiùs optandum? poſtquàm adeò confirmatum jam eſt: Eum velle *nunc*, Advocatum eſſe Noſtrum; qui *tunc* inexorabilî legê conſtitutus Judex eſt? Eúmque *nunc* ipſum, Oratorem fore peccatorum; qui pronunciaturus olim ſententiam eſt, in damnandos? Advertite huc igitur animos; &, qualénam ſit hôc tranſigendum locô judicium, firmati tandem, perſuaſíque, intelligite. Agetur id unum, quod intereſt omnium: dum aget coram ſupremæ juſtitiæ Tribunali, ſimul omnium, ac ſingulorum, conclamatas etiam Cauſas, tum excuſando, tum protegendo, tandem, ex Codice Miſericordiæ, per Paſſionis, ac mortis Rubricas illuſtratô, feliciter abſolvendas, *Advocatus noſter, Chriſtus JESUS.*

1. Joann. 2. v. 23.

1. Timoth. 2. v. 4.

Roman. 8. v. 33. & ſeqq. & v. 31.

VIII. Quid

Iſaiæ 43. v. 24.

VIII. Quid enim aliud promittebant, olim jam dicta : *Servire me feciſti in peccatis tuis; & præbuiſti mihi, laborem in iniquitatibus tuis?* Qualem, quæſo, præbuimus laborem? S. Hieronymus hunc aperuit, ubi cum Interpretibus legit : *In peccatis tuis defendi te.* Quônam ex Codice? quem deſideraverat Job, Redemptorem ſuſpirans, & optans: *Quis mihi tribuat ; ut deſiderium meum audiat omnipotens, & Librum ſcribat ipſe, qui judicat?* Librum ſcilicet, juſtitiæ opponendum Divinæ; de quo Bloſius aſſecurat: *Etiamſi codices omnes, qui toto orbe habentur, intercidiſſent; Vita, & Paſſio Chriſti Chriſtianis omnibus ſufficiet.* Exiſto Codice nos tanquàm ſcutô ſuô defendet (utì David præcinuit : *Scutô circumdabit te Veritas ejus*) illa ſcilicet Veritas ; quam apud Joannem ſolatiô noſtrô reliquit, locutus de judicio : *nunc judicium eſt Mundi* ; continuóque ſubdens : *Ego autem, cùm exaltatus fuero â terra, omnia traham ad meipſum.* Id eſt (ex ter-mitrati Leonis oraculo) *Totam Cauſam humani generis agam ; &, olim perditam, in integrum revocabo naturam.*

S. Hieron. & LXX. apud Euſeb. lib. 10. demon. Job. 31. v. 36.

Job apud Ceſar. l. 8. cap. 35.

Bloſius in Concl. animæ cap. 10. §. 7. n. 1.

Pſal. 90. v. 4.

Joan. 12. v. 4.

S. Leo. in loc. cit. Joann: apud Velaſquez.

IX. Quis nunc animus, hîs perceptîs? *Totam Cauſam humani generis agam* ! Nullum Peccatum, tam erit enorme ; nullus Peccator, tam oppreſſus iniquitate ; nulla Cauſa, tam prægravata legibûs ; quam non recipiet defendendam, eluendam, abſolvendámque, non quidem verbîs, ſed, validiſſimîs, ſuarum pœnarum, & plagarum, juſtitiæ Divinæ propoſitîs argumentîs. Nimirum, fruſtrà Chriſtus proteſtatus non eſt : *Non vèni vocare juſtos, ſed peccatores.* Non ei vanè objectum : *Hic peccatores recipit.* Non ſinè myſterio, Magdalenam, adversùs murmur diſcipulorum ; Adulteram, contra Phariſæos, Delatores ; Diſcipulos, in ignorantiâ ſuâ, de legis violatione redargutos; ipſósque demum, impijſſimi reos DEI-cidij, Crucifixores ſuos, apud Patrem Advocatus excuſavit. Hoc enim totum præmiſit, qui promiſit : *Omnia traham, ad meipſum : ſeu, quod idem eſt : Totam Cauſam humani generis agam.* Agam, comprehenſus in horto ; vexatus, in tribunalibus ; flagellatus, & ſpinîs per ludibrium coronatus, in Prætorio ; Cruce preſſus, & oppreſſus, in urbis exitu; ipſíque jam affixus Cruci, & in Cruce moriens, *totam Cauſam humani generis agam.* Audiatur ſuo jam opportunus cum ſolatio ſacer interpres, Cornelius : *Si quis lapſus ſit, non idcircò deſperet, nec animum abjiciat : quia Advocatum habemus, Chriſtum Dominum ; qui ſuum Sanguinem, Crucem, & Mortem, pro nobis obitam, Patri repræſentans, facilè nobis, ſi verè nos pœniteat, veniam impetrabit.*

Matth. 9. v. 13.

Matth. 26. v. 10.

Joann. 8. v. 7.

Cornelius à Lapide in 1. Joan. c. 2. v. 1.

X. Exiſtimo nunc integrè perſpicuum, imò perſpectum inſu-

per

per esse Charitati vestræ, meorũ omne Sermonum Argumentum, eò directum: nè, quod horrendum est, incurramus in illud: *Joann: 19. v. 37.* *Videbunt, in quem transfixerunt.* Quinam illi? Et, quomodo videbunt? De Peccatoribus hoc accipit *S. Augustin. Serm. 130. de Temp.* S. Augustinus: *Plangent, videntes accusatorem suum.* *Plangent*, superaddit Chrysostomus: *quia ex morte ipsius nihil profecerunt; & Crucifixum, quem adorare oportebat, contempserunt.* *S. Chrysost. hom. 77. in Matt.* Nam *hæc*, Eusebiô judicê, *prima erit in reos intolerandæ sententia: Reverendarum præsentia Cicatricum.* *Euseb. Emiss. hom. 4. ad Monachos.* Videbuntur enim, non ampliùs, in vulneratæ Causæ patrocinium, ea sacratissima vulnera; sed, *ut per hæc justior appareat eorum condemnatio; qui tantam misericordiam neglexerunt.* *S. Antonin: Sum. Theol: p. 4. tit. 14. cap. 11. §. 5.*

XI. Hoc erat, quod animum meum, vestræ salutis cupidum, dirô dolore, diù jam, etsi clam pressit; donec reperi: quòd ipse Dominus quóque, tempus istud amabile, suæ amarissimæ Passionis, imò, *Passionem ipsam* (ùt loquitur Rupertus) *Judicium vocavit Mundi.* *Rupertus apud Cornel. in Joann. cap. 12.* Tum enim nihil potiùs duxi; quàm, ut omni contentione præverterem: nè miseri peccatores illud in judicium abirent; in quo contra reos ipsa DEI vulnera perorabunt; & is, qui pro Peccatoribus Crucifixus, Judex est futurus, ac Vindex. Istô zelô succensus, audiar, utì spero, cum Hipponensi deprecans: *Ut, quantùm possumus, totis visceribûs laboremus: ut beneficia, non nobis judicium pariant, sed profectum: ut, cùm tremendus judicij dies, & tempus reddendæ rationis advenerit; quidquid nobis DEUS, & Salvator noster contulit judicatus, Integrum inveniat judicaturus. Equidem ille, cùm venerit, redditurus est, quod promisit; sed requisiturus est, quod redemit: &, quod in primo Adventu contulit, exacturus est in secundo.* *S. August. Tom. 10. homil. 39.*

XII. Dabitis igitur; ut, prout cœperam, concluſurus instem, & urgeam: *Surgite mortui! venite ad Judicium!* Nemo causæ suæ diffidat! Utendum tempore, quod *nunc* est; cùm scilicet ipse noster esse vult Advocatus; qui pro nobis factus est Reus. Laboremus! *ut beneficia non nobis judicium pariant, sed profectum.* Erunt Accusationes, terribiles; Accusatores, atroces, maligníque: sed, quid formidandum? *Ipse Christus ore subô, felle, & acetô, potatô, Os nostrum est; per quod Patri loquimur, atquè iram ejus placamus.* *S. Ambros: l. 1. de Isaac & anim: c. 8.* Memineriminus! *quòd vulnera JESU*, Rupertô Fide-jussore, *nostræ Causæ sint patrocinia*; de quibus omninò sperandum: quòd nostra quóque sint lingua, reatus quoslibet extersura, spondente eloquentissimô Afrô: *Intrà ipsa Redemptoris nostri vulnera, figimus linguam.* *Rupertus Abbas. l. 4. in Joann.* *S. Cypr. Serm. de Cœna Dom.* Nec vanè: quia (prout vidit Prudentius) *tot patent ora, quot sunt vulnera.* *S. Procop. ex Prudentio Serm. 11.* Quid autem hinc non speran-

S. Pet. Dam. Serm. 1. de exalt. S. Crucis.

randum, ſuggerente S. Petrô Damiani fiduciam; dum, Crucifixum deſignans, rogat: *Vide; ſi aliquid eſt in eo, quod non peroret pro te apud Patrem?* Certos nos eſſe jubet S. Ambroſius: *Totus Salvator, quantus eſt, & quidquid in Eo eſt, nobis patrocinatur.* In eo duntaxat, ne deficiamus, obſecro, de quo Salomon Africanus admonuit: *Si de infirmitate vitæ ſurrepſerit peccatum, continuò vide; continuò diſpliceat, continuò damna: cùm damnaveris, ſecurus ad judicem venies. Ibi habes Advocatum; noli timere, ne perdas Cauſam confeſſionis tuæ.* Dicere volo: Nemo, niſi pœnitens, & in poſterum bonâ voluntate firmatus, ad id, quod pateſeci, Cauſidicô JESU, tribunal, accedat.

S. Ambroſ. lib. 1. de Iſaac cap. 8.

S. Auguſt. Tom. 9. Tract. 1. in Epiſt. S. Joann. f. 561. c. 2.

XIII. Ego, meâ nullus ex parte deero, nullíque. Omnes, ad judicium, absquè differentia Perſonarum vocabo; nonnunquam, & ipſe ſeverus incuſator, Actórq; futurus, non quidẽ temerè (nam, *planè, qui agit, certus eſſe debet: & Actor paratus veniat ad judicium*) pro libertate tamen, quã nôſtis; & obligatione, quam habeo, dicam. Nemini coñivebo, nulli palpabor, nihil per diſſimulationem ſupprimam. Quod ſi cum devotis duntaxat, addictísque Virtuti Chriſtianæ fidelibus agendum fuiſſet, aliud â propoſito ſumpſiſſem argumentum dicendi. Verùm, *cùm populi multipliciter ſint vitijs involuti* (loquor ex D. Bernardino) debeo ſua cunctis peccata, prout coram illo tribunali cenſentur, ut contremiſcant, & abſterreantur, oſtendere. Præmonitos unum, omnes velim, (*Actor enim, antequàm agat, priùs Reum, amicè, admonere debet.*) Quamvìs jam edoctus, ingratîs annorum ſuperiorum ſtipendiîs, non ignorem, æquè grata non fore omnibus omnia, imò, nonnulla etiam ingratis vertenda: quia tamen non quæro, *quod mihi utile eſt; ſed, quod multis: ut ſalvi fiant*; tantùm abeſt, & nunc, & ſemper aberit; ut vel minimum officij jam ſuſcepti prætermiſſurus ideò ſim; ut, etiam *agonizari pro juſtitia*, decretum habeam, firmatus Divi Patris Auguſtini, meo prorſus ex voto, factâ pridem, in præſens, repetitâ Indictione; quam, non valvis hujus templi, ſed omnium potiùs cordibus affixam, infixámque, pro ſecuturis cunctis Actionibus, Programmatis inſtar, quotidiè relegendam, iſtô meô hodiernô Prologô, ſalutis univerſæ, quàm cupidus, tam ſtudioſus propono, cum NB. *Cùm venerit judicij tempus, correctionis locus non erit; ſed, tantùm damnationis. Et, erit ibi pœnitentia; ſed, infructuoſa: quia ſera. Hodiè hortatur te; ne judicet te: &, qui Judex tuus futurus eſt, ipſe eſt hodie Advocatus tuus.*

S. Bernard. Serm. Præmiali.

Cap. 13. de Jud. l. 13. de ſerv. præd.

1. Corinth. 10. v. 38.

Eccli. 4. v. 33.

S. Auguſt. in Pſal. 51.

A M E N.

L. 24. in verſ: nam planè &c.

I N D I C T I O.

Cras, apertô Divinæ juſtitiæ tribunalî, Anima peccatoris, adhuc unita corpori, territa pœnîs, contra ſuos reatus rigoroſè decretîs, per ſocietatem corporis (quod, ſcelerum omnium, reum facit) excuſat ſe, petitque, Doloribus ab internis, quos Chriſtus in anima ſua ſuſcipere dignatus eſt, Cauſæ ſuæ deploratæ Patrocinium, & acquirit.

F E R I A V.
POST DOMIMICAM QUINQUAGESIMÆ.
SERMO SECUNDUS.

Apertô jam, Juſtitiæ Divinæ Tribunali,
Malefici hominis Anima,
Formidandi Rigoris intuitu primùm perculſa,
Tum, ſibi reddita, contra ſuum, Ipſa, Corpus,
Ut, omnium reatuum ſuorum Cauſam unicam,
Ac, Seductorem Domeſticum,
Primam inſtituit, Lamentabilem Actionem,
Anguſtiis extremis adacta.
Tandem, Cauſæ ſuæ periclitanti diffiſa,
Patrocinium implorat, ex Animæ *Doloribus;*
Quos, Agonizans in Oliveti Monte, Servator paſſus eſt.
Unde reſpirat, in fiduciam erecta Verbô;
Quô, futurum ſe, Chriſtus, afflictus ipſe, pollicetur,
Animæ Advocatum.

Teſſera. Triſtis eſt Anima mea uſquè ad mortem.
Matth. 26. v. 34.

I. EStote patientes! donec reddatur ſibi, Rea; quam ad Juſtitiæ Divinæ tribunal, hodiè patefactum, ſpopondi me ſiturum. Primus, in aditu tremendi illius theatri Conſpectus, perterritam, in eum, ex horrore concepto, ſtatum redegit miſellam; unde, non ſublata quidem, intercluſa tamen ei, tum fandi, tum agendi facultas eſt. Et quis non, animi ſummâ parte perculſus, in ipſo corruat limine, terri-

terribilium illorum objectu Decretorum ; quæ , contra peccatores, æternâ legê ſancita, veterum ſubinde Vatum, Patrúmque ſigillîs, ad nos, firmata pervenerunt? Primum omnium, illudque antiquiſſimum, atque ab ipſo populi , divinis olim donis ingratiſſimi, Duce, ac Principe, Divinæ nomine Juſtitiæ authoratum, proh! quàm pavendum, quàm eſt horrendum! *Si acuero, ût fulgur , gladium meum , & arripuerit judicium manus mea , reddam ultionem hoſtibus meis ; & his , qui oderunt me, retribuam. Inebriabo ſagittas meas ſanguine ; & gladius meus devorabit eos.* Eſtnè, qui terrore non trepidat, hæc intelligens? Quis autem vocem, ac ſpiritum retinebit , illud inſuper, quod ponè conſtitutum, obſervans? *Si audire nolueris vocem Domini DEI tui ; ut cuſtodias , & facias omnia mandata Ejus &c: Maledictus eris in Civitate ; maledictus in agro : maledictum horreum tuum , & maledictæ reliquiæ tuæ. Mittet Dominus ſuper te famem , & eſuriem , & increpationem in omnia opera tua : donec conterat te , & perdat.* Quàm ſevera commination hæc! vera tamen, &, inevitabilis Juſtitiæ mens eſt. Quid horribilius illô, cui Salomonem ſubſcriptum cerno? *Quia vocavi, & renuiſtis : extendi manum meam ; & non fuit , qui aſpiceret : deſpexiſtis amne Conſilium meum , & increpationes meas neglexiſtis : Ego quoquè in interitu veſtro ridebo , & ſubſannabo ; cùm vobis id , quod timebatis , advenerit. Cùm irruerit repentina calamitas ; & interitus , quaſi tempeſtas, ingruerit : quando venerit ſuper vos tribulatio , & anguſtia.*

Deuter. 32. v. 41.

Deuter. 28. v. 15.

Prov. 1. v. 24. & ſeqq.

II. Poſſuntnè, vel eminùs hæc inſpecta, non exanimare, etiam robuſtos corde? neque tamen adhuc omnia pandi. Heu! quàm terrifica ſulminantium ſententiarum tonitrua, per Iſaiam indicata, reperio ſubjuncta jam dictis : *Si me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos. Qui dereliquerunt Dominum , conſumentur. Videbunt cadavera virorum , qui prævaricati ſunt in me. Vermis eorum non morietur ; & ignis eorum non extinguetur.* Ac demum: *Væ impio! retributio enim manuum ejus fiet ei.*

Iſaiæ 1. v. 20. & 28.

Idem 66. v. 24.

Idem 3. v. 11.

Quis jam vobis , mecum , ad judicium tanti terroris congregatis, dum hæc paucula de plurimis recitavi , ſenſus eſt? Mihi ſanè cor palpitat, & vix porrò ſupereſt loquendi facultas; dum, quæ ſuô, juxtà , nomine ſignavit lamentans Vates, pariter in aperto conſpicio, legóque : *Væ! qui ædificat domum ſuam , in injuſtitia ; & cænacula ſua , non in judicio : Sepulturâ aſini ſepelietur , putrefactus, & projectus extrà portas Jeruſalem. Si fuerit annulus in manu dextera mea , inde evellam eum.*

Jerem. 22. v. 13. 19. 24.

III. O formidandam offenſi Numinis Nemeſin! Quis non , contritus horrore, diſſolvetur;

cùm terrificîs adeò Decretîs, parietes, tribunalis totius omnes, confixos intuebitur? En! grandibûs exaratam litterîs, quondam ab Ezechiele, quasi tum jam puniturientis, &, in fulmen proruptura, Vindictæ supremæ, præscriptam sententiam: *Nunc finis super te! immittam furorem meum in te; & judicabo te, juxta vias tuas; & ponam contra te abominationes tuas; &, non parcet oculus meus.* Non inde procul, aliud insuper folium, quod ventô non rapitur, sed ferreô clavô fixum, firmatúmque pendet, sigillô triplicî, Malachiæ, Amos, ac Sophoniæ, consecratum est: *Dies veniet succensa, quasi caminus; & erunt, omnes superbi, & omnes, facientes impietatem, stipula. Juravit Dominus in anima sua: Detestor ego superbiam Jacob, & domos ejus odi; & tradam Civitatem cum habitatoribus suis. Visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur.*

Ezech. 7. v. 3.

Malach. 4. v. 1.

Amos. 6. v. 8.

Sophon. 1. v. 9.

Deniquè, quis hujus ævi, in maligno, seu, malo igne positi, peccator, terrificam Apostoli comminationem, absquè convulsione sustinebit? *Hoc scitote, intelligentes: quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod est, idolorum servitus) non habet hæreditatem in regno Christi, & DEI.*

Ephes. 5. v. 6.

IV. Eritnè, post hæc, qui mirabitur: Animam rei hominis, deficientibûs, inter adyta divini Tribunalis, viribûs obmutuisse; &, tantùm non penitùs, defeciisse collapsam? Tamen, & Unctus ille, spiritúque principalî confirmatus fatetur: *Commota est, & contremuit terra; fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt: quoniam iratus est eis. Qui respicit terram, & facit eam tremere.* Tamen, & Habacuc, ab unico tantùm aspectu vindicantis Justitiæ supernæ, quàm inauditas rerum, etiam firmissimarum, concussiones factas esse testatur? *Aspexit; & dissolvit gentes; & contriti sunt montes sæculi: incurvati sunt colles mundi!* Non, non est, qui tolerare queat, imperterritus, vultum illum, irâ, furore, perditione, partem in omnem, quâ se cúnque vertit, ardentem; quem Isaias intuitus, exclamavit: *Ardens furor ejus, & gravis ad portandum. Labia ejus, repleta sunt indignatione; &, lingua ejus, quasi ignis devorans. Spiritus ejus, velut torrens inundans, ad perdendas gentes in nihilum.* Vix ea fatus erat (quanta sit exinde secuta consternatio) sacer idem Vates expressit, inquiens: *Conterriti sunt in Sion peccatores: possedit terror hypocritas.*

Habacuc. 3. v. 6.

Isaiæ 30. v. 27. 28.

Isaiæ 33. v. 14.

V. Jam verò, vehementior adhuc horror succutiet intuentes, in terribiles pœnarum imagines, horrendámque memoriá suppliciorum, Tribunalis hujus atrio præfixam; quibûs in maleficos olim animadvertit Justitiæ Divinæ rigor. Video spinas inter, ac tribulos, nongentorum,

&

& plurium adhuc, annorum incurvatum ſenem; cui, propter arduos aratri ſulcos, & perpetui laboris moleſtias, calens è vultu ſudor neglectam barbam humectat. Adamum eſſe; Moyſis character deſignat; quô dictum ei: *In ſudore vultûs tui veſcêris pane tuo. Maledicta terra in opere tuo; ſpinas, & tribulos germinabit tibi.* Nec inde procul, parturiens, afflictiſſima Mulier, inter Cruciatus ineluctabiles, condemnatam ſe, ad acerbos adeò dolores, â Numine, vetitas concupiſcentis gulæ delicias vindicante, ingemiſcit. Nec aliam eam, quàm ipſam, hominum omnium proto-parentem infeliciſſimam, judicandam eſſe, Decretô, in omnem ſuccedaneam generationem latô, continuata pœna manifeſtat: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios; &, ſub viri poteſtate eris.* Cerno, modicîs ab hinc intervallîs, deſperantem, inter animi rebellis angores, nusquàm tutum, omnia paventem, &, in umbra qualibet, ictum vindicem, omníque cum ſtrepitu, leviter etiam agitatæ frondis, Carnificem ſceleris ultorem, in ſingula propè momenta formidantem, itáque perpetuô ſupplicij timore tabeſcentem. Cain, iſte eſt, per annexa verba proditus: *Dixit Cain: Ero vagus, & profugus in terra. Omnis igitur, qui invenerit me, occídet me.* Heu! quàm horrendus, juxtà, ſeſe ingerit oculis, Mundi totius undîs abſorpti Cataclyſmus! quô pecudum, hominúmque grandis univerſitas, in ipſis montium ſummorum culminibus, effugij ſpê deluſa, ſupereminentium aquarum inevitabilî ſuppliciô ſublata interijt, prænunciæ comminationi non priùs credula, quàm ſubjecta; ſcilicet, ad Verbum: *Delebo hominem, quem creavi, â facie terræ; quia Caro eſt. Et conſumpta eſt Caro, quæ movebatur ſuper terram.* Quin, & ſulphur video, miſtum igni, pluviámque, de nubibus incenſis ardentem, in urbes aliquot, eórumque regionem omnem, pariter contaminatam, eum excidio, non tectorum ſolùm, ac penatum, ſed incolarum omnium, ac popularium, deſævire. Itáque lego, de cœlo vindicatum eſſe, adverſùm Sodomam, & Gomorrham: *Quia Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus eſt; & peccatum eorum aggravatum eſt nimis. Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem &c. &, ſubvertit Civitates has, & omnem circà regionem, univerſos habitatores Urbium, & cuncta terræ virentia.* Ab hoc triſtiſſimo monumento Vindictæ Cœleſtis, humana flagitia perſequentis, aliud inſuper occurrit, graviſſimorum, unam in tabulam, grandem eam, terrificámque, quæ Reis in-

Geneſ. 3. v. 19. 17. 18.

Geneſ. 3. v. 16.

Geneſ. 4. v. 14.

Geneſ. 6. v. 7. & ſeqq.

Geneſ. 18. v. 20.

Geneſ. 19. v. 24.

DEUM, ejúsque leges, inflicta ſunt olim, ſuppliciorum congeſtorum ſyntagma. Hîc, Sichem, ob infame Dinæ ſtuprum interfectus. Hîc, Ægyptius Tyrannus, cum populo, ſceleris Capitalis participe, diversîs plagîs attritus, ac tandem, toto cum exercitu, DEI perſecutore, fluctibûs Erythræîs coopertus, merſúsque conſpicitur. Hîc, Zambri, Salu filius, cum vitiatâ Moabitide, per Phineen, in ipſo flagitio, Domini gladiô transfoſſus, laſcivam animam eructat. Hîc, ſuâ plexus in Cæſarie, perfidus Abſolon, è quercu pendet, ictu triplicî, cor parricidale transfixus. Hîc formidandum invidiæ, per Talionẽ vindicatæ, ſimulachrum, Amon, altâ trabe, quam fabricaverat Mardochæo, funeſtè ſuſpenſus, agitatur â ventis, inſatiabilis fortunæ triſte ludibrium. Hîc, Deaſter Babylonius, inter armenta, tantùm non, ùt animô, pariter & fronte, cornutus, bovis inſtar pabulatur. Hîc, ſacrorum, impius, avarúſque Prophanator, dirô viſcerum dolore tortus, impœnitens crepat Antiochus. Hîc Herodes, â vermibus corroſus, &, antè fata putreſcens, Numen paſſus, occumbit. Hîc Herodias, adulterij proles inceſti, diruptâ, ſalaci ſub pede, glacie, miſerè ſubsídens, eâdem ſcelus ulciſcente, Caput amittit, rea Capitis innocentis.

Geneſ. 34. v. 27.

Exod. 15. v. 4.

Num. 25. v. 8.

2. Reg. 18. v. 14.

Eſther 7. v. 10.

Daniel. 5. v. 21.

2. Machab. 9. v. 5.

Actor. 12. v. 22.

Niceph. l. 1. cap. 20.

VI. Has verò Divinæ Nemeſis imagines, adeò terribiles, dum aditus exterior, & patens duntaxat atrium ſupremi Tribunalis, primùm accedentibus objicit: quis, oro, pavor, quis tremor, quæ conſternatio, propiùs jam adductos, &, ad ſolij judicialis gradus, protractos, concutiet? Legent enim verò hi, primo in gradu: *Judicia tua, abyſſus multa.* In altero: *Oculi ejus, tanquàm flamma ignis.* In ſupremo tandem: *In interitu veſtro, ridebo; & ſubſannabo.* Quis autem horror obruet, ad ipſius carceris igniti conſpectum; qui juxta dexterum ſolij latus, ardentes, ipſa in porta, litteras exhibet, latæ ſententiæ: *Non exies inde; donec reddas noviſſimum quadrantem*: præter horrendam illam, expiatoriæ juſtitiæ conditionem: *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem laverit de medio ejus, in ſpiritu judicij, & ſpiritu ardoris? In ſpiritu*, inquit; &, ſublimatam judicij ſeveritatem cõminatur.

Pſalm. 37. v. 7.

Apocal. 1. v. 24.

Prov. 1. v. 26.

Matth. 5. v. 26.

Iſaiæ 4. v. 4.

Adeſt autem eorum etiam, ex adverſa throni parte, ſatellitum atrociſſimorum, & lorariorum ſæviſſima cohors; de quibus ex vero monuit Africanus Doctor: *Eſt inſita malevolentia quædam, & pernicies nocendi, iſtis malis ſpiritibus.* Juxta hos (quod exanimat me propè, dum refero) eô ipsô locô, quod inter eſt animam accuſatam, ſeverúmque

S. Auguſt. in Pſal. 96.

que Tribunal, ipſe patet, flammas eructans, hiatus Tartari, barathrum damnatorum; ubi, *ignis, & ſulphur*, (prout regius vates ingemuit) *& ſpiritus procellarum, pars Calicis eorum*: ubi, perditi jam experiuntur æternùm; quod credere nunquam ſeriò voluerunt: *Cibabo populum iſtum abſynthiô; & potum dabo eis, aquam fellis: inebriabo eos; ut ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum, & non conſurgant*; ſed, in ævum omne, ſempiternis involuti ſupplicijs, nullô fine torqueantur.

Pſalm. 10. v. 7.

Jerem. 9. v. 15.

Idem. 51. v. 39.

VII. Quis nunc, tanti terroris objectu, ſenſus? quis animus, Chriſtiani? Credentes alloquor; in quibus, etſi per peccatum charitas, non tamen pariter eſt mortua fides; quæ ſæpiùs occultâ ſyntheſi, reum pectus compungens, poſtulavit hàc tenùs cum Evangelico Vate: *Quis poterit habitare de vobis cùm igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* An non ipſi jam advertitis, mirabile prorſus non videri: abreptam ad hoc, rigoris divini terrificum Tribunal, ream animam, deſtitui vigore, deficere mente, confundi, turbari, totáque ſui ſpiritûs, ad agendum, dicendúmque, debitâ facultate privari? Tamen coram Alexandro, Macedone illô tonante, (qui totius Græciæ Domitor quidem, obnoxius tamen, ipſe quoquè, rebus, & fatis humanis fuerat) ex improviſo citatum, ad cauſam dicendam, obmutuiſſe conſtat Lynceſten: etſi trium annorum ſpatiô, pro ſui defenſione præparatus, ad regiam illam cenſuram acceſſerit. Ità, de Nauſimenis quoquè Conjuge, teſtis eſt Maximus Valerius: Eam, unici conſcientiâ delicti, quòd publicum jam, vulgatúmque noverat, ità repentè perculſam fuiſſe; ut, è veſtigio, mutum in ſtuporem obrigueſcit; pavore ſcilicet maritalis judicij, linguam ſimul, &, cor conſcium, obruente.

Trident. Seſſ. 6. cap. 3. 4. & Can. 9.

Iſaiæ 33. v. 14.

Q. Curtius. Lib. 7. Hiſt. Cap. 1. poſt init.

Valer. Max. Lib. 1. c. 8.

VIII. Revocemus autem, ſuppreſſos hucúsque, Maleficæ noſtræ ſpiritus, in officium; dum integrum adhuc eſt, indultúmque, in hac, ùt ùt horrendâ judicij ſcenâ, non loqui ſolùm, ſed, & allegare, & excuſare, & patrocinium implorare Cauſæ; &, ad Miſericordiam, â Juſtitia, appellare. Quid agis? Anima miſella, dejecta, conſternata! Exurge! non eſt adhuc, nequè perdita, nequè deſperata Cauſa tua! Effare! quod habes pro te, dum vacat. Silentium, eſt reatûs præſumptio; &, ſi quis pro ſe, cùm poteſt, licétque, non agit, ſuâ ſe taciturnitate, veluti confeſſus, prædamnat.

Quid hoc? Video, indicem admotum cordi, digitum; eôque indicari reor, quod Sapiens mo-

Sapient. 4. v. 20. monuit: *Venient in cogitatione peccatorum ſuorum, timidi; &, traducent eos, ex adverſo, iniquitates eorum.* Credendúmne, accidiſſe infelici; quod, ab Ezechiele præmonita, noluit aliàs intelligere? *Ezech. 7. v. 3. Abominationes tuæ in medio tui erunt.* An modò, congeſtarum omnium, veterum prævaricationũ, exaggerato conſpectu, Bernardinum rea Anima ſentit aſſertum? *S. Bernard. Serm. 23. in Cant. Infernus quidam, & Carcer animæ, rea eſt Conſcientia.* Tormentum hoc, mê judice, tormentorum ſanè omniũ atrociſſimum, profectò, mirum eſt; quòd Maleficam, in acceſſu feralis theatri, cujus deſcripta nunc eſt, expoſitáque, triſtis, & inevitabilis diſtrictio, de repentè conſtitutam, ubi ſe tantùm non damnatam jam, arguente conſcientiâ, ſenſit, auctô in momenta Cruciatu, non totam eliſerit.

IX. Reſpirat autem aliquantulùm, &, erigitur, ùt video, lapſa, in genua; vultúmque, oculósque, manúsque, cum ſuſpirijs, in cœlum attollit. Silebo igitur ego; dum audio, pœnitente cum Rege, precantem: *Pſalm. 50. v. 1. 2. Miſerere mei DEUS, ſecundùm magnam miſericordiam tuam! &, ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam! Domine, Pſalm. 142. v. 1. 2. exaudi me in tua Juſtitia: &, non intres in judicium, cum (famula tua!) quia non juſtificabitur, in conſpectu tuo, omnis vivens! Peccavi! quid faciam tibi, O Cuſtos hominum? Quare poſuiſti me contrariam tibi; & facta ſum mihimetipſi gravis?* Peccavi peccatum grande! ſed, non ex me reatûs cauſa; quidnì, nec in me pariter delicti culpa? Præcipitem in ſequiora me traxit hoſtis meus, cui ſum colligata, domeſticus. Ille, ille eſt, qui in omne me delictum illexit, clandeſtinìs, cognatîsque illecebrìs; qui illectam, &, *faſcinatam*, in ſcelerum conſenſionem induxit; qui inductam, &, ſi non excæcatam, intellectu tamen obſcuratam, in declive abripuit. Iſtud, quod me captam tenet miſerrimâ neceſſitate, Corpus meum, omnium auctor eſt criminum, omnium incentor, & executor flagitiorum. Et cur Ego, Spiritus immortalis, tuæ (O Æquitas æterna!) imago ſubſtantiæ, judiciô tuô, pœnis addicar æternis? dum innocens, conditione meâ, ſolâ, ſociati corporis perverſitate contaminata, magisque protracta, quàm prolapſa, in abominanda fui, ipſô præruente. Fui ſanè, poſt primum gratiæ ſalutaris lavacrum, divinæ particeps naturæ, ſancta, & immaculata; cùm parvulus adhuc, inimicus iſte meus, nullísque firmatus tum, & auctus, utì ſubinde, viribûs, ad peccandum erat. Quisnam igitur eorum, quæ pòſt acta, poſtulabitur? Mea certè non eſt mutata,

Job. 7. v. 20.

Sapient. 4. v. 12.

ta, nec in deteriorem perverſa. ſtatum ſubſtantia. Sum eadem, quæ fueram, primùm ùt eram. Quidquid in me reprobum, corporis contagione acceſſit. Non, non ego, ſed (quod ipſe, DEUS meus, & prima Veritas, in primâ, Mundi peccatoris, per diluvium vindice elutione, culpaveras) *omnis caro corruperat viam ſuam.* Quônam igitur ex Capite delicti, meum devolvetur in caput illa malitia; quæ juſtitiam tuam adversùs me proritavit ad iracundiam? Expers omninò ſum eorum, quorum arguor, utpotè ſpiritus, oculîs, & viſu, illecebrarum capace, non præditus. Cur ergo luendi mihi ſint procaces aſpectus; qui venerea ſe in irritamenta profuderunt, &, per feneſtras petulanter apertas, præcipites dederunt, in lapides offenſionis, & infame lutum, affectus; ex quibus adeò turpiter, ignara, quid ageretur, polluta ſum? Os illud, quod, propter immodicam exquiſitæ nimiùm, dapſilísque voracitatis intemperantiam, pice, ac ſulphure repleri, cum Epulone jam damnato, meruit, non meum eſt, ſed corporis inſtrumentum. Unde igitur mihi, tormenti participium tribuendum? Illa labia, quæ per oſcula, libidinum præludia, conſpirârunt in, inceſta etiam, adulteriorum commercia; illæ manus, quæ, pudoris omnis oblitâ licentiâ, contrectârunt infami contaminatione infanda; illa denique membra rebellia, caróque, tuis protervè ſemper legibus contumax, & vetitis petulanter obnixa, mihi quidem neceſſitate, proh! infelicî, conjuncta ſunt; ſed nihil mei ſunt. Illa igitur ſola, ſicut admiſſorum ſunt in culpa, ſic pœnarum etiam, vindictæque rea ſunto. Juſtitiâ ſanctum eſt: *Qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe intelligitur.* Et ipſa tua ſuprema Æquitas (prout in Codice nobis expreſſum eſt Evangelico) perpetuum illi ſoli minata eſt *Væ! per quem ſcandalum venit.* Non mihi licebit obtendere; quod, avertendæ â ſe culpæ, quondam allegavit Apoſtolus? Par ſanè cauſa eſt utriúsque: *Caro concupiſcit, adversùs ſpiritum; & ſpiritus, adversùs carnem*, ea ſcilicet, quæ ſupernâ ſunt legê præſcripta, concupiſcit. Non eſt igitur in me mali principium; quam Caro, tot adminiculîs malitiæ proritantis adjuta, & validior effecta, ſuperavit, non imbecillem tantùm, ſed etiam ignorantem. *Quod enim operor, non intelligo* (ſicut ipſe de ſe faſſus eſt Paulus): *Non enim, quod volo bonum, hoc ago: ſed, quod odi malum, illud facio. Si autem, quod nolo, illud facio - -: jam non ego operor illud; ſed, quod habitat in me, peccatum. Scio enim, quòd non habitat in me* (hoc eſt, in Carne mea) *bonum.*

Geneſ. 6. v. 12.

L. qui occidit. 30. §. 3. ff. ad Leg. Aquil. Cap. de Cæter. 11. Cap. ult. in fine Extrav.

Matth. 18. v. 7.

Galat. 5. v. 17.

Rom. 7. v. 15. & ſeqq.

Nam, velle adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio. Condelector legi DEI, ſecundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in legé peccati, quæ eſt in membris meis. Quid porrò dicam? dicam omnia, verbô, jam dicti Apoſtoli: *Ego--mente, ſervio legi DEI; Carne autem, legi peccati.* Carnis ergo, Corporisque mei, quidquid in delicto cenſetur, crimen eſt; ejus culpa eſt; ejus reatus eſt. Luat igitur, quod egit; ſentiátque, quod malè ſenſit, fecítque; &, *quantùm in delicijs fuit, tantum* detur *illi tormentum*! *Manifeſta ſunt* enim, *opera Carnis*, (Carnis dico, non Spiritûs, non Animæ) *quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, &, his ſimilia.*

Ibid. v. 25.

Apocal. 18. v. 7.

Galat. 5. v. 19.

X. Viden', Oculatiſſime Judex! *Manifeſta opera Carnis*? cùm itaquè Manifeſta ſint, hæc, opera Carnis? cùm è Corporis mei ſentinâ vaporetur omne; quidquid uliginis adeò vitiatæ cœlum offendit: eritne tamen, unde in me, quæ nequè natæ, nequè participatæ rea iniquitatis invenior, pœnæ tamen communis tolerantia cenſeri, ſtatuíque debeat? Conſenſiſſe judicor: hoc autem, quid eſt? niſi, cum cadente, tractam corruiſſe me. Sic cecidi; non inficior! corrui; fateor! ſed corrui, quò nolui, per Corpus, in præceps, ac transverſum acta, eôque prælabente, collapſa ſum. Non autem ideò, per Sapientem, etiam condemnata ſum: *Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ, transvertit ſenſum, ſinè malitia.* Audin', O Sapientia infinita! *ſinè malitia.* Non ſum igitur malefica. Unde enim omnis eſt illa malitia? *Inconſtantia concupiſcentiæ transvertit ſenſum.* Hujus ubínam ſedes eſt? Ubi malorum omnium, quæ molitur, officinam, aut Panopliam habet? *Unde bella, & lites, in vobis?* ſibímet, jam olim ità quærenti, ſubdidit, anticipans veritatem, Jacobus: *Nonne hinc? ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris.* Nihil nunc dicendum ampliùs; dum pro me dixiſſe videtur abundè, qui dixit: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam; & terrena inhabitatio deprimit ſenſum, multa cogitantem.* Perſpecta ſunt hæc omniſciæ Majeſtati tuæ: & non me abſolvunt? non omnî liberant ſententiæ decretoriæ metu? Me? quæ nequè concupiſcere quidem valeo; quod, aut ſpeciê faſcinat oculos; aut, ſapore proritat gulam; aut, pervertit illecebrâ; niſi, per infelix hoc meum Corpus, *quod dedisti mihi ſocium.* Quodſi tamen to-

Sapient. 4. v. 12.

Jacob. 4. v. 1.

Sapient. 9. v. 15.

Geneſ. 3. v. 12.

totius expers eſſe pœnæ non valeo; ſi ferenda in me ſententia; ſi ſtatuendum ſupplicium: equidem parata ſum ultrò, deſtitui corpore hôc meô. Tollatur ſeductor, tantò mihi pernicioſior, quantò conjunctior! Torqueatur etiam iſte domeſticus, & affligatur, & atteratur, & exuratur in pulverem, ac cinerem; aut, ſi lubet, cum cæteris perituris Mundi rebus, in nihilum diſſolvatur! *Tantùm, ut Spiritus ſalvus ſit*; itáque, vindicata Ego, de meis anguſtijs reſpirem! Ab infinitâ Bonitate tua ſperare hoc me jubet ille Spiritus tuus, *dulcis, & rectus*; in quo tuæ pridem charitatis pignus accepi, ipſius etiam particeps Spiritûs, átque, per eum, divinæ tuæ facta conſors naturæ. Quodſi eô locô, & pretiô, hominum in judicijs, animæ negotia ſunt; ut ipſa quoquè, ſumma terreni juris æquitas, adversùs ejus allegationes, mitiget conſueti rigoris arbitriũ, juxta vulgatum jam axioma: *Ubi agitur de ſalute animæ, non debent attendi apices juris.* Quantò magìs, æquiſſima tua Bonitas, indulgebit? ut, *cùm* etiam *iratus fueris, miſericordiæ recorderis*, erga eam; cujus, utì Conditor, ità *ſolus es, operis tui, idoneus æſtimator. Redemiſti me Domine, DEUS veritatis! non corruptibilibûs, aurô, & argentô; ſed pretioſô ſanguine!* átque ità *transiiſſe te video in pretium meum*; ut, quia *tam pretioſô munere redemptio facta eſt, Anima DEUM valere videatur.* Ah! tuismet ex Te verbis quæro: Empta pretiô tantô, quantus es ipſe, Tu, DEUS, meus! *Nonnè, anima plùs eſt; quàm eſca* vermium, Corpus? Tuômet oraculô me conſolor; quô, infrà animam, omnia habenda cenſuiſti: *quam enim commutationem dabit homo pro anima ſua?*

XI. Reſpiro jam tandem, ità confiſa in pietate Redemptoris mei; *qui poſuit animam ſuam pro me.* Non ille fruſtrà, dum *cœpit pavere, & tædere, & mœſtus eſſe, anxiatus eſt ſuper me.* Non ſinè cauſa, *triſtis facta eſt anima* Ejus, *usquè ad Mortem.* Ipſe, *cùm eſſet Filius DEI, didicit ex ijs, quæ paſſus eſt*, præſertim in anima ſua: qualis, & quanta ſit, anguſtia mea; qualis, & quanta, triſtitia mea. De anima agitur! Cauſa tua eſt, O animæ meæ Servator! Cauſa ſumma eſt! Cauſa bona eſt! *Cauſa bona, bonô Advocatô indiget.* Hôc freta, *jam* nihil expaveſco: *Cujusvis manus pugnet contra me!* Temerarium non eſt, quod ſpero; dum abſolvi reatu poſtulo, pœnæque ſupplicium, in culparum omnium initium, ac inſtrumentum, hoc meum ſcilicet, in hoſtile corpus, decerni peto. Confido in agonia JESU mei; quam Animæ tormenta, pavoribûs intimè admiſsis exaggerata, cruentum uſque ad ſudorem, & extremum

1. Corinth. 5. v. 5.
2. Corinth. 5. v. 5. Hebr. 6. v. 4. 2. Petr. 1. v. 4.
Tiraquell. d. Tract. de Privil. p. Cauſ. Privil. 164. Habac. 3. v. 2. S. Ambroſ. Lib. 7. in c. 12. Lucæ. Pſalm. 30. v. 6. 1. Petr. 1. v. 18.
S. Auguſt. Tom. 9. Lib. de dilig. Deo, cap. 6.
Matth. 8. v. 25.
Matth. 16. v. 26.
1. Joann. 3. v. 16. Marci 14. v. 33. Pſalm. 142. v. 4. Matth. 26. v. 38. Hebr. 5. v. 9.
L. ſi ſuperabundantius. 3. §. 1. de pign.
Job. 17. v. 3.

mum vitæ diſcrimen, conſtrinxerunt. Hiſcè autem pretioſis cum lachrymis, non ex oculis tantùm, ſed per omnia membra, largè profuſis, pro me ſuas offerens Animæ amariſſimas afflictiones, *exaudietur utique pro ſua reverentia*, plùs obtenturus â Patre, vel unicô, mœſti ſui cordis, perorante ſuſpiriô; quàm extorquere poſſet, infinitîs etiam aggravata querelîs, quorumvis meorum Adverſariorum oratio? *Oratio enim, quæ non fit per Chriſtum, non ſolùm, non poteſt delere peccatum; ſed, etiam fit ipſa peccatum.*

S. Bernard. Serm. 2. de Ram. Palm. Hebr. 5. v. 7.

S. Auguſt. Lib. 2. contr. Parmen. cap. 8.

XII. Suggerit autem aliud adhuc, hauſtúmque ex illa cruenti ſudoris agoniâ, propinat, Cordi meo confortando ſolatium, Mediolanenſis Doctor: *Pro me doluit, qui pro ſe nihil habuit, quod doleret*: Qualis Ambroſia eſt iſta? *Suſcepit enim triſtitiam meam; ut mihi lætitiam largiretur ſuam.* Quid fortiùs, ad robur ſpei meæ? quid, ad Cauſæ meæ patrocinium efficaciùs, vel excogitari, vel optari poſſet? Non confundar, hîs validiſſimîs Cauſæ meæ argumentîs adjuta. *Tu es Domine, Spes mea! qui amas animas; & prior animam tuam pro me poſuiſti. Recordare, JESU pie!* quòd ſit tuæ Agoniæ, &, ad mortem, Cauſa viæ, meæ ſalus animæ! Recordare! quantîs fuerit oppreſſa doloribûs, illa tua, in Gethſemani Oliveto, afflictiſſima anima, ſibimet, præmeditandô objectans; quæ tunc, paſſurus eras in horto; quæ, in tribunalibus Pontificum; quæ, in Prætorio Pilati; quæ, in exitu deploratæ Civitatis, ad Calvariæ Montem, ſub Cruce; quæ demùm, in infami ſupplicij loco, modô, tormentô? Per hos ego dolores tuos, ineffabiles; quibûs Anima tua ſacro-ſancta, conſcia, imò, & avida, pœnarum, *ſequeſtratâ delectatione divinitatis æternæ, deſcendit usquè ad portas mortis* (voluntariâ ſcilicet *diſpenſatione* tuæ infinitæ pietatis) ſupplex Te rogo: Age pro me, & ſuſcipe in te curam animæ meæ; quam, ah! quantîs cruciatibûs, & angoribûs Animæ tuæ, redemiſti! Videor mihi jam audire, quod opto: *Quia non repellet Dominus plebem ſuam; & hæreditatem ſuam non derelinquet.* Augetur animus, perceptô ſuſpiriô: *Triſtis eſt anima mea, uſque ad mortem*! Jam gaudeo! jam exſulto! jam ultrà nihil aliud poſco. Loquitur enim pro me, ſuſceptâ jam Cauſâ meâ, afflicta Anima animæ meæ; quæ, ſuos allegando dolores, me ſolatij plenam dimittit, in Verbo: *Quid metuis? Ego de tuo fui trepida; tu de meo eſto ſecura*!

S. Ambroſ. loco cit.

Theophyl. cit. in Bibl. Mor. Tract. 60. Diſc. 9. n. 2.

Pſalm. 93. v. 14.

S. Leo. Serm. 9. de Paſſ. cap. 4.

A M E N.

Pſalm. 90. v. 9. Sap. 11. v. 27. 1. Joann. 3. v. 16.

S. Ambroſ. Lib. 10. in Luc, c. 22.

FE-

F E R I A V I.
POST DOMINICAM QUINQUAGESIMÆ.
SERMO TERTIUS.

Hominis Malefici Corpus, Criminaliter accuſatum,
Adversùs Actionem, ab Anima, ſibi conjunctâ, prolatam,
Non tantùm judicialiter excipit;
Sed inſuper, de Dolo, ſimul, & injuriâ conqueſta,
Actione oppoſitâ Reatum omnem in Animam refundit.
Metuens tamen, ex participatione Culpæ,
In ſui, cum Anima, Conjunctione, participium Pœnæ,
Ab externis Doloribus Chriſti, ſanguinem ſudantis,
Contra tremendum, Divinæ Juſtitiæ ſupplicium,
Patrocinium implorans, intelligit ex Angelo conſolante:
Servatorem, ex Doloribus, quos patiens, ac moriens, corpore ſuſcepit,
Accuſati, de Corporis, Animæq; Delictis, Malefici,
Efficaciſſimum futurum Advocatum.

Teſſera. Factus eſt ſudor Ejus, ſicut guttæ ſanguinis, decurrentis in terram. *Lucæ 22. v. 44.*

I. ETſi ſacrîs gravidam argumentîs, & rationibûs, utì videbantur, obruentibûs, contra miſerum Corpus, exaggeratam ſuam Actionem, Divini Tribunalis horrore, &, inevitabilium ſeveritate præjudiciorum, perterrita, confuſâque protulerit Anima: quia tamen illa ſuprema judicia non ſunt, ùt hominum (*in quibus, Causîs duabûs concurrentibûs, celerior præoccupat*) verùm, eô ſtat coram Tribunali Maleficus, in crimen vocatus; ubi, non agere ſolùm, ſed, & excipere, pariter integrum eſt, injus vocatis: hinc miſello Corpori, propè jam criminationibûs prædamnato, non tantùm defenſionis juſtæ, ſed etiam Actionis replicandæ locus relictus eſt. Si Neronianum ad ſupercilium delata ſtaret Corporis Cauſa (quô, reum agi, convinci, damnarique, ſatìs erat: in jus vocatum, reúmque, nullâ criminis factâ probatione, duntaxat appellatum fuiſſe) conclamatum jam de ſalute, tam atrociter inſimu-

L. ſi ita quis ſtipulatur, 63. de V.O.

ſimulati, támque pertinaciter accuſati, Corporis foret. Illud igitur ipſum, quod Animam, inter horrores tremulam, deſperare tantùm non omninò jam fecerat, ad Cauſam quóque ſuam aſſerendam, admiſſum hodiè Corpus, in ſolatium erigit, addítque robur tam validum; ut, quamvis metu pallens, trepidúmque (quis enim, intuitu Divinorum, contrà Maleficos decretorum, &, inter adyta tam diſtricti Tribunalis patentium ſuppliciorum, non concutiatur formidine?) non penitùs tamen exſpes, omnîque fiduciâ vacuum adſit: cùm Actio coram eo Judice tranſigenda ſit; qui nullô partium inclinatus favore, vel in alterutrum propenſior, Author eſt ipſe æquitatis. Nam, utì Pauli tuba vulgavit: *Non eſt acceptio Perſonarum apud DEUM*; è cujus æternâ legê tranſivit ad homines etiam æquale ſtatutum illud: (Ubi ſcilicet judicatur Orbis terrarum in æquitate) *Nec debet eſſe apud homines acceptio Perſonarum.*

Rom. 7. v. 11.

Pſalm. 95. v. 13.

C. ſacror. 34. Diſt. 63.

II. Ità confiſum de ſumma Juſtitia, ſuæ licèt conſcium obſcuræ conditionis, præmiſsâ tamen ejuſdem modeſtiſſimâ confeſſione, ſibi, ſophiſticè magìs, quàm ſyncerè, &, quod caput eſt, uni tantùm, ſolíque tributum, promeritæ condemnationis reatum omnem â ſemet avertere, & in ipſam Criminatricem, onere calumniæ ſuperadjectô, transferre, liberrimâ dictione Corpus orditur. Scio, inquit, figmenti mei primigeniam vilitatem, abeſſe plurimùm ab illa, Divinæ ſubſtantiæ imagine nobiliſſimâ, quâ gaudet, beatis proxima ſpiritibus, quæ meam in perditionem, non ſecùs, ac ſi nullum ei mecum fuiſſet aliquando conſortium, nec ulla conjunctionis obligatæ ſupereſſet ipſi conſcientia, ſacrîs etiam, detortîs, nè dicam, depravatîs, in ſui favorem, etſi non ſententiîs, earum tamen ſenſibûs, ac intellectu, declamavit Anima mea. Fateor: inter nos diſcrimen tantum intercedere; nullus ut in me, cum Anima collatum, obtutus divinæ Majeſtatis converti; nulla terrigenæ meæ conditionis haberi conſideratio debeat; nec etiam â me deſiderari queat. Sum *de limo terræ*, coagulati maſſa pulveris, in terram rursùs, ac primævum pulverem reſolvenda: nec alius quisquam aptiùs geneſin meam expreſſit, quàm Claræ vallis Abbas; qui, *ſperma fœtidum, ſaccum ſtercorum, cibum vermium* nuncupavit, indigniſſimum eâ ſocietate, quâ gaudeo, junctum animæ; quæ eſt, *inſignita DEI imagine, decorata ſimilitudine, deſponſata in fide, dotata in ſpiritu, redempta ſanguine. deputata cum Angelis, capax Beatitudinis, hæres Bonitatis, Rationis particeps.* Demùm nec illud abnuo, ſed

Geneſ. 2. v. 7.

Geneſ. 3. v. 19.

S. Bernard. Libr. medit. cap. 3.

Idem. Ibid. Hugo lib. de Anima.

ſed ingenuè profiteor: eô me fine, fictum, formatúmque, Plaſtê Deô, &, cum Anima, ſpiraculô Divinitatis, unitum, colligatúmque fuiſſe; ut eidem, ad ſua, quæ Creatori debet, obſequia, non adjutorium tantùm, ſed ſervilem omnem operam exhiberem, vel hôc ipſô nomine, miſerrimam in ſortem abjectum; quâ cenſentur, etiam humanô jure, *ſervi, pro nullis; imò, & beſtijs æquiparantur.* Quæ, dum de mea mihi ſunt vilitate perſpicua, nunquam ſanè potuiſſem adduci; ut in Animam, Dominam meam, Actione contumacî delinquerem; agerémque ream, cui pro poteſtate, quam in me Conditor utriúsque contulit, omnî jure ſubjectum eſſe me decet, & oportet.

L. 32. ff. de Reg. jur. lib. 7.

L. 2. §. ultimo, ad Leg. Aquil.

III. Quia verò per injuriam, & contumeliam, innocuo mihi, (dum nullus effugio locus patuit convictæ per mali conſcientiam Animæ) congeſtarum omnium, ùt ignotum ſemper, ità & omninò intolerabile culparum pondus, injectum eſt; ſilere porrò tantô meô periculô non potui, nequè etiam debui diſſimulare. *Injuriam enim non propulſare, cùm poſſis, injuſtitia eſt. Injuriam* dixi: nec imprudenti quicquam, in hoc, aut præter mentem, prorupit. Mundô totô judice, non vulgaris injuria, ſed, *injuria tantò gravior eſt, & atrocior; quantò major eſt cognatio ſanguinis, reverentiæ, pietatis, neceſſitudinísque copulatio, inter injuriantem, & injuriatum.* Nos autem inter, ùt ùt conditione prorſûs impares, ea tamen unio, conjunctióque, &, quæ inde naſcitur, cognatio, neceſſitudóque ſubſiſtit; ut arctior alia, poſt hypoſtaſim divinam, quâ Verbo increato, creata, in Chriſto, natura ſociata eſt, nequeat reperiri. Atque hoc ipſum vinculum, quod me totum tenet, obligatione, ſolô mortis ictu ſolvendâ, conſtrictum, vim omnium argumentorum aliorum, & efficaciam, pro Cauſa mihi meâ, vel ſolum, ſufficit, ac ſubminiſtrat, ad evertendam acerbiſſimam, quam ægerrimè ſanè ſuſtinere debui, criminatricis adverſariæ meæ Poſtulationem; & quidem, ùt nullatenùs dubito, ſinè temeritatis, vel offendiculi redarguendi, metu: quoniam, infimis etiam in Tribunalibus, *injuriam ſuam perſequi, magis eſt ſpecies Defenſionis, quàm Offenſionis. Defenſio* autem, *cuilibet*, humanîs legibûs, & gentium omnium communî jure, *permiſſa eſt; &, nè Diabolo quidem, deneganda.*

quòd etiam gravius. C. de bonis, quæ liber. ibiq; Gl. l. 4. &c.

C. non inſer. 7. 23. q. 3. Cic. l. 1. off.

L. cùm oportet, 6. verſ.

Gl. & Dd. in cap. un. §. ſi Delat. quæ fuit prima cauſa Benef. omitt. Weſſenbach. Conſ. 43. num. 177. Lib. 1.

IV. Quodſi jam, prophanos inter, &, veri Numinis expertes, imò, perſuaſæ cujusdam Divinitatis affectatâ ambitione tumidos, Jovis ille filius, Alexander, ut ſpeciem aliquam arrogatæ ſummæ juſtitiæ, ſubjectis imprime-

Phocylides apud Ayrer.

meret, religioſiſſimè conatus fuit; alteram ſemper, cùm inter partes ageretur, occluſam Reo ſervare aurem. Imò, cùm æternâ quoquè, tuâ legê (O adoranda ſummi Numinis Æquitas!) decretum, ſanctúmque ſit: *Non ſtabit teſtis unus, contra aliquem; quidquid illud peccati, & facinoris fuerit;* cum adjecto ſimul, inferendæ Talionis judiciô: *Si ſteterit teſtis mendax,* (aut Actor,) *contra hominem, accuſans eum prævaricationis, ſtabunt ambo, quorum Cauſa eſt, antè Dominum, in conſpectu judicum. Cúmque, diligentiſſimè perſcrutantes, invenerint: dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium: reddent ei, ſicut fratri ſuo facere cogitavit.* Tanta tuæ juſtitiæ ſanctitas, quidnî fiduciam in me debuit excitare, loquendi coram Te, protritâ jam, ac rejectâ, quæ linguam tenuit, verecundiâ conſciæ vilitatis meæ? dum ſimul ſecurum eſſe Sapiens me jubet: *Quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit, æqualiter eſt illi cura de omnibus.* Hinc enim, jam aliud mihi non perſuadeo; quàm, quòd *operi manuum tuarum porriges dexteram.* Etſi enim eſſe cœperim ego de Luto formatum: quid potius, in ſe, de ſe jactare poteſt Anima, de nihilo creata? Num ideò redigi, me magis, oportet in nihilum; quòd ex jam facto formam acceperim: quàm, quæ de nihilo creata? Abſit autem, ut eò tuæ lancem æquitatis inclinatam velim: *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Sumus, utraquè, quamvis diſparî conditione, opus tuum; nec alterum poteſt, abſque altero, ſic ſecerni, vel ad pœnam, vel ad gloriam; quin primitivæ conſociationis exactio, conſortiô utrámque, tam dolorum, quàm gaudiorum, in utróque decretoriæ tuæ juſtitiæ ſtatu involvat.

Deuteron. 19. v. 15. & ſeqq.

Sap. 11. v. 25.

Sap. 6. v. 8.

Job. 14. v. 15.

V. Quod igitur unicum urgeo, illud eſt: Reum dici, damnarique me, per accuſationem, eâ ſolum de cauſâ; quòd ſociatum, quòd conjunctum, quòd unitum ſibi me, queſta fuerit, concluſa mecum, velut in carcere, ſic, in Corpore mortis hujus, Anima; me, meósque pedes, manus, oculos, os, labia, cunctáque membra, ùt vitiorum inſtrumenta, ſibi ſociata, incuſans. Mea ſunt, non diffiteor; ſed, *è cælo iſta poſſideo*: innocua â Te accepi, & omnis vitij vacua, imò, & peccati, ſecundùm ſe, non capacia; niſi ſuâ perverſitate, ſuâque libertate, rebellis Legi tuæ Anima, eadem, quid agerent, ignara, prævaricari cæcâ ſervitute feciſſet. Deſuiſſet membris meis iſta Portio Divinitatis, (ah! quàm defædata Anima!) defuiſſet ea, quæ mortis reum fecit me, vita! defuiſſet, qui movet omnia, Spiritus! nec in viſu, nec in auditu, nec in guſtu, nec in odoratu, nec in Tactu denique,

1. Mach. 7. v. 11.

niquè, foret quidquam inſimulandum: Nunc autem, utì, *cùm anima in corpore eſt, cauſa ipſi eſt, ut vivat*; ità & Cauſa ipſi eſt, ut videat, audiat, guſtúque, odoratúque percipiat, attingátque prohibita; quæ, niſi ſit inſtructum vitâ corpus, nullô modô poteſt, ullô ſenſu contingere. Erit igitur, eôdem jure connaturalî, Anima, ùt *Cauſa Cauſæ*, ſic *Cauſa Cauſati*, cuncti ſcilicet, quod eſt, in vetitâ meorum ſenſuum depravatione, peccati. Quodſi propterea vocor in Crimen; quia per me, quæ fieri ſecùs nequiviſſent, acta ſunt adverſùs legem, & mandata; jam omnes mecum res creatæ, pariter obnoxiæ peſſimis quibúsque flagitijs cenſebuntur; quæ, per abuſum ſui, pervertuntur in Conditoris offenſam, nullâ ſuâ inclinatione, ſolâ duntaxat occaſione. Vetus eſt autem præſcriptum: *Occaſio inter Cauſas referri non poteſt.*

Plato in Cratylo.

L. Manumiſſ. 4. ff. de juſtit. & jure. Bart. in L. 4. §. Actor. num. 2. ff. de re jud.

Beſold. p. 2. Conſ. 55. num. 66.

VI. Quàm grandis hinc elucéſcit, impactæ mihi criminationis injuria! Nequit enim, ubi, nec intellectus, nec voluntas, neque mali, bonique, particeps ex his, libertas eſt, ulla ſceleris contagio reprehendi. *Peccatum* enim, Auguſtinô, ſubtiliſſimô judice, *eſt, voluntas retinendi, vel conſequendi, quod juſtitia vetat*; *&, unde liberum eſt, abſtinere*: atquè ità, *omnia opera, vel bona, vel mala, á Cogitatione*, ſcilicet animæ, *procedunt*: *in Cogitatione, quísque innocens*; *in Cogitatione, reus eſt.* Et, quamvìs, *omnis affectionis*, ex arbitrio Thalaſſi, *ſenſus, eſt author*; *hôc* tamen, *ut malè utamur, in cauſa mens eſt.* Denique, *velle*, *&*, *non velle*, quibûs recti, delictique criſis involvitur, *animæ eſt*, inquit Oris aurei Theologus, non corporis. Quid, jam, excuſando mihi, validiùs eſſe poteſt? quàm (ſed, cur Anima, memoriæ beneficiô prædita, non ipſa memor eorum fuit?) quæ conjurati Patres, in ſolius, mali totius reæ, voluntatis, damnationem ſtatuerunt. Non ſenſu, ſeu visûs, ſeu tactûs, aut alterius cujúsvis organi corporalis, ſed, *ſolâ voluntate miſer quisque efficitur*, ac judicatur, ab Auguſtino: *Nec* eſt, aſſentiente Mediolanenſium Præſule, Doctore: *quòd cuiquam, noſtram adſcribamus ærumnam; niſi noſtræ voluntati.* Quid, obſecro, dici, cogitarique, mea pro cauſa, commodiùs poſſet? quàm, quod idem adjecit: *Nemo noſtrûm tenetur ad culpam*; ut ſcilicet culpæ reus, judiciô dignus, damnationem promeritus, *tenéri*, queat; *niſi propriâ voluntate deflexerit.* Tenéri cùm ergo non poſſim ad culpam; cùm, ùt voluntate, ſic & libertate carens (unde totus peccatorum omnium commeatus, & reatus eſt) extra facultatem delinquendi, mea ſit omnis, infirmitas potiùs, quàm poteſtas: quô tandem ex Capite,

Thalaſſ. in Hecatom. 3. ſent. 4. fol. 274.

S. Chryſoſt. ſuper Epiſt. ad Galat. cap. 5. poſt med.

S. Auguſt. de verb. Apoſt.

S. Ambroſ. de vit. beat.

Idem. Ibid.

S. Auguſt. Lib. 1. Retract c. 15. ante med. fol. 16. Idem ſup. Pſal. 118. Conc. 24. poſt med. fol. 955.

vel Codice, decerni poterit, in me, miſerum Corpus, Infernale ſupplicium? nisì priùs errâſſe judicetur, doceatúrque Doctor, Aſceta Claræ-vallis, in eo: *Ceſſet voluntas propria; & Infernus non erit. In quem enim deſæviet ignis ille, niſi in propriam voluntatem?* Nam, propria *voluntas DEUM impugnat; ipſa eſt, quæ Paradiſum ſpoliat, Infernum ditat, ſanguinem Chriſti evacuat, & Ditioni Diaboli Mundum ſubjugat.* Quidquid igitur malitiæ cunctis ineſt, vitioſis externis actionibus, (ad quas, velut inſtrumenta, pro libero tamen Animæ ſolius arbitrio, non ſuâ propenſione, deſerviunt, ſenſus, & membra) pravo duntaxat, rebellis DEO voluntatis imperio, contra Legem ſupremam, ſenſuum officiîs abutenti, tribuendum; non item, contaminatis, per tyrannidem ejus deſpoticam, &, ad obſequium infame ſubactis, tam cognitione, quàm, liberâ vetitorum appetitione deſtitutis membris. Ità ſacer pro me ſenatus Patrum, & oracula Doctorum ſtatuére:

S. Bernard. Serm. 3. de Reſurrect.

S. Auguſt. l. 2. Retract. cap. 3.

Idem L. de vera Relig. cap. 14.

Peccatum uſquè adeò voluntarium eſt malum, Africano Salomoni; *ut nullô modô ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium*: ſubdit mox: *& hoc quidem manifeſtum eſt: ut nulla hinc Doctorum paucitas; nulla Indoctorum turba diſſentiat.* Atque inde infert: *ſi, non voluntate, malè facimus, nemo objurgandus omninò.* Sic, & Alpha ſcholarum, Aquinas: *In actu voluntario, & inordinato conſiſtit ratio peccati.* Nec aliud â Damaſceno, vel Anſelmo, vel Bernardo definitum; quàm, pro Cauſa mea, culpæ vacuâ. Nam, primus illorum: *Arbitrij libertas* (unde perverſitatis omnis, delinquentis, judicium ſumitur) *nihil*, ait, *eſt aliud, quàm, voluntas.* Confirmat alter: *Omnis poteſtas, ſequitur voluntatem.* Sed, vix alius, utì ſuccinctiùs, ita nervoſiùs, quàm S. Bernardus: *Ubi neceſſitas, jam non eſt voluntas: porrò, ubi voluntas, ibi libertas.* Denìque videtur, velut ex compoſito, vindicando mihi, damnandæque, quæ me damnatum advenerat, Animæ, S. Auguſtinus, non tantùm ſimplex externæ perverſitatis judicium, in pravæ voluntatis imperium inclinare; ſed inſuper, etiam ex eo, quod per Corpus, & ſenſuales actus adversùs divina mandata committitur, exaggerare, malè præcipientis, internæ poteſtatis, unde profectus eſt actus, prædominantem affectum; cùm ait: *Neſcio, quomodò, cùm hi motus Corporis fieri, niſi motu animi præcedente non poſſint, eiſdem rursùs, exteriùs viſibiliter factîs, ille interior inviſibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hoc, Cordis affectus, qui, ut fierent iſta, præceſſit, quia facta ſunt, creſcit.* Ita nimirum in Authorem redit non tantùm, ùt imperata, verùm etiam, ùt in effectum deducta transgreſſio.

S. Thom. 1. 2. quæſt. 74. art. 3.

S. Damaſ. lib. 3. de Fide c. 27.

S. Anſelm. lib. 2. cur Deus homo. cap. 10.

S. Bernard. de grat. & lib. arbitr.

S. Auguſt. Lib. de curâ pro Mort. cap. 5.

VII. Sed,

VII. Sed, ex hac ipſa, quam pati me, neceſſariâ coinquinatione non diffiteor, qualicúnque participatione violatæ Majeſtatis divinæ, mea jam creſcit adversùs Animam, ità mihi noxiè dominantem, querela. Tu enim, *ſervire me feciſti in peccatis tuis*; *præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis!* Quàm eſſent inſontes, hi, mei oculi: niſi tu, inſpiratâ eis, pravâ concupiſcentiâ tuâ, detorſiſſes illos, in cordium alienorum incendiarios obtutus, ac tuæmet parricidium integritatis? Hoc enim eſt, quod novæ Legis Author divinus, illâ ſuâ ſacroſanctâ cenſurâ damnavit: *Ego autem dico vobis*: *Omnis, qui viderit Mulierem, ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Quàm pura forent etiamnum iſta mea, malè rubentia, potiùs erubeſcenda, labia? Tu portas mortis ea feciſti, lubricásque negotiantis Veneris officinas: quoniam per te *in labijs ignis exardeſcit*; itáque facta ſunt Corporis *labia*, *ruina animæ*; quæ *blanditiis labiorum protraxit.* Os meum hoc, *ſepulchrum patens*, per te, cum dentibus, factum eſt; imò barathrum inſatiabile: quia *tranſierunt in affectum cordis.* Tu linguam, quæ movere ſe, ſinè tuo nunquam potuit impulſu, nec valuit, nisì, quæ per te ſuggeſta, proferre, reddidiſti *magniloquam*: per te, *concinnare dolos*; per te, *cogitare injuſtitiam*; per te, *exacui, ùt gladius*, &, *trucidare rectos corde*; &, in buſta triſtia, *quaſi ignis devorans*, obſcurare virtutem omnem, fierique cœpit *univerſitas iniquitatum* lingua mea: nam *ex abundantia Cordis Os loquitur.* Incuſatur fuci, cum elaborati coloris, ac decoris illecebrîs adſcititiîs, vultus meus: Tuô dictamine ſic eſt in decipulam inſtructa, deſtructa veriùs, quia facta ſcandalum, facies mea, tótq; ſpectatorum præcipitium, quot curioſorum illicium. Furta manibus, ingluvies ventri, ſaginatio brutalis abdomini, ſaltus, diſcurſúsque petulantes pedibus accenſentur: quibus tamen omnibus, (ut, quæ ſunt reliquis in membris nefanda, ſubticeam) cum vitæ, motûsque facultate, pariter â Te communicatam, vitiorum omnium contagionem, nullus eſt, qui non aſſentiatur, & judicet, & confirmet. *Manifeſta* ſint (quod Actionis tuæ totus propè videbatur Achilles eſſe, ſummúmque robur, & validiſſimum argumentum) *Opera Carnis*: *Fornicatio*, *immunditia*, cum cæteris; quæ memoravit, & Galatis objecit, (*Carnales* objurgans, utì Corinthios aliàs) gentium Doctor. Unde tantum, in me miſerum, omnis iniquitatis venenum defluxit? Audin': *De Corde exeunt* (Veritatis Oraculum loquor) *de Corde exeunt* (agnoſce totius fontem, quæ vindici Cenſuræ per cul-

Iſaiæ 43. v. 24. — *Matth. 5. v. 28.* — *Prov. 16. v. 27.* — *Ibid. 18. v. 7.* — *Ibid. 7. v. 21.* — *Pſalm. 13. v. 3.* — *Pſalm. 72. v. 7.* — *Pſalm. 11. v. 4.* — *Pſalm. 49. v. 19.* — *Pſalm. 51. v. 4.* — *Pſalm. 63. v. 4.* — *Pſalm. 36. v. 14.* — *Iſaiæ 36. v. 27.* — *Jacob. 3. v. 6.* — *Lucæ 6. v. 25.* — *Galat. 5. v. 19.* — *1. Corinth. 3. v. 4.* — *Matth. 15. v. 19.*

culpam obnoxia ſubeſt, nequitiæ) *de Corde exeunt* (*Scrutator* ità *Cordium* judicavit) *cogitationes malæ: homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ: hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.* Non aliud, hâc redargutione, conſtringitur, ejus, quæ metuenda peccantibus eſt, extremæ ſententiæ, meritæque perditionis principium; *quàm Cor* (*ex quo vita procedit*) *Animæ ſedes. Cor luteum, eſt cauſa malorum,* Chryſoſtomô Definitore: *Officina mali, & Boni; omníſque vitij, & virtutis,* Corneliô, magnô illô, ſuprà memorati Divini Oraculi interprete. *Sicut enim,* inquit, id expendens, *ex fonte ebulliunt aquæ; ſic ex corde, id eſt* (quod dixi hactenùs) *ex voluntate, pravô affectu luxuriæ, vel iræ, imbutâ, ſcaturiunt malæ cogitationes libidinis, vel vindictæ; quæ, ex corde in os ebulliunt; dum eaſdem eloquimur: &, ex ore in opus erumpunt; dum eaſdem reipsâ perpetramus.*

Sapient. 1. v. 6.

Prov. 4. v. 23.

Franciſc. Serra. in Appar. ſyn. v. Corpor. partes.

S. Chryſoſt. in Pſal. 4. v. 3.

Cornel. à Lapid. in loc. cit. Matth.

VIII. Quô jam incuſatio Violentiæ, mea per membra, illatæ Animæ? quæ, ſe pertractam, quia pellectam; coactam, quia perturbatam, faſcinatámque, ſubtrahere non tam culpæ, quàm pœnæ contendit? Eſto, pellecta, perturbata, faſcinatáque fuerit, itáque *victa, tracta, capta, poſſeſſáque* (utì docet magnus interpres Pauli Auguſtinus) Anima: non id ex me, ſed ſuâ voluntate, averſa á DEO, & converſa ad malum, eique conſentiens, incurrit. Patrocinatur cauſæ meæ, de miſerorum patrocinio felix reus, Chryſoſtomus: *Irruunt, qui Carnem calumniantur, & infamant. Quid igitur dicemus? -- Non enim dixit* (Apoſtolus) *quòd Caro hoc operetur; ſed contrarium. Si verò dicit: quòd non habitet in illo bonum; nondum hoc ad culpandam carnem facit. Non enim oſtendit, Carnem eſſe malam; quòd bonum in ea non habitet. Nos autem,* (quod, & ego nullâ diſſimulatione confiteor) *minorem illam quidem eſſe, inferiorémque ab Anima, confitemur; non, contrariam, neque, repugnantem* (*quatenùs, quod movetur, ab Animæ parte rationali, vel ſenſitivâ, movetur*) *neque malam: ſed, quemadmodùm Cytharam Cytharœdo, & Navem Nauclero; ità, & Animæ, Carnem ſubditam eſſe, dicimus.* Quodſi tamen nihilôminùs reum velit me, de ſui lapſûs conſortio, ponderéque ſibi, per me, velut adjectô, diffiteri nequiens culpam perverſæ ſuæ voluntatis Anima mea; cur? quô modô? quô Legum favore? quô ſuæ Cauſæ præjudiciô me ſolum pœnis addici poſtulat? Si mihi, quia factum; illi, quòd ex conſenſu factum, tribuitur: nunquid, *facientes, & conſentientes, parî pœnâ ſunt plectendi?* Quia verò nihil arbitrij, ſeu libertatis, in eo, quod per me factum, de meo reperitur; ſed, quod pravum, quod vitioſum, quod crimini,

S. Auguſt. contra Julian. c. 5.

S. Chryſoſt. cit. à P. Bartbol. Fibus in via Verit. & vitæ. fol. 627.

C. 1. de Off. jud. deleg.

mini, judicióque obnoxium, Animæ totum eſt, cujus voluntate factum eſt : omnium ſanè Doctorum communî ſententiâ cum Auguſtino, Doctorum Primate, (dum, *nec peccatum, nec rectè factum imputari cuiquam juſtè poteſt; qui nihil fecerit propriâ voluntate*) juſtè, Beneficium legis imploro; petóque, quod jure *Imputandum eſt, illi, ſemper; quotiescúnque ſtat per eum, quô minùs aliquid conſequatur.* Non per me ſtabat, ſed, per Animam, vitámque, quam per ipſam habui; & per libertatem illam, quâ ſola ipſa gaudet, meorum omnis membrorum operatio, vel, conformata legi, ſubjectáque fuit; vel, eidem rebellis, & adverſa: ità, ut veraciter tueri, &, â culpa me vindicare quâvis, eô queam Apoſtoli argumentô : *Si, quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud; ſed, quod habitat in me, peccatum.* Peccatum dico, vel, ex malâ voluntate natum, itáque jam proprium, ac perſonale; ſed, volentis : vel, ex originis peccaminoſæ transfusâ, immanentéque mihi pœnâ ſuſceptum; (prout, interpres Paulinæ mentis, Auguſtinus aperuit : *Non enim eô modô appellatur peccatum, quô facit reum; ſed, quòd ſit reatu primi hominis factum; &, quòd, rebellando, nos trahere nititur ad reatum.*) Neutro tamen in ſenſu peccatum, eſt meum, abſolventê, partim Animam, (dum ipſa pravis, quas patitur, concupiſcentijs, ex me natis, repugnat) partim & me, primô tàm fœdè coinquinatum ex lapſu, Divô Patre Chryſoſtomo, ſic arguente : *Vides ergo, & hîc*, ſcilicet, in allegato Pauli argumento : *quomodo ſubſtantiam, Animæ ſimul, & Carnis, culpæ immunem faciens, omnia ad malum peccati actum transferat. Si enim malum non vult, crimine liberata eſt Anima. Et, ſi malum ipſe* (ſcilicet homo) *non operetur; liberum â culpa, & Corpus eſt : atque ità, omnia ad ſolius voluntatis propoſitum referuntur.* Non eſſet, unde formidandum quicquam haberet ex omnibus Anima; quæ, de carnis conjunctione, damnabilem eam reddiderunt; ſi ſeduci ſe (quod ei, per gratiam, ut reſiſteret, occurrentem, non modò liberum, ſed etiam integrum fuerat) per fomitem, ex me natum, non ſiviſſet. Sanæ námque Theologiæ judiciô : *Non, pati adverſitatem Carnis, ſed, duci â Carne, damnatio eſt. Duci*, ait; *non, Ducere*, damnabile eſſe. *Qui ergo tanguntur ejuſmodi motibûs, &, immobiles in majori charitate conſiſtunt, non ſolùm, non eis exhibentes membra Corporis, ad malè operandum* (O! quantùm, in hoc unico, ſuffragatur mihi : *non exhibentes*, ipſi ſcilicet, ſuâ liberâ voluntate, miſera, quæ ſunt ejus poteſtati ſubjecta, *membra Corporis, ad malè operandum*) *ſed, nequè nutu Conſenſionis, ad exhiben-*

S. Auguſt. lib. 83. quæſt. 22. cit. apud Fibus, loc. cit. fol. 607.

L. jubemus, 14. §. Oeconomus. 2. C. de Sacr. Eccl. c. de off.

Rom. 7. v. 16, 17.

S. Auguſt. libro 2. contrà Jul. ad finem.

S. Chryſoſt. cit. apud Fibus, loc. cit. fol. 628. in princ.

S. Auguſt. in cap. 5. Galat.

Idem. ibid.

bendum consentientes; non hæc agunt. Innocentes igitur sunt, quamdiù suæ voluntatis propensione non ipsi, quod in Carne malum est, amplectuntur.

IX. Fortiùs autem est mihi stringenda, postulatæ meæ damnationis præsumptio. Illud igitur quæro: num, nisi per Animam, (quæ motûs est in vivente principium) meorum est omnis motus membrorum? Hæc ergo, jacit illos obtutus, per quos evolat, & recipitur adulterium? Hæc aurem intendit; per quam fraternæ violatio charitatis, morosæ auscultationi, contagem iniquitatis inspirat? Mitto cætera, tam aliena â me omnia; ut, si de solo, in malum, ex Animæ meæ, me moventis, obsequiô, peccâsse judicor; jam unà mecum rei sint, & enses omnes; & arma quælibet, quibûs læditur, vulneratur, & occiditur proximus, ignî damnanda. Lapides etiam adjudicandi sunt ferro; qui forsan offenderunt, in hominem ab homine projecti. Sed Canum ista rabies est, & insania; quâ, dum in manum, vindicante morsu, nequeût, quæ projecit, dentibûs in lapidem sæviunt, quem sensérunt. Cur illi, quod ex Paulo sumpsisti, non item ex eodem addidisti, adeò sanctè monente? *Tantùm, nè libertatem in occasionem detis Carnis!* nec solicitè minùs instante: *Spiritu ambulate, & desideria Carnis non perficietis.* Possem fortassè constringere Te, vel, ex hoc ipso; quô me, falsè, reum obruere voluisti? Ex lege namque: *Falsi pœnâ tenetur, qui legem falsè allegat; si ex proposito id facit.* Concupiscentiam in meis militare membris, indeque bella, litésque nasci jugiter, haud inficior. Tuâ verò rebellione, quâ similis Deo fieri, petulanter ambivisti, vetitúmque fructum, ùt medium, ad id obtinendum, â Veteratore persuasum, comedisti, domesticam hanc, & intestinam omnem contentionem, in contumaciæ tuæ pœnam, Tu adscivisti, Tibíque, Mihìque, perpetuam inter nos pugnam, accersivisti. *Permittitur hoc* (ità docuit Hypponensis) *ut intelligas, in te, pœnam tuam. In te, ex te ipso, flagellum tuum. Sic vindicatur in rebellem, adversùs DEum: ut ipse sibi sit bellum, qui pacem noluit habere cum Deo. Tene membra tua adversùs concupiscentias tuas malas. Surrexit Ira? tene tu manum, conjunctus Deo.* Sic in Te divus etiam Anselmus, altiori sapientiâ plenus, animadvertit, omnis, cùm culpæ, tum pœnæ, reatum, debitúmque retorquens: quòd, libertate cùm polleas, impetum tamen voluptatis non coërceas, pro potestate, cum gratia. Audin'? *Concupiscentiæ*, (tuo loquitur ex argumento) *non permittunt vos implere, quod*

Idem. Ibid.

Galat. 5. v. 13. & 16.

S. Augustin. in Psal. 75. apud Cornelium à Lap. in Ep. ad Gal.

S. Anselm. cit. locô apud Corn. fol. 455. D. 2.

quod vultis: nolite & vos illis permittere, implere, quod ipſæ volunt: & ità, nec vos, nec illæ, facietis, quod vultis.

X. Noli, obſecro, dilecta Anima mea! noli conqueri: quòd meô gravamine deprimaris, &, ab officio ſpiritûs, ad animalium brutorum infame commercium, actúsque conſimiles urgearis, damnata ſcilicet, ad *opera luti, laterísque* terrena, contra nobilem indolem, quam ſortita es: *quia Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam; & terrena inhabitatio deprimit ſenſum, multa cogitantem.* Veritas eſt, quod ais; ſed, exinde contorta in me criminatio, per quam fieri tibi cauſaris, ad peccandum, & violentiam, & neceſſitatis quoddam ineluctabile pondus, injuria palmaris eſt, â Divo Claravallenſi Abbate, jam pridem, in te reflexa: *Peccatô factum eſt; ut Corpus, quod corrumpitur, aggravet Animam; ſed, amore, non mole. Nam, quod fugere Anima per ſe jam non poteſt, quæ per ſe cadere potuit, voluntas in cauſa eſt; quæ corrupti* (ſcilicet, annuente tê) *Corporis, vitiatô, ac vitioſô amore langueſcens, & jacens, amorem juſtitiæ pariter non admittit. Ipſa ſibi Voluntas, peccatô quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit: ut nec neceſſitas, cùm voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem; nec Voluntas, cùm ſit illecta, excludere neceſſitatem. Eſt enim neceſſitas hæc quôdam modô voluntaria.* Conſultiùs pro tuæ, quâ gaudes, Rationis illuſtrî facultate reſpexiſſes, ad Mediolanenſis magni Præſulis monitum: *Diſcite, in Mundo, ſupra Mundum eſſe: &, ſi Corpus geritis, volitet in vobis ales interior!* S. Ambroſ. in Serm.

XI. Ad illud nunc deſcendo; quod innocentiæ meæ potiſſimum addere pondus, & ſuffragium videtur. Vocor enim, receptô jam abuſu, prout habeor etiam, ab Anima mea, *jumentum inſipiens*, clitellarium pecus, vilis beſtia. Sitam abjectè cenſeor; unde redarguor? Anima, mê præruente, collapſa eſt; ſed, indulgentiâ, conniventiâ, negligentiâ ſuâ; quâ, quia frenum laxavit, habenam reſolvit, camum dimiſit, &, nullô moderamine me coërcitum, quâ lubebat, ire permiſit, nunquid volens ipſa, ſuam in ruinam, ſi non præceps, præcipitanda tamen abivit? Servi, mancipiíque inſtar deſpicior. Cur autem in manu mea ſuum reliquit imperium, ſeſéque meô, cæcô, fatuôque, non arbitratu, ſed impulſu, urgeri, paſſa eſt Domina mea? *Dominam ancillari, & ancillam dominari, magna abuſio eſt.* Denique, quòd in me fomes omnis peccati, corruptæque pruritus naturæ, materiam ſubminiſtret incendijs, ignis æterni præludijs, non me, ſed Animam, in excubijs obdormientem inſimulat; quæ ſcintillas in fomitem conjectas non avertit; ignita miſ-

Exodi. 1. v. 14.

Sapient. 9. v. 15.

S. Bernard. Serm. 81. in Cant.

Pſalm. 48. v. 13.

S. Bernard. c. 3. medit.

missilia dissimulavit; ignem in fumo, priùs, quàm eruperat in flammam, non extinxit; & ventis insuper, cùm potuit, non subtraxit, monente licèt, è specula Theologica, D. Basilio: *subtrahamus Carni voluptatem*! secùs, judice D. Ambrosiô, *Anima, cùm se jungit desiderio Carnis, infirmans spiritualem suum vigorem, simul interitum patitur.* Debuisses memor esse, quod aureô pronunciatum est ore Chrysostomi: tuam esse culpam, utriúsque, tuam scilicet, meámque corruptionem: cùm, *non Anima pro Corpore, sed Corpus pro Anima factum sit. Qui ergo, quod primum est, negligit, & quod inferius est, extollit, utrúmque corrumpit.* Ille *corrumpit*, qui *negligit.*

S. Basilius. hom. 2. de Jejunio.

S. Ambros. in 1. Cor. 5.

S. Chrysost. de Recuper. Lapsi.

XII. Hæc tamen eô non sunt â me dicta, adductáque consiliô; quòd omne culpæ consortium, pœnæque meritum, â me declinare contenderem. Absit hæc â me temeritas, quâ tuam contra justitiam, æquissime Judex, & vindex! haud leviter delinquerem. Hæc enim, si vacaret omnî Corpus delictô, nequè primâ quidem legê, spinis illud, ac tribulîs compungendum; sudore plurimô exhauriendum; laboribûs atterendum; in pulverem denique, cinerémque convertendum nequaquàm statuisset. Fui multiplex malitiæ, fateor, instrumentum; &, quæ coram Sanctitate tua sœtent, meo natæ sunt ex luto, sordes. In tui, DEUS meus! injuriâ, & offensam, pedibûs, & manibûs, & membrîs omnibûs ivi; non secùs, iniquitatis, ac, perceptæ voluptatis particeps. Quidquid per sensûs externos admissum est contra legem tuam, crimen meum est. *Dixi: Confitebor adversùm me, injustitiam meam Domino*! Nec aliud hucúsque contendi: quàm, ne omnis, mihi duntaxat, utì volebat Anima mea, tum Criminis causa, tum pœna damnationis incumberet.

Psalm. 31. v. 5.

XIII. Quâ verô fronte, adeò mihi succenses immerito, imò, quàm optimè de te merito, ô Anima mea? Ità mea rependis officia? sic indefessa compensas obsequia; quibûs præstô tibi semper, ad salutem, ad meritum, ad augmentum æternæ tuæ, futuræ in cœlis, gloriæ fui? Unde tibi, si defuissem ego, tolerandis in adversis patientia, quæ *reportat promissionem?* Unde, nisi per abnegatas meæ gulæ cupedias, tibi, vel Abstinentiæ, vel Jejuniorum severitas profuisset? Unde Castitatis, Angelis etiam, suppar prærogativa, tibi accessisset; si, ùt corpore destituta, sic & sensu repudiatæ voluptatis vacua perstitisses? Nihil de vanitatis contemptu, quæ, nisi per oculos, fascinationem nugacitatis non insinuat; nihil de voluntariæ castigationis rigore, pœnitentiæ con-

Hebr. 10. v. 35.

continuatæ horrore, ſolitudinis abſtractæ tenore, cæterísque, quæ Corporis miniſteriô grata DEO, animæque ſalutaria peraguntur, nihil ex omnibus, tuum in commodum, & meritorum cumulum, niſi mea de ſocietate, perveniſſet. Debuiſſet in mentem tibi venire, etſi tormentorum objectorum, intuitu perterritæ, Seraphici Doctoris, alia prorſus, â tua petitione, concluſio: *Anima*, inquit ille, *ſerviendo DEO, in corpore, habet majus meritum*: (attende, obſecro! res mea, tuáque nunc agitur) *Et, ſicut corpus vivum valet ad fructum pœnitentiæ; ſic, poſt mortem reſuſcitatum, valebit ad conſecutionem ſtolæ duplicatæ.* Quid enim adeò, Fidei, Virtutísque Defenſores, ad usquè ſanguinem pro Chriſto decertantes, admirandos, colendósque, ſanctos Martyres reddidit; niſi fortis, & glorioſa paſſio Corporis? quod flagrîs diverberatum, ungulîs dilaceratum, flammîs uſtulatum, equuleîs diſtentum, telîs confoſſum, acubûs compunctum, rotîs confractum, diſcerptum, contritum, & millê cruciatibûs pœnarum crudeliſſimarum vexatum, mortificatúmque fuit: ùt in ſanctis, Georgiô Cappadoce, Ignatiô Antiochenô, Laurentiô Hiſpanô, Catharinâ Alexandrinâ, Chriſtinâ mirabilî, Eulaliâque, tenerrimâ Virgunculâ, & myriadibûs Martyrum coronatîs univerſa veneratur Eccleſia. Si non habuiſſet, quod per ſpinas agitavit, corpus, innocens Benedictus: etiam illæ defuiſſent ipſi roſæ; quibûs, â morte conſpicuus, membrîs omnibûs mirabiliter vernans, videndum ſeſe, jam cœli purpuratus obtulit S. Mechtildi. Si Cutis, & Carnis expertes fuiſſent ſancti, Hypathius, Dorotheus, & Gudelia; caruiſſent etiam illô, quô fulgebunt æternùm, gloriæ paludamentô. Si defuiſſent ungues, ac digiti, ſancto Joanni Bono; nunquam tantum illi fortitudinis nomen, ab arundinibus, crudeliter per ungues infixîs obveniſſet. Nunquam, ex dentibus, violenter incuſsîs, Apollonia, cum Febronia; mamillîs, â virgineo pectore per immanem carnificinam avulsîs, Agatha, cum Barbara; nequè confractîs, dirâ concuſſione malîs, glorioſa ſororum virginum Trias, Menodora, Metrodora, Nymphodora, ad palmas, & Coronas æternæ felicitatis avolâſſent; niſi mortalî carne, corporéque cruciatûs capace, inſignes illæ, nullôque expugnabiles tormentô Animæ, circumdatæ fuiſſent. Extracta de faucibus lingua Martyrem prædicavit S. Livinum. Perforata, obſeratáque labia laudabilem reddiderunt S. Raymundum. Ferreîs transfixæ cuſpidibûs, aures,

S. Bonav. Tom. 7. l. 2. de oper. cond. c. 60.

Nadaſi Ann. Cœleſt. 21. Martij. Surius 31. Martij. 29. Aug. 9. & 27. Sept.

Idem 22. Octobr.

Nadaſi in Ann. Cœl. 9. Febr. 25. Junij.

Ibidem. 10. Sept.

res, ac nares, & candentibûs terebrata clavîs tempora, evulsíque de vultu oculi, quantum ſplendorem ſanctis Martyribus, Victorico, & Fuſciano, ſed, non, niſi de Corporis feliciſſimo adjutorio, tribuerunt? Unde ergo tantus in me furor? tantum odium? tam dira, ad omne, ſoliſque mihi decernendum, irrogandúmque ſupplicium poſtulatio? Hæc tu, membra, vis, in cinerem redigi, in favillam exuri, aut in nihilum diſſolvi; quorum ex conſortio, totius propè tui meriti ſeges eſt, & æternæ retributionis acceſſio cumulatur? Itáne rependis pro laboribus; quibus, tuô commodô, inſudavi? pro itineribus; quæ, tua pro ſalute, meâ extremâ defatigatione, peregi? pro morbis, quos, ob tua peccata, ſævientibûs in omnia membra, uſu ſuô deſtituta, doloribûs, perpetuò quaſi moriens, toleravi? Quoties tu mihi, vel minuiſti, vel omnem omninò, ægram ad eſuriem, cibum ſubtraxiſti? abſtinui. Quoties horridîs, hamorum inſtar, &, in catenam nexîs è ferro anulîs, exulcerans lumbos meos, dirè me conſtrinxiſti? ſuſtinui. Quoties tergum meum flagrîs, urgente tê, immiti verberatione, laniatum eſt? toleravi. Negâſti laſſa membra ſtrato incumbere; juſſiſti quietem ſolitam vigiliîs antelucanîs abrumpere; nunc frigus, nunc æſtus ferendus; &, quidquid in moleſtijs externis durum eſſe, contrariúmque cenſuiſti, tuô imperiô mihi tolerandum erat: obtemperavi, dolore maximô, afflictione perpetuâ, tormentô nunquam remiſsô. Siccinè reddis pro tam fidelibus, ac diuturnis obſequijs; quod nec à Barbaro quidem, & hoſte metuendum; imò, nec â brutis fieri ſolet animantibus; quæ miteſcere, ac deliniri humanîs officiîs experimur? Nequè brutis ipſis, & jumentis, obſequiô ſuô, dum per vires licuit, egregiè functis, ab hero ullo, niſi totam humanitatem exuto, ideóque, vel ipsîs brutîs deteriore, immanioréque, ſic rependi conſuevit. Excidiſſe videtur è memoria tuâ: non me minùs (etſi temporaneæ corruptioni obnoxium) eâ tamen feliciſſimâ conditione conditum; ut, æternæ comparticeps Beatitudinis, quantum hîc in doloribus fui, pro tuæ mìniſterio ſalutis; tantùm, in futura palinogeneſi, quæ nos denuò conjunget, reciperem gaudiorum.

XIV. Hæc tamen omnia mihi, vel tuis ab injurijs vindicando, vel, commeritis â ſupplicijs eruendo, nequaquam ſufficient; niſi potentior alius Orator ſuccurrat, meam quoquè Cauſam, quæ ſupremo coram Tribunali, ùt ùt excuſata videtur humanìtùs, intimè tamen diſcuſſa, mera iniquitas

quitas eſt, allegationibûs longè validioribûs erecturus, collapſam alioquin, protritámque, ac deſperatam. Eo enim ſub judice Reatus meus eſt; qui, *ſi ſubverterit omnia, vel in unum coarctaverit: quis contradicet ei? Verè ſcio, quòd ita ſit: &, quòd non juſtificetur homo, compoſitus DEO. Si voluerit contendere cum Eo, non poterit Ei reſpondere unum pro mille. Ipſe enim novit hominum Vanitatem; &, videns iniquitatem, nonne conſiderat? Non juſtificabitur in Conſpectu ejus omnis vivens*: niſi ſuperexaltaverit miſericordia judicium, per Eum; *qui factus eſt nobis Sapientia á DEO, & Juſtitia, & Sanctificatio, & Redemptio.* Ad te igitur, JEſu, Fili David! ſupplex, tremens, geménsque convertor; quem ſcio, non ſolâ tantùm Animâ triſtatum, pavidum, mœſtúmque fuiſſe; cùm, exhauriendus in ſalutem hominum, amariſſimæ Paſſionis Calix, ab Exactrice ſatisfactionis debitæ, Juſtitiâ Divinâ propinatus, oblatúsque fuerat: ſed, (quod mihi quidé ſpem facit maximam) *factus eſt* inſuper, *ſudor* ſacroſancti Corporis tui, *ſicut ſudor ſanguinis, decurrentis in terram.* Ut quid perditio hæc, *in terram?* niſi, factus homo, *de limo terræ*, rurſúmque reverſurus in terram, & convertendus in pulverem terræ, terrenæ ſuæ, non minus, ex hoc divino ſudore, patrocinium obtineret ſubſtantiæ; quàm, per communicandos Angores afflictiſſimæ ad mortem Animæ tuæ, promiſſum antea, tributúmque jam, Animæ meæ intellexi? Sit humanis pro Tribunalibus, (ubi, quæ ſumma eſt æquitas, iniquitas nonnunquam eſt maxima) penitùs interdictum: utriúsque partis Cauſas unus ut Actor in ſe ſuſcipiat procurandas: cùm nimirum unius duntaxat integra poteſt eſſe, juſtáque poſtulatio. Non eſt autem hîc mea, meæque Animæ par contentio; quâ periclitatur utriúsque ſalus, neutri, ſinè alterius participatione, aſſerenda: dum alter alteri, ùt Author ad peccandum, & Ad-Miniſter; ita fuit pariter, etiam Co-Actor, ad virtutem. Quô verô convertenda ſecuriùs omnis mea, niſi ſolum ad Eum, fiducia? qui *unus eſt mediator DEI, & hominum*; in quo *complacuit, omnem plenitudinem inhabitare*; *&, per eum reconciliari omnia per ſanguinem.* Per ſanguinem? hæc mea ſpes! unde membris meis omnibus novus vigor accedit: quia nullum, in Corpore JESU mei, membrum fuiſſe cognoſco; quod non cruentô ſudore manaverit: ut membris meis omnibus mederetur. *Quare rubrum eſt indumentum tuum?* niſi, meum in favorem, in commodum, in ſalutem. Erit hinc indignitati meæ prætextus optatiſſimus æquè, ac efficaciſſimus; quia purpuratus, illôque longè

Job. 11. v. 10. *Idem. 9. v. 2. 3.* *Idem. 11. v. 11.* *Pſalm. 142. v. 2.* *1. Corinth. 1. v. 30.* *Lucæ 22. v. 44.* *Geneſ. 3. v. 7.* *S. Auguſt.* *1. Timoth. 2. v. 5.* *Iſaiæ 63. v. 2.*

ſuperior; quô S. Porphyrius, ab Arcadio Imperatore, ſuæ ſupplicationi Cæſareum quondam obtinuit annutum, aliàs deſperatum; niſi, cùm illam ſcriptô expreſſam, Theodoſij Porphyrogeniti, dum ad Patrem portabatur, purpureo tegumento impoſuit. *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum -- inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quantò magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum DEO, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis?* Domine, refugium factus es mihi! Purpuratîs tuîs veſtimentîs me totum induo: nec poſſum hoc ſub velamine non eſſe tutus â Judice; quod miſericordiæ ſpirat odorem, omnémque divinæ juſtitiæ, non mitigat ſolùm, ſed extinguit etiam, alioquin inevitabilem rigorem.

Sur. in vit. S. Porphyrij. 26. Feb.

Hebr. 9. v. 13. 14.

XV. Audio ſanguinem, *meliùs loquentem, quàm Abel: Non, quod ego volo; ſed, quod Tu!* Itanè fixum animô, decretúmque, Servator amantiſſime? *Fiat voluntas tua!* Sed, comprehendêris, & latronis inſtar, funibûs, catenîsque ligatus, vinctúsque, & graviſſimè oneratus, rapieris, inter verbera, multiplicésque percuſſiones, manibûs, pedibûs, fuſtibúsque compulſus, ad iniquiſſima Tribunalia? *Fiat!* Unus, aſſiſtens miniſtrorum, oblitus Majeſtatis tuæ, dabit alapam, palmarem injuriam, innocentiæ tuæ? *Fiat!* Veneranda facies tua conſpuetur â petulantia; velabitur â licentia; percutietur ab audacia; dum in ergaſtulo Cayphæ nox vertetur in diem ab inſolentia? *Fiat!* Apprehendet te Pilatus, & flagellabit; & fluet ſanguis regius in terram, pedibûs proculandus carnificum; concidêrisque, vulnere ſuper vulnus; & dinumerabuntur omnia oſſa tua, ſupra dorſum tuum fabricantibûs peccatoribûs, & prolongantibûs iniquitatem ſuam? *Fiat!* Plectentes etiam atrociſſimam, & ignominiâ omnî refertam, ad uſque cerebri lethiferum ſenſum penetrantem, Coronam de ſpinis imponent ſuper Caput tuum? *Fiat!* Bajulans ipſe tibi Crucem exibis in eum, qui dicitur, Calvariæ locum; & ibi (quid dicam amplius?) crucifigent te, clavîs per manus, pedesque, immiti extenſione, ſuîs junctûrîs emotos, crudeliſſimè tranſactîs; ubi, ad ultimam usque guttam, exſanguî jam corpore (cùm de planta pedis, uſque ad verticem, non erit ſanitas; ſed, vulnus, & livor, & plaga tumens) de latere, per lanceam aperto, exibit ſanguis & aqua? *Fiat!* O Verbum! per quod humanæ cœpit ſalutis exordium; quidnî ſperanda per ipſum pariter ejuſdem eſt conſummatio? An ergo peri-

Hebr. 12. v. 24. Marci. 14. v. 36. Matth. 26. v. 42.

Iſaiæ. 1. v. 6. 7.

periturum timeam Corpus meum? pro quo ſpondet ipſa Veritas: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Quid nunc ſupereſt? *Noli timere!* confirmor ex Auguſtino: *Si enim in hac vita commiſit ſe homo diſertæ linguæ, & non timet: committis te Verbo; & perituras es? Clama: Advocatum habemus apud Patrem!* Jam acquieſco. *Dominus DEUS, auxiliator meus! Ideò poſui faciem meam, ùt petram duriſſimam; & ſcio: quoniam non confundar. Juxta eſt, qui juſtificat me! quis contradicet mihi? Stemus ſimul: quis eſt Adverſarius meus? Ecce Dominus DEUS auxiliator meus! quis eſt, qui condemnet me?* Ille ipſe eſt Advocatus meus; *qui peccata noſtra ipſe pertulit in Corpore ſuo.* Amen.

Iſaiæ. 50. v. 6.

S. Auguſt. in 1. Joann. 2. v. 1.

Do- Iſaiæ. 50. minus v. 7. 8. & ſeqq.

1. Petr. 2. v. 24.

FERIA II.

POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ.

SERMO QUARTUS.

Forum I. Juſtitiæ Divinæ:

Oliveti Mons, in Horto Gethſemani.

Actio I. De Contumacia: *Contra eos,*

Qui, tertiam poſt Citationem, ad ſupremum Tribunal,
Non tantùm non comparuerunt,
Sed etiammùm obſtinati, comparere detrectant,
Horam, quæ ad pacem ipſis, negligentes,
Et Chriſtum Advocatum parvî pendentes.

Actor I. Diabolus;

Qui, Servatorem ab officio ſuſcepto averſurus,
Et, ad odium, in reos, concitaturus,
Laborem omnem, ab eo, fruſtra collocatum iri contendit.

Myſterium I. & Actionis Argumentum:

Somnus Diſcipulorum, Iteratîs vicibûs, â Magiſtro ſuo,
Ad officium ſuum (vigilandum ſcilicet) excitatorum.

Tessera.

Et vênit ad Discipulos suos; & invênit eos dormientes.

Et vênit iterum; & invênit eos dormientes.

Et iterum abijt, & oravit tertiô: Tunc venit ad Discipulos suos, & dicit illis:

Dormite jam, &c.

Surgite! Eamus. *Matth. 26. v. 40. & 46.*

I. AXioma vetus, &, ex eo, receptus jam, perpetuúsq; Tribunalium, ac Judiciorum usus, & Aphorismus est: *Actor debet sequi forum Rei.* Nemo proinde quærat: cur, hodiè constituta, prima, contra maleficum hominem Actio, transigenda sit in horto Gethsemani? Nullus enim tam est primævæ nostræ, communis omnium, prævaricationis ignarus; qui nesciat: primum hominem, primum quoquè Malefactorem, in horto fuisse; primámque, eodem in foro, in quo, reus violati præcepti, suâmet â conscientia convictus fuerat, vindice divinâ justitiâ, promeritæ damnationis accepisse sententiam. Hortus ergo, primi primum peccatoris Domicilium (*tulit* enim *Dominus DEUS hominem*, & *posuit eum in paradiso voluptatis*) primum, ut sit hominis malefici forum, conveniens legi videtur: cùm prima pariter, ejusdem persecutio criminalis, in horto susceptа, perfectáque fuerit, etsi non omninò contumacis, ad speciem tamen reluctantis, & judicium declinantis. Quid enim, nisi, prævia jam, facta citatio, per illam, veluti subsumptam reprehensionem arguitur? *Et, cùm audissent vocem Domini DEI, deambulantis in Paradiso, ad auram, post meridiem, abscondit se Adam, & Uxor ejus, â facie Domini DEI, in medio ligni paradisi.* Præcesserat ergo, (*cùm audissent vocem*) prima vocatio: nec ea sola fuerat; sed & altera mox insecuta, successerat: *Vocavítque Dominus DEUS Adam.* Quin, etiam tertiô, quis abnuet, advocatum â DEO? cùm dicit ei: *Ubi es?* Audivit repetitas â Judice compellationes, mali conscius, maléque sibi metuens, reus, vel inde jam, contumax, jure censendus; quòd primæ vocaca-

L. in Crimin. 5. C. de Jurisdict. omnium Judic. l. juris ordinem. 2. eodem tit. &c.

Genes. 2. v. 15. L. 2. c. de Jurisd. omn. judic.

Donell. 17. Comment. Cap. 17.

Genes. 3. v. 8.

Ibidem v. 9. 10.

cationi reſpondere detrectans, quæſitîs inſuper latebrîs, judicio ſe ſubtrahere contenderit; prout, in anguſtijs deprehenſus, ineluctabilî tandem confeſſione, nolens, volens, aperire coactus eſt: *Vocem tuam audivi in paradiſo, & timui; eô, quòd nudus eſſem; & abſcondi me.* Ipſa quoquè de paradiſi ſtatione proſcriptio; adjectáque reddendæ ſatisfactionis obligatio; ùt, & cauſæ deinceps coram judice, tam dicendæ, quàm audiendæ denegatio (quæ, trinæ contumacium pœnæ ſunt) manifeſtam faciunt, malefici primi, deprehenſam, caſtigatámque, primam in horto Contumaciam. Nam, quod primum attinet: *Emiſit eum Dominus de paradiſo voluptatis, ejecítque Adam; & collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atquè verſatilem, ad cuſtodiam.* Quis exulem, proſcriptũ, &, ut verbô loquar notô, Bannitum, non jam videt? Sed, nec agere ſuam porrò cauſam permiſſus eſt; &, ad ſatisfactionem, impoſitâ, ſudoris, & laboris, dirâ neceſſitate præſtandam damnatus eſt: cùm, latâ ſententiâ, dictum ei: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctîs diebûs vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi. In ſudore vultûs tui veſcêris pane tuô; donec revertaris in terram, de qua ſumptus es.* Cùm igitur violati, non ſolùm præceptî, ſed etiam, declinati per contumaciam ſupremi judicij, primus, in horto, ſit reus inventus; primam oportebat, adverſùs maleficum hominem Actionem, in eodem ordiri loco; præſertim, quòd pro eodem, ipſe ſuam illi opem, patrociniúmque primum, cœleſtis Advocatus addixerit. Ruperti namquè conjecturâ, *Pulchrè in horto voluit Adam ſecundus inveniri: quia videlicet primus Adam in horto inobediens eſt inventus.*

II. Nec ab hoc aliena myſterio videtur illa, ter abrupta, totiésque repetita precatio; quá ſuſceptam in ſe Cauſam hominis, tripliciter obnoxij, mitigaturus, paternæ priùs voluntati, trinâ ſubmiſſione ſe ſubjectum, Servator afflictiſſimus obtulit; primò confeſſus: *Pater mi! ſi poſſibile eſt, tranſeat â me Calix iſte. Verumtamen, non ſicut ego volo; ſed ſicut tu!* Et iterum, ſecundô dicens: *Pater mi! ſi non poteſt hic Calix tranſire, niſi bibam illum: fiat voluntas tua!* Idquè, tertiô reſumens, eôdem ſermone teſtatus, & proteſtatus eſt. Fuit quidem Hebronenſis Epiſcopi ſuper hâc, trinâ Domini deprecatione, cum iteratâ toties, conformatæ voluntatis declaratione, pia non minùs, quàm ingenioſa cogitatio: voluiſſe nimirum innuere: *Tria nobis in omni Oratione petenda: remiſſionem culpæ; collationem gratiæ; adeptionem gloriæ. Vel, ut nos erudiret: Circa pec-*

Ang. per gl. ſing. ib. in L. 2. C. quomodo, & quando Judex. ante fin.

Geneſ. 3. v. 10.

L. de ætat. §. quia tacuit. ff. de interrog. Act.

Ayrer. in Proceſs. Hiſtor. p. 1. cap. 4. obſ. 3.

Caſtrenſ. in L. 1. §. f. ff. de off. ejus, cui mand. jurisd.

L. Conſentan. 8. C. quomodo, & quando Judex.

Geneſ. 3. v. 17.

Rupert. Abb. Lib. 13. in Joann.

Matth. 26. v. 39.

Ibid. v. 42.

Ibid. v. 44.

Fornerus in Parad. mal. Punicor. Tom. 1. Conc. 79. Idem habet & Rabanus,

cit. à Sylveira. Tom. 5. Lib. 8. c. 2. q. 15. n. 133. in Ev.

peccata noſtra, tria nobis â divina Majeſtate poſtulanda ſubſidia: remiſſionẽ præteritorum, tutelam præſentium, cautelem futurorum. Videntur autẽ hæc, ùt ùt ſanctè cogitata, nihil ad præſens conferre propoſitũ. Illud affine magis, & reâpſe ſentiendũ exiſtimo: Malefici hominis crimen omne, quô, vel ex mente, vel ex verbo, vel ex opere, reus tenetur, hâcce triplicî præmiſsâ ſponſione, contra quasvis accuſationes, non modò diluendum, ſed etiàm expiandum, (ut integra ſtet ejus, ac certa ſalus,) ab Advocato divino jam ſuſceptũ eſſe.

III. Quin &, frequentata tertiò Diſcipulorum, ſomnô gravatorum, admonitio, fideles ad vigilias excitans, ipſam hanc ſolicitam voluntatem confirmare videtur: cui non ſatis erat, initiô, dixiſſe: *Suſtinete hîc, & vigilate mecum*! hortatus inſtitit: *Vigilate, & orate! ut non intretis in tentationem*: cùm ſcilicet, *venit, & invênit eos dormientes.* Nec inde deſtitit; ſed, abruptâ deniquè precatione, quia periculô jam præſente, tertiâ poſtulatione, fidelem ſuorum aſſiſtentiam, poſt ironicâ oſcitantiæ reprehenſionem, ſolicitus Excitator popoſcit: *ſurgite! Eamus!* An injurius eſſem? ſi dicerem: ter, â Magiſtro vocatos ad officium Apoſtolos, velut ſurdos, obſequio defuiſſe? nec defuiſſe tantùm; ſed ſegniter obſtinatos, per ſocordiam, ſomniquè nimiam indulgentiam, neglexiſſe monentem, ſpreviſſe inſtantem, &, quâdam ſpecie contumaciæ, quô provida ſalutis cura vocabat, ſequi, ſeſequè ſiſtere noluiſſe? Certè S. Remigius non dubitavit aſſerere: Cunctationem iſtam Diſcipulorum, ad vigilias, precésque, coram DEO faciendas, â Servatore, frequentatîs excitationibûs vocatorum, arcanam fuiſſe cauſam, iteratæ toties ab eodem Orationis: *Ter* inquit, *orat Chriſtus; pro Apoſtolis. Subditorum enim lapſuî, ſuperioris ſolicitudo, ac providentia reſpondere debet*; utì, de ſuo, doctiſſimus adjecit Sylveira. Triplex igitur hæc, in ſalutis negotio (quod omnium aliorum negotiorum ſummum eſt) &, ipsô quidem, inchoatæ jam ſalutiferæ Paſſionis tempore, ſtertentium Apoſtolorum ſegnities, (quâ, ter admoniti, ter cunctati, ne cordis quidem ullô ſuſpiriô, nec vocis, etiam exiguæ confeſſione, nequè manûs, levî tantùm extenſione, voluntatem ſuam teſtati ſunt, oblatæ ſibi gratiæ obſequentem) arcanâ quâdam vî, frequentandam toties orationem Servatoris efflagitavit.

Matth. 26. v. 38.

Matth. 26. v. 46.

S. Remig. cit. à Sylveira. locô jam cit.

IV. An autem ſocordia tanta non æquiſſimè vapulet, omnî ſeveritate? Quid indigniùs, & maximâ digniùs indignatione? Dux belli novi, nullâ corporis parte, profluviô cruoris vacat, ex

ex agone, quem ſubijt : Milites autem ejus non ſolùm extra conflictum in umbra deſident ; ſed, ignavo ſopori ſtertentes indulgent. Non ità quondam gentilis Temiſtocles ; qui, noctes integras inſomnes non agere, turpe cenſuit ; aliud non obtendens, quàm : *Miltiadis trophæa me de ſomno ſuſcitant.* Hoſtes conjurati, procul omnî quiete, vigilant in exitium, ac internecionem, clandeſtinîs inſultibûs inferendam : &, qui periclitantur, in utrámque dormiunt aurem cum Amyclis. Non ità ſegniter olim Hannibal. Quamdiù Scipionem infeſtum ſibi novit, &, armatum inſidiari, nunquàm adduci potuit ; ut, vel obrepentem admitteret ſomnum ; vel noctem integram non excubaret, & loricâ quidem, gravatus magis, quàm obarmatus. Quod autem indignationem concitatam auxit, illud præcipuum eſt : admonitos videlicet, univerſos : agi rem ſuam ; adeſſe diſcrimen ; ſalutem in ancipiti ſtare ; Satanam inimicum, & vicinum eſſe, &, tantùm non indeptâ facultate, manu tamen jam extentâ, petiviſſe : *ut cribraret, ſicut triticum.* Imò, certos etiam, & aſſecuratos, de Magiſtri ſui ſolicitudine, providentiâ, dilectione, per verbum : (*Ego rogavi ! qui vos adduxi*, prout commentatus eſt Origenes, *ut collaboretis mecum in vigilijs, & Orationibus*) vel ex hoc ipſô ſegniores evaſiſſe, totâ ſalutis procuratione, per ſocordiam ſupinam, in ſolum, non ſinè gravi injuriâ, Servatorem rejectâ.

Origines. cit. à Sylveira loc. cit. q. 14. n. 124.

V. Verùm, quid ſopitis altè Diſcipulis indignor ? Quid, eos defuiſſe ſibi, ſuóque Magiſtro, ſuæque ſaluti queror ? Adeſt idem hodie, qui tum, in horto Gethſemani, contra ſtertentes Apoſtolos furioſus accuſator, *petivit ; ut cribraret* eos, Actione non frivolâ, ſed, ob eorundem, *Lucæ 22.* utì jam dixi, contumaciam. Cui, *v. 31.* ſi quid ad omnem perfectæ contumaciæ cenſuram defuit, non deeſt idem in plurimis hodie Chriſtianis. Ipſe enim ille Satanas, adverſarius Actor, allegat Hominis Malefici citationes, non ſemel, ſed ſæpiùs jam, *tertiá* repetitione exaggeratas, per Verbum. Et primò quidem ; *cùm in monte oravit, tertiò, eundem ſermonem,* toties, in terram procidens, & inclamans : *Terra ! Terra ! Terra ! audi ſermonem Domini !* Urget itidem, ab eodem parabolicè præmiſſam, ipſius Verbi, trinam rurſùs omnî vacuam effectu, diſperſionem divini ſeminis, cum occultô, per eam ſignificatô, ſupernæ Vocationis judiciô. Verùm, & de hoc *aliud cecidit ſecùs viam.* En ! primam vocationem inanem : nam, *conculcatum eſt.* Alterum cecidit ſuper petram ; *Jerem. 22. v. 29.* *Lucæ. 8. v. 5. 6. 7.*

Sera in Synon. apparatu, ex Virgil. lib. 10. Æn.

Godefrid. Lit. Con. 7. in ſacrif. Veſpert.

Plutarch. in Temiſtocle.

Lucæ 22. v. 31.

Ibidem.

&, in hoc, etiam ſecunda vocatio pariter eluſa : *aruit* enim ; *quia non habebat humorem.* Tertium denique *cecidit ſuper ſpinas*, fruſtraneâ pariter, & hâc, ùtùt inſtante poſtulatione : *quia ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud.* Nec in his, de juſta Contumaciæ redargutione quieſcit Adverſarij inimica perſuaſio. Illud adhuc, ex eodem Evangeliſta, ſuperaddit argumentum, factæ ter, ſed, obſtinatè ſemper excuſſæ, deſpectæque citationis ; quæ *vocavit multos*, neminem tamen ex omnibus, vocati qui fuerant, habuit obſequentem. Primus enim, ſumptô, de villa nova prætextu, ſanè ruſticô : *villam*, inquit, *emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam : rogo te, habe me excuſatum.* Nec civiliùs alter, animalis videlicet homo, brutum obtendit impedimentum, qui *dixit : Juga boum emi quinque, & eo, probare illa : rogo te, habe me excuſatum.* Sic tertia quoquè provocatio, per quæſitam potiùs, & procuratam, quàm, legitimam rejecta. fuit abſentiam, ab eo ; qui nihil aliud prætendere ſuæ potuit contumaciæ, quàm : *Uxorem duxi ; & ideò non poſſum venire.* Hîs autem omnibûs, adverſùs communem fidelium ſocordiam, in ſalutis negotio, benigniſſimis Domini ſui vocationibus reluctantem, non ſinè ſurore prolatîs in medium, ipſi quidem benigniſſimo Servatori, Diabolus accuſator exprobrare non veretur hanc fidelium pertinaciam deteſtandam ; quâ, poſt iteratas, exactô jam ſuperiorî triduô, quotidianas citationes, non pauci, iique forſan iniquiſſimi, Tribunali Juſtitiæ divinæ reſerato ſeſe ſiſtere, non modò cunctantur etiamnùm, ſed omninò detrectant ; etſi notum eis, perſuaſúmque jam ſit : Cauſas omnium, ex miſericordiæ Codice, per doloroſiſſimæ Paſſionis prævalentes Rubricas illuſtratô, nunc, ab Eodémmet excuſatum iri ; qui, cùm Dies ejus advenerit, pro poteſtate, quam accepit â Patre, ſeverô tum, & inexorabili judiciô, cùm cætera quidem peccata omnia, tum vel maximè, contumacem iſtam opportunæ ſalutis negligentiam condemnabit æternùm.

Luc. 14. v. 16. 18. 19. 20.

VI. Adeſt ergo Dæmon Actor, in eos conversâ, totâ ſuâ perſecutione criminalî, dicturus hodie, mê tacentè ; qui ſacrô Quadrageſimæ tempore, (id eſt, *in diebus iſtis, quæ ad pacem ipſis*) negle-ctâ propriæ ſalutis curâ, paſſíque, propter eam, Redemptoris commemoratione faſtiditâ, nullâ causâ, vel publicâ, vel privatâ impediti ; ſolô tantùm genij liberioris arbitriô, ſeſe ſubtrahunt Actionibus conſtitutis. Hoc autem in propoſito mirum videtur meritò ; nec ſatis perſuadere mihi poſſum : cur eò de-

Lucæ 19. v. 42.

cri-

crimine præſumat accuſare Satanas homines coram DEO; cujus nemo, præter ipſum, potior eſt Auctor, in extremũ humanæ ſalutis diſpendiũ, diabolicæ verò nequitiæ ſuæ ſumum emolumentũ? Audiatur autem ipſe, proteſtans.

VII. Videbor forſan inimicus eſſe mihi? dum præſens, ait, argumentum aggredior perſequi: cùm nullâ magis ex re, meorum conatuum progreſſus, effectúsque, vel ſiſtantur, vel, ſi qui jam etiam cœpti ſunt, evertantur; atque, ſacrorum ſermonum, & verbi divini perceptione. Quod enim Angelus ille Thomas pronunciavit; nemo dubium exiſtimet: Ipſe confiteor, expertus millies, damnô meô, meorúmque, multiplicî: *Verbum DEI ſcutum animæ fidelis, ad protegendum; & jaculum acutum, contra inimicum*; quô nullum penetrat magis, & intima profundiùs vulnerat. Imò, quod in ſua Claravalle declamavit, myſticâ clariſſimus Theologiâ Bernardus, nemo noſtrûm expugnabit unquam. Per Conciones enim amitto, quos perdo. Omnis quippè mea tentatio in aperto eſt, & ideo, ſinè viribus; *cùm quærit Anima verbum, cui conſentiat, ad correctionem; quô illuminetur, ad cognitionem; cui innitatur, ad virtutem; quô reformetur, ad ſapientiam; cui conformetur, ad decorem; cui maritetur, ad fœcunditatem; quô fruatur, ad jucunditatem.* Nec eſt in omni meâ, quá multùm polleo, ſophiſticâ, callidâque verſutiâ quicquam; quô prævalere contra Bernardini Senenſis effatum illud, vel minimùm poſſim, quô certos eſſe jubet omnes: quòd, *ſi Virgo, vel nupta audit Verbum DEI, addiſcit prudentiam ſerpentis, & puritatem columbæ, & fraudes hominum; ut ſciat ſuam pudicitiam, & virginitatem cuſtodire.* Nihil mihi perſuaſum eſt adeò; quàm, quòd ille Centurio, qui publicam in Calvariæ monte Fidei profeſſionem de Chriſto fecit, exclamans: *Verè hic homo Filius DEI erat!* meâ nunquam evaſiſſet ex poteſtate; niſi Verbum, è Cathedra Crucis perceptum, altè adeò in animum admiſiſſet, videns: *quia, ſic clamans, expirâſſet.* Eſſet profectò, niſi Verbum hoc percepiſſet, ille, meus hodiè, cujus & Judas eſt, ultimô ſepultus Infernô; qui, *cùm accepiſſet buccellam, exivit continuò*; &, exinde perijt; (negare nequeo cauſam, âb Euſebio, Damaſceno, & Joanne Chryſoſtomo proditam) *quòd in Oratione*, quam, â Cœna, Dominus Diſcipulos ad ſuos inſtituit, *non perſtitit: niſi enim exiviſſet ille, proditor factus non eſſet.* Quodſi Magdalena non fuiſſet in Domo Phariſæi, audiens Verbum DEI; meis illa retibus involuta, permanſiſſet *Mulier, in Civitate peccatrix.* Foret ipſe forſan Auguſtinus, qui nunc Eccleſiæ

S. Thom. Opuſc. 8. Cap. 18. num. 1.

S. Bernard. ſerm. 85. ſuper Cant.

S. Bernard. Senenſ. cit. â Manſ. in Bibliothecâ, Tom. 4. Tract. 83. Diſc. 12. num. 7.

Marci 15. v. 39.

Joann. 13. v. 30.

Euſeb. cit. & S. Damaſc. l. 2. Parall. cap. 15. S. Chryſoſt. homil. de Bapt. Chriſti.

Luc. 7. v. 37.

Manſi cit. Diſc. 10. num 6. Item Lohner, Tom. 2. Bibl. Edit. 1. fol. 921. n. 14.

ſiæ Chriſti magnum lumen eſt, æternis in tenebris Manichæorum Caput infelix; niſi, divinis Ambroſij monitis obaudiens, Auditor ſtetiſſet. Neque Tolentinas Nicolaus, ejuſdem Auguſtini ſectator ferventiſſimus, inſidias meas, adeò ſemper glorioſè, conſtantérque ſuperâſſet; niſi de ſuggeſto ſuſcepta veritas, animum ejus totum, abſtractum ab amore Mundi, ſibi vendicâſſet. Non haberent inter ſanctos, nequè locum, nequè nomen Thaiſis cum Pelagia; ſi Nonnum iſta, loquentem ad Cor, illa Paphnutium, â flagitijs dehortantem, & ad pœnitentiam invitantem, audire declinâſſent. Tota quippe ſalutis humanæ negotiatio, progreſſus, & conſummatio, DEI Verbum eſt.

VIII. Hæc, ùtùt perſpicua mihi ſunt, non potui tamen impetrare â me; ne reos agerem eos, apud tuum æquiſſimum Tribunal, O Judex tremende! quos reperi ſanctiſſimis tuis, & benigniſſimis citationibus, cum tanto ſuæ ſalutis diſpendio contumaces. Nec enim eò ſe meus inclinat hic ſermo; ut aliqua inde vel emendatio, vel integræ ſequatur vitæ converſio; quam, ex cognita plurium pertinacia, deſperatam jam habeo, & ejuratam planè, palàm prolatîs eorundem temerariîs, & impiîs verbîs teneo: graviorem volo damnationem illorum hâc ipsâ de causâ; quòd, flagitioſi cùm ſint, & vitiîs graviſſimîs, fœdiſſimîsque inquinati, media tamen tam opportuna ſalutis, imò Mediatoris ipſius DEI patrocinium oblatum, certúmque auxilium, renuant per aures admittere; atque ità, pertinacî ſuâ voluntate, utì, malîs jam aſſuetîs inhærere, ità, & perire potiùs, quàm audire, (contumaciâ deſeri dignâ) decernant. Hoc enim exaggerando, nullus dubito (quod & ſumma votorum eſt) fore: ut, qui cauſis omnium excuſandis, itáque ſubtrahendis mihi, peccatoribus univerſis, Advocatum ſe futurum addixit, ſalvîs cæterîs, eos tamen, interventu ſuo deſtitutos, mihi relinquat; qui nec Ipſum quidem Servatorem ſuum, audire ſuſtinentes, indignos, & Ejus patrociniô, & DEI regnô ſe reddunt. Quid autem in malitia tanta, tantáque chriſtiani nominis, & fidei contaminatione, quæ videtur eſſe quædam Univerſitas iniquitatis, capitis inſtar, maximè perſequar, vix diſcerno. Vides ipſe; quàm ingrati, tui ſint tibi, O Chriſte! Chriſtiani; qui, cùm ex infinitâ charitate tuâ, quâ tam dira & enormia, dignatus es pati, copioſè redemptos eſſe ſe nôrint, ingeri tamen ſibi tam pretioſæ redemptionis, & amoroſæ non minùs, quàm

quàm amaræ Paſſionis memoriam nolint. An aliud, ab hoc, olim, tuô queſtus eſt nomine, lamentans vates? *Inventa eſt conjuratio in viris Juda; qui noluerunt audire verba mea. Conculcaverunt partem meam: nullus eſt, qui recogitet corde.* An ſupinam, inexcuſabilem, &, nullâ dignam veniâ negligentiam illorum, ſocordiámque, vel ipsis nobis, jam damnatis, execrabilem, præ cæteris infenſiùs arguam; ex qua negotium negotiorum ſummum, ſic in poſtremis habent, & nullâ ſuâ curâ dignum; ut ad id, ex quo ſubſidium omne contra peccati jam inolitum virus, inveteratáque mala animæ certum, & unicum propè, atque efficaciſſimum colligendum eſt, neque pedem elevare, nec vel unico ſe paſſu movere, conferreque velint? Exaggeravit hoc jam aliàs Maſſilienſis ille Presbyter objurgatione vehementiſſimâ: *Quis furor? viles â vobis animas veſtras haberi; quas etiam Diabolus putat eſſe pretioſas?* De ſuperbia creſcit hæc averſio: contemnitur enim omne, quod è ſuggeſto, vel mores inſtruit, vel vitia corrigit, vel Mundum redarguit, vel injuſtitiam damnat; vel ad leges, ex præſcripto ſervandas compellit; vel, ab indomitâ libertate diſſolutam vivendi licentiam coërcet; &, quidquid denique, contrarium vanis amoribus, profanísque moribus, Evangelium, & Apoſtolicam doctrinam ſapit, ùt ſimplex, & rudî Minervâ natum diſplicet; vel, ùt Cuculli moroſi partus exploditur, faſtiditur, ſubſannatur: utì quondam, rebelles majeſtati tuæ, filij Iſraël, miſſos ad ſe nuncios tuos, tui Verbi præcones, contempſiſſe feruntur: *ſubſannabant Nuncios Dei, & parvî pendebant ſermones ejus, illudebántque Prophetis.*

Jerem. 11. v. 9. & 12.

v. 10.

2. Paralip. 36. v. 16.

IX. Accedit his, quæ jam commemoravi, gravis inſuper, quæ tuæ ſummæ Bonitati per abſentiam tam protervam irrogatur, injuria. Cùm enim iſtimet ipſi, qui ſe ſaluti ſuæ deſtinatis Actionibus hoc tempore ſubtrahunt, nullô non diê, imò, ipsîs illîs horîs, quas animarum ſuarum lucro deberent impendere, luſui, nugis, pravisque, & perniciosîs conventiculis, ingentî ſuô detrimentô, tuâ verò ſummâ cum offenſione, nullius moleſtiæ, vel incommoditatum, etſi plurimarum, unquam pertæſi, vacent impenſiſſimè; gravari nimiùm ſe queruntur vel eô minimô; quod horæ forſan unius impendiô, debitæ erga DEUM ſuum pietati, & neceſſarijs ad æternam felicitatem adminiculis comparandis, &, omnî procul incommoditate, tribuendum fuiſſet. Nimirum (utì quondam indignatus Theophylactus) *multi colunt DEUM, ſed non ſunt*

Salvianus. Lib. 3. ad Eccleſ.

Theophylact. in Joann.

ſunt ſervi ejus; ut, qui non faciunt opera, ipſi placentia. Nec ſatìs eſt illis: injurios eſſe ſupremo Numini. Contumeliâ ſuperadditâ malitiam ſuæ vilipenſionis exaggerant. Petulanter enim, & Ambroſij favum, & Chryſoſtomi aurum, & Hieronymi lumen, & Auguſtini acumen, & Gregorij mores, & Salviani Criſes, in ludicra, ſcurrilésque ſannas, & perverſæ ſuæ mentis abſurdos conſenſus depravant: quin, & ipſa tua ſacro-ſancta dogmata, divináque ſcripturarum oracula, in proverbia, fabulásque, ſacrilegâ perverſione detorquent: ut ſacra tuorum Oratorum authoritas non jam vanè triſtari debeat, conquerique cum illo; qui, taliter offenſus, ingemuit aliquando: *In eorum canticum verſus ſum; & factus ſum eis in proverbium.* *Job. 30. v. 9. 10.* *Abominantur me, & longè fugiunt â me, & faciem meam conſpuere non verentur.* Inſaniam iſtorum non vacat perſtringere multîs. Quid enim â recta ratione poteſt eſſe magìs alienum? quàm, errare; & reſpuere doctrinam: delirare; & excutere directionem: famere; &, oblatum etiam, alimentum abjicere: ægrotare; &, ultroneam execrari medici curam: jacére proximum igni; &, abſtrahere volentibus, indignari: periclitari causâ, capitê, vitâ; nec juvari velle: ſed, auxiliũ omne, patrociniúmque ſalutis indè conſequendæ repudiare, faſtidire, deteſtari? Ità nimirum *ſapientiam, atq; doctrinam ſtulti deſpiciunt*; &, *non recipit ſtultus verba prudentiæ.* Unum ſupereſt, quod meô quidem judicio, ſi ſolum eſſet, ſufficiens foret, ad avertendam, â, tuæ legis, & Nominis iniquis Confeſſoribus, pronâ tuam, eos adhuc protegendi, benigniſſimam voluntatem. Opprobrium illud enorme prorſus eſt; quod ex eorum divulgatô jam, etiam inter gentes, neglectu, contemptu, odióque ſalvifici verbi tui, non ſinè ſuſpicione, ſeu falſitatis, ſeu pravitatis, ſacro-ſancto Evangelio tuo, intemeratæ religioni tuæ, Tibíque ipſi, & amoris infiniti plenis, Tuæ Paſſionis myſterijs, tuis denique ſervis omnibus, &, legis tuæ divinæ zeloſiſſimis Prædicatoribus irrogatur. In hoc bilem ſuam juſtam M. Albertus eructavit, exclamans (quod negare non poſſunt) *Homicidæ ſunt, quantùm in ipſis eſt, & DEI, & Prædicatorum ejus; nec non, animæ ſuæ!* *Proverb. 1. v. 7.* *Ibidem. 18. v. 2.* *M. Albert. ſerm. 24. Domin. 20 poſt. Trinit.*

X. Jam autem, ut meo de ſenſu loquar, illud mihi fixum, firmúmque ſtat animô: ſi ſe tales, illi, quos arguo, citationibus exhiberent meis; cùm, per Emiſſarios, ad officia mihi præſtanda, temporibûs etiam incommodiſſimîs voco: cùm ludos, & choreas indìco: cùm ad quietæ

quietæ noctis moleſta conſortia venire jubeo: cùm ad ſpectacula, vel, properantibûs per nives frigidas trahîs facienda, vel, æſtivi caloris angoribûs propè ſuffocantibûs, ùt ajunt, intuenda, compello (etſi nihil in his omnibus, quàm temporaneum ſimul, ac perpetuum eorundem interitum, ad quem univerſa tendunt, requiram) ſi tamen ad hæc mea, (fas ſit verbô, dicere:) feſta, tam ſegnes, tam difficiles, tam rari, moroſique, imò, tam nulli forent; itáque meos, nè dicam conatus, ſed nutus, indicatos tantùm, aſpernarentur: næ ego laborem omnem, perdendis ipſorum corporibus, & animabus, unicè deſtinatum, execratus pridem deſeruiſſem. Eſt autem, haud exiguâ tuâ, O Aſſertor animarum! injuriâ, fervor tantus, ac promtitudo tuorum, in obſequia mea, fidelium; ut horæ præveniantur, & minuantur â frequenti concurſu ſubſellia; &, nemo ſe deſiderari, vel expectari patiatur; fiátque, cùm in perſeverando æmulatio; tum in ſuſtinendo concertatio; in prævalendo demum (quamvis ardua ſint, & vires corporis, & ſumptus æris exhauriant) immodica gloriatio. Nemo tunc intemperiem aëris cauſatur; nemo locorum intervalla, nimiámque diſtantiam; nemo moræ, protractíque temporis faſtidia; nemo ſociatæ multitudinis, &, exinde, vel incommodæ, vel, nimiùm arctæ Stationis moleſtias, ut abeſſe poſſit, obtendit: cùm per hiſtriones aperiuntur obſcœnæ ſcenæ; cùm noctes exiguntur ad orgia; cùm ad convivia ſumptus coguntur; ludíque, ſaltúsque, curſúsque, & excurſus, maximîs impendiîs abſolvendi decernuntur, in tui etiam Nominis, & Numinis contumeliam; animarum verò, & corporum ipſorum diſpendium. Et hæc illi, mihi; qui nihil unquam eis beneficij contuli; non paſſus, non Crucifixus, non mortuus pro illis, ſed omnî conatu ad utrámque mortem illis inferendam, diû, noctûq; intentus ſum, & fui. Hoc enim verò eſt, (utì quondam Apoſtolus tuus ingemuit) *â veritate auditum avertere; ad fabulas autem converti.* Hoc eſt (quod per Jeremiam olim exprobrari feciſti) *Derelinquere Dominum DEUM, eô tempore, quô ducebat per viam; &, in vijs Ægypti, bibere aquam turbidam.* Hoc eſt: relinquere templum Domini; &, ad vitulos in Excelſa contendere, manifeſtâ impietate.

2. Timoth. 4. v. 4.

Jerem. 2. v. 17. 18.

3. Reg. 22. v. 30.

XI. Atquè iſtorum Tu, Cauſam, O mitiſſime Servator! deſpectus, & offenſus adeô, ſuſcipere tamen, eóſque merito ſupplicio ſubtrahere, &, â perditione aſſerere conſtituiſti, rebelles lumi-

lumini, ſalutis contemptores, veritatis oſores, gratiæ contumaces? Mitto iſta, nec urgebo porrò. Eſt enim, quod ampliùs fortè commovere poterit animum tuum, eúmque â patrocinio, quô ſunt indigni, prorſùs avertere. Non illi, Tibi, tuísque divinis auxilijs obſtinatè ſe, ſoli ſubducunt: alios unà ſecum, qui tuis quidem officijs addicti, devotíque ſunt, in cumulum delectorum ſuorum, abſtrahunt â ſacris obſequijs; detinent â progreſſu virtutis; impediunt â cognitione Veritatis; avertunt â doctrina ſalutis, privántque mediîs illîs; quibûs inſtructi, munitíque, tueri ſe contra peccata, &, in mandatorum tuorum obſervatione religiosâ ſtare fortiter, conſtantérque valuiſſent. Quantus, cum illis, famulorum grex, quos domeſticorum obſequiorum ſupervacanea negotiatio, vel ad excubias atrij, vel ad miniſteria muliebris mundi, vel ad ſuggerendas curioſi potûs illecebras, vel ad inſtruenda pro nocturna Congregatione ſubſellia, vel ad ſolum duntaxat, apparatûs numeroſi, pompæque famularis otioſum ſplendorem, domî tenet, velut compeditos, ab eorum impeditur myſteriorum, ac dogmatum divinorum notitiâ; quorum ignorantiâ, cùm ipſi, tum & inferiores, eorundem curæ ſubjecti, Chriſtianæ juſtitiæ nec elementa quidem prima perſpiciunt; nec ad officia tam ſanctæ legi debita, pro ſua unquam obligatione pertingunt? Præter hos autem domeſticos (quorum tamen neglecta cura, vel ipsîs infidelibûs deterior impietas eſt) quanta cognatorum, quanta familiarium, quanta aſſentatorum, quanta amicorum, amicarúmque, & eorum denique turba, â ſalutari participatione cœleſtis doctrinæ, partim abſtrahitur, partim arcetur; qui favores aucupantur, aut amores nundinantur, totíque pendent ex nutu, vel Benefici, quem tantùm non adorant; vel Dilectæ, cui plùs, quàm DEO, placere laborant? Sequuntur enim regulam ſuam appendices hujuſmodi exleges; & ideò, tam alienam â prima regula, rectâque legê, vitam agunt; quàm alieni ſunt ipſi â Verbo DEI; per quos, ab ejuſdem perceptione, &, quæ conſequeretur, viæ, veritatis, vitæque cœleſtis cognitione ſeſe diſtrahi, avertíque patiuntur. Si autem omnes hi deficiunt in ſalutis via; ſi, quæ ſcire debent, ignorant; ſi, quæ ſunt vetita, non cavent, &, quæ ſunt mandata, non implent; ſi Chriſtianum nomen, & legem, & Eccleſiam, vitâ gentium, inter fideles deteſtandâ, infamant; itáque demum in gehennam ruunt (quamvis ex eo non exile

1. Timoth. 5. v. 8.

mihi

mihi lucrum, cumulatâ perditione tot animarum accedat) quanto tamen Crimini videbuntur, & judicabuntur obnoxij; qui damnationis adeò multiplicatæ, per ſummum exaggeratæ jam Contumaciæ ſuæ ſcelus, authores fuiſſe convincuntur? Taceo diras, execrationes, &, cum amaris, graviſſimísque ſuſpirijs, querulas eorum voces; qui, teneriorî quâdam pietate, Chriſtianis inſtitutis addicti ſunt, eáque, quæfaciunt ad ſaluté æternam, avidâ fame concupiſcunt. Cùm enim iſti, pabulô cœleſtî deſtitutos, &, vitæ ſanctioris adjumentîs, ab eorum impietate ſe privatos, experiuntur; quorum dominatu conſtricti, dum ſubſunt, arcentur: næ illi totam ſuorum omnium delictorum culpam in eos exonerant; & vindices è cœlo pœnas, gemitibûs, ac lamentîs juſtîs expoſcunt; exacerbati ſcilicet, tum, ob ſubtracta ſuarum animarum ſolatia, quibûs vitæ præſentis moleſtiæ, ſublevari unicè, ac dulcorari ſolent: tum, ob damna quoquè ſpiritualia; in quæ, divini Verbi virtute non confortati, per humanam imbecillitatem, & imprudentiam, tot inter inſidias, ipſi, per ſe, non ſatìs cauti, prolabuntur.

XII. Nunc autem non video: quô tamen ex capite Servatoris Benignitas, hujus, adeò pernicioſæ, atquè tot aliorum interitu gravatæ, iniquitatis patrocinium aſſumere velit? cùm, tantæ Contumaciæ rei, nequè Chriſtianô ſint nomine digni; nequè Catholicorum in ſorte cenſendi; nequè Fidelium inſtar habendi, prout ab ipſo gentium Doctore decretum eſt: *Si quis ſuorum, &, maximè, domeſticorum curam non habet, fidem negavit, &, eſt infideli deterior.* Alius quondam verè Fidelium character fuit, & fervor; alia, erga doloroſa Myſteria Dominicæ Paſſionis, &, quæ per eam erga homines inclaruit, infinitæ charitatis divinæ memoriam, hoc tempore renovatam, devotio; alia, ſermonum divinorum æſtimatio, eorúmque percipiendorum avida concertatio. Ubi nunc Dionantenſis ille Civis, peregrinus devotiſſimus; qui ſacrîs Palæſtinæ locîs, ubi celebris aliqua, paſſî Chriſti, memoria conſtat, piè, reverentérque cultîs, in ipſo demum, toleratæ Crucis, &, mortis infamiſſimæ locô, tam altè ſenſit, admiſſam in Cor ſuum, pro ſe mortui Redemptoris charitatem; ut ibidem, vî doloris, & amoris expirans, vivere deſierit? Ubi pijſſimus Edmundus ille; cui ſuprà omnes mundi totius delicias, uberrima, quoad vixit, voluptas fuit: vel ſemel tantùm, inſpectum ſuîsmet oculîs habuiſſe coràm, glorioſum, qui Cruci ſuerat

1. Timoth. 5. v. 8.

Cantiprat. Cap. 25. num. 5. cit. ab Engel. L. E. p. 2. Dom. infra Oct. Nat. §. 1. in fine. Surio n vit. cap. 3. 26. Nov.

rat affixus, titulum, Regis Judæorum? Ubi nunc illa gaudia, ſolatiáque magnæ Matris, Thereſiæ; quam dulciùs nihil, ſuaviúsque poterat, in hac valle lachrymarum, afflictam forſan, ac mœſtam, refocillare; niſi, cruoris illæ pretioſæ guttæ; quas agonizans in Oliveti Monte ſudavit, ex hauſtô Calice Paſſionis, amans hominum DEUS? Hîs enim piè ebria, diû, noctûque, geſtiebat, (potum omnem, ſudoris illius condimentô vacuum exoſa) cum Bernardo: *ſuper omnia te mihi amabilem reddit, O bone JESU! Calix, quem bibiſti!* Ubi hodiè Amandus ille Suſo; qui trepidabat artûbus omnibûs, quaſi corpore totô diſſolvendus: quoties nominari duntaxat Paſſionem Domini ſui percepit? Ubi Japon ille parvulus, Auguſtinus; qui ſupremos Chriſti cruciatus, memorari cùm audijt; in lachrymas tantùm non totus diffluxit? Ubi, â D. Joanne cognominata, Seraphici Patris Filia, Leonora, illa Virgo Granatenſis; cui, Domini ſui paſſi, dulcis, & perpetua recordatio, geminos oculos, omnémque videndi facultatem per jugem fluxum lachrymarum extinxit? Ubi Agatha illa Crucia; quam vita propè deſtituit ipſa, viribûs omnibûs, unà, cum reſpiratione, deficientibûs: quotiès divinos dolores animô, piè contemplata, volvebat? Ubi Catharina Herrera; quæ ſolâ, tormentorum ſui Servatoris perceptâ commemoratione, velut irrugijt, & prævalidô ſenſu pietatis, quem viſcera continere non poterant, in ejulatus, & lamentabiles queſtus prorupit? Totáne igitur, ergà divina myſteria copioſiſſimæ Redemptionis devotio, piáque Commemoratio deſijſſe jam, atquè expirâſſe cenſenda eſt, cum Ogniacenſi Mariâ, & Auſtriacâ Benevenutâ; quæ, memorî compaſſione repetentes, mortui pro ſe DEI ſuprema tormenta, viam ipſam, quâ gradiebantur, fletibûs humectabant, &, illîs quidem, non vulgaribûs, ſed cruore, id eſt, exhauſtô dolore, extremôque amore rubentibûs?

XIII. Proh! quàm exolevit, hâc ætate, Crucis, & Crucifixi vetus Amor, avita pietas, priſca religio, grata memoria, condigna æſtimatio, affectûsque, prout par eſt, compaſſivi teſtatio? Viden', pijſſime Salvator! (quod omnis mecum Infernus deteſtatur) Quantò liberalior ſe tua Beneficentia, nullîsque clauſa terminîs Bonitas, in homines, aſſertos morte tuâ, tam pretiosâ! profudit; tantò parcior eorum indiès reſpondet gratitudo: decreſcítque magìs continuè, creſcente miſericordiâ tuâ, tum ſolicitudo, tum ſtudium eorum; qui non retri-

Lyræus de Imit. Chriſt. Pat. Lib. 5. cap. 5. fol. 268. col. 2.

Ibidem, loco cit.

Ribera. in vit. S. Thereſ. cit. à Lohner, Bibl. Edit. 2. Tit. 91. §. 5. n. 11. S. Bernard. cit. ibidem. §. 3. n. 36.

Joann. Rho. in Var. vit. hiſt. lib. 3. cap. 2.

Gonzaga. in Hiſt. Seraph. Mar. lib. 6. cap. 28.

retribuunt, nisì mala, pro Bonis. Si muta amicitia non differt ab odio: quid, oro, cenſendum, de ſurda? Si, qui procul ab oculis, æquô judiciô, procul eſt etiam â corde: quô locô putandum eſt, receptum eſſe; qui procul ab auribus? Quod amatur, non tantùm ſemper in votis eſt, ſed inquiritur ſtudioſè, obſervatur ſolicitè, auditur cum gaudio, cum lætitia excipitur: nec eſt, ejus poſſeſſione, quicquam dulcius, &, quod magis afficiat. Idcircò, quis credat, amari Chriſtum Redemptorem, cum ſuis doloribus, â Chriſtianis; quos ipſi, de Chriſti doloribus inſtituti ſermones offendunt? quibus dolori eſt; vel audire, quod paſſus eſt? quorum patientia, nequè promiſsîs etiam ingentis Boni lucrîs, ex devotâ recogitatione cruciatuum divinorum obtinendîs, ad ſacra Paſſionis illius percipienda myſteria conciliari, vel induci poteſt? Ægrè quod auditur, ingratum eſt.

XIV. Hoc autẽ, quantùm abeſt ab eo ſæculo? quô tantus erat fervor audiendi ſermones DEI; *ut etiam*, teſtê Gregoriô, *pro prædicatione vita daretur.* Quàm alienæ ſunt hujus perverſi Mundi filiæ, ab illius Romanæ Franciſcæ tenerrimâ pietate; quâ, minoris etiam facundiæ Prædicatores illa, velut miſſos ex Angelorum regione, magni DEI, magnos Oratores, ac Nuncios, gaudenter excepit? Ridetur jam, (&, par inſaniæ, ſi contingeret, cenſeretur) quod Senenſium Virgo ſingularis, Catharina præſtitit; exoſculata piîs baſiîs, Concionatorum veſtigia, verbîs eorum, haud ſecùs, ac, ingentis pretij margaritarum inſtar, acceptîs. Quàm nullus nunc eſſet Venturinus; qui Romam, ex Lombardia, velut Herculeâ ſuæ linguæ catenâ, pertraxit ad audiendum ſe, triginta millia auditorum? Quàm exiguus modò foret, exhortante Bertholdô, circumſtantium cumulus; cui, ut perciperent æternæ vitæ verba loquentem, aures intentæ fuerunt, etiam ad ſexaginta millia confertorum? An Idem etiamnùm eſſet, & eodem in pretio, quô fuerat hîc olim, Capiſtranus, non promitto: quem, in hac urbe dicentem, circumſtetit, centies ter millies, numeratus auditor. Iſtáne verò, num ſinè divinæ Majeſtatis, æternæque Veritatis injuriâ fieri queant, quis cenſebit? conſcius præſertim; illũ, qui meus nunc eſt, Principem olim eloquentiæ Romanæ, quò cunquè ſe moverat, in umbra grandi, duo ſupra vicena millia, præſtolantium linguæ motum, poſt ſe traxiſſe. Scipionem verò, cùm, ex Italia diſceſſurus in Numantiam, vexillum

Rhò, locô cit. fol. 383.

Kübler. Mund. Mir. p. 2. Tract. 1. fol. 214.

Juglarez. in Conc. Quadrag. Conc. 12. num. 3.

S. Gregorius cit. à Nyſſ. Dom. 3. Advent. Diſc. 1.

Juglarez loco cit.

explicuerat, omnem ad ſe populum adeò coëgiſſe; ut, *ne vacua relinqueretur Italia*, retineri non tam legibûs, quàm, pœnîs etiam coërceri, plebs, â Senatu debuerit.

P. Paul. Segneri, in Serm. Quad. ſerm. 18.

XV. Non, non ſunt jam illa felicia Concionatorũ ſæcula; quibûs, imẽnsô meô diſpendiô, ſolus & unicus, Evangelicâ potens tubâ Vincentius Ferrerius, myriadem integram, proſtituti pudoris mulierum, ad pœnitentiæ non modò ſigna, ſed & caſtra, & conſtantem, adversùs inolita mala, conflictum traduxit: Patavinus autem, hoſtis ille meus juratus, &, cum Senenſium Bernardino, perſecutor acerrimus, Antonius, cauponas ganeonum, in promtuaria famentium; proſtibula lenonum, in ergaſtula pœnitentium; menſas uſurariorum, in gazophylacia egentium; latibula latronum, in cellas gementium; irritamenta luſorum, in holocauſta devotorum; indumenta luxuriæ, in ornamenta Eccleſiæ; theatra denique, & offendicula Religionis, in gymnaſia Pietatis, & lycea conſummatæ devotionis converterunt. Exſultans dico, ſed, ſimul accuſans: nusquàm reperiri nunc, inſatiabilem illam (an aviditatem, an patientiam dixerim?) quâ Benedictum Palmium, divina judicia cominantem, Florentini, ſeptenas poſt horas, necdum fatigati, aut ſaturi, erectîs auribûs excepe-

Juglaret loco cit.

Hiſtor. Soc. Lib. 11. num. 27. pag. 2.

runt. Quâ Patritium Hybernum, tribûs jugiter, non diebûs tantùm, ſed etiam noctibûs exhortantem, ſuſpenſus â doctrina populus, velut unâ duntaxat horâ detentus, audivit. Adeò namquè deferbuit ardor ille primævus; ut, hôc ipſô tempore, quô, tum ingeri, tum recoli deberet, ex Eccleſiæ veteris inſtituto, cruciatuum â Domino toleratorum grata memoria, Sermo, vel in horam extractus, cenſurâ vapulet indiſcreti; Zelus, ùt imprudentia; Dicentis energia, ùt inconſulta præſumptio; Veritas, rationibûs fulta, ùt exotica, exaggeratáque ſeveritas, ultrà conditionem ſuam urgens, & adſtringens infirmas hominum vires, condemnetur. Imò, ſi per eos, qui ſanam doctrinam exoſi ſunt, ſtaret; debuiſſent ſanè, jam diù, Præcones omnes divini, vel exiliô damnari, cum Chryſoſtomo; vel infames proclamari, cum Athanaſio; vel mutilari linguâ, cum Caſtellano; vel minui capite, cum Præcurſore Baptiſtâ; vel atrociſſimâ perſecutione, cum Kiliano, Thomâque Cantuarienſi, trucidari. Jam enim eò progreſſa eſt, adversùs divini Verbi ſuavem æquè, ac fortem inſtantiam, obnixa Contumacia; nihil ut eam expugnet ampliùs: quâ-

Bolland. 1. Febr. vit. S. Birg. fol. 164.

Rader. & Nierenberg. p. 1. Theop. Lib. 2. c. 7.

quâcúnque tandem, eloquij gratiâ, perſuadendi facultate, rationum congerie, vocis, ac ſpiritûs contentione, tentetur, & urgeatur. *Renuerunt*, (hîc totus cardo rei ſiſtitur) *accipere diſciplinam*: &, *quia multiplicatæ ſunt prævaricationes eorum, confortatæ ſunt averſiones eorum.*

Ferem. 5. v. 3. & 6.

Job. 24. v. 13.

XVI. Et hos pertinaces, ac lumini rebelles, qui deſpexerunt omne Conſilium tuum, iteratâque ſuâ reluctantiâ, ſpiritui gratiæ contumeliam, nec, feciſſe jam, dolent, nec facere porrò execrantur, tua tamen, ô Verbum Patris ineffabile! Bonitas infinita, ne vocentur in pœnas, defendet? ne meritis adjudicentur ſupplicijs, obſiſtet? ne meæ tradantur poteſtati, vindicabit? ne pereant æternùm, ſuô nunc eruet patrociniô? Verùm, quantâ tuâ, meâque injuriâ, Cauſæ tam iniquæ, tot præjudiciîs jam damnatæ, patrocinium Tu, qui Veritas es, valebis aſſumere? Juſtitiam divinam appello! Quî poterunt impunes eſſe; quos etiam hominum judicia cumulatis obnoxios pœnis decreverunt? Nam, *Contumacia cumulat pœnam*: &, *creſcente Contumaciâ, etiam pœnæ debent creſcere*, cùm ex legê judicatur. Dabisne, Domine! nullam ut ſubinde fidem, eâque protritâ, nec ullum poſthac metum inter homines habeat, propheticô indicta ore comminatio divina? *Adducam malum ſuper populum iſtum, fructum cogitationum ejus: quia verba mea non audierunt.* Faciésne: ut inanis inſtar terriculamenti derideatur Oſeæ vaticinium? *Abjiciet eos DEUS meus; quia non audierunt eum.* Visnè: proverbio par ut habeatur; aut, omninò traducatur in proverbium; quod adoranda tua Sapientia, quamvis inter proverbia Sapientis, formidandâ tamen juſtitiâ decretum, & inevitabile pronunciavit? *Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: Deſpexiſtis omne Conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: Ego quoquè in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo; cùm vobis id, quod timebatis, advenerit. Cùm irruerit repentina calamitas; & interitus, quaſi tempeſtas, ingruerit &c.* Memineris, obſecro, quid inibi ſit adjectum: *Tunc invocabunt me, & non exaudiam: manè conſurgent, & non invenient me: eò, quòd exoſam habuerint Diſciplinam; & timorem Domini non ſuſceperint, nec acquieverint conſilio meo.* Erúntne hæc, & alia, ſeveritatis ejuſdem, antiqua, divinæ juſtitiæ Decreta, æternáque judicia, ludibrio malignantium obnoxia? *Memor eſto Verbi tui; in quo mihi ſpem dediſti*: quia *memor fui judiciorum tuorum.* Cujus enim ex ore ſuſcepit Joannes, latæ jam ſententiæ judicium? *Qui ſpernit me, & non accipit Verba mea, habet, qui judicet eum.* Cur diſcedes â

Jerem. 6. v. 19.

Oſeæ 9. v. 26.

Prov. 1. v. 24. & ſeqq.

Pſalm. 118. v. 49.

Ibid. v. 52.

Joann. 12. v. 48.

Prov. 1. v. 25. Hebr. 10. v. 29.

L. 4. de pœn. Cap. 19. de jud. L. 8. §. 7. ff. de pœn.

tuis illis, quæ fallere nequeunt, Evangelij ſtatutis? *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet.* Age igitur, quod dixiſti: exere, quod condidiſti: ſentiant contemptores tuæ doctrinæ, ſuæque tam incurij ſalutis, contemni ſe nunc, ùt indignos; pro quibus Verbum illud peroret apud Patrem; in quo genu flectitur omne, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Audiant, qui noluerunt audire Nuncios tuos, imò, qui Temetipſum reſpuerunt vocantem, audiant ſuæ damnationi ſubſannantem. Nihil aliud expoſco; quàm, ut habeam, quos dediſti mihi, pridem jam, ſententiâ tuâ adjudicatos, tandem & traditos. Mei ſunt; quia tu dixiſti: *Vos ex patre Diabolo eſtis.* Mei igitur cùm ſint, & ſpiritu quidem ſuô; quô, nec poſſunt, nec volunt audire ſermonem tuum: & inſuper meô; quô tollunt verbum, prout ego foleo, de cordibus aliorum: *non eſt, qui de manu mea poſſit eruere.* *Pater, & filius cenſentur* (in judicio) *una, eadémque perſona*; præſertim, *in Crimine læſæ Majeſtatis.* Ubi ergo ſum ego, ibi & filij mei, & miniſtri mei erunt; per quos multi jam ad æterna ſunt inducti ſupplicia; quos, nè credentes ſalvi fierent, unà ſecum, â ſalutis conſilijs, & æternæ veritatis viâ, per Evangelij prædicationem indicatâ, pertinaciter averterunt.

Luc. 9. v. 26.

Joann. 8. v. 43.

Luc. 8. v. 12.

Deuter. 32. v. 39.

L. fin. C. de impub. ſubſt.

Treutl. vol. 2 Diſp. 32. Theſ. 1. Lit. K.

XVII. Quis, auditâ Dæmonis Actione, vel ipſis ex oraculis divinis, & infallibilî DEI Verbô tam exaggeratâ, non malè metuit, adeò convictæ, &, propè condemnatæ Contumaciæ? Quàm, ex vero ſcripſiſſe, jam cognoſcitur, Palatinus ille Paulus? *Diabolus verbum, quod contemnimus, ſervat in pectore ſuo: ut in die judicij acriùs accuſet.* Ità nimirum, quod olim de ſua malitia ſuggeſſit ad culpam; ipſe prior, in judicio producit, & allegat ad pœnam: ut, quem per peccatum avertit â DEI Bonitate; reum ſubinde, utì accuſatum, ità & judicatũ obtineat â DEI Æquitate. Sed, quid miſeris, Causâ tam aggravatâ preſſis, ac tantùm non jam oppreſſis? An excuſandi coram tribunali ſupremo? ſi ita: manebunt, uti fuerê, Contumaces. An, prout meriti, deſtituendi ſunt omnî patrociniô? ſi ita: jam de ſalute conclamatum eſt; &, quorum ſurdis auribus, dictum eſt: *Venite! cùm vocem ejus audieritis*; aliud jam non ſupereſt; quàm, unde *tinniant ambæ aures*, priùs obduratæ: *Diſcedite à me Maledicti!* O DEUS! *judicium tuum Regi da; & juſtitiam tuam filio Regis!* Non fruſtrà ille, factus in agonia, prolixiùs oravit; ſed, ut, qualis erat ejus ad excitandum Diſcipulos, iterata nimirum, trinâ poſtulatione, ſolicitudo; talis eſſet etiam pro

Paulus de Palatio in cap. 13. Matth.

Matth. 25. v. 34.

Pſalm. 94. v. 8.

4. Reg. 21. v. 12.

Pſalm. 71. v. 1.

Con-

Contumacibus verbo ejus, Ipſuísmet Verbi, trina pariter ad Patrem ſupplicatio, teſtaretur. Quis credat, orationem tam inſtantem, aut, obſtantem habuiſſe Patrem? aut, pro reverentia non auditam fuiſſe? Potuit â Romanis quondam, duobûs Verbîs, impetrare reo veniam Cordubenſis Orator; &, jamjam periturum, eripere morti, vivúmque ſervare? Non poterit idem, aut (abſit â fideli corde *blaſphema* cogitatio!) non volet idem, cùm poſſit; qui neminem vult perire, ſed, omnes ſalvos facere? Quid hæreo? quid ambigo? nonnè video? nonnè audio? *Tunc venit ad Diſcipulos ſuos; & dicit illis: ſurgite! Eamus.* Duobûs hîſce verbîs Actio tota Maligni rètunditur. Impoſitum Adverſario ſilentium eſt; ſimul autem, & homini malefico, de Contumaci, verborum ſalutis contemptu, graviſſimè accuſato, meritæque damnationis reo, duobûs iîsdem verbis, impetratum ab Advocato Salvatore, unicum, ac ſalutiferum Cauſæ, ſecùs deſperatæ, remedium eſt, per vos, qui hodiernæ præſentes Actioni fuiſtis, ex me cæteris denunciandum.

XVIII. *Surgite! Eamus!* Hæc dicta vobis, cumprimis judicate; quos alienæ cura ſalutis urget. Ite ergo ad eos, qui de obſtinato divini verbi, ſi non odio, contemptu certè manifeſtô noti ſunt: &, quantis criminibus obnoxia ſit eorum, diabolicæ pertinaciæ par Contumacia, prout audiviſtis, repetite; totámque ſpem veniæ, gratiæ, ſalutisque, quæ ſuper adhuc eſt, geminis illis alligatam divini Verbi verbis, exponite; quibûs, & Ipſi continuò, ſibimet imperent: *Surgite! Eamus.* Hoc eſt, in quo oportet ſalvos fieri: *Surgite!* de menſis, & convivijs, ad ingluviem, & ebrietatem (Epicurea corporum ſupplicia) productis. *Surgite!* de cubilibus, dæmonio meridiano, & abdomini ſaginando, tam perniciosè, quàm otiosè aſſuetîs. *Surgite!* de confabulationibus nugarum, conſpirationibus amorũ, & negotiationibus adulteriorum; quibûs horæ, â menſis vacuæ, perditè collocatæ ſunt. *Surgite!* de condictis ad luſum conſortijs; conjuratis ad viridaria (ne dicam, Lupanaria) carpentis; conjunctis ad ſpectacula theatralia ſedibus; cæterisque, vel uſurarijs, vel voluptarijs, vel cauponarijs negotijs, perambulantibûs in tenebris. *Surgite! Eamus!* quò Deus vocat; quò ſonus æris invitat; quò communis devotio concurrit; quò conſcientiæ juvandæ miſer ſtatus inclinat: ubi, quid cavendum, quid fugiendum, quid metuendum ſit, ſperandúmque, docetur: ubi, quantô verſetur

in

in diſcrimine ſalus noſtra, pateſcit: quàm gravia ſint flagitia noſtra, clareſcit: quanta demùm, & quàm benigna ſit ergà nos, noſtri apud Patrem Advocati, ſuæ Paſſionis rubricato ex Codice, perorans pro nobis miſericordia, dulciſſimîs argumentîs Cauſas noſtras omnes pacificans, innoteſcit. Ergo *ſurgite*, *Eamus*! cùm eſt acceptabile tempus, &, adCauſas, per indulgentiam tranſigendas, apertum adhuc, paténtsque divinæ juſtitiæ Tribunal: nè, præoccupati ab Adverſario, procul omni metu judicij, ſedentes in umbra mortis, &, genio pravè indulgentes, &, monita divina contemnentes, nec pedem ad ea percipienda, de terra levare volentes, audiamus ab hoſte noſtro: *Surgite*! *Eamus* ad Infernum; ex quo, nec reditus erit ampliùs, nec redemptio.

E H E U!

F E R I A III.

POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ.

SERMO QUINTUS.

In *Foro I.* Juſtitiæ Divinæ, ſeu, in Horto Gethſemani.

Actio II. De Pecunia, pro malo peragendo accepta,

Contra eos; qui, ut acquirant, quod requirunt,
Innocentiam, Juſtitiam, ſéque, ſuósque, &, nihil non,
Fidem etiam, ac DEUM, pro Pecunia, nihili faciunt;
Nihílque turpe, pro turpi lucro, non agunt.

Actor II. Zelus æqui;

Quì, nummis nimiùm inhiantes, &, per iniqua media, ditatos,
Coram ſupremo Tribunali perſtringit.

Myſterium II. & Actionis hujus Argumentum.

Judæ Traditoris, militiæqúe Prætorianæ, turpis animus:
Ut, qui pro lucro modico, exilíque ſtipendio conducti,
Summum Bonum perdere, ſupremam Juſtitiam alligare,
Innocentiam, ipſúmque DEUM, in mortem tradere,
Et inſuper, æternùm ipſi perire, nil penſi habent.

Teſſera.

Tessera. Constituerunt ei triginta argenteos ; &, exinde, quærebat opportunitatem : ut eum traderet. *Matth. 26. v. 15.*

I. QUid hoc? Eóne, cæcus impietatis furor, per dementiam suam abripi potuit? ut, in manus peccatorum, Innocentiam traducere; in desideria sceleratorum, Sanctitatem præcipitare; mortis arbitrio, Vitam committere; hostium odio, Charitatem immolare; rabiei canum, Agnum exponere; perditorum rancori, Salvatorem dare; perfidis mancipijs, Regem gloriæ; Synagogæ perversæ, legis Doctorem; invidis Capitibus, miraculorum Lucem; principibus Sacerdotum, summum, æternúmque Pontificem; phanaticis Judæis, Messiam verum; filijs Diaboli, Filium DEI, Dominum nostrum JEsum Christum tradere non abhorreat, non vereatur, non perhorrescat; sed, consentiat, statuat, aggrediatur, exequatur? Proh! quò præcipitat eversa mens, impetus animi, cæcata ratio, cor distortum, pravum, insatiabile? Ergo negotium, quod perambulat in tenebris, nocte jam cæcâ progreditur, ex instinctu Principis tenebrarum, *cum lucernis, & facibus, & armis*, in hortum Gethsemani? ut Mundi Lux, â filijs tenebrarum, &, nebulonum inimicorum obscurissimâ cohorte, nequissimè intercepta, subtrahatur sedentibus in tenebris, & umbrâ mortis? Ergo, non jam, *ut caperent eum in sermone*, mittuntur, ab inimicis Christi Servatoris, pharisaicæ scholæ Discipuli? sed, ad ipsum DEI Verbum, proditoriè capiendum, prodit, ejusdem divini Verbi Discipulus; cujus, paucîs ab inde horîs, Auditor cum cæteris esse noluerat? Ergo (quod exaggerat perfidiæ caput) ad inauditum sacrilegium perpetrandum (etsi tempore molestissimô) nec abnegati tamen somni, nec intermissæ quietis gravamen ullum obtenditur ab eo; qui Filium DEI altissimi in mortem tradere molitur? dum interim, reliquos omnes inter Discipulos, nec ulli, tantus animi vigor inerat; ut vel unicâ potuisset horâ, præmeditandîs, quæ jamjam imminebant, dilectissimi Magistri supplicîs, cum eodem, inter angores, pavores, & lethales mœrores agonizante, intentus vigilare?

Matth. 22. v. 15.

Psalm. 109. v. 4.

Psalm. 90. v.

Joann. 18. v. 3.

II. Non est autem tanti discriminis insolentia, multùm admi-

Matth. 26. v. 15. randa. *Conſtituerunt ei triginta argenteos.* Ubi labor exigitur, & argentum promittitur, continuò proſcribitur ſopor omnis â ſenſibus; excluditur ſomnus ab oculis, & quies â membris; atque neceſſarium etiam, quod exigit natura, tributum, abſquè difficultate negatur: ipſæ noctes vertuntur in dies; ubi lucri ſpes illuceſcit: nec eſt, vel nocte concubiâ, qui dormitet, aut dormituriat; cùm primum argenti, vel â longè promiſſi, diluculum affulget. Execranda, nullâque ſatìs deteſtanda bile, injuria eſt! contrà ſummum Bonum, propter exiguum nummum, nihil non leve videri; quod maximè tamen arduũ eſt; imò ſupra vires, &, frequenter etiam, ùt impoſſibile, renuitur, ac detrectatur; cùm, propter Deum, qui *merces eſt magna nimis*, ipſi DEO præſtandum exigitur. Hâc abominatione contaminatos, univerſim, Diſcipulos omnes deprehendit, ac reprehendit Burgenſis Præſul; cujus verba, ſicut ſinè horrore cogitare, ſic ſinè rubore excandeſcentis animi, profari vix queo. Quis autem corde totô non ſuccenſeat? audiens: *Dormientibûs Diſcipulîs, Judas non dormit.* Utrúmque, vocationem Apoſtolico-Chriſtianam infamat: &, quòd dormiant, officiô ſuô neglectô, qui Diſcipuli fuerant; &, quòd non dormiat, ſed, mortem negotietur Magiſtri, Diabolicæ occupationi intentus; qui, & ipſe Diſcipulus erat, Judas. Sed, proh! quis probrum hoc, aut concipere, quantum eſt; aut explicare, prout eſt execrabile, ſatìs poſſe ſe putat? *Dormientibûs Diſcipulis, Judas non dormit; ſed, ſedulò vigilat: ut proditionis facinus ad finem perducat.* *Quod eſt pravitatis, humani ingenij, exemplum; quâ fit, ut, plùs vigilantes ſint ad malum, reprobi; quàm, ad bonum pij.* Eodem dolore commotus, poſt exploratum totius Mundi genium, ab obligatione rectæ rationis diſtortum, ac perverſum, indignans exclamavit S. Iſidorus: *Omnis ars ſæculi hujus ſtrenuos amatores habet, & ad exequendum promtiſſimos. Chriſtus verò, plerósque, habet ſectatores languidos, tepidos, & pigritiæ inertiâ congelatos.* Hoc eſt (ex meo dictum ſenſu) cùm in DEI cauſa, propriæque ſalutis negotio quidquam agendum; omnes torpent, infamî ſopore: dormiunt, etiam, quos oporteret, â ſomno, malè ſopitos, excitare cæteros. Cùm verò quidpiam, adverſùs ipſum Deum, exigitur ab hoſtibus DEI, nemo non experrectus, & vigil eſt, in ſuimet ipſius interitum, & injuriam Servatoris. Hîc non dormit Judas, etſi Diſcipulus, iturus contrà Chriſtum; Ibi dormiunt, etiam Diſcipuli, vocati â Chriſto ad Deum!

Genes. 15. v. 1.

Lucas Burg. in Matth.

Lucas Burg.

S. Iſidorus de ſummo Bono lib. 12. verſ. 10.

III. Tan-

III. Tantam ignaviam (quam vel ipſe Diabolus, in fidelibus, Chriſti non tam nomen, quàm fidem, & religionem, & evangelicæ Legis doctrinam, ex profeſſione, jactantibûs, æternâ dignam damnatione, ſicut herì, per ſeveriſſimam Actionem criminatus, accuſavit, ità & adjudicari ſibi poſtulavit) Ipſe tamen, *dives in Miſericordia*, Servator mitiſſimus, ùt ſuam, ſanguineo ſudore, non modò luendam, ſed etiam eluendam, in ſe ſuſcepit, Patrê judicê, Cauſam; pro quâ, ter in terram provolutum, *poſitîs genibûs*, vidimus; & audivimùs, adverſûs Actionem, ab animarum hoſte contentioſiſſimè exaggeratam, in repetitâ toties oratione ſuâ, ſolicitum. Advocatum obſtitiſſe; quoties excitatos ad officium Diſcipulos, & in ijs, fideles pariter vocatos, non tantùm dormientes invênit; ſed etiam, Verbo Divino, per ſummam ſocordiam, negle&tæque ſalutis contemptum, perfidè contumaces agnovit. Quantô verò profluviô ſui cruoris, per tot ora, quot ſudoris oſtia, redemptione tam facundâ, quàm copioſâ, proſilientis, pro tam ingratis, tam vehementer ab Adverſario infeſtatîs, &, propè deſperatîs, Verbum, ad extremos mortis angores, & mœrores, in Cauſa tam turpî, tam deſertâ, tam ipſiúsmet Bonitati injurioſâ peroravit? Non eſt huic admirationi pluribûs indulgendum. *Hæc eſt Charitas, quæ tantùm in Deum prævaluit*; ut eorum etiam voluerit eſſe Cauſi-dicus; qui primâ fermè mortis ejus cauſa fuêre; nec, niſi per ipſum Verbum, de contemptu Verbi, ſalvari potuiſſent. Quod igitur olim, amicis, quærentibus, querulísque: cur improbum hominem in judicio defendiſſet? â Phocione reſponſum eſt: *Nemo bonus patrociniô indiget*: idem & noſtram admirationem, ſi necdum forſan, cognito licèt, ad ſanguineum uſquè ſudorem, pro Cauſæ defenſione, exhauſtæ Charitatis exceſſui acquieſcit, divinîs illîs verbîs, compeſcit: *Non eſt opus valentibus, Medicus; ſed, malè habentibus. Non enim vêni vocare juſtos; ſed peccatores.* Ità quidem, æternô Conſiliô decretum, & ipsô jam, aſſertæ ab interitu Contumaciæ, patrociniô confirmatum intellexi-mus. Aſt, quid inde commodi Patrono? Vindicatus enim â judicio Maleficus eſt: et, qui vindex fuerat, abripitur, ſiſtendus Judicibus? Reus, ab interitu ſervatus eſt: & Servator, ùt Malefactor, comprehenditur, afficiendus extremô ſupplicio? Cauſa, quæ periclitabatur, eſt erepta diſcrimini, meritæque ſubtracta ſententiæ: Cauſi-dicum verò circumdat poteſtas Prætorij, concludit miniſtrorum cohors, ca-

Ephes. 2. v. 4.

Innocent. III. de Laud. Charit.

Plutarch. cit. in Theatro vit. hum. Lit. P. fol. 111. D. 1.

Matth. 9. v. 12. 13.

tenîs, & funibûs conſtringit armatæ militiæ furor, ad oſculi perfidi ſacrilegum ſignum, abripiendum, & conjuratis in ejus caput, ſacris, profanísque tribunalibus, latronis inſtar ſiſtendum?

IV. Eheu! quid hoc injuriæ? quid auſûs horrendi? quid enormis facinoris hoc eſt, quod video? Quis iſte, tam inauditæ malitiæ, malitiæque, â Dæmone ſuccenturiatæ, ductor, & coryphæus eſt? Quid hîc, in ipſo conſuetæ ſolitudinis Domini mei, nocturníque receptûs oratoriô quietô, cohortis armatæ tumultus, & ſatellitum audax incurſus, & miniſtrorum, omnis expers humanitatis ferocia? Proh! Verbum petitur, quod non eſt alligatum, in vincula! Dominus quæritur, qui libertatis eſt author, in captivitatem! JESUS poſtulatur, qui venit ſalvum facere, quod perierat, in perditionem! Et hujus execrandi propoſiti, diabolicus executor, Diſcipulus eſt? Agite, Cogitationes meæ, Chriſto devotæ; quod amans DEUM zelus expoſcit. Anteſignanum hunc, tota cum cohorte, conſtringite; perfido, ſacrilego, deſperato Diſcipulo, marſupium, corpus delicti, divino Tribunali deferendum eripite! Cedò, perditiſſime mortalium, fili perditionis, Inferni ſpuma, probrum univerſitatis humanæ, vocationis Apoſtolicæ peripſema, infamate jam, ore Verbi, Diabole! cedò ſacculum tuum, iniquitatis totius compendium! Ecquid includit? *Pretium appretiati.* Sed cujus? Quem appretiâſtis, in illo clandeſtino conſilio; cujus unicum deliberationis momentum, Cayphæ livor capitalis definierat: *Expedit vobis; ut unus moriatur homo pro populo; & non tota gens pereat? JESUM Nazarenum.* Proh! *ferale commercium!* Propter nummum, venum dare, & tradere JESUM! At, quô pretiô condicta, ſuſceptáque tam ſcelerata traditio? Horret animus audire reſponſum, pateſactâ jam Orbi, per divum Hieronymum, avaritiæ inauditâ cæcitate: *Judam, accuſavit ille, avaritiâ excæcatum, nec rogatum, nec quæſitum, ſeſe ſponte proditorem obtuliſſe; nec de auctione pretij quicquam licitatum eſſe; ſed, quaſi vile Mancipium, in poteſtate ementium poſuiſſe: quantum vellent dare.* Tenemus verba, prodigi proditoris ipſa: *Quid vultis mihi dare? & ego vobis eum tradam.* Quid verò, quantúmque datum eſt? Omnes conclamant: *Conſtituerunt ei triginta argenteos.* Heu me! tam vilî penditur, *cujus Bonitatis infinitus eſt theſaurus!* Tantillô traditur, *in quo ſunt omnes theſauri!* Daphnis Grammaticus, teſte Pliniô, venditus eſt, trecentîs millibûs ſeptingentîs ſeſter-

Joann. 15. v. 19.
Matth. 26. v. 9.
Joann. 11. v. 50.
Joann. 18. v. 7.
S. Chryſoſt. ſerm. 3. de Ref.
S. Hieronym. in cap. 26. Matth. cit. à Schönleben in Pyram. ſacr. Tract. 1. Conſid. 7. n. 7.
Matth. 26. v. 15.
Ibidem.
Oratio Eccleſ.
Coloſſ. 2. v. 3.
Plin. lib. 7. cap. 39.

ſter-

ſtertiîs : æternæ legis Doctor, triginta argenteîs , id eſt, ſupra vicenos , duobûs, cum dimidio , Rhenenſibûs ? Inimicum interempti Gracchi C. caput, ad Conſulem Opimium delatum â Septumelejo , donô, mille ſeptingentorum ſexaginta ſex , monetæ noſtratis, coronatorum romanorum , tunc, centum nummorum aureorum receptô, traditum eſt: *Caput* autem *omnis Principatûs , & Poteſtatis*, Chriſtus , *in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* , ſervi viliſſimi *pretium appretiati habet* : *quia pro ſervo*, prout computavit Hieronymus , *aut ancillâ, occisîs , jubebantur numerari triginta ſicli argentei. Vero ſimile eſt : Judæos voluiſſe emere Chriſtum ; quantî apud eos ſervus æſtimabatur.* Tam iniquam, & execrandam licitationem, vix, cùm audijt, acceptavit Judas, *unus de duodecim ; qui ſimul dulces capiebat cibos*; atque inde , *parricida, & conviva, fecit de Magiſtro ferale commercium : accepit aurum , perdidit DEUM.* Quis hîc taceat , & adverſûs negotiationem adeò deteſtandam , non, Angelos è cœlo vindices, ſed, fulminis ictus; aut, ex ipſis inferis , per diductas terræ fauces, abſorbentes flammas in judicium , & ultionem expoſcat? *Exurge DEUS! judica Cauſam tuam!*

Soarez. Tom. 2. in 3. p. D. 34. ſect. 1.

Drexel. in Chr. mor. p. 2. c. 3.

Sallan. Annal. v. Teſt. ante Chriſt. annô 120.

Coloſs. 2. v. 10. & 9.

S. Hieron. locô cit.

Exodi. 21. v. 32.

Luc. 22. v. 47.

Pſalm. 54. v. 15.

S. Chryſoſt. locô cit.

Pſalm. 73. v. 22.

V. Jubeor impetum cohibere ſermonis; &, quod in Judam, argenti modici ſpê, lucrique turpiſſimi ſacrilegâ cupiditate cæcatum, aggravati nimiùm ſceleris immanitate concitatus, paraverat animus, cogitur, aliorſum diſtractâ, concepti fervoris indignatione, tacens comprimere , itáque Auditor magis eſſe; quàm Actor: dum alius pro divino Tribunali jam ſtat , meas hodiè querelas , &, contrà perfidum Diſcipulum , avarum, ſacrilegum , ingratum , parricidam , Diaboli filium, cogitatam Criminationem interpellans, eámque, quæ hodiè graviſſimorum ſcelerum rea , conſciô Mundô universô, judicium tamen humanum nec patitur, nec veretur, avaram illam pecuniæ cupiditatem , omnis iniquitatis matrem accuſans. Dicam paucîs : Actor hodiernæ Cauſæ, *de Pecunia , pro malo peragendo , acceptâ*, Zelus eſt Æquitatis, Innocentiæ, Religionis, Fidei, DEI. Ipſe ſe prodit , ardore vultûs inſolitô, verborúmque contentione, quia de ſpiritu profectâ, reſpirationem vix aliquam indulgente.

VI. *Multi hodie* (auditis exordientem, cum Aquinate, Zelum DEI) *ſcelus Judæ , velut immane , ac nefarium exhorrent , nec tamen cavent : nam , pro muneribus , charitatis , & veritatis jura ſpernunt ; DEUM , qui eſt charitas , & veritas , contemnunt.* Dabis veniam, æquitatis omnis Author ſanctiſſime! quod, ini-

S. Thom. in Catena.

quitatis publicæ conſcientiâ ſuccenſus premere nequit, aut occultare, fervor meus, omni procul diſſimulatione, perſtringendi. Quis verò, nisì Tibi, ſuóque Servatori, ſibímet inſuper & ipſi vehementer injurius, tacere? vel (cùm apertum nunc, ad omnium Criminum Cauſas cognoſcendas, Tribunal tuum ſit) quis, reos agere, ſinè metu participandi gravis judicij, negliget illos; *qui*, prout â Patre Claravallenſi jam aliàs objurgati fuerant, *Chriſti opprobria, ſputa, flagella profligant, in acquiſitione turpis quæſtûs?* Qui, ut recipiant aurum, ſulvum terræ partum, nihilî faciunt, amittere cœlum, DEI morte apertum. Qui, dum obtinendæ ſpes pecuniæ, vel perituri cujusquam eſt lucri; cùm audiunt illud mendaciſſimi ſpiritûs verbum: *Tibi dabo*! continuò cadentes, umbram omnem Diabolicæ ſuggeſtionis arripiunt; &, quidquid, adverſùs legem ſanctam, in contumeliam ſupremi Numinis, Inferni pollicitatio poſtulat, avaritiâ conſenſum inclinante, etſi cum ſuimet ipſorum perditione, promti ſubjiciunt, non famam tantùm, & honorem, & nominis antiqui gloriam, & cognati ſanguinis illuſtrem proſapiam; verùm, quæ ſunt altioris ordinis, ipſúmque DEUM contingunt, omnia, concupitîs, oblatîsque nummîs inferiora ducunt: ut, etiam innocentiam primævam, decus illud angelicum, nullîs opibûs Mundi totius comparabile; gratiámque, cujus vel minima portio theſaurîs universîs præponderat; &, ſacro-ſanctam, cum Religione, Juſtitiam, quibûs, velut cardinibûs geminîs, tota, viſibilis Orbis machina continetur; imò (quod humanam omnem indignationem evacuat, & vix, ùt par eſt, angelicus deteſtari ſatìs valet intellectus) animas etiam ſuas, quarum, ex æquo pretium, ipſe DEI ſanguis appenſus eſt; & felicitatem æternam, cum infinitis Chriſti Servatoris meritîs, quibûs eadem, carè nimiùm comparata fuit; & ipſum deniquè ſummum omnium, ſolúmque Bonum (ex Originis querela, gemitúque loquor) *propter Cauſam pecuniariam, aut, alicujus lucri gratiâ, Verbum DEI tradant, & contemnant*: ùtùt occlament, cum Auguſtino, quos idem cum eo ſenſus exculcerat, tam, injuriam illatam DEO, quàm, æternam infeliciſſimorum hominum perditionem dolentes: *Quæ eſt iſta, rogo, animarum inſania? acquirere aurum, &, perdere cœlum!*

VII. Hæc autem, quæ præſentî perſequor Actione, nequaquàm in mea tantùm imaginatione, ficta veluti monſtra, ſubſiſtunt. Allego facta, perſtrin-

S. Bernar. in Cantica. cit. â Speranza de Paſſion. Punct. 1.

Matth. 4. v. 9.

Origenes. Homil. 35. in Matth.

S. Auguſt. Serm. 25. de Verb. Domini.

go

go commiſſa, facinora inculſo; quæ, ſi cogitata etiam, animôque ſolô concepta fuiſſent, non mitiora tamen, quàm ſuſtinent etiammùm, pro malâ ſolâ voluntate damnati Spiritus, incendia meruiſſent. Nec vetera commemorare ſtat animô; quæ tuo pridem ſunt, utì delata, ſubjectáque, ſic etiam ſeverô, juſtôque condemnata judiciô. Totum, quod accuſo, quod ex hoc mundo tolli, divinâ tuâ ſententiâ, flagito, illud eſt ipſum; ſuper quô, maximîs olim lamentîs in cœlum ſuſpirans, queſtus eſt Syracides: *Nihil eſt iniquius; quàm, amare pecuniam. Hic enim* (ſcilicet, amore flagrans pecuniæ) *& animam ſuam venalem habet*, non tantùm (quod exhorreſco dicere) plùs offerenti; ſed, & primùm, & modicum, & vile, &, in tantillo, quod eſt, quidquid fluxum eſt, propè nihil offerenti, &, omnia auferenti; &, pruritum vitiorum omnium contagioſum inferenti. Nam (Apoſtoli nunc eſt in omnium oculîs manifeſta veritas) *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva; quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Non fefellit Ruperti grave judicium: *Plenus divitiis; plenus vitiis!* Quod, utì de poſſeſſore pronunciatum; ſic de concupiſcente confirmatum.

Eccli. 10. v. 10.

1. Timoth. 6. v. 9.

Rupert. Abb. Lib. 3. in Eccleſiaſtici c. 10. v. 10.

Doctor gentium haberi voluit, per indicatum â ſe Diaboli laqueum, cupidæ divitiarum appetentiæ, latenter ſubtextum. Nec enim, ex Eucherij ſententiâ, *Societas* duntaxat *quædam, penè nominis etiam eſt, duabus his rebus, divitijs, & vitijs*: verùm, aureô ſermone Petri Chryſologi, typus hujus infamis cupiditatis genuinus, expreſſus eſt in effectu, quem producit: *Facit* enim *inſatiata cupiditas hoc: quæ contenta non eſt, homines criminoſos fieri; nisi eos Duces criminum faciat, & Magiſtros.*

S. Eucher. cit. à Manſi in Bibl. V. Avar. fol. 289.

S. Petr. Chryſolog. ſerm. 2.

VIII. Vix opus eſſe videtur, aſſertum hoc per triſtia facta ſtabilire; quæ de avarâ voluntate, communem in perniciem, Regnorũ etiam, & Imperiorum hujus Mundi profecta ſunt. Hoc enim queſtus jam, ævô ſuô, Salluſtius erat: *Romæ venalia eſſe omnia, etiam ipſam Civitatem; ſi emptorem reperiret.* Hoc, & in Verrem invectus, concitatâ bile Tullius Cicero declamavit, indignans: *Nihil eſſe tam ſanctum, quod non violari; nihil tam munitum, quod non expugnari pecuniâ poſſit.* Hoc demum (quod quidem totius Actionis meæ compendium quoddam, atquè Summarium eſt) ipſi quoquè, quos accuſatum, & objurgatum, & condemnatum vêni, ſi conſcium pectus, ad anguſtias, effugij facultate præcluſâ, conſtrictum urgeatur, una-

Salluſt. in Jugurtha.

M. Tullius Cicero. Orat. in Verrem.

unanimî confeſſione contrà ſemetipſos teſtabuntur : de nummorum concupiſcentia , nihil non ſceleris in ſuo conceptum ſinu ſe tuliſſe, proximas in manus , obſtetricis pecuniæ, proditiones, fraudes, fallacias , perjuria, violentias , inceſtus, adulteria , parricidia quoquè , & ipſam inſuper, abjuratæ religionis perfidiam, cum execratione ſupremi Numinis, pro nummis, edituros. Tenentur hi Malefici, nec poſſunt abnuere , ſe victos , & vinctos Apoſtolicæ delationis ineluctabilî veritate ; quâ , *Radix omnium malorum, Cupiditas*, accuſata jam, divino Tribunali, pridem, æternæque damnationis, non unius, ſed, pro fæcunditate, natorum ex ea criminum, ineffabiliter multiplicandæ rea, poſtulata fuit. Ideò enim, Radix omnium malorum, dicta eſt, cupiditas, eſſe, nummorum, Ambroſiô judicê , Paulini judicij mitratô interprete : *quia, ut deſideria ſua expleat, & maleficia, & homicidia , & obſcœnitatem , & , quidquid ſceleris eſt , perpetrat.* Si , quidquid ſceleris eſt, culpa cupiditatis eſt ; non una, multiplicis adeò culpæ , ſed quælibet , ſingulorum delictorum, itáque, univerſa totius gehennæ pœna, ſola par eſt exurendæ , malorum omnium Radici. Sic enim , etiam inter homines conſtitutum eſt : ut, quamvis juris communis regulâ, *ex eodem crimine, nemo ſæpè puniendus eſt : unius enim delicti non poſſunt eſſe duæ pœnæ*: certùm tamen omninò ſit ; *quòd , qui in multis offendit , dignus eſt etiam ; ut pœnâ multiplicî caſtigetur.*

1. Timoth. 6. v. 10.

S. Ambroſ. in Epiſt. ad Timoth.

L. 14. de Accuſat. l. 6. circa fin. naut. caup. ſtabul. l. 24. C. de pœna. cap. at ſi &c.

IX. Verùm , nè generalî quâdam flagitiorum omnium accumulatione, ſuperinjectâ, nimiùm fortè ſe gravatos, quidam eorum cauſentur ; qui malorum radicem omnium , â gentium Doctore patefactam , ſuis infixam animis, indèque germinantem , utì negare nequeunt , ità nec ullâ diſſimulatione excuſare poſſunt : per ſingulares quaſdam objurgationes , eorundem exulcerata conſcientia , neceſſariò , nunc vellicanda , compungendáque videtur. Contremiſcitis , ùt opinor, dum inquiro (niſi præſumptio juris, quæſtionem, velut ſupervacaneam , ne fieri quidem ſuſtineat) Nam, *ſi Perſona dubiæ fidei , ſubitò , ex inope dives ſit facta , nec titulum inſperatæ fortunæ edere poſſit , præſumitur , dolô , furtîsque* , nè dicam , turpioribûs aliîs, mediîs iniquitatibûs, *accepiſſe.* Juvat attamen , inquirendo urgere : quibûs adminiculîs illud inſigne palatium ad faſtigium adeò ſplendidum ſit perductum ? Unde nummi , nullo non tempore, etſi nullo ex cenſu , vel officiô, ſuppetentes tamen, & abundantes ad luſum ? Unde epulæ , quotidiè ſplendidæ , totquè, menſarum rega-

Barboſa, Axiomat. L. 14. c. 54. Ax. 10.

Ord. Cr. Art. 43. §. ult. & ibi.

regalium delicijs haud inferiora, continuatáq; convivia? quis, procul allatorum, *ornamentum calceorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra*, & quidquid luxus, cum luxuria, muliebri concupiscere pro mundo solent, aut possunt; quis, quæso, tam sumptuosa vectigalia, vel uni tantùm mulieri, in scenam quotidianæ prostitutionis, vestiendæ, atque exornandæ, negotiosus Exactor corrogavit? Dalilam hîc non redarguo: prodidit enim sacer Historicus, Ejus divitias, omnémque meretricium apparatum, non aliunde, pro cupiditate saturandâ affluxisse; quàm, ex Herois Nazaræi perfida traditione. *Venerunt ad eam, Principes Philisthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, &c. Quod si feceris, dabimus tibi, singuli, mille, & centum argenteos.* Ad alias extenditur, sed, heu! quot? quantique sceleris reas? (&, quid, si, non solas fœminas, Dalilæ complices?) par avaræ Concupiscentiæ, stipendiaria proditionum perfidia. Nam, *qui divitijs intendit, naturâ proditor existit*, Aristæo. Nec aliud magìs persuasum Valerianus habuit; quàm, fœderatam cum proditione cupiditatem. *Ille*, inquit, *proditionis arguitur; ille delator alieni criminis accusatur: quis dubitet? quòd secretum pectoris oblatæ pecuniæ pondus iruperit.* De fœminis indubitatum Ambrosio fuit: *Influxit pecunia in gremium mulieris; &, â viro discessit gratia*, tum vel maximè; cùm, utì de Cleopatra Josephus meminit! *Nihil satìs ei, sumptuosæ, & voluptatibus deditæ; cujus cupiditates vix totius orbis explere possent divitiæ.*

Isaiæ 3. v. 18. & seqq.

S. Valerian. Orat. 20. de Avarit.

S. Ambros. Lib. 1. de Offic. c. 26.

Joseph. Lib. 15. num. 4.

X. Quid igitur otiosus Inquisitor expeto, vel expecto: ut, cupiditatis reatu manifestatô jam, jurejurandô tamen confirment hàc tenùs accusati: Nunquam ab ipsis, in sententia lata, violatam fuisse justitiam, pro reo, qui crimen redémit, seséque, vinctô per aurum judicê, vinculîs exémit. In partium amicâ compositione, nullam illi, quæ potior agnita, superiórque pronunciari debuisset, irrogatam violentiam fuisse: quia, pro commodo tractu domûs, quæ protenditur, suas cessit ædes, qui debuisset excidere causâ, & cedere adversario: vel, quia gravem auri massam, in fabricæ novæ fundamenta, vel suburbanorum æstivorum tecta prior obtulit; qui posterior esse in judicio debuisset. Non intercessisse pactum ullum, de mediâ lucri parte percipiendâ, pro testimonio, iniquitatis patronô. Non pa-

Judic. 16. v. 5.

Aristæ. Hist. de 72. Interpret.

patriam, non exercitum, non ipſos exercituum Duces, non ſummum ipſum Principem, & Imperij Caput, & cum eo, diadema, ſceptrum, imperiúmque univerſum, invidis æmulorum votis, inſidijs, & clandeſtinis conatibus, ſi non traditum, ſponſione tamen traditionis peragendæ, jam addictum fuiſſe, pro ſyngrapha Diverbij maledicti: *Tibi dabo*! In confeſſo ſunt (quid enim opùs eſt, jure-jurandô perjuros urgere; quales, Divus Gregorius, avaritiæ deditos omnes, pridem infamavit) in confeſſo, inquam, ſunt, communicata cum alienigenis, arcana reipublicæ decreta; manifeſtata perduellibus, occulta Principis conſilia; transacta cum hoſtibus, quæ juratæ fuerant, itáque ſanctè obligatæ commiſſa fidei, publicæ felicitatis negotia: quia menſtruîs cambiîs, oblata ſpontè, perfidiæ parricidalis commercia, liberaliter compenſata fuêre.

S. Gregor. Lib. 21. Morai. cap. 17.

XI. Hæc, & plura alia, hîs forſan atrociora, non eſt præſentis conſilij, fidiculîs, vel immanibûs aliîs reorum cruciatibûs extorquere. Unicô divinæ lucis, conſcientias veſtras perſtringentis illapſu tacti, non ipſi tantùm perhorreſcetis, revelatam malorum ſylvam, quæ de radice cupiditatis, intimîs receptâ viſceribûs, in frondoſam umbram ſcelerum progerminavit; ſed palàm erit omnibus: verecundiam, illam honeſtatis Matrem; & Virginitatem, Angelorum paulò minorem felicitate; & venuſtiſſimam integritatem corporum, patentem illam animæ pulchræ faciem, non aliâ violentiâ corruptam; non aliâ perſecutione violatam; non aliâ demùm tyrannide, in abominabilem alienæ concupiſcentiæ mancipatum redactam fuiſſe; quàm, ſtipendiarij quæſtûs illius, diabolicâ ſtipulatione: *Tibi dabo*! An non juratam conjugij ſacri fidem, adulterinis affectibus conſecrâſtis, ijs etiam, quæ nè maritis indulgeri quidem fas eſt, abſquè ſyntereſi, conceſsîs abuſibûs? quia appenſi ſunt auribus fulgentes elenchi; adjectæ collo rariſſimi candoris margaritæ; vel, noviſſimæ formæ, pretiíque non levis amictus elegans, perfidæ proſtitutionis tributum, aut oblatum, aut promiſſum eſt: *Tibi dabo*? An non, per divina myſteria recèns recuperatam gratiam, omnibûs totius Mundi cimeliîs prævalentem; & religionem, cùm æternæ, tum temporaneæ Beatitudinis baſim; & animam, cui aſſerendæ, vendidit omnia, quæ habuit, Inſtitor ille cœleſtis opulentiſſimus; & ipſum denique, cœlorum regnum, Deúmque, cœli, ac terræ Conditorem, emiſſarius Veneris negotiator, nullô negotiô, prout

prout voluit, habuit? vel indicatâ tantùm voluntate: *Tibi dabo*, chirothecarum non unam, pro manibus inquinatis duodenam; ſindonis ac byſſi tenerrima, pro cuticulæ fomento, volumina; reticulatas, pro criſtatâ mitrâ, & longîs brachiorum appendicibus, fili ſubtiliſſimi fimbrias; &, quidquid demùm in pretioſam Venerem, elegans, aut ſumtuoſum, vel concupiſci poteſt, vel exigi.

XII. Non hæc, divinatoriâ quâdam ex conjecturâ ſuſcepi; nequè meâ tantùm ex perſuaſione, quâ cupiditatem hanc inſatiabilem, tanquàm omnium virtutum inimicam, & omnis boni peſtem ſemper ſum averſatus, adeò cumulata ejus detrimenta congeſſi. Nihil, non centies factum, â me commemoratum eſt; etſi plura, millies forſan perpetrata, maneant adhuc involuta ſilentiô. Quoties enim, etiam cum ipſius horrore naturæ, protritóque ſenſu totius humanitatis, amici, poſt innumera beneficia, plurimîs ad necem, & mediîs, & modîs, & viîs quæſiti? Cognati, poſt annorum plurium liberalem convictum, & menſam domeſticam, intoxicatô bolô ſublati? Conjuges nummoſæ, poſt longa ſubſidia maritis egentibus præſtita, vel medicatîs dolosè pulveribûs, vel præſtigiîs præficîs, ad ſepulchra præmiſſæ? Innocentes, nè cogitatô quidem crimine, rei Capitis, læſæque Majeſtatis delati? &, qui nec oculi, ſiniſtrè flexi, vel hoſtiliter intuentis, ictu, læſerunt unquàm, lethalî tamen ictu, proh! quoties, inimicô imperante, & ſicariô obtemperante, per occultas inſidias, pro mercede condictâ, pro pactione dividendæ Ditionis promiſſâ, pro derelictæ ſubſtantiæ concupitâ poſſeſſione, pro adeundæ hæreditatis accelerando jure, pro nummis denique, ſceleratè, impiè, ſacrilegè, crudelitérque deſideratîs, interfecti fuêre?

XIII. Nihil in his per exaggerationem, imò, minora longè, turpiſſimè factîs, protuli; nec enim totum, ſceleris hujus immaniſſimi germen, unâ poteſt, quantum eſt, Actione, ſatis vel conſtringi, vel perſtringi; poſtquàm Apoſtolicæ veritatis oraculô, *Radix omnium* (quis autem unus, omnia congeret?) *malorum* eſt appellata. *Radix omnium malorum eſt Cupiditas*, inquiebat olim Theodoretus, adjectâ ratione: *Cædes enim, & præſtigiæ; furta, & rapinæ; fraudes, & mendacia; juris-jurandi violatio, & alia genera iniquitatis, ex hâc radice pullulant*: nec eſt ullum excogitabile, vel ipſis etiam flagitiorum omnium Incentoribus, Inferni conſilijs, crimen; quod avarum, cupidúmque pecuniæ cor, non concipiat, non parturiat,

Theodor. in Epiſt. ad Timoth.

non effundat. *Si enim*, (argumentatio Petri Cardinalis hæc eſt, & urgens quidem) *ſi enim*, inquit, *nihil eſt avarô ſceleſtius, nihil iniquius? non ergo melior parricidîs; non præfertur inceſtis; æquatur hæreticis; aſſimilatur idololatris.* Proh! monſtra ſcelerum! utinam non etiam quandóque, coronata, mitratáque! Fuiſſet hoc ſanè, ſi conſcientia, ſi DEI timor, ſi judicij ſuperni formido, ſi naturæ ſenſus, & honeſti ratio, ſic Imperatori Friderico IV:, verè Auſtriaco, non tantùm, Auguſtiſſimo Imperatori, ſed etiam, repudiatâ Coronâ digniſſimo, itáque Chriſtianiſſimo Regi defuiſſent; utì defuêre pravis ejus Conſultoribus. Hi, ſuísne, vel Cæſaris lucris, intenti potiùs, auſi ſunt ſuggerere Principi; Carnifex ut eſſet, pro Tutore, Ladislai, minorennis tunc, legitimi tamen, hæredis geminorum, Hungariæ, Bohemiæque Regnorum: auctum ſic iri, ſublatô puerô, ditionem Auſtriæ, maximîs coronarum ampliſſimarum incrementîs. Alius autem, â conſulentium impietate Cæſar; ùt alienus ab infami ſemper lucro fuit: omninò dignus; qui, Cæſares inter Auſtriacos unus hactenùs, quinîs, ultrà quinquagenos, annîs coronatus, Jubilæum exceſſit. Euſebius, ille Coronatæ Virtutis Panegyricus, & malitiam avaræ ſuggeſtionis, & integritatem incorruptibilis Imperatoris, paucîs expreſſit: *Totus*, inquit, *in timorem Numinis intentus, Tutor Ladislai, Regis Hungariæ exiſtens, non audivit conſilia, importunè ſolicitantium* (dicámne, dæmonum, an, hominum deteriorum?) *ut, quâ viâ facilè poſſet, Ladislaum è medio tolleret. Tantî, inquiebat, non facio Regna, & opes: ut, propterea peccare, vel cogitem, vel auſim.*

S. Petr. Dam. lib. 2. Epiſt. 2.

Æneas Sylvius. lib. 3. de rebus geſtis Alphonſi.

Euſeb. Nierembergius. in virt. Coronat. p. 1. c. 2. §. 6. circa finem. mihi. fol. 132.

XIV. Ubi verò nunc eadem, aut par, mentis integritas? Non queror Pontificales Jeroſolymæ mitras, & ipſiúsmet Chriſti Diſcipuli corruptam, hâc iniquitate, ſanctiſſimam Vocationem. Totus Mundus, utì jam olim repletus laqueîs, ità, ſi divitijs inhians, illaqueatus hâc perverſitate continetur. Non enim ſolus fuit ſui ſæculi probrum, Laſthenes; qui, Philippo Macedoni, ſuæ commiſſam tutelæ, Olynthum urbem, pro auro tradidit. Non unus, ab Angli Regis Eduardi conſilijs, Havartus; cujus proditor arcanorum calamus, pro biennali perfidia, ſenîs quidem, ſupra dena millia, coronatîs, coronato tamen Capiti, â quo pendebantur, prorſus incongruô proditoriæ malitiæ ſtipendiô, compenſatus eſt. Nec unica tantùm, fabulis ipſis execrata, Danaë noſcitur; quæ pro aurea pluvia Virgineum Jovi ſinum pro-

Juvenal. in ſatyr. de Philippo.

Commin. lib. 8.

Horat. 3. ode 16.

prostituit. Nec uni soli, Cau-
si-dicos inter omnes, quæ, nu-
mmis obligata justitiæ defuit,
quæsita forsan post fata, defo-
ret etiamnùm lingua; utì defuit
Cæsar. lib. 11. cap. 16. illi, de quo Cæsarius. Nec Pau-
lus fortassè Forni, singularis erit
Surius in Comment. ann. 1510. & Bzov. lib. 14. in crimine; quô sacro-sanctum
Domini corpus, panis conditum
speciê, juratis hostibus, pro
pauculis denarijs tradidit. Quot
in hoc cumulo Rei tuæmet ip-
sius divinæ Majestatis? patientis-
sime DEUS! quam, exaratâ,
de propriô suô cruore syngra-
phâ, detestati, pro nummis ob-
latis â dæmone, abjurârunt?
Quot hîc vides, qui omnia vi-
Joël. 3. v. 3. des, cum illis, â Jöele delatîs,
obnoxios pari culpæ? qui *super populum miserunt sortem*; & *posuerunt puerum in prostibulo*; *& puellam vendiderunt*, *pro vino*; *ut biberent?* qui
pro simoniaca sponsione, Bene-
ficia præripuerunt Ecclesiæ? qui,
ne spoliarentur hæreditate terre-
nâ, fidei sacramentum ejurâ-
runt? pro dotalium pactorum
amplâ spe, Christo datam fidem
fefellerunt? pro censu permodi-
cô, suas, in prostibula, dede-
runt ædes? pro corporum vanis
indumentis, debitum famulan-
tibus alimentum, constitutum
operis diurnum, justam opifici-
bus mercedem, præceptam pau-
peribus eleemosynam, & oblatio-
nes, pro animabus, ex igne purga-
torio liberandis factas, irremissi-
bilî sacrilegâque fraude, vel dimi-
nuerunt, vel omninò subtraxe-
runt?

XV. Infamia sunt hæc nomi-
ni Christiano, vera tamen, &,
utinam! ab illis aliena; quæ suîs
temporibûs ingemuêre Patres
antiqui. Sed, est ea, quam ac-
cuso, cupiditas, utì fuerat ab
Augustino reprehensa: *servitus idololatriæ*, *mater usuræ*, *genitrix si-* S. August. serm. 48. ad FF.
moniæ, *fomes culpæ*, *æternæ pœnæ via.*
Deprehendi ex sententia Bernar-
dini Senensis verissimum: quòd,
ubi pecuniarum aviditas; *ibi co-* S. Bernard. Senens. Tom. 2. serm. 45. art. 10. cap. 13.
gitationes, *paratæ ad decipiendum*, *cir-*
cumveniendum, *fallendum.* *Fabrican-*
tur cavillationes, *calliditates*, *duplicita-*
tes, *proditiones.* Nihil culpo, quod
non aureus pariter indignatus
olim Orator fuit: *Qui pecuniæ* S. Chrysost. lib. 3. adversus vit. mon. Cont.
amore rapiuntur, *invidi*, *perjuri*, *te-*
merarij, *audaces*, *maledici*, *fures*,
inverecundi, *impudentes*, *ingrati*,
mala denique omnia sint, *necesse est.* Ita
ille judicavit, &, ex Tripode
sacrâ: nam, inde solùm, &, ex
ea duntaxat radice malorum
omnium, Divus Asterius censuit,
compleri terram latronibûs, *& homi-* S. Aster. homil. de avarit.
cidîs; *mare*, *pyratîs*; *urbes*, *tumul-*
tibûs; *forum*, *ac tribunalia*, *falsîs te-*
stibûs, *sycophantîs*, *proditoribûs*, *& ju-*
dicibûs, *eò propendentibûs*, *quô Cupi-*
ditas traxerit. Quidquid violatâ
de fide maritalis vinculi dixi;
quidquid, prostituto de thesau-
ro virgineæ integritatis adduxi;
quidquid patriæ, Principúmque

de perfida proditione ſum queſtus; idem oratione graviſſimâ S. Valerianus, ætate ſuâ jam, divino Tribunali reum ſtitit, hâc ſolâ cupiditate pecuniæ captũ. *Frequenter conjugalis pudor*, ait ipſe, *pecuniæ taxatione vileſcit; & , diù incontaminatæ virginitatis laude fulgens, ſub parvo auri pondere proſtituta, fidem integritatis amiſit. Quis dubitet; quòd ſecretum pectoris oblatæ pecuniæ pondus irruperit? Nihil clauſum conſtat; quod auro, argentóque non pateat: nihil occultum; quod non, pecuniâ indagante ſit cognitum.* Tantâ verò firmatus authoritate ſermo meus, non jam pavere, contremiſceréque faciet omnes, Iſcariotæ deſperati crimine contaminatos? Quid enim effugij ſupereſſe poteſt illis, â vitij vel unius contagio; qui vel unicô hôc inquinati, noti jam ſunt, & convicti, univerſorum rei? Unum enim, ipſum eſt, quod, auri-loqui Petri congeſtâ incuſatione, *Bella mandat, ſanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, urbes deſtruit, vexat cives, jus delet, violat veritatem, famam carpit, ſolvit affectus, innocentiam tollit, pietatem ſepelit, amicitiam ſubruit.*

S. Valerian. Orat. 20. de avar.

S. Petr. Chryſol. ſerm. 126.

XVI. Et erit huic, adeò multiplici malitiæ, per quam nulla non corrumpitur, enecatur, & perit omninò, virtus, veritas, ac fides, veniæ tamen, ac ſalutis locus; quæ, inſimulata â Zenone ſancto, *ſalutis ſuæ, alienæq; con-*

S. Zeno. ſerm. de avarit.

temtrix eſt? Erit iſti, totius iniquitatis viperino genimini, culpæ mitigandæ, vel excuſandæ prætextus aliquis? At, unde obſecro? Ab indigentia, reique familiaris inopia? Quæ verò neceſſitas eſt; ut, adeò magnificæ ſint ædes? adeò pretiosè de ſerico fulgeant, auróque veſtimenta? adeò gravis argentô ſit abacus, totáque menſæ ſupellex? adeò ſumptuoſè peregrinîs periſtromatibûs parietes, thalamique, cum feneſtris, veteris inſtar tabernaculi, cortinîs, onerati magis, quàm veſtiti ſint? Quæ neceſſitas, oro; ut in ſingula convivia, totus propè Mundus, & elementa cuncta contribuant? ut vini, potûsque delectus, catalogô deſcriptô, cuique liber ſit? ut, quæ civiles, olim legibûs definitæ, nunc, principales, regiæque menſæ ſint? ut, quotidiè, velut in ſcenam, & pro theatro, par ſit comti corporis apparatus? Cur nunc omnibus fœminis, tam ſumptuoſè faſtigiatæ mitræ? cur ex omnium auribus fulgidi adamantes? cur omnium turriti crines, acubûs interpuncti gemmatîs? cur tanta famulorum, & ancillarum cohors ipſismet illis, qui non, niſi ſervi ſunt, & Majorum aluntur impendiîs? cur equorum, carpentorúmque, tanta frequentia, tantus delectus, tam promiſcuus uſus, tanto inſuper auri ſplendo-

re

re vitiatus? An hæc, indigentiæ, an paupertatis, an prætextæ neceſſitatis, indicia ſunt? an potiùs manifeſtæ cupiditatis argumenta? quæ tantis inhiat; &, ut habeat, nihil infra non habet. Non *Juſtitiam*: etſi ea ſit baſis reipublicæ, fulcrúmque regnorum: quia, *juſtitia elevat gentem*; *Prov. 14. v. 34. & 25. v. 5.* &, *firmabitur juſtitiâ thronus.* Non *Charitatem*: etſi hæc electorum character, & prima ſit ſalutis conditio; quâ ſinè de ſemetipſo, quantuscúnque fuerat Apoſtolus, confeſſus tamen eſt: *Si charitatem autem non habeam, nihil ſum.* *1. Corinth. 13. v. 1. 2.* Non *Amicitiam*: quæ pars quædam, in hac vita beatitudinis, ipſi Syracidi viſa fuit: *Beatus, qui invenit amicum verum.* *Eccli. 25. v. 12.* Non *Virtutem*: cujus tamen poſſeſſione, totô nihil in Orbe feliciùs, ditiúsque repiriri potuit, etiam Ethnico ab homine: *Nulla poſeſſio, nulla vis auri, & argenti, pluris, quàm virtus æſtimanda eſt.* *Seneca in Epiſt.* Nec *Innocentiam*: quæ Divo Hieronymo viſa eſt, *janua cæli*; Cordubenſi Philoſopho, *vera felicitas*; Plinio verò, *Numinis ipſius oblectatio.* *S. Hieron. ſuper. Pſal. 77. fol. 201. Tom. 2. Sene. de mor. poſt med. fol. 677. Plin. in Panegyr. Trajani. poſt. init. fol. 323.* Neque *Pietatem*, rem illam omnium diviniſſimam, Iſidorô arbitrô; cujus vox erat: *Divina quædam res, eſt ſermo; divinior autem, virtus; diviniſſima denique, Pietas.* *S. Iſidor. Peluſ. lib. 3. Epiſt. 118. in Bib. PP. Tom. 5. p. 1. fol. 583.* Neque *Pudicitiam*, aut *Continentiam* penſi habent; de qua tamen aſſeveravit V. Beda: majus miraculum in ea conſiſtere virtute; quàm, in ipſa profligatione ſpirituum infernorum: quam & Africana illa Eloquentia, *ornamentum nobilium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, multiplicationem meritorum, & Creatoris omnium DEI amicam*, maximô ſanè decoravit elogiô. Ipſam *Virginitatem*; *quæ flos Eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, ſoror Angelorum, regina virtutum, poſſeſſio bonorum omnium*, ab eodem Cypriano prædicata fuit. Ipſam *Gratiam*; quæ tamen ab Aquinate angelico, *quædam participatio divinæ naturæ, quædam ſimilitudo divinitatis, & inchoatio gloriæ* æſtimata eſt. Ipſam demùm *Animam*, infamî, turpîque lucrô poſteriorem, ac viliorem habet inſana, demens, & excæcata Cupiditas. Quid autem, & quanti pretij theſaurus in anima latet? quæ, prout Venetorum Patriarcha Laurentius, divinè docuit, *ſi ſemel amittatur, & adverſùm ſe ſententiam mortis accipiat, ulteriùs recuperari non valet, nec prece, nec pretiô, neque alicujus ſuffragiô.* Necdum omnia dixi. Conſternatus aliquando magnus Pater, & illuſtriſſimus Eccleſiæ Doctor, Auguſtinus, exclamavit ſuper ineffabilî, nec, ùt ei videbatur, comprehenſibilî ſatìs, inſaniâ hâc: *Acquirere aurum, &, perdere cœlum!* utì jam ſuprà commemoravi. Quid verò de jactura cogitaret eâ, dicerétque; quâ DEUS ipſe,

V. Beda. in Collat. PP. S. Cyprian. de 12. abuſ. *Idem in lib. de Virginit.* *S. Thom. 1. 2. quæſt. 112. art. 1. in C. & p 3. ſ. q. 2. art. 10. in C. Et. 2. 2. q. 24. art. 3. in. C. ad 2.* *S. Laurent. Juſtin. de ſpe. anim. inter.* *S. Auguſt. ſerm. 25. de verb. Dom.*

pſe, cœli Conditor, totiúsque felicitatis (quâ, cœli cœlorum beatitudo conſtat, & abundat; &, utì Stagyræ Princeps agnovit, *finalis, totius univerſi ſumma delectatio*) illáque boni omnis abyſſus, in quâ, & â qua, & per quam beata ſunt, quæ beata ſunt omnia; verbô: *Omnia* poſthabentur, abjiciuntur, proculcantur, pro lucro temporaneô, exilî, vilî, nullô?

Ariſtot. 12. Metaphyſ. cit. â Beda. Tom. 2.

XVII. Heu me! quid porrò ſentiam? quid dicam? An expers erit pœnæ tam enormis culpa? tam cumulata malitia? tàntum humanæ conditionis opprobrium? tanta præcipitatæ rationis injuria? tanta ſupremæ, divinæque Majeſtatis contumelia? Mihi ſufficit: quòd pro muneris mei debito ſim locutus.

3. Reg. 19. v. 10. Pſalm 72. v. 3. *Zelô zelatus ſum pro Domino DEO: &, ſuper iniquos, pacem peccatorum videns!* qui, cùm pleni ſint iniquitate, ſuæque ſalutis immemores, DEIque Conditoris, ac Servatoris obliti, nihil tamen metuunt minùs; quàm (etſi, tantùm non jam perditi) perire.

Arg. l. 6. §. irritum. 5. de Fnjuſt. rupt. irrit. teſtam. l. 1. §. 1. Statuta lex eſt: *qui pecuniâ, vel, pretiô acceptô delinquunt, graviùs delinquere cenſentur*; ſeveriùs utiquè, quàm, quibuscúnque flagitijs alijs obnoxij, judicandi, condemnandi, plectendi. Non me fugit: criminoſos, in judicium vocatos, & convictos, nullâ criminationis exculpandæ conceſsâ veniâ, ſtatim, ac Rei facti, cogniti, judicatique ſunt, aut, è veſtigio ſublatos è vivis fuiſſe per ſupplicium; aut, in extremam paupertatis miſeriam, omnî morte graviorem dejectos; aut, cum perpetuæ horrendâ notâ infamiæ, publicîs muneribûs exutos, omníque dignitatum charactere, quô, non ſuperbè minùs, quàm avarè abutebantur, deſtitutos; aut (quod, in tuo ſolius arbitrio ſtat; velle) diris doloribus, in longum cruciatum traditos; morbîs infamibûs, &, natîs, ante fata, de corpore malè ſaginato, vermibûs fœdè percuſſos; ipsísque ſpiritibus damnatis, plagiarijs Juſtitiæ tuæ divinæ miniſtris, ad aliorum terorrem conſpicuis, in hac adhuc vita, tormentis inferni, diſcruciandos, fuiſſe adjudicatos. Abſit â me tamen; ut æquitati tuæ, vel modum, vel terminos, Actione meâ decernam. Quodſi verò ſtatuerit læſa tua, ſanctiſſima Majeſtas; ut acquiſitæ gemmæ, matrimonij violati merces execranda, in Fenellæ poma, telîs, ac ſpiculîs armata vertantur? ut lapilli fulgentes, turpe pondus bilancis, contra jus, iniquam in cauſam inclinatæ, Siſyphi grandeſcant in ſaxum? ut aurô, ſericis intextô filis, gravia veſtimenta, quæ libidinum ornamenta, pudorísque deflorati fuêre ſtipendia,

dia, tranſeant in paria, miſerè nuptæ, Glaucæ incendia? Quidquid hîs, etiam ſæviùs, graviùs, atrociúsque in reos hos pronunciatum tuo fuerit ex Tribunali; mitiùs, leviùs, benigniùs erit illo pro crimine; quod humanus nec poteſt intellectus eâ, quâ par eſt, penſitare trutinâ, dijudicare cenſurâ, ſententiâ condemnare. Id unum, ex æquo, videtur omninò decernendum: ut, qui perpetuis prætulerunt peritura, perpetuò pereant: &, qui ſuperna, atquè cœleſtia, terrenîs inferiora cenſuerunt; ad inferna deſcendant, cœlîs proſcripti: &, qui DEUM, ſummum, ac infinitum Bonum, nihilô minorem fecerunt in culpa; ſentiant in pœna ſummi mali, ſinè fine vindicem; in quâ, Boni, ſolatij, ſpei nihil.

XVIII. Quis iſte furor zelotes? (reſpirate, propè jam deſperati, & tantùm non condemnati per zelum Zeli, miſerandi Iſcariotides! Patrocinatur Cauſæ veſtræ, qui loquitur, venditus â Diſcipulo, Magiſter, nec tamen ſuimet ipſius, tanti licèt, offenſoris, aut criminator, aut vindex actor, JESUS) *Nolite*, inquit, *zelare mortem in errore vitæ:* quia, *miſericordiam volo; & non ſacrificium: non enim vêni vocare juſtos; ſed, peccatores.* Si *autem ſciretis; quid eſt: miſericordiam volo, & non ſacrificium, nunquam condemnâſſetis,* infelices iſtos. Memineris (Actor, â meo tantùm ſpiritu differens; quantùm, hominem intereſt, ac DEUM) memineris: cujúsnam ore promiſſum fuerit? *In æternum ſervabo illi miſericordiam meam.* Non hoc vanè ſibi pollicentur cum juſto illo; qui, ùtùt graviſſimorum criminum rei, mecum tamen, pœnalibûs in hac vita conſtringi vinculîs, &, â manu Patris, in ſupplicia non renuunt abripi temporanea; probè creduli: *Caſtigavit nos, propter iniquitates noſtras; & ipſe ſalvabit nos, propter miſericordiam ſuam.* An tu putas: quia beneplacitum eſt DEO; deſtruere, quod creaverat? abjicere, quod reparaverat? perdere, quod recuperaverat? damnare, quod ſalvaverat? Alia ſunt mei Patris æterna Decreta: *In æternum miſericordia ædificabitur in cœlis. O Pater miſericordiarum! & DEUS, totius conſolationis! reſpice in faciem Chriſti tui!* En, paratus ſum, in mortem, &, in mortem Crucis abire, venditus, traditúsque jam, viliſſimô pretiô! nè tradantur, qui rei ſunt proditionis hujus, in manus tortorum, ex quibus nulla eſt redemptio. Ne perdas, cum impijs, pretium illud; quod, (cùm ex ipſis deficiat) ego ſolvi, de meo ſanguine, meo ſudore, meâque vitâ. Satìs utíque jam viluit inter homines, copioſa redemptio mea! næ tu majoris eam facies? En,

Sapient. 1. v. 12. *Matth. 9. v. 13.* *Matth. 12. v. 7.* *In Pſalm. 84. v. 29.* *Pſalm. 88. v. 3.* *2. Corinth. 1. v. 4.* *Pſalm. 83. v. 10.* *Hebr. 9. v. 15.*

tuus ſum, Pater! non hoſtibus meis, non Senioribus populi, non Principibus Sacerdotũ, non Cayphæ, non Annæ, ſed, tibi venditus, triginta argenteîs. Accipe me; &, pro Mêmetipſo (nunquid, cùm tibi me, venditum, traditum, captum, vinctúmque do, ſatìs do?) *Da mihi Animas!* Abba! Pater! *Geneſ. 14. v. 21.*

FERIA IV.

POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ.

SERMO SEXTUS.

In Foro I. Juſtitiæ Divinæ, ſeu, in Horto Gethſemani.

Actio III. De Depoſito; Directa.

FF. Depoſiti. L. 1. §. Prætor ait,

Contra eos;

Qui Pecuniam, & Bona, â DEO, accepta,
(Utpotè Miſerorum, & Egentium Depoſitum)
Nec, in eorundem ſubſidium, nec in propriam Neceſſitatem,
Sed in vanos, ac turpes Uſus impendunt, ac diſpergunt.

Actor III. S. Ivo, Pauperum Advocatus;

Perſtringit nimiùm profuſos ſumtus, in vana, & infanda;
Cum iniquiſſimâ miſerorum, & indigorum Defraudatione.

Myſterium III. &, Actionis propoſitæ Argumentum.

Liberalitas promta Synagogæ, Principúmque, ac Sacerdotum, &c.
Ad Expenſas, in Judam proditorem, & Miniſtros,
Milites quoque, ac Laternas, & faces, &c.
Qui tamen anteà, ſuper Tributô, Cæſari dandô, ſcrupuloſi fuerant.

Teſſera.

Judas ergo, cùm accepiſſet cohortem, & â Pontificibus, ac Phariſæis, Miniſtros, venit illuc, cum Laternis, & facibus, & armis. *Joann. 18. v. 3.*

I. Fre-

I. FRequens in Mundo jam est illa, singularis olim, perversitas; quam, in Jerosolymæ Pontificibûs, Pharisæîs, Principibûs, & Senioribûs populi deprehensam, non sinè tacitâ reprehensione, perquàm accuratè, nullîs non expressîs adjunctîs, quæ, capiendo Servatori destinata, procurata, conductáque fuêre, dilectus Domini Discipulus commemoravit. Nec enim solus, acceptîs jam siclîs, ad facinus execrandum Judas prorupit: Cohortem integram, ùt advertit sanctus Chrysostomus, *pecuniâ* publicâ, conductam, & Pontificibus, ad eorum postulatum â Præside, unâ cum Tribuno, concessam, itáque 1250. vel, quod alij censent, quingentos, armîs omnes instructos, in sua vestigia traxit; grandî prorsùs insaniâ; quam S. Cyrillus, Antistes Alexandrinus, inde concussit: quia, *non ignorabat* (Judas) *non posse illum capi, nolentem: sed, magnitudine, & impietate facinoris, exagitatus, quasi temulentus, atquè insanus, quô rueret, non sentiebat*: ideò, *contra omnipotentem roboratus*, integram cohortem, in subsidium præsumtæ traditionis, utì postulavit, accepit. Nec hîc stetit ejus importuna solicitudo: Ministros Pontificum, & Pharisæorum servos, in cumulum sceleratæ persecutionis adauxit. Vênit enîm, (ita disertè S. Matthæus ait) *cum eo turba multa, missi â Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi*: hoc est, interprete Sylveirâ: *venit, cum eo, valdè magna turba, cum Ministris nempè; in quibus, etiam erant servi summi Pontificis*: (percussit enim Petrus, ùt Joannes narrat, *Pontificis servum*; seu, prout in Marco legitur: *servum summi sacerdotis.*) Tanta verò turba, militum, ac Ministrorum, ære non mediocrî, sumtúque conducta, non cæca venit, nec in tenebris, etsi noctû; sed *cum Laternis, & facibus*: ut offendicula viarum, insidiásque, si quæ laterent, (cùm sit timida nequitia) declinare, sesequè mutuò conspicere, ac Dominum, si se forsan inter suos occultaret, & quærere possent, & agnoscere: ridiculâ sanè providentiâ; sumtibûsque, in eandem impensîs, omninò detestandîs, non tantùm in Juda, qui eorundem, ùt Auctor, ità fuerat Exactor; sed in ipsis etiam excæcatæ Synagogæ, tam sacrarum, quàm sæcularium rerum administrîs, Principibûs, Pontificibûs, & Pharisæîs.

S. Chrysost. Homil. 83. in Joann.

Sylveira. Tom. 5. in Evang. l. 8. cap. 3. Q. 1. n. 4.

S. Cyrillus. Lib. 11. in Joann. cap. 22.

Joh. 15. v. 25.

Matth. 26. v. 47. — *Sylveira, loc. cit.* — *Joann. 18. v. 10.* — *Marc. 14. v. 47.* — *Joann. 18. v. 3.* — *Sapient. 17. v. 10.*

II. Quàm diversa, modicô temporis intervallô, consilia fuerunt hominum istorum? quàm dispar conscientia? Cùm unicus Cæsari pendendus erat, procensu, Denarius; tanquam legis divinæ Doctorem, summúmque

que Magiſtrum, requirunt Chriſtum; eúmque, multîs elogiîs, de veritatis, & integerrimæ doctrinæ præjudiciô jam conceptô, præmiſsîs urgent: ut, quod clam in ſacrario ſuæ conſcientiæ judicat, nullâ perſonarum habitâ ratione palàm, & pro foro decernat: *Licet Cenſum dare Cæſari; an non?* Jam verò, cùm non uno de Denario definiendum eſt; ſed, centeni, peſſimum in finem, ipſius videlicet Boni ſummi perditionem, gentísq; totius interitum prodigendis, ab hominum ſceleratiſſimo poſtulantur: nullâ deliberatione, nullâ conſultatione, nullâ difficultate, quidquid optatur, expenditur, in cohortem, in Miniſtros, in armatorum Ducem & arma, in laternas, & lucernas, & faces. Credit enim Nonnus Ponopolitanus: *eos veniſſe cum multitudine laternarum; ità, ut unúsquisque ſuam tulerit lucernam*; prout addit Gregorius â JESU Maria. Tantum capiatur, &, comprehenſus adducatur Chriſtus; fruíque liceat eô, quod jam diû geſtiebat, humana pariter, ac divina peroſus, odiô gravatus animus; videre ſcilicet in vinculis, qui vincula peccatorum diſſolverat; & ſatiare tandem innocentî ſanguine flagrantem invidiam: habere, pro ludo, ludicróque ſpectaculo, Thaumaturgum Judææ, divinæque legis Præconem; &, exerere demùm, meditata dudùm, poſſe, conſilia, non in ipſius tantùm internecionem, ſed legis etiam ab eo traditæ, vulgatæque per omnem Judæam virtutis, nominis, & memoriæ plenam abolitionem! Nulla, hoc in propoſito, pecuniæ, nulla ſumtuum faciendorum conſideratio, vel unicum eorum â conſensûs pravitate, vel minimô tantùm ſcrupulô, remoratur objectô; qui multùm anxij, ſuper unius debitô Denarij tributô, Theologorum priùs omnium ſupremo ex capite, ſententîam poſtulârunt. Proh! præpoſteram, nequiſſimam, imò flagitioſiſſimam Pietatem! Ad conſummandum opus tenebratum, quod miſerat in cor Diſcipuli, tenebrarum Princeps Diabolus, quidquid in ſceleris inauditi coryphæum, quidquid in ſequacem, armatámque turbam, & militum, & miniſtrorum, quidquid in faces, & laternas, conjuratæ ſuggeſſit perditionis aviditas, tum ex ærario Synagogæ, tum ex populi communis, privatorúmque marſupio, liberaliſſimè profunditur: ut verò debitus pendatur juſtitiæ cenſus, ùtùt levis, & modicus; quidquid rationis, & juris, inveniri poteſt, in conſilium cogitur, ac diſceptatur!

III. Ubínam autem iſta tanta perverſitas? an, in Judæis, an verò

Matth. 22. v. 17.

P. Greg. à JEſu Maria Tom. 1. Lect. 20. num. 21.

verò in fidelibus, Chriſti aſſeclis, hodiédum accuſanda magìs deprehendetur ? Inſto quærendo: Num, ipſos inter fideles illi, qui longiùs â Domini ſacrario ſunt remoti, Judæorum iniquitate, avarè parcâ, & impiè liberalî, contaminati ſint magis? num verò, qui, per ſacri characteris prærogativam, & munerum divinorum eminentiam, ad ſancta ſanctorum propinquiùs admiſſi ſunt, â debito Chriſtianæ moderationis, in uſu terrenarum facultatum, quas ex ipſo gazophylacio Servatoris percipiunt, longiùs, & criminoſiùs averſi deficiant? Jeroſolymîs quidem ad Judæ ſceleratum propoſitum, auſúsque Diabolicos, utrúmque, ſacrum, profanúmque marſupium, contribuiſſe de communi peculio, viſum eſt Salmeroni: Hic enim de Juda, ait: *Munitus utrôque brachiô vênit*: Sacerdotum, ac Seniorum ſcilicet, id eſt; ſumtibûs, tam ſacrîs, quàm fæcularibûs; tam Templi, quàm fori; tam publicîs, quàm privatîs; tam communibûs, quàm ſingularibûs. Nemo enim, non ægrè, quod debet, imò, vix dat: nemo, non abundè, quod nec debet, nec licet, profundit. Sed, ad quæſitum revoco: quis dubium objectum diſſolvet ? Scio quidem: olim, queſtum fuiſſe Doctorem Angelicum, de Chriſtis Domini, gravem eorum, & lethalem reatum, ad ſupremi Tribunal Numinis deferendo; *qui ſunt diſpenſatores bonorum Eccleſiæ; quæ ſunt pauperum: quos defraudant, prodigè expendendo bona; ex quibus deberent alijsprovidere.* Sed, multò gravior, & exaggerata magìs adverſùs eoſdem, ipſorum egenorum querula poſtulatio fuit: prout eam pijſſimus Claræ vallis Abbas, fideliter excepit, ac annotatam reliquit, horrore plenîs, & conſcientiam, etſi forſan ſenſûs tenerioris jam expertem, vehementer compungentibûs, ac penetrantibûs verbîs: *Mê*, ait, *tacente, etſi non curia Regum, tamen pecunia pauperum clamat --- Clamant nudi; clamant famelici; conqueruntur, & dicunt: Nobîs, frigore, & fame miſerabiliter laborantibûs, quid conferunt tot mutatoria, vel extenſa in perticis, vel plicata in manticis? Noſtrum eſt, quod effunditis! nobis crudeliter ſubtrahitur; quod inaniter expenditur! Vita noſtra cedit vobis in ſuperfluas copias! Noſtris neceſſitatibus ſubtrahitur; quid quid accedit vanitatibus veſtris!* Hæc, olim, egeni, miſerique, contra miniſtros Eccleſiæ, ſacrîs proventibûs abutentes, objurgatione lamentabilî conclamando, penetrantibûs, ad ipſum usquè DEI thronum, gemitibûs, & querelîs urſerunt.

IV. Quis autem hodiè tam eſt, vel, in publico peregrinus, vel, auditûs omnis expers; ut nequè perceperit, ad hoc uſquè tempus, ne-

Salmeron. Tom. 5. Tract. 16. in Paſſion.

S. Thom. 2. 2. q. 99. Art. 11. in Reſponſ. ad 1.

S. Bernard. Tract. de Mor. & Offic. Epiſc. ſeu Epiſt ad Henricum Senonenſ. Archi-Epiſc. cap. 11.

nequè nôrit, notos in vicis, & compitis, dolores, planctus, mœrorésque zelotum gloriæ divinæ, ſacrorúmque myſteriorum, in Eccleſijs; in quibus non parietes tantùm, & pavimenta ſqualent; ſed aræ quoquè, vaſáque ſacra, & amictus, divinis officijs conſecrati, decore ſunt omnî, nitoréque, nè dicam, ornatu, vel ſplendore, deſtituti? Quid ſæviùs torquet, & exaſperat, alienos ab uſu ſæculi, ſacrísque tantùm officijs intentos, DEI ſervos, in clauſtris? ærumnoſos, &, ſuæmet jam, ex doloribus, pertæſos vitæ, in noſocomijs? quotidiana rogantes alimenta, mendicos in plateis? occultâ famê, miſeriâ, rerúmque penitùs omnium neceſſariô ſubſidiô deficiente, tabeſcentes in ædium angulis, ab omni, non ſolis tantùm, ſed hominis etiam, oculô remotîs? Quid, inquàm, eorum intimum ſenſum, ſupra omnem, quam patiuntur, extremam indigentiam, & congeſtæ calamitatis cumulum, exaggerat atrociùs? quàm, quòd videant: ſumtibûs immenſîs peregrina convehi marmora, ſcalîs, baſibûs, columnîſque formandîs, & ad ingreſſum humani domicilij conſtruendîs fornicibûs; dum trabibûs interim cariosîs, domûs DEI limen, ægrè ſulcitur, non ſinè periculo, & ruinæ, & tumulandorum, ſubeuntium ad divina? quòd cernant; aſſurgere de fundamentîs, ævo propè ſuſtentando paratîs, non impares aulis, privatorum ædes, imò, & equorum ſtabula: dum interim adhuc hiant, ex hoſtium obſidione, rupta mœnia, ſecuritati, tam privatæ, quàm publicæ, neceſſaria munimenta? quòd audiant; in famularem apparatum, & pompam; in ſplendorem, & phaleras, bigarum, & quadrigarum, ipſorúmque, vix jam, ab habitu domini differentium quadrigariorum, ingentes exactiones, reditúsque profundi: dum, qui Numini famulantur, eſuriunt, nec paſcuntur; algent, nec foventur; nudi ſunt, nec centone juvantur; mendicant, & exploduntur; oſcitant, & ridentur? quòd intelligant; haud ſecùs, ac ævô Mediolanenſis Eccleſiæ Patris: *Popularis favoris gratiâ, exinaniri proprias opes; ludîs Circenſibûs, vel, etiam theatralibûs, & muneribûs gladiatoriîs, vel, etiam venationibûs, patrimonium dilapidari*: repetundarum verò fieri reum; qui forſan, debitum vectigal, exſangui de pelle miſeri, inediâ tantùm non expirantis, exprimere per tormenta neglexit? quòd conſtet; ſubſtantiam, de ſudore, cruoréque ſubjectorum, ſeverîs exactionibûs coactam, prodigi, manu cæcâ, prout lubet, in ſtragula, tapetia, periſtromatáque conclavium;

S. Ambroſ. Lib. 11. de Offic. Cap. 21.

vium; in ſyrmata, pallia, mutatoriáque, non humanorum tantùm corporum, ſed, quod humanitatem omnem exaſperat, etiam jumentorum; quæ, niſi tigridum pretiosîs exuviîs, aut, peregrini candoris, urſinâ nunc pelle ſuperbiant, ipſum vileſcit in periſtomijs aurum, ſericúmque in frenis, & habenis: dum neſtramen quidem, aut fœnum indulgetur ægris, in horreo, vel ſtabulo; quos caſus forſan repentinus apoplectici humoris, in platea, vel agro proſtravit. Denique, quòd ore vulgi jam diffamatum ſit: paraſitis, & catillonibus, nugatoribus, & balatronibus, ſcortatoribus, & lenonibus, ædes patulas, convivia quotidiana, nihilque commune non eſſe; quod ad ſuperflua, & vetita, ad infamia, & infanda, inutilia, & perniciosa, familiaritas eorum, ad omnem turpitudinem officioſa, depoſcit: cùm tamen inveniri nequicquam, in abundantiâ tantâ, tantâque profuſione poſſit unquàm; quô, vel captivus adjuvetur, ut ſolvatur â vinculis; vel debitor ſublevetur, ut evadat infamiam; vel paſcatur eſuriens, nè fame intereat; vel nudus tegatur, nè frigore pereat; vel pudor ſervetur, nè inopiâ ſuccumbat; vel fides ſulciatur, nè deſerta deficiat; vel patria muniatur, nè incurſibus pateat; vel miles nutriatur, nè miſeriâ deficiat; vel templa, aræ, diviníſque neceſſaria miniſterijs inſtrumenta, veſtimenta, ornamenta, vaſáque procurentur; nè religio, nè ſacrificia, nè myſteria ſacroſancta, cum Dei cultu, periclitentur, aut exoleſcant.

V. Tantîs autem, ſuper abominatione tam crudeli, miſsîs in cœlum gemitibûs, quis, aut in foro fori liber, aut aris obſtrictus, non terreatur, ejusdẽ ſceleris conſcientiâ percuſſus; in quod, ſacra, profanáq; Jeroſolyma, unici aliàs denarij, debitô quamvís, de cenſu ſcrupuloſa, paſſa tamen eſt induci ſe, per Diſcipulũ proditorẽ? Inſtat enim, feriâ, miniméque ſcrupuloſâ quæſtione, S. Baſilius: *Quid, miſer, judici reſpondebis? Parietes veſtis; hominem non veſtis? Equos phaleris ornas; fratrem tuum laceris amictum pannis aſpernaris?* Urget idem, & Antiſtes Mediolanenſis, eâdem propè objurgatione: *Parietes veſtitis auro; homines denudatis! Clamat homo nudus; & tu ſolicitus es, quibus marmoribus pavimenta veſtias! Fecuniam pauper quærit, & non habet; &, equus tuus, aurum ſub dentibus mandit.* Eritnè tanti criminis excuſabilis reatus? tantorum Bonorùm veniabilis abuſus? tanti Depoſiti, curæ ſolùm, fideíque ſynceræ, ac providæ diſpenſationi, pro miſerorum neceſſitate commiſſi, abalienatio, defraudatio, ſubtractio, damna-

S. Baſilius. Homil. 7. in divit. avar.

S. Ambroſ. Lib. de Naboth c. 13.

damnationis expers æternæ? Ità quidem ſibi, ſed, vanâ decepti perſuaſione, mentiuntur; qui, Villanovano Præſuli petulanter obgannientes: *Durum*, inquiebant, *eſt hoc. Nunquid de meo poſſum facere, quod volo? Quod crimen; ſi mea non do? Non ſum latro; non ſum raptor: propter quod ergo damnandus?* Nec minùs inſolenter obſtrigillant, ſpeciê quâdam Theologiſmi: quòd, eleemoſynam dare non ſit præceptum, ſed conſilium, ſecundùm Danielis illud (quod Regi, non ſubjecto divinæ legi, & in caſu, præceptum non reſpiciente, dictum eſt) *Conſilium meum placeat tibi: peccata tua eleemoſynîs redime; &, iniquitates tuas, miſericordiîs pauperum.* Præter hæc, tuetur ſeſe perverſitas, querelîs tantùm hàc tenùs territa, nec dum accuſata, nec ad pœnam poſtulata, quôdam, velut Achille, ſed inermî prorſùs, &, apparente duntaxat, argumentô munita; prout advertit Angelicus Thomas: *Omne*, ait, *quod cadit ſub præceptum, aliquô tempore obligat tranſgreſſores ad peccatum mortale (quia præcepta affirmativa obligant pro tempore determinato) Si ergo, dare eleemoſynam, caderet ſub præcepto, eſſet, determinare aliquod tempus, in quo homo peccaret mortaliter, niſi eleemoſynam daret. Sed, hoc non videtur: quia ſemper probabiliter æſtimari poteſt; quòd pauperi aliter ſubveniri poſſit, &c.* Verùm, ſtruſtrà quæruntur effugia; cùm libera non eſt ampliùs cauſa: cujus malitiæ, meritò nunc improperari poteſt, ùt, non deprehenſæ tantùm, aut reprehenſæ, ſed, etiam comprehenſæ: *Stultô labore conſumeris, & tu, & populus iſte, qui tecum eſt*, adeô vanîs, dementatus potiùs, quàm, firmatus rationibûs. Jam enim Cauſa ſtat, ad ſacrum illud, æquiſſimúmque tribunal; cujus oculus, etiam *ſcrutatur Jeruſalem in lucernis.* Circumſtat, ingens pauperum turba, magnô patrociniô fulta; dum, qui tribunalibus in humanis, cùm viveret, miſerorum omnium, velut â ſuprema juſtitia juſſus, cauſas in ſe ſucepit, & egit, etiamnùm pro pauperibus, apud Eandem acturus, præſtò eſt è cœlis, Divus Ivo, notiſſimus Orbi, Pauperum advocatus; & quidem, *per Actionem, de Depoſito directam*, in crimen, & pœnam fraudis, furtíque, ac Depoſiti abalienati, ſubtractíque, perverſitatem illam adducturus; quæ commiſsîs, &, conceſsîs â DEO facultatibûs, cum inopum, & reipublicæ, tam profanæ, quàm ſacræ, indigentis injuriâ, in vana, ſuperflua, infanda quoquè, ac deteſtanda conversîs, impiè, furtivè, ſacrilegè, ſceleratéque abutitur. Audiatur Sanctus!

S. Thom. de Villanova Conc. de S. Mart.

Daniel. 4. v. 24.

S. Thom. 2. 2. quæſt. 32. Art. 5. §. 3. Præterea:

Exod. 18. v. 18.

Sophon. 1. v. 12.

VI. Etſi quidem non in eô ſim am-

ampliùs, nequè ſtatu, nequè locô, qui litibus obnoxij ſunt, & forenſibus contentionibus patent; quia tamen eô nomine, quô gaviſus olim in terris fui, ſupplicum adhuc me vota, precésque venerantur, &, coram ſanctiſſima Majeſtate tuâ requirunt, O adoranda, divináque Juſtitia! non potui gemitibus afflictorum, quos, nunquam opportunâ protectione, ſubſidióque, non imploratus etiam, conſcius tamen ærumnarum (etſi tum, adhuc ipſe miſer) deſtitui; nunc, meâ de felicitate certus, tuæ verò, benigniſſime DEUS! utì providentiæ paternæ, ſic & propitiæ, ergà miſeros, inopésque, voluntatis ſecurus, deeſſe. Nec eſt, quod, in Actione ſuſceptâ, vel excuſem, vel prætendam: cùm, ad hoc patrocinij munus, in hunc ordinem ſupernæ beatitudinis, miſerante gratiâ tuâ, ſim elevatus; ut, quibus ad humana tribunalia nec patent cancelli, nec ullus, per inopiam, aſſiſtit Cauſidicus (etſi ſanctè conſtitutum â concilio Toloſano fuerit: ut, *qui per egeſtatem, litigantes, ſibi Advocatum comparare non poſſunt; illis Curia de Advocato, ſi res poſtulet, provideat.*) Ego, ſuſpiriîs, precibûs, & lachrimîs invocatus, deſuper advocatus, ſuccurram. Exigit autem idem, cùm æquitas ipſa, tum eorundem gravis, extremáque neceſſitas. *Cùm enim,* angelicô Doctore judice, *præſtare patrocinium Cauſæ pauperum, ad opus miſericordiæ pertineat*; in hoc autem, Auguſtinô definitore, *potiſſimùm ijs conſulendum; qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, conſtrictiùs* (cuivis) *quâdam ſorte junguntur*: nemo ſanè, tantô jure, meum ſibi vendicat patrocinium; quantô hi miſeri, pauperésque, meo nomini devotiſſimi. Quodſi, mortalî conſtitutus in miſeriâ quivis, ex Doctoris, ter mitrati ſententiâ, *qui familiaritatis locum apud divitem meruit, ſi nihil ei pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur: ſi, cùm valet, non, apud eum, pro pauperibus intercedit*: quid, (etſi jam beatus, &, ab omni periculo damnationis remotus) quid, inquam, blaſphemiæ, non cierem in me, velut immiſericordem, & obduratum; ſi ſupplicibûs egenorum precibûs, adversùs immanem injuriam invocatus, quâ ſuô orbati Depoſitô, ſuîs defraudati Bonîs, neceſſariò perire debent, Actione debitâ non patrocinarer? Potuiſſet quidem id ipſum, vel â S. Elzeario Comite; qui, dum vixit, potiùs nihil, quàm, *Advocatus pauperum* eſſe, dicíque duxit: vel, â S. Cyrillo Alexandrino; quem Theodorus, *rectæ, & immaculatæ fidei Advocatum* nuncupavit: vel, â S. Germano; *qui*

Concil. Toloſan. ann. 1590. cit. ab Alex. Natali. Theol. Dog. Lib. 3. de Peccat. Reg. 12. fol. 175. Tom. 2.

S. Thom. 2. 2. quæſt. 71. Art. 1.

S. Auguſt. Lib. 1. de Doctr. Chriſtian. cap. 28.

S. Gregor. in Evang. Homil. 9.

Binet. in vit. S. Elzearij Com.

Theodor. Diacon. Actor. 3. Calcedon.

Constant. in vit. S. German. Episc. Antissiodorens.

qui Tribunalia præfecturæ, professione Advocationis ornavit, Constantiô teste: vel, â S. Ambrosio; *qui professus in Auditorio prætorij præfecturæ, splendidè*, uti Paulinus memorat; *Causas perorabat*: vel demum, ab antiquo, &, ipsius tui vicario Numinis, oratore Moyse, præsens postulari subsidium potuisset; ut, qui nuncupatus est â D. Bernardo, *Fidelis Advocatus*. Cùm igitur, præ cæteris, qui jam, finitîs actionibûs fori, cœlestibûs conspicui dignitatibûs eminent, hæc Actio, tum ex egenorum fiducia, tum ex divina dispensatione mihi commissa sit; agam; quod æquitas, quod necessitas, imò, quod immanitas jam delati, vinctique coram Divino Tribunali criminis, in justam vindictam, suique meritam damnationem exigit.

Paulinus: Lib. 3. c. 1.

S. Bernard. Epist. ad Suggerium Abbat.

VII. Et ad hoc impetrandum, illud cum primis convincendum est: ream, abalienati per summam injuriam, Depositi, hanc esse, quæ nunc arguitur, iniquitatem. Quod quidem exinde manifestum erit; cùm, extrà dubium omne, certum, & indisputabile patebit: nihil eorum, quæ, nec ad vitæ, nec, ad parem statui sustentationem necessaria sunt, non esse miserorum, & pauperum, & mendicorum; qui, vel extremâ, vel gravî necessitate laborant: adeò, ut, quidquid, ïisdem indigentibûs, & famentibûs, & nudîs; vel, ob debita, jamjam in vincula conjiciendîs; vel proximô infamiæ periculô involvendîs; aut, aliâ quâvis ratione, graves, vel extremas ad angustias redactîs, per avaritiam retinetur in arca, vel, prodigè, superfluas usurpatur in expensas; illud omne, tanquam res aliena, pauperibus â DEO constituta, &, pro egenorum sustentatione, per divinam providentiam abundantibus credita, atquè, eorum interim fidei, manibúsque, Depositi cujusdam instar, commissa, crudeliter, ac impiè subtrahi indigentibus, defraudaríque censendum sit. Hoc autem, quis unquam, solô naturæ, doctus, ac ductus instinctu, non agnovit, non ità censuit, non sic judicavit? Ille Villicus, dominicæ dissipator substantiæ, quem omnibus, in Evangelio, Veritas divina proposuit, omnibus pariter, quid, vel solius naturæ legê, cuilibet, â supremo bonorum omnium dispensatore Domino, super illîs, quæ singulorum sunt curæ commissa, demandatum sit, etsi nullus parabolæ fuisset interpres, per ipsa, satìs indicat verba; quibûs iniquitas ejus memoratur, judicij severitati subtracta: dum, ex acceptis â Domino bonis, miserorum onera Debitorum sublevavit. Sed, en, adest explicatio diserta: propositum scilicet,

Lucæ 16. v. 1. & seqq. v. 5. &c.

Villi-

Villici, delictum pariter, & ingenium â Servatore idcircò fuiſſe: *ut, exemplô hujus perſonæ, nihil eſſe noſtrum in ſæculo iſto ſignaret; ſed, nobis creditam eſſe* (hoc eſt, quod premo, quod urgeo, quod perſtringo) nobis *creditam eſſe diſpenſationem facultatum Domini noſtri; vel, ad utendum ex eis ſufficienter, cum gratiarum actione; vel, ad diſtribuendum conſervis, prout cuiquè opus eſt: nec licere nobis, paſſim, facultatibûs abuti commiſsîs; aut, in expenſas uſurpare ſuperfluas: cùm ſit erogationis ratio Domino venienti reddenda.*

S. Gaudent. ſerm. 18.

VIII. Videntur itaquè, ſicut ex eodem ſpiritu intelligentiæ conſenſiſſe, Patres antiqui, ſic etiam, unô velut ore, ſua expreſſiſſe, ſententiæ veluti unius hôc ſuper argumentô judicia. Nam, & Præſul Africanus aſſeruit: *Quæ ſuperflua jacent, aliorum ſunt neceſſaria. Superflua igitur, neceſſaria ſunt pauperum; res aliena, pauperi debita; quâ illum defraudas.* Nec aliter magnus Pater Ambroſius: ſed, *Eſurientium*, inquit, *panis eſt, quem tu detines: nudorum indumentum eſt, quod tu recludis; Depoſitum* videlicet, in arca tua, non tuum, ſed indigentium eſt. Hinc ab Hieronymo, dictum: *Debitum*; quidquid, indigenti proximô, ſuperfluum detinetur: cùm, ab Apoſtolo, præceptum ſit: *Reddite ergo omnibus debita*: &, per Syracidem jam olim etiam inculcatum fuerit: *Declina paupe-*

S. Auguſt. in Pſ. 147.

S. Ambroſ. ſerm. 8. Tom. 3. & habetur in Decret. Diſt. 47. cap. ſicut ij.

S. Hieron. in Rom. 13. v. 7.

Rom. 13. v. 7.

Eccli. 4. v. 8.

ri, ſinè triſtitia aurem tuam; &, redde debitum tuum! Si debitum? ſi, veluti Depoſitum, â Domino commiſſum, quod propriæ neceſſitati ſuperfluit, proximo, neceſſitate preſſo, tanquam per providam ſupremi Numinis curam, deſtinatum, ipſi tribuendum eſt? meritò jam reatui, quem condemnatum vêni, prout aliquando Divus Baſilius cuidam, ſordidè, obduratéque tenaci, exprobravit, in faciem inſulto: *Tunè ſpoliator non es? qui ea, quæ adminiſtrationis causâ ſuſcepiſti, tua dicis? Si, qui homini veſtem detrahit, citrà controverſiam fur eſt: qui nudum non induit, cùm id facere poſſit, alióne nomine appellari debet?* Errat ergo, totôque cœlô aberrat, cæca Mundi, ſtultáque perſuaſio, manifeſtatæ jam perverſitatis, origo; quâ, quod quisquè, vel â Majoribus accepit, vel, ex fructuum ubertate percepit; vel, induſtriâ, labore, ſtudiô, de manibus alienis recepit, ſic ſuum arbitratur eſſe totum; ut, quamvìs, non ſuæ tantùm, ſed, & ſuorum, tam neceſſariæ, quàm congruæ, ſuſtentationi multùm adhuc, abundéque ſuperſit; nemini quicquam, exinde, debitum arbitretur, obligatione, legê, jure, præſtandum.

S. Baſil. ſerm. ad divit. avaros.

IX. Quid cogitari minùs humanum, &, magis â ratione, quâ, per naturæ ſuæ præſtantiam, homo gaudet; magis inſuper,

alienùm ab omni omninò legê, concipi poteſt? Reclamat (auditísne, iniquitate tam copiosâ compediti?) reclamat Bellovacenſis: *Eſt, ſub præcepto legis naturæ; & , legis divinæ; & , etiam legis poſitivæ.* Reclamat Aquinas Theologus: *Ea, quæ ſunt juris humani, non poſſunt derogare juri naturali, vel juri divino: ſecundùm autem naturalem ordinem, ex divina providentia inſtitutum, res inferiores ſunt ordinatæ ad hoc; quòd ex his ſubveniatur hominum neceſſitati. Et ideò, res, quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum ſuſtentationi. Debentur!* audîſtis? *&, ex jure naturali debentur!* Quî poſſunt igitur ea, aut, ùt indebita, nullóque jure exacta; aut, ùt veſtra, veſtræque libertatis, ad omnem, qui lubet, & libet, uſum, diſſipanda cenſeri? Reclamat & alter, de Villanova, Thomas: *Unde, obſecro, illa, tua ſunt? Feciſtíne tu illa? Ideò tua: quia uſurpâſti ea tibi. Nam, omnibus communia creavit altiſſimus. An tibi ſoli, terra germinat herbas? Arbores ferunt fructus? Bruta generant fœtus?* Cùm igitur universa rerum omnium parens, & nutrix, universim omnibus, in commune deſerviat, ab authore ſuo, non uni, ſed universis alendis, ac fovendis, inſtructa; reclamat adversùs impiam uſurpationem, & legis naturalis injuriam, denique, & S. Gregorius, Papa-Doctor: *Admonendi ſunt* (ſcilicet, præſumtuoſi multarum fortunarum poſſeſſores) *ut, á cæleſti Domino, diſpenſatores, ſe, poſitos, temporalium ſubſidiorum agnoſcant: &, tantò humiliter præbeant; quantò aliena eſſe intelligunt, quæ diſpenſant.* Non ergo vacat obligatione, non legê, non jure debiti, non debitâ commiſſi, Depoſitíque fidê; quod, cum totius legis, ac juris injuriâ, ſubtractum indigentibus, eſt impenſum ſuperfluis.

Vincent. Bellovacenſ. in Spec. Moral. l. 3. Diſt. 19. p. 3.

S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 7.

S. Thom. de Villanova, Serm. de S. Martino.

X. Altiùs iſta repetenda ſunt, ab ipſis videlicet Mundi conditi cunis, & primo Conditoris inſtituto. Quis autem adeò rudis eſt; ut ignoret, in primo, qui lapsûs adhuc expers fuit, innocentiæ ſtatu, nequè *meum*, auditum ulli fuiſſe; nequè *tuum*: ſed, ex legê ſupremâ, datum omnibus rebus creatis, unum, & commune mandatum; ut æqualiter hominibus omnibus deſervirent: &, ut Univerſum hoc, quaſi communis quædam eſſet hæreditas omnium? Hinc ſententia Divi Clementis nata: *Communis uſus, omnium, quæ ſunt in hoc Mundo, omnibus eſſe debuit: ſed, per iniquitatem, alius, hoc, dixit, eſſe ſuum; & alius, iſtud: & ſic, inter mortales, facta eſt diviſio, per iniquitatem, ex jure gentium.* Hæc verò, jure gentium, introducta diviſio, quamvìs iniquitas quædam viſa fuerit, comparata ſcilicet, cum ſtatu primævo iñocentis naturæ, conſe-

S. Clemens, cit. á S. Thom. de Villan. in Dom. 4. poſt Paſcha.

S. Gregor. p. 3. Paſtor. admonit. 31.

ſequens tamen primæ prævaricationis abuſum, quô, vetitum ſibi fructum, rebellis DEO, primus uſurpaverat homo, divinâ diſpenſatione, approbata, imò, ab Authore naturæ, (utì locutus eſt Orator eximius,) tanquam deſtitutæ jam, corruptæque naturæ commodior, aut, certè, non incommodior, quàm commune dominium, inſpirata fuit naturæ, facta illa diviſio, eâ legê; ut, quantò quisquè plûs aliîs acceperit; tantò copioſiùs impenderet cæterorum neceſſitatibus, de ſua teneretur abundantiâ, juxta definitum illud Apoſtoli: *Veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat; ut fiat æqualitas; ſicut ſcriptum eſt: Qui multum* (ſcilicet, habuit) *non abundavit*: quia ſuperfluum indigentibus, tanquam ipſis â provido Numine deſtinatum, erogavit. *Et, qui modicum*, habuit; *non minoravit*: ſeu, non defuit illi: quia aliorum abundantia, pro legê, quam accepit, illius indigentiam ſublevavit. Quid autem ex hoc, tuæ, O DEUS æquiſſime! providentiæ tam benignæ, decreto, liquet? niſi, quòd juſtitiæ quoquè legê teneantur, ùt furti, rapinæ, fraudísque ſceleratæ rei; quicúnque ſuæ ſuperflua neceſſitati, miſerorum neceſſitati ſubtrahunt; &, pro ſuæ voluntatis, ac voluptatis arbitrio, velut ſua, prodigè, turpitérque profundunt: prout ſtrictè Villanovanus Præſul redarguit: *Quando jure poſitivô permiſſa eſt appropriatio; pertinet quoquè ad juſtitiam: ut, ſi quis de communi naturæ ſibi multùm appropriavit, illud, quod ſupereſt, diſtribuat indigentibus.* Advertiſtis, quod iniquitatem veſtram undequáque conſtringit? *Pertinet ad juſtitiam*; id, quod abundat, indigentibus tribuere: quoniam, quidquid ſupereſt neceſſitati, quamvis proprium ſit poſſidentis, quoad uſum tamen, quem pauperi naturale præceptum, ex providentia Conditoris attribuit, non poſſidentis eſt, illud omne, ſed egentis. Jam ità, doctos inter, & antiquos Eccleſiæ Patres, dudùm, expensîs, tum naturæ, tum gentium juribûs, convênit, *dicendum*: *Quòd bona temporalia, quæ homini divinitùs conferuntur, ejus quidem ſunt, quantùm ad proprietatem: ſed, quantùm ad uſum, non ſolùm debent eſſe ejus; ſed etiam aliorum; qui ex eis ſuſtentari poſſunt, ex eo, quod eſt ſuperfluum.*

Narni. Quad. 4. Fer. 6. Cin.

2. Corinth. 8. v. 14.

Exod. 15. v. 18.

S. Thom. de Villan. loc. cit.

S. Thom. 2. 2. Quæſt. 32. art. 5. ad 2.

XI. Ceſſat igitur, & penitùs evaneſcit, quæſitus ille nullius excuſationis prætextus: neminem offendi, nullíque quicquam, per injuriam, ſubtrahi; dum, quæ ſunt ſua, cujúsque, retinentur, aut, in arbitrarios uſus adhibentur. Inſtat enim, ex naturæ jam allegato jure, per bonorum diviſionem, in pauperum favorem confirmato, ſeverus, & vehemens Inquiſitor Baſilius:

S. Basilius cit. à S. Thoma. locò cit. & à S. Damasc. lib. 2. Parall. c. 7.

Quænam, quæso, tua sunt? An non nudus ex materno utero existi? An non rursùs in terram revertèris? Quæ autem nunc habes? unde tibi contigerunt? Si ea fortunæ dixeris; impius es: ut qui Creatorem non agnoscas. Si â DEO habere ea confiteris; affer jam causam: quam ob rem acceperis? Si fateris; ea tibi divinitùs provenisse: an injustus est DEUS, inæqualiter res nobis distribuens? Cur tu abundas; ille verò mendicat? nisi; ut tu, bonæ dispensationis merita consequaris; ille verò, patientiæ braviis decoretur. Est panis famelici; quem tu tenes: nudi tunica; quam in conclavi conservas: discalceati calceus; qui penes te marcescit: indigentis argentum; quod possides inhumatum. Quô circà tot injuriaris; quot dare vales.

XII. Jam verò, si vacaret iniquitate violatæ justitiæ, lædæque charitatis, &, offensæ totius naturæ communis, vestra, superfluorum bonorum, tyrannica, crudelísque (miserîs interim, quos omnia deficiunt, famentibûs, & in cœlum clamantibûs) facta dissipatio: quô sensu, quæso, monuisset sapientissimus pauperum Orator Syracides? *Eleemosynam pauperis nè defraudes.* Fraudis ergo reatus est, in eo; quod, ejus agnita necessitas, ùt suum exigit, nec acquirit. Fraudis crimen est, omnis profusio; quæ reprobum in usum, & obsequium infame, libidinis, gulæ, superbiæ, vanitatísque convertit id; quod languens, exhaustus, ulcerosus, &, esurientem tantùm non expirans animam Lazarus, ad postes inauratos ædium suspirat. Ità suis de suggesto Chrysostomus olim improperavit, minatus insuper: *Testimonium vobis de divinis scripturis proferam, dicens: quòd, non solùm, rapere aliena, verùm etiam, tua non impertiri cæteris, & rapina fit, & fraudatio, & spoliatio, juxta illum Isaiæ textum: Rapina pauperis in domo vestra. Non, rapina pauperis, est in domibus vestris? Quoniam oblationes solitas non dedistis; rapuistis ea, quæ sunt pauperis. Produxit terra proventum suum; & non intulistis decimas. Hoc autem dicit* (ità scilicet Vatis mentem Orator explicuit aureus) *declarans divitibus: quòd res pauperum possident; etiamsi paternâ hæreditate obtinuerint; etiamsi, undecúnque, aliunde collegerint pecunias.* Adhucnè tamen, expertem sceleris, alienam â defraudatione Depositi, perversitas, in tam apertum, publicum, adeóque convictum jam, & enorme crimen, ad æquissimum DEI tribunal vocata, se, contrà suæmet conscientiæ, si quæ supereſt, vellicationem, inevitabilémque syntereſin, declamabit? Quî verò reclamabit, objurgante Præsule Hypponensi? *Aliena rapere, convincitur; qui superflua pauperibus non elargitur.* Quid opponet Mediolanensium insulato Patri, Do-

S. Chrysost. Tom. 2. Conc. 2. de Lazaro.

Isaiæ 3. v. 14.

Eccli. 4. v. 1.

S. Augustin. cit. in Bibl. Mansi Tom. 2. Tract. 24. Dis. 1. n. 4.

cto-

ctorique Ambrosio? *Dispensatorem conservorum tuorum, te, ex dominicis facultatibus*, (observa, quod objicit: non ex tuis, sed) *ex dominicis facultatibus, esse cognosce: nec existimes; quòd omnia ventri, & delicijs tuis terra producat. Quæ in manibus habes, commissa tibi potiùs* (nimirum, instar Depositi, cujus hîc â me postularis) *quàm, concessa cognosce.*

S. Ambros. serm. 81. in Cap. 12. Lucæ. n. 18.

XIII. Num ista percipis? num intelligis? num aliter, ac sunt prolata, dijudicas? oppone, si potes: quod si non potes; quid poteris Divo Francisco reponere, pauperum omnium nomine protestanti: *Hæreditas pauperum, est eleemosyna; quam ille frater noster, JESUS Christus, omnibus acquisivit. Non igitur, quando illis distribuitur, alienum donô datur; sed, quod verè suum est, impenditur.* Quid subtilissimi judicij Patri, Doctorique respondebis? qui, ream etiam, non unius homicidij, te facit, sed eorum omnium, quotquot emori, tê non pascentê, debuerunt: *Quanti pauperes in locis, ubi habitas, tê, decimas non dantê, famê mortui fuerint; tantorum homicidiorum reus*, inquit ille, *ante tribunal æterni judicij apparebis: quia rem, â DEO pauperibus delegatam, tuis usibus reservâsti.* Nec aliter, magnus hujus maximi Patris filius, Villænovæ Præsul, nisì secundùm Patris magni spiritum, judicavit: *Qui abundaverit, indigentium penuriam, si non supplet, raptor, & homicida est; quia, quem non pavisti, occidisti; quæ non dedisti, rapuisti.* Deniquè, nullum omninò, superfluîs abutentem, ùt innoxium agnovit, aut agnosci voluit, severus omnium accusator, Papa Gregorius; cujus quidem censuræ divina pridem ipsa justitia subscripsit: *In cassum se innocentes putant; qui commune DEI munus sibi privatim vendicant: &, cùm accepta non tribuunt* (fidei scilicet commissa, atque Deposita) *in proximorum necê grassantur.*

S. Francis. 3. Opus. in append. serm. 3.

S. August. Tom. 1. serm. 219. de Tempore.

S. Thom. de Villan. Conc. de S. Martin.

S. Gregorius M. cit. admonit. Pastor. 22.

XIV. Tanta, tantorum, ac tot Patrum, Doctorúmque præjudicia non exhorrescitis, miseri, victi, vinctique, ac compediti, reatu inextricabilî? Audîstis: Vestra non esse, quæ statui, naturæque necessitati superflua sunt? Audîstis: Deposita tantùm, commissáque vobis esse, quæ possidetis abundè, fideliter indulgenda; cùm exegerit aliena necessitas? Audîstis: Naturæ non solùm, sed etiam justitiæ, vim inferre; quisquis attributa sibi, gentium jure, non eâ, quâ sunt accepta, legê dispensat? Non enim res, merè libera, aut, ex arbitrio pendens, aut, ùt gratuitæ liberalitatis officium, ex consultô tantùm, non verò, tanquàm debitum, eleemosyna cogitanda porrò est. Nullus punitur pœnâ æternâ, pro omissione alicujus, quod

quod non cadit ſub præceptum: ſed, nunquid conſtitutum eſt inevitabile judicium? *Ibunt hi, in ſupplicium æternum.* Quô delicto? *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare. Nudus eram, & non cooperuiſtis me.* Satìs hoc igitur, ad ſupplicium æternum? *An tu*, quærit jam, & concludit ſimul Nazianzenus Antiſtes: *An tu, benignitatem, non neceſſariam; ſed, tibi liberam, putas? An, non legem; ſed conſilium? Hoc quoquè ipſe magnoperè vellem; & exiſtimarem: ſed, me ſiniſtra illa manus terret, & hœdi, & probra; quæ in ſceleratos homines ab eo, à quo illic collocati ſunt, conjiciuntur: non, quia aliud quiddam ex ijs, quæ interdicta ſunt, admiſerunt; ſed, quia Chriſtum, per pauperes, minimè curârunt.* Hoc verò judicium, proh! quoties commeriti! non expaveſcitis? An precibûs aliquid nunc impetratum iri veſtrîs confiditis? Aliud hoc in tribunali decretum eſt: *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Audientur autem, qui neglecti, deſpecti, deſtitutique omnî fuerunt opê: cùm in tempore vindictæ maledicent eis; â quibus omnis, ipſis, participatio divinæ benedictionis, neceſſitatis tempore, ſubtracta fuerat; nil penſi habitîs, divinîs etiam admonitionibûs, cum ſeria comminatione conjunctîs. *Animam eſurientem nè deſpexeris; &, non exaſperes pauperem in inopia ſua. Cor inopis nè afflixeris; &, non protrahas datum anguſtianti. Rogationem tribulati nè abjicias. Ab inope non avertas oculos tuos, propter iram; &, non relinquas quærentibus, tibi retrò maledicere: maledicentis enim tibi, in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius.* An, qui Sodomæ, Gomorrhæque, non fuerunt â culpâ diverſi (quæ *manum egeno, & pauperi non porrigebant*) illîs mitiùs, reſpicientur in pœnis? An, qui non unum, ad fores ædium ſuarum, eſurire, miſerriméque perire Lazarum, canibûs, ex adverſo, ſtudioſè paſtîs, paſſi ſunt; non idem habebunt cum Epulone crudelî, ſepulchrum in Inferno? An, qui, cum ſtulto illo (qui refertîs jam horreîs omnibûs, quod ſuper erat, non erogare, ſed, arrogare ſuæ meditatus abundantiæ, itáque *communis*, utì ſugillat eum D. Ambroſius, *hominum naturæ non meminit*, &, *æquum non putavit, ſaltem ex ſuperfluis aliquid egentibus impertiri*) rei pariter; non idcircò, hâc adhuc nocte, cum eodem pariter, poteſtati traditi executorum, ad Inferna deſcendent abrepti? *Non enim ille damnatus eſt*, ait Beda, *quòd natos ex terra fructus collegerit in horrea; ſed, quòd fructus, quos, uberiores ſolitô, terra protulit, non pauperibus erogare, ſed, luxuriæ impendere ſtuduerit.*

XV. Ipſi jam judicium veſtrum,

Matth. 25. v. 46. & 42.

S. Gregor. Nazianzenus. Orat. de Pauper. amore.

Prov. 21. v. 13.

Eccli. 4. v. 2. 3. & ſeqq.

Ezechiel. 16. v. 49.

Lucæ. 16. v. 22.

Lucæ. 12. v. 20.

S. Ambroſ. ſerm. cit. in Lucam.

V. Beda in Lucam.

ſtrum, quod imminet, judicate. Quid autem aliud, par abuſus divini Depoſiti, quàm æqualem judicij ſeveritatem perſuadere poteſt, ac debet? quando ea, quæ ſuperflua ſunt, in comeſſationes, perpetuáque ſympoſia; in luſus immodicos, & nugatorum commercia; in ſuperbos conclavium apparatus, aurôque fulgida thalamorum ſiparia; in pictas, & fictas, grandî ſumtu, ſed majorî ſcandalô, Veneres; in pretioſa ſtuprorum, & adulteriorum præmia; in veſtimentorum denique, tam eorum, quæ vanitati, & oculis, quàm illorum, quæ delicato nimiùm luxui, cuticulæque deſerviunt, quotidiana propè mutatoria, prodigè, turpitérque profunduntur: cùm interim, ad limen domûs gemit famelicus; & repellitur â famulis: circumſtant rhedam nudi, frigoréque trementes; & tantùm non proteruntur ab equis: ejulant in latibulis ægri; nec admittitur ad aures ploratus: Viri, DEO ſacri, vix, vitæ quod ſuppetit, habent; & acceſſum excludit, hero non impar, vultuoſus excubitor: ad aras, Divina facturi, ſed, omnî vacuas ornatu, centonibûs ipſi magis, quàm amictu, tantæ rei congruô, ſordidi, temeréque induti procedunt, ipſis etiam Angelis venerandi ſacerdotes; nec indigentiæ tamen, etſi manifeſtæ, vel oſtenditur agnitio, vel toleratur mentio. Non eſt ergo intolerabilis, &, omnî execratione damnabilis, iſta perverſitas, furti, rapinæ, & crudeliter, impiè, ſacrilegéque abalienati Depoſiti, convicta? *Quô ſuppliciô non ſunt digni? qui modis omnibûs dant operam; ut ſericîs, & aurô intertextîs induantur; &, poſt ſe, pompam trahant in foro: Chriſtum autem deſpiciunt nudum!* Ità quondam exclamavit, pauperum Orator Chryſoſtomus. Quid autem nunc ego? imò, quid juſtitia tua? æquiſſime ſcelerum Vindex, DEUS! Mandatum tuum eſt: *Ego præcipio tibi: ut aperias manum tuam fratri egeno, & pauperi, qui tecum verſatur in terra.* Et, nunquid, *Tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri nimis?* Nihil verò cuſtoditum eſt minùs. Mandatum tuum eſt: *Recupera proximum, ſecundùm virtutem tuam; & attende tibi, nè incidas. Propter mandatum, aſſume pauperem; &, propter inopiam ejus, nè dimittas eum vacuum.* Et, nunquid hoc, eſt mandatũ magnum, & ſimile maximo? quod, ſub lethalis culpæ vinculô tenet omnes, æternæ damnationis reos; quotquot, videntes, fratrem ſuum neceſſitatem habentem, habentes ipſi ſubſtantiam hujus mundi, viſcera ſua clauſerint ab eo, tam vacui charitate DEI; quàm, â proximi dilectione alieni? Sentiant igitur, quod altâ

S. Chryſoſt. Hom. 37. in Geneſ.

Deuter. 15. v. 21.

Pſalm. 118. v. 4.

Eccli. 29. v. 27. & 12.

Cardenas. Tract. 2. de Juſt. Diſp. 20. c. 2. Art. 2.

1. Joann. 3. v. 17.

mente minatus est, Africanus Pater: *Si non dederitis, immittet vobis pestilentiam, & famem; & perdetis totum, quod habetis: insuper, & animas vestras.*

S. August. Tom. 9. Tract. 20. de rect. Convers.

XVI. Estnè super adhuc aliquid; quod huic obtendat fulmini, &, quô decretum promeritæ damnationis avertat, hactenùs undequáque constricta, perstrictáque Defraudatio? Fortè, quod effari non audetis, cogitatione tamen volvetis, & revolvetis, centiès jam, protritum illud? Vivendum est, utì status, & ejus postulat conditio. Multa quoquè, commissa postulat familiæ cura. Conjugis, etiam votis, indulgendum amplius aliquid; ac servis, & ancillis impenditur. Nec proles, parî sunt conditione, cum illis, habendæ; quibus nihil est nobiscum, præter humanæ naturæ consortium, aut, natale solum, commune. Deniquè, quæ nobis â DEO data, nostro sunt usui data; quæ, si, ut alij iîs uterentur, Dator ille supremus voluisset, ipsis sanè, non nobis, eadem ab ipso data fuissent. Proh! quanta, vel in ipsa, culpæ declinatione, & excusatione, divinæ Bonitatis involuta contumelia se prodit! Ita nimirum, ex longanimi dissimulatione, toleratæ crescunt argumenta nequitiæ; quibûs, etiam inde, sibi texit causæ vulneratæ patrocinium; unde potissimùm aggravatur, ipsius reatûs judicium. Dispensatores, voluit esse Divina Beneficentia, bonorum suorum illos; quibus largâ manu tribuit abundantiam, instar Depositi, fratrum necessitatibus asservandam; &, cùm eguerint, fideliter, velut ex œconomi divini munere, quod gerunt, erogandam. Ipsi verò perfidi, jura sibi dominatûs, in omnem commissorum usum, prout libebat, arrogârunt; iisque sunt ad voluptatem abusi; quibûs ad vitam servandam uti, pro necessitate sua miseri, inopésque debuissent. Misericordiæ divinæ fuerat; quòd medium sit illis, ac talentum, in manus traditum; ex cujus negotiatione syncerâ, mereri sibi, præter pœnarum temporalium redemtionem, copiosam insuper accessionem gloriæ cœlestis, cum gratiarum, etiam in præsenti vitâ, grandî multiplicatione potuissent: sed hi, donum, sibi verterunt in damnum; talentum, in dispendium; gratiam, in injuriam; beneficium, in judicium; administrationem, in usurpationem; commissam negotiationem, in defraudationem iniquam, in rapinam, in sacrilegium, in suimet æternam deniquè, justissimam damnationem: dum videlicet, haud secùs, ac, perfidus ille, Crœsi servus, Eurybatus, ex ipsis, Domini sui, copiosis muneribûs, hostilem coëge-

P. Segneri. Quadr. serm. 17. n. 4.

gerunt exercitum, per iniquitatis arma, ſuómet ipſi Benefactori, perduellia bella, nunquam non inferentes.

XVII. Quid enim (veſtras ipſas jam conſcientias conſtringo) quid, inquam, ſunt, illi ſuperflui famulantium ordines; nisì, vanitatis cohortes? quid, ſuſtentata funiculîs purpureîs, aureîsque conjuncta fibulîs, tot camerarum, Babylonicô non inferiora luxu, peripetaſmata, periſtromata, tapetia; niſi, tentoria, caſtráque ſuperbiæ? Quid, Cupidinum tædîs, & Hyacinthi, Narciſsíque floribûs, malè olentibûs, in defluos promiſſæ ſinus cortinæ inſignes; niſi, vexilla luxuriæ? quid, obſcœnæ parietum, laquearium, fornicúmque picturæ; niſi, latentium fornicationum cuniculi? quid argentô graves, auróque fulgentes lances, ac patinæ; niſi, pauperum ſudore, cruoréque congeſti, gulæ ſuggeſtus? Quid, auro par, ex alio advecta orbe, vaſorum fragilium, in varias diſtincta formas, otioſa quamvìs, copioſiſſima tamen ſuppellex; niſi muliebrium affectuum tormenta, mortariáque? Quid denique multiplex, & equorum, & rhedarum, & omnis generis curruum; ſellarum quóque, ac lecticarum; veſtiúmque, & palliorum, cæterórumque, pompæ ſolius, utenſilium apparatus; niſi commeatus oneroſus, & impedimenta, paucîs contentæ naturæ? Et hæc, neceſſaria ſtatui, conditioni, prærogativæ natalium, ac officiorum cenſenda ſint? Quid fœminarum de cultu loquar? adeſt non obſcuri nominis accuſator Tertullianus, paucîs enormia complexus: *De breviſſimis loculis patrimonium grande profertur. Unô linô decies ſeſtertium inſeritur. Saltus, & Inſulas tenera cervix circumfert. Graciles aurium cutes calendarium expendunt; & ſiniſtra, per ſingulos digitos, de ſaccis ſingulis ludit. Hæ ſunt vires ambitionis: tantarum uſurarum ſubſtantiam, unô, & muliebrî corpuſculô bajulare.* Proh! monſtra prodigalitatis! *Tertullian. Libro de Cult. fœmin. cap. 8.*

XVIII. Non ego, dum iſta perſequor, divites, aut ſanguine claros, &, nobilitatis inſignibûs, non minùs, quàm, honorum, dignitatum, ac munerum titulîs, inſulísque eximios, eminentésque damno; nequè, parem ſtatui, vivendi rationem, &, vulgi ſordibûs, præfulgens diſcrimen, menſarum, veſtium, ædiúmque condemno: ſolum id contendo: ſemper aliquid, in ipſo, qui ſtatui competit, rerum uſu, ſuperfluum repertum iri; quod egentibus, mendicantibus, ægrotantibus, captivis, alienô preſſis ære, vitâque, famâque periclitantibus, alijsque, neceſſitate, vel gravî, vel extremâ laborantibus impendi

mente minatus est, Africanus Pater: *Si non dederitis, immittet vobis pestilentiam, & famem; & perdetis totum, quod habetis: insuper, & animas vestras.*

S. August. Tom. 9. Tract. 20. de rect. Convers.

XVI. Estnè super adhuc aliquid; quod huic obtendat fulmini, &, quô decretum promeritæ damnationis avertat, hactenùs undequáque constricta, perstrictáque Defraudatio? Fortè, quod effari non audetis, cogitatione tamen volvetis, & revolvetis, centiès jam, protritum illud? Vivendum est, utì status, & ejus postulat conditio. Multa quoquè, commissa postulat familiæ cura. Conjugis, etiam votis, indulgendum amplius aliquid; ac servis, & ancillis impenditur. Nec proles, parî sunt conditione, cum illis, habendæ; quibus nihil est nobiscum, præter humanæ naturæ consortium, aut, natale solum, commune. Deniquè, quæ nobis â DEO data, nostro sunt usui data; quæ, si, ut alij iîs uterentur, Dator ille supremus voluisset, ipsis sanè, non nobis, eadem ab ipso data fuissent. Proh! quanta, vel in ipsa, culpæ declinatione, & excusatione, divinæ Bonitatis involuta contumelia se prodit! Ita nimirum, ex longanimi dissimulatione, toleratæ crescunt argumenta nequitiæ; quibûs, etiam inde, sibi texit causæ vulneratæ patrocinium; unde potissimùm aggravatur, ipsius reatûs judicium. Dispensatores, voluit esse Divina Beneficentia, bonorum suorum illos; quibus largâ manu tribuit abundantiam, instar Depositi, fratrum necessitatibus asservandam; &, cùm eguerint, fideliter, velut ex œconomi divini munere, quod gerunt, erogandam. Ipsi verò perfidi, jura sibi dominatûs, in omnem commissorum usum, prout libebat, arrogârunt; iisque sunt ad voluptatem abusi; quibûs ad vitam servandam uti, pro necessitate sua miseri, inopésque debuissent. Misericordiæ divinæ fuerat; quòd medium sit illis, ac talentum, in manus traditum; ex cujus negotiatione syncerâ, mereri sibi, præter pœnarum temporalium redemtionem, copiosam insuper accessionem gloriæ cœlestis, cum gratiarum, etiam in præsenti vitâ, grandî multiplicatione potuissent: sed hi, donum, sibi verterunt in damnum; talentum, in dispendium; gratiam, in injuriam; beneficium, in judicium; administrationem, in usurpationem; commissam negotiationem, in defraudationem iniquam, in rapinam, in sacrilegium, in suimet æternam deniquè, justissimam damnationem: dum videlicet, haud secùs, ac, perfidus ille, Crœsi servus, Eurybatus, ex ipsis, Domini sui, copiosis muneribûs, hostilem coë-

P. Segneri. Quadr. serm. 17. n. 4.

ge-

gerunt exercitum, per iniquitatis arma, ſuómet ipſi Benefactori, perduellia bella, nunquam non inferentes.

XVII. Quid enim (veſtras ipſas jam conſcientias conſtringo) quid, inquam, ſunt, illi ſuperflui famulantium ordines; nisì, vanitatis cohortes? quid, ſuſtentata funiculîs purpureîs, aureîsque conjuncta fibulîs, tot camerarum, Babylonicô non inferiora luxu, peripetaſmata, periſtromata, tapetia; niſi, tentoria, caſtráque ſuperbiæ? Quid, Cupidinum tædîs, & Hyacinthi, Narciſsíque floribûs, malè olentibûs, in defluos promiſſæ ſinus cortinæ inſignes; niſi, vexilla luxuriæ? quid, obſcœnæ parietum, laquearium, fornicúmque picturæ; niſi, latentium fornicationum cuniculi? quid argentô graves, auróque fulgentes lances, ac patinæ; niſi, pauperum ſudore, cruoréque congeſti, gulæ ſuggeſtus? Quid, auro par, ex alio advecta orbe, vaſorum fragilium, in varias diſtincta formas, otioſa quamvìs, copioſiſſima tamen ſuppellex; niſi muliebrium affectuum tormenta, mortariáque? Quid denique multiplex, & equorum, & rhedarum, & omnis generis curruum; ſellarum quóque, ac lecticarum; veſtiúmque, & palliorum, cæterórumque, pompæ ſolius, utenſilium apparatus; niſi commeatus oneroſus, & impedimenta, paucîs contentæ naturæ? Et hæc, neceſſaria ſtatui, conditioni, prærogativæ natalium, ac officiorum cenſenda ſint? Quid fœminarum de cultu loquar? adeſt non obſcuri nominis accuſator Tertullianus, paucîs enormia complexus: *De breviſſimis loculis patrimonium grande profertur. Unô linô decies ſeſtertium inſeritur. Saltus, & Inſulas tenera cervix circumfert. Graciles aurium cutes calendarium expendunt; & ſiniſtra, per ſingulos digitos, de ſaccis ſingulis ludit. Hæ ſunt vires ambitionis: tantarum uſurarum ſubſtantiam, unô, & muliebrî corpuſculô bajulare.* Proh! monſtra prodigalitatis! *Tertullian. Libro de Cult. fœmin. cap. 8.*

XVIII. Non ego, dum iſta perſequor, divites, aut ſanguine claros, &, nobilitatis inſignibûs, non minùs, quàm, honorum, dignitatum, ac munerum titulîs, inſulísque eximios, eminentésque damno; nequè, parem ſtatui, vivendi rationem, &, vulgi ſordibûs, præfulgens diſcrimen, menſarum, veſtium, ædiúmque condemno: ſolum id contendo: ſemper aliquid, in ipſo, qui ſtatui competit, rerum uſu, ſuperfluum repertum iri; quod egentibus, mendicantibus, ægrotantibus, captivis, alienô preſſis ære, vitâque, famâque periclitantibus, alijsque, neceſſitate, vel gravî, vel extremâ laborantibus impendi

queat, ac debeat; ſi moderari delicias, epulas temperare, luſum conſtringere, luxum dimittere, vanitatem reſpuere, voluptatem inhibere, vitámque, chriſtianæ modeſtiæ legibus alligare, laudabilique Majorum inſtituto conformare, ſtatutum, firmum, fixúmque fuerit. Uixit, ùt Imperator, Ferdinandus, Auſtriacæ gloriæ Corona, hôc auguſtiſſimô nomine II.; ſed, quàm de ſuo, quod hæreditariô, armatôque jure recepit, in DEI gloriam, & miſeriam egenorum profuſus? *Supra temperantiam munificus*, (ità coronatæ virtutis Encomiaſtes de illo) *nec, benè faciendi ſaturitatem, munificentiâ conſequebatur.* „ Affirmavit ſæpiùs: „ cupere ſe; ut, auri copioſa, „ ac nóva fodina ſibi â DEO de- „ tegeretur, per Provincias hæ- „ reditarias: eam, non qui- „ dem opibus accumulandis, „ ſed, erogandis in egentes, „ impenſurum ſe. Profuſus fuit „ in ædes ſacras, & Clerum; li- „ beralis in militem, ac Duces; „ Eccleſiaſticis, ac religioſis „ cœtibus proſpexit paternô „ ſemper affectu. Cathedrales, „ & Collegiatas Eccleſias reddi- „ tibûs locupletavit. Archi- „ Epiſcopatum Pragenſem, an- „ nuîs redditibûs, ampliſſimîs „ ditavit. Damna, per Bohe- „ miam, ab Huſſitarum factio- „ ne Clero illata, munificè com- „ penſavit. Primatem Hunga- „ riæ liberum fecit, â penſione, „ Neo-Caſtro quot annîs, vi- „ ginti millium florenorum pro- „ curandâ. Immenſum foret; „ referre expenſas, in reparatio- „ nem templorum, ſuſtentatio- „ nem ſacerdotum, particula- „ rium eccleſiarum ſubſidia; po- „ tiſſimùm verò, in religioſo- „ rum, ac piorum locorum fun- „ dationes, liberaliſſimè, ac be- „ nevolentiſſimè erogatas. Col- „ legia, ac Seminaria, in virtute, „ ac doctrina inſtituendæ juven- „ tuti, juvandísque, conditio- „ nis minùs amplæ adoleſcenti- „ bus, in ſpem ingeniorum, at- „ que utilitatis publicæ, com- „ plura erexit, Viennæ, in Au- „ ſtria; Pragæ, in Bohemia; „ Græcij, in Styria; Clagenfur- „ ti, in Carinthia; Olomucij, „ in Moravia; Tyrnaviæ, in „ Hungaria. Addidit prædictis, „ locupletes Convictorum do- „ mos, ibidem, Viennæ, Olo- „ mucij, Pragæ, Tyrnaviæ, „ Goritiæ, & in alijs civitati- „ bus. Non eſt Cœnobium, „ non Inſtitutum Regularium; „ quod gloriari non valeat de „ amore Ferdinandi, ſibi impen- „ sô, ejúsque in ſe, quàm pluri- „ mîs meritîs. Non vacat par- ticulares favores, auguſtiſſimæ liberalitatis, ergà ſingulas, DEO ſacras familias, commemorare. Soli, quæ, JESU nomine gaudet,

Euſeb. Nierenberg. in Virt. Coronat. p. 2. Cap. 4. fol. 262. 264. 265. & 315.

Ibidem. fol. 315. & 316.

det, Societati, decem domos â fundamentis collocavit; binas Profeſſorum; alteram, Viennæ, Pragæ alteram: Binas Tyronum, Viennæ, itidem, ac Leobij; cætera, diverſis in locis, Collegia. De reliquis, quibus, ut conſtarent, liberaliter ſuccurrit, non eſſet huic Sermoni, ſi proſequi deberem, finis hodiè. Quid jam, de ſimilis, in paupe-res, DEIque promovendum honorem, profuſæ munificentiæ cæteris, profani, ſacríque Mundi Principibûs, &, notis Orbi nominibûs, dicam? ſi Stephanum, Hungariæ magnum illum, ſanctúmque Regem; Si Leopoldum, ſanctum illum, Auſtriacæ Pietatis Patriarcham, & Marchionem; ſi Sanctam, Thuringiæ Principem, Eliſabetham, aliásque, nominis ejuſdem, & virtutis Reginas; aut, ex in-

vide Lobner. Edit. 1. Bibl. man. Tit. 77. §. 4. num. 11. &c.

ſignibûs tiarâ, Capitibûs Eccleſiæ, Alexandrum V, Leonem X, Gregorium XIII.; aut, ex ejusdem Eccleſiæ Cardinalibus, veros ejus Cardines, Carolum Borromæum, Robertúmque de Nobilibus; aut, ſi ex mitratorum Sacerdotum ordine Celſiſſimo, Ambroſium, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Cæſarium, cognominémque ab Eleemoſynis Joannem, Villanovæ Præſulem Thomam, duntaxat compellavero; compellavi eos, quorum unum fuit, & commune, cum illo miſericordiarum viro, bonorum omnium, quæ perceperunt, ritè collocandorum conſilium, ac decretum: *Si deſpexi prætereuntem, eò, quòd non habuerit indumentum; &, abſquè operimento pauperem? ſi non benedixerunt mihi latera ejus? De velleribus ovium mearum calefactus eſt. Si negavi, quod volebant, pauperibus; & oculos Viduæ expectare feci? ſi comedi buccellam meam ſolus; & non comedit pupillus ex ea? Foris non manſit peregrinus; oſtium meum Viatori patuit.* Nihil his adjiciam; id ſolum ingero: Vixerunt, non iſti tamen, utriúsque fori, Principes, eximiíque, ac ſummè conſpicui, Viri, Dominæque; ſed, & Majores veſtri, ùt nobiles, &, ſtatui ſuo non indecorè, belli, domîque, maximîs, & muniîs, & honoribûs inclyti, totô, quâ patet, Mundô famoſi, celebres, &, tantùm non adorati, vixerunt: ſed, Noſocomia, quæ pauperibus inſtruxerunt; Monaſteria, quæ religioſis familijs fundaverunt; Eccleſiæ, quas regijs penè ſumtibûs ædificaverunt; cæteráque, quæ miſerorum in ſubſidia, perpetuô temporum ſignatorum recurſu, diſpenſanda ſanxerunt, etiam nomina perpetuò illorum, laudésque loquentur, tanquàm fidelium Diſpenſatorum. *Job. 31. v. 18. & ſeqq.*

XIX. De vobis autem, quid inopes, miſeri, derelicti, quorum

rum hîc manibûs vincti, compeditique tenemini, quid isti, suîs Depositîs, &, â divina providentia, suæ necessitati, destinatîs, per vestram impiam prodigalitatem defraudati, de vobis loquentur? Unô (non auditis?) unô conclamant ore: *Judicium, sinè misericordia, illi; qui non facit misericordiam!* Instant: *Usquequò, Domine (sanctus, & verus) non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum, de ijs, qui habitant in terra?* Urgent: *Pecunia tua, tecum sit in perditionem!* Postulant ejulatu validô (itáque sperant, fore) ut *non facienti servo, quod præcipitur, Dominus faciet, quod minatur.* Idem autem, & ego deposco. Mundus ut credat; verè dictum esse, de DEO: *Non est oblitus clamorem pauperum*: veréque promissum esse, â justitia Divina: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exsurgam.*

Jacob. 2. v. 13. *Apocal. 6. v. 10.* *Actor. 8. v. 20.* *S. Cyprian. lib. de oper. & Eleemos.* *Psalm. 9. v 13.* *Psalm. 11. v. 6.*

XX. Ergo perdita jam, desperatáque Causa vestra, perversa? Non est, qui misereatur? non est, qui succurat, & peroret pro vobis? *Cùm judicatur, exeat condemnatus; pro eo; quòd non est recordatus, facere misericordiam; &, persecutus est hominem inopem, & mendicum?* Est, qui est ipse tantâ perversitate circumdatus â præpostera Synagogæ, Principúmque, tam sacri, quàm profani, privati non minùs, atquè communis æris, in scelus gravissimum factâ profusione, abusúque sacrilegô. Quidquid in criminis vestri damnationem, ex omni jure, per adversariam Actionem congestum est, misericordissimus pro vobis Advocatus, duobûs totum verbîs dissolvit, cùm *dixit eis: Quem quæritis?* In his totum Causæ vestræ patrocinium est; dum eam, pro sua, apud Patrem potestate, ad amicabilem Transactionem revocat, ac traducit benignissimus Patronus. Quantus iste favor est? quantum beneficium est? Nam, *per Transactionem jus alterius tollitur.* Et; *quoties super delictô privatô transigitur; toties, quoad interesse privatum, actio tollitur.** Modum insuper amicabilis compositionis ineundæ suggerit, non pro se, sed pro vestra salute, requirens: *Amice! ad quid venisti?* veluti rogans: *quid vis?* Hæc sit vestræ, cum offensis hactenùs pauperibus, amicæ transactionis tessera; quam suggerit Advocatus divinus; acceptat Judex supremus, rejicere non potest pars adversa. *Amicabilis enim compositio, consentiente Superiore facta, etiam in beneficijs, valet.* Consolamini igitur in verbis istis! &, *suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Neminem, vel occurrere vobis pauperem, vel, ad ædium fores accedere; vel, si non voce, ac precibûs, nutu tamen, aut, indicê miseriæ suæ, habitu, stipem, auxilium, beneficium

Joann. 18. v. 5. *Text. in C. 1. de Transs.* *c. 1. de Ltis contest. in 6. l. non minor. 20.* *C. de Transs.* ** L. 17. §. 1. ff. de pact. & l. 13. C. de furt.* *Matth. 26. v. 50.* *Barbosa. Axiomat. Lib. 18. cap. 27. Axiom. 16.* *Jacob. 1. v. 21.*

ficium poſtulantem, negligite, vel deſpicite, vel excludite; ſed, obvij potiùs, amicè poſtulate: *Quem quæritis? amice! ad quid veniſti?* ut nemo, veſtro de vultu, triſtis abſcedat: nullius vacua ſit poſtulatio: nullius irritum votum! De præteritis autem injurijs, quâ ſit ratione tranſigendum, ad Commiſſarios, conſcientiarum arbitros vos remitto. Quidquid illi, ſuper Depoſitô defraudatô, lucrôque ceſſante, damnôque emergente, tranſigendum cenſuerint, ejus nomine, continuò adimplete; qui, pro vobis, ut abire liberis liceret, ultrò ſe capiendum obtulit, verbîs geminîs, jam pro vobis obligatus; *ùt dixit: Ego ſum!*

Matth. 26. v. 50.

F E R I A V.

POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ.

SERMO SEPTIMUS.

In Foro I. Juſtitiæ Divinæ, ſeu, in Horto Gethſemani.

Actio IV. De Lenocinio, in genere.

Contrà eos;

Qui, vel, ſuas ædes, in voraginem, & interitum Innocentiæ,
Ex meretricia corruptarum negotiatione proſtituunt;
Vel, conciliatum, per inſidias, Pudorem alienum,
Aut, in Corruptionis periculum, per occulta Commercia,
Pro turpi quæſtu, fraudulenter inducunt;
Aut, hoſtili concupiſcentiæ proditoriè tradunt.

Actor IV. Pater-familias Chriſtianus.

Lenas, & Lenones, alienæ Concupiſcentiæ negotiatores,
Per nequitiam quæſtuoſam, & officij ſimulationem,
Innocentiæ, Fideique conjugali, & Bono publico perniciosas Peſtes,
Appellatione, ad ſupremum DEI Tribunal factâ,
Vehementer indignatus accuſat.

Myſterium IV, & Actionis inſtituræ Argumentum.

Judæ, proditoria cum hoſtibus Chriſti conventio,
Tradentis, per conditum oſculi ſignum,
Innocentiam, in manus peccatorum; & vitam, in mortem:
Et quidem, in ipſo, quem noverat, Orationis conſuetæ locô.

Tessera. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcúnque oscúlatus fuero, ipse est; tenete eum. *Matth. 26. v. 48.*

I. HOminem inveniri posse, non credo; cujus viscera non commoveantur, ossa non collidantur, cor non trepidet, sanguis non obrigescat, animus non cohorrescat, sensúsque non confundatur omnis, officiô mentis vehementissimè convulsô, atquè idcircò vix sufficiente, ad explicandum sauciatæ totius humanitatis acerbissimum vulnus; quod ad *usque divisionem animæ, ac spiritûs, compagum quoquè, ac medullarum*, per interiora cuncta desævijt, auditô inauditæ proditionis inexplicabilî criminê; quô Judas, tradens JESUM, *dedit illis* (conjuratis in Domini necem) *signum, dicens: Quemcúnque oscúlatus fuero, ipse est; tenete eum. Et, confestim accessit ad JESUM, dicens: ave Rabbi! Et oscúlatus est Eum*: scilicet; *dans signum oscúli, cum veneno doli.* Semper, utì Romanis, pariter & Hebræis, oscúlum, amicitiæ contestatio, pignus amoris, & pacis indicium fuit; inde receptum, Cornelius meminit: *hôc oscúli signô, Apostolos salutâsse Christum; cùm aliunde, ad ipsum redirent*; & quidem, oscúlô, prout Hugo Charensis notat, in faciem datô, præter Judam solum; qui, simulatô dilectionis amplioris officiô, plùs aliquid, & unicus quidem, os ori scilicet, ausus est, impium applicare sanctissimo, non basiô tantùm, sed oscúlô, mendacium allatæ pacis aggravaturus. *Consuetudo erat*, ait Hugo memoratus; *ut Judas, undecúnque veniret, accederet ad Dominum, in oscúlum pacis.* Quid hic magìs admirabimur? an, obcæcatæ mentis temeritatem in Juda; quâ constituit, abusus benignitate Dominicæ dissimulationis, oscúlum, â Magistro mirâ mansuetudine toleratum, adhibere pro signo, diabolicæ proditionis ministrô? an magìs reddemur attoniti, cogitatâ Servatoris mansuetissimi diuturnâ patientiâ; quâ, præscius, futuræ per oscúlum traditionis, indulsit nihilô minùs: ut, proditorio liceret ori, consuescere; quod, ex ipsa consuetudine, pervertendum olim, in sui noverat perditionem? Sanè, *magna*, ùt ait S. Ambrosius, *divinæ significatio potestatis; magna disciplina virtutis! Et consilium Proditoris noscitur; & adhuc patientia non negatur.* Excessum divinæ Bonitatis juvat hîc adorare, cum Eremi Augustinianæ Theologô Bononiensî; qui

Hebr. 4. v. 12.

Matth. 26. v. 49.

S. Hieron. cit. â Greg. â JEsu Maria. Tom. 1. Lect. 22. num. 15.

Cornel. â Lap. in loc. cit. Matth.

Hugo & S. Charo in cap. 22. Luc.

S. Ambros. lib. 10. in Lucam.

P. Gregor. locô cit.

qui factum id, âChriſto, cenſuit, ex infinitæ pietatis, &, erga Judam, induſtriæ charitatis arcanô conſiliô, nihil non agente juxtà, ac admittente; quô depravatus ejus animus demulceri poſſet, &, ad officium devotæ, ſyncéræque dilectionis induci. Cùm autem Claræ vallis Abbas clariſſimus, de ſacro-ſancto Servatoris oſculo definiverit: *Oſculum profectò fuit Spiritûs ſancti*; quem, inſufflans, de ſuo ſuis conferre ſolebat ore Diſcipulis; non mirum, quòd exinde ſumſerit argumentum, ille digniſſimus, Auguſtinô Patre, Theologus, ità concludens: *Chriſtus, oſculans, & ſufflans in faciem oſculati, conferebat Spiritum ſanctum. Idcircò, permittebat Chriſtus, oſculari ſe, â Juda, in ore: ut ipſi novos illapſus ſancti Spiritûs conferre poſſet*: imò, vel hanc ipſam ob cauſam Judæ tributum â mitiſſimo Domino munus, Apoſtolici Collegij communi de ſacculo ſuſtentandi, credidit idé ſacer interpres; *ut ſæpiùs, præ cæteris oſcularetur eum*: ut ità, participandi de ſpiritu Chriſti dulciſſimô, frequentior illi ſuppeteret, ad mitigandam animi feritatem, occaſio. Quod quidem videri poteſt, non tam objectum, quàm, ſuavî ſuggeſtionê, repetitum ab ipſo JESU, perfidique Diſcipuli memoriæ, ſub traditoriæ proditionis actu, per verbum illud ingeſtum fuiſſe: *Juda! oſculô filium hominis tradis?* Oſculô, â me, toties tibi permiſsô? tam familiariter admiſsô? tam liberaliter, ſuavitérque, pro conſuetudine, redditô? tantâ, mei Spiritûs, tibi, tunc oblatâ communicatione, replicatô? Nimirum, hoc ipſum erat; unde Judas, abuſus conſuetudine gratiæ, tantò quotidiè deterior factus eſt; quantò copioſior in ipſum fuerat, ex ore Magiſtri, gratiæ dimanans affluxus. *Ideò* (ſic infert Auguſtini Gregorius) *in barathrum, proditionis DEI cecidit: quia omnes gratias, donáque omnia, quæ á Chriſto donata fuerant, & Spiritum ſanctum, quem conferebat ei JESUS in oſculo oris ſui, ſemper ſprevit, & abjecit.* Quâ quidem obduratione (Mediolanenſis, magni Patris, Doctorisque gravî judiciô) graviſſimam ſibi damnationem accerſivit Judas: *quia peccavit in Spiritum ſanctum*, toties, ore Magiſtri, per divini munus oſculi, liberaliter inſpiratum: *ſyncerum enim, amicúmque oſculum reddidit*, ſalutis cupidus Dominus, pro fraudulento, pro proditorio, pro parricidali, pro Diabolico, quod prævidit. Conſenſit Ambroſio D. Hieronymus, & ipſe, in idipſum, ſuô propenſus, de Judæ damnatione, judiciô: *Nempè, quia, nec familiaritate convivij, nec intinctione buccellæ, nec obſequij gratiâ frangitur*; abuſus illô ſuaviſſimô, quô, ſuus eum, ab interitu retinere, Magiſter conatus

S. Bernard: in Cant. Cap. 1. v. 1.

P. Gregorius eit. locô.

Gregor. à JEſu Maria, locô cit.

S. Ambroſ. in cap. 22. Lucæ.

Cornel. à Lapid. in cit. locum S. Matth.

S. Hieron. Epiſt. ad Ruſticum.

Bayerische Staatsbibliothek München

tus est, amoris, non tantùm præsentis indiciô, sed, etiam recipiendi ministrô. Nec enim, solùm, ùt B. de Cassia Simon ait, *Magnum amoris testimonium est; cùm ad invicem duorum ora premuntur: sed, cùm sit amor condimentum omnium rerum, necessariò in labijs osculantibus causat dulcedinem; quæ, velut sagitta, ad cor amantis dirigitur*: utì idem, ex M. subjunxit Alberto.

B. Simon de Cassia. cit. à P. Gregor. locô cit. num. 20.

Albert. M. cit. loc.

II. Non est igitur par lingua, vel calamus ullus, explicandæ, quæ veteres Ecclesiæ sanctæ Patres commovit, indignationi, non tam ob præsumtum, animô necem spirante, mendax osculum; quàm, ob decretum (impiô cum hostibus pactô, priùs initô) proditionis lethiferæ signum, per osculum. Drogonis Hostiensis judiciô, *Foris pietas, intùs malitia, duplex iniquitas est.* Quid autem, si fixum jam, eversô penitùs, erat animô; tradere Dominum impietati, invidiæ, crudelitati judæorum? quid inquam, necesse fuerat, hôc uti mendaciô, contrà Veritatem? hâc officij speciê, contrà Synceritatem? hâc amicitiæ simulatione, contrà datum jam orbi Verbum? hâc amoris impostură, contrà Conciliatorem amoris divini? hâc demùm depravatione salutationis, & oris, quid opus erat uti? *ut spiritus oris nostri Christus, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis*, traderetur in mortem, & caperetur *in peccatis nostris*? qui, sicut oblatus est, quia ipse voluit; ità captus est, quia ipse voluit: nequè tradi, nequè capi, nequè teneri, nisi voluisset, potuisset, quôcúnque tandem, pactô, perfidiæ malignantis indiciô: *quemcúnque osculatus fuero, ipse est; tenete Eum!* An possibile? non exclamare jam cum Ecclesiæ Salomone: *O signum sacrilegum! O placitum fugiendum! ubi, ab osculo, incipitur bellum; &, per pacis indicium, pacis rumpitur sacramentum!* An continere se poterit pietas Christiana? quin, Patris ejusdem Divi spiritu concitata, Proditorem objurget: *O Juda! osculô, filium hominis tradis? officiô, sanguinem fundis? pro pignore amoris, vulnus infligis? pacis argumentô, mortem immittis? servus, Dominum tradis? discipulus, Magistrum prodis? quid audes? quid tentas? O perdite, & perfide Sinon!*

Drogo Host. de Sacram. Passion.

Thren. 4. v. 20.

Ephes. 5. v. 2.

Matth. 26. v. 48.

S. August. Serm. 221. de Tempore.

Idem. Ibid.

III. Non est, mê Christe! nec potest esse notitia, vel sensus tam atrocis impietatis, in ullo corde fideli; quod non, vel, cum Divo Ambrosio, exprobret Judæ, totius humanitatis opprobrio: *Venenum diffundis osculô? quô gratia charitatis infunditur: osculô? quod sacræ pacis insigne est: osculô? quô amicitia fida firmatur: osculô? quô fides sancta signatur.* Vel, quod, cum ter mitrato Leone, non rugiat: Proh! *osculô! sæviore, omnibus telis, osculô!* Vel, quod cum Antiocheno deniquè Victore non

S. Ambros. in Psal. 39.

S. Leo de Pass.

queratur, non deteſtetur, non execretur malitiam, audaciam, perfidiam, proditionem, flagitiúmque, nullô ſatìs, vel accuſabile zelô, vel exprobrabile ſpiritu, vel criminatione gravandum, vel, judicij rigore damnandum: quòd, *cui lethales inſidias ſtruebat, illi ſalutem cum oſculô offerebat*; & quidem (quod altiùs penetrat in animum, &, ſævius pietati vulnus infligit) in horto; in ipſo, quem noverat, orationis locô: *Sciebat*; *quia frequenter JESUS convenerat illuc cum Diſcipulis ſuis*: *& ideò, ſecreta Chriſti loca rimatus Judas* (utì M. Albertus inſinuat) *quærebat*, hanc ſcilicet, in Orationis conſuetæ locô, *opportunitatem*; *ut traderet Eum*: ità, nimirum, ſanctitate loci, in quô Servator orare conſueverat, prouti ſuavitate oſculi, quô Magiſter animum ejus delinire tentaverat, ad meditatæ, conjuratæque traditionis DEI-cidale crimen abuſus.

Victor Antiochen. in cap. 14. Marci.

Joann. 18. v. 2.

B. Albert. M.

Lucæ 22. v. 6.

IV. Quid huic exæquari perfidiæ poſſit, non video. Vileſcunt omnia nomina parricidarum, latronum, proditorum, & infidorum; &, quidquid horridum univerſæ naturæ, & abominabile, cunctîs retrò ſæculîs, ex perfidia fuit; ſeu, in Nerone; qui fraudê, matri propriæ paravit naufragium: ſeu in Manfredo; qui dolô, genitorem ſuum è vita ſuſtulit: ſeu in Boleslao; qui ſanctum Fratrem, obtentu pietatis, ad ſe pellectum trucidavit: ſeu in Callicrate; qui, veteris officij ſimulatione, confidentem amicum occidit: ſeu in Annibale ſeniore; qui Cornelium, ad fœdera firmandæ pacis evocatum, Punicâ fraude peremit: nihil jam horum, perfidiæ cujuscúnque monſtrorum, hôc unicô diabolicæ proditionis portentô, non eſt, & infamiâ minus, & crudelitate mitius, dolôque humanius. Atrox fuit, non inficior, fratrem ad agrum invitantis, Caini ſimulatio: *egrediamur foràs*! ubi, ſolus jam, cum ſolo, *conſurrexit, & interfecit eum*. Immane fuit, non abnuo, Joab, Amaſam ſalutantis comentum; quô, *tenuit manu dexterâ mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum*; dum interim, gladium ſtringens, *percuſſit eum in latere, & effudit omnia viſcera ejus*. Fraudulenta fuit, non diffiteor, Abſalonis, Amnonem, ad hilaria tondendarum ovium, paratúmque, *quaſi convivium Regis*, evocantis, invitatio; quâ, temulentum vinô fratrem, tollere de medio, mediô prorſùs truculentô conſtituit, ac præcepit. Inhumana, barbara, crudelísque, non repugno, deceptio Tryphonis fuit, hominis, fraudê, vafritiéque compacti; cùm Jonatham, ſibi, præpotentiâ formidabilem, ad, exercitum, armáque primùm dimittenda, per oblatam Ptole-

Ribadeneira in Flor. ſanct. 28. Sept.

Raviſ. Textor in Offic. Lib. 5. cap. 17.

Geneſ. 4. v. 8.

2. Reg. 20. v. 9.

2. Reg. 13. v. 24. & ſeqq.

1. Machab. 12. v. 42. & ſeqq.

Sueton. in Neroni. Joan. Bapt. Egnatius.

maidæ traditionem, deindè verò, ſuímet nequiſſimâ ſubmiſſione, mendaciter, ad ſubeundam etiam urbẽ induxit; continuóq; clausîs Ptolemaidæ portîs, comprehenſum, cum omnibus, *qui cum eo intraverant*, gladiô interfecit. Horrenda fuerunt hæc olim, omnia; ſed, nihil jam ampliùs monſtroſæ crudelitatis, vel, ingratitudinis belluinæ, vel, ab humanitatis omnis conceptu, penitùs abortivæ fraudis, damnabile cenſeri poteſt, ineſſe tum his, quæ memoravi, tum alijs, quæ totus jam pridem Orbis exoſus fuit, perfidiſſimîs auſibûs; unũ ſi Judæ facinus opponamus; quô, dum Frater ſuaviſſimus, Pater amantiſſimus, Nutritor liberaliſſimus, Magiſter dulciſſimus, Dominus benigniſſimus, Redemtor profuſiſſimus, Conditórque, Deúsque beneficentiſſimus, Optimus, Maximus, nequiter, ſtudioſè, fradulenter, crudeliter, per oſculum, in explorato, frequentatæ orationis locô, proditoriè traditus eſt inimicorum conjuratæ poteſtati, in mortem. Hoc enim verò, ſummarium eſt, omnis omninò, quæ, vel nominari, vel cogitari poteſt, perfidiæ. Quare, perappoſitè Baëza noſter, obſervatîs monumenti characteribûs (ex quibus notus eſſe voluit, Abſalom conditus legentibus omnibus: *manus Abſalom*:) pro ſuo perilluſtrî ingeniô veriſſimè de Juda pronunciavit: *Abſalom, & qui antè, proditores fuerunt, manus erant tantùm; & qui poſteà, pedes. Unus Judas, Proditorum factus eſt Caput*: omnem enim, in oſculô ſuô, proditoriæ traditionis indicê condictô, malitiam, quæ, nè comprehendi quidem humano poteſt intellectu, transgreſſus eſt.

Didacus de Baëza in Evang. l. 4. c. 1. §. 11.

2. Reg. 18. v. 18.

V. Videtur tamen aliquod, hac in perverſitate, præludium illius fuiſſe; quam in hoc úſque tempus, non â Juda, qui perijt, ſed, ab aſſeclis ejus, innocentiæ, puritatis, integritatis, & conjugalis fidei nequiſſimîs, non proditoribûs tantùm, ſed etiã tratitoribûs, patitur adhuc, Divinitas, & Innocentia Servatoris. Non poſſum animi dolorem comprimere; dum intueor ædes, etiã obſeratas arctè; vicos, etſi lictoribûs munitos providè; grandia palatia, quamvìs excubitoribûs obſeſſa ſtrenuè; ipſa deniquè DEI ſummi templa, licèt vigilum angelorum curæ commiſſa, peſtê tamẽ hujus perniciosiſſimæ, turpiſſimæque proditionis, quæ per officij, pietatísque ſimulationem, latenter inimico ſervit, &, animas in exitium adducit, adeò non vacare; ut exclamare cum Annæo cogar: *Ab homine, homini, quotidianum periculum! Nullum malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempeſtas minatur, antè, quàm ſurgat; crepant ædi-*

Seneca Ep. 103.

ædificia antè, quàm corruant; prænunciat fumus incendium: ſubita eſt, ex homine, pernicies; &, eò diligentiùs tegitur, quò propiùs accedit. Erras: ſi iſtorum, qui tibi occurrunt, vultibus credis. Hominum effigies habent; animos ferarum; aut (cùm de malitiæ ſit ſubſtructione judicium) potiùs dixerim, dæmonum: niſi dæmonibûs ipsîs deteriores eſſe, cenſendi ſint illi; qui, vel, ad conducendas innocuas animas, &, in victimam concupiſcentiæ liberalis, nequiter inducendas, ex commerciô pravo deſerviunt alienæ libidini: vel, quæ ſuas in ædes, obſequij pollicitatione, aut colloquij, ludive, vel, alterius avocationis, ad ſpeciem, innocentis, obtentu, quaſi per oſculum, puellas incautas conciliant, deceptásque tenent, inſidiantium è poteſtate, non integras ampliùs redituras: vel, qui deniquè corporis jam proſtituti ſcorta, blanditiîs labiorum, & lenociniîs oculorum, ex ingenio Veneris affatim inſtructa, ſuis in ganeis alunt, *præparata ad capiendas animas*; (utì gemens prodidit olim Sapientia, de feneſtra ſuâ proſpiciens, & obſervans) quorum blandîs verbîs, vultû compoſitô, fictîs, ad obſequium tam pietatis, quàm impietatis, obtutibûs, juventus non tantùm attrahitur, jam profligata; ſed, etiam illaqueatur, & irretitur incauta, *quaſi agnus laſciviens, & ignorans: quòd de periculo animæ illius agitur.* Quid non, in his, affine traditorijs Judæ blanditijs? Quid non, ſimile proditorio Judæ oſculo, lenonum, ac lenarum diabolicô damnandum eſt in negotiô? *Qui autem tradidit illum, dedit illis ſignum, dicens: Quemcúnque oſculatus fuero, ipſe eſt; tenete Eum.* En, unum, idémque, Proditoris, & Scortatoris ingenium, conſilium, propoſitum, pactum. Locô, quô frequenter, cum diſcipulis, conferre ſe devotio Magiſtri conſueverat, exploratô; horâ, quâ populi deſtitutus præſidiô, capi ſolus, procul omnî ſtrepitu, tumultúque faciliùs poterat, indagatâ; ſignô, quô concupitus invidiæ, necíque decretus, â diſcipulis indubiè diſcerni, certúsque debuerat comprehendi, deſtinatô, præit Proditor, accedit, appropinquat, amplectitur, ſtringit, ſalutat, oſculatur, ſuaviatur, itáque prodidit, tradidit, perdidit JESUM, innocentem, Servatorem. Aliúdne, virginitatis, & ſalutis, & innocentiæ proditores, venditores, & Inſtitores, conjugalísque corruptelæ Conciliatores, Lenones, Lenæque, turpitudinum omnium Conciliatrices malè-ſuadæ, ſuîs interpoſitîs officiîs, internunciîs obſequiîs, paratîs lenociniîs, & in-

Proverb. 7. v. 6. 10. & ſeqq.

Ibidem. v. 22. 23.

Matth. 26. v. 48.

fandîs quibûsque aliîs, illius commercij notîs jam, infamibûs negotiationibûs, virtutisq; Christianæ traditoriîs industriîs moliuntur, intendunt, efficiunt?

VI. Verùm, quô me fervor, adversûs Judam concitatus abripuit? An ego tam fortî sum animô? tam solidâ, robustâque virtute? nullus ut me timor absterreat: nè, si forsan infame scelus hoc persequi criminando contendero; ubi pronunciandum de Causa foret; ibi, quod â Sodomæ perversis concivibus Lot, innocens dehortator, audire olim debuit, exprobretur & mihi: *Recede! Ingressus es - - numquid, ut judices? Te ergo ipsum magìs, quàm hos affligemus.* Genes. 19. v. 9. Causam justè suspicandi Divus aperuit Augustinus: *quia tanta ibi nefandæ turpitudinis consuetudo erat; ut jam, nequitia esset, justitia; & prohibitor potiùs reprehenderetur, quàm factor.* S. August. Tom. 10. serm. 44. in Joann. Esto tamen, vacua sit, cùm injuriæ tantæ, tum discriminis ejusdem, Actio, turpem adeò causam perstringens: ipsa sanè nefandi criminis fœditas, abominatione, tam detestandâ sordet; ut, pro sacro suggestu, vix memorari, tractari verò prorsùs in conveniens, pœnitentisinterpres Regis, Mazarinus asseruerit: *Ars*, ait, *sceleratorum ministrorum luxuriæ, & concupiscentiæ, tam est vituperabilis, & infamis; ut indecorum videatur: ministros Verbi divini insinuare castis auribus, solum etiam nomen; quô vulgus communiter appellat eos; potissimùm, in locis sacris, &, in gravî, honorandôque fidelium cœtu.* Julius Mazarinus. Conc. 17. in Psalm. 50. Ergo cohiberi, cautus, me patiar; nequè tamen immunis erit, ab Actione severissimâ, Stecchiniorum execranda dirîs omnibûs negotiatio, nullîs, pro criminis immanitate, vel satyrîs, â Juvenali; vel vituperiîs, â Propertio; vel elegîs, â Sulmonensi, deplorata, protrita, discerpra satìs. Appellat mei locô, juris utriúsque peritissimus, nequè minùs, pietate Christianâ clarissimus, ad supremi tribunal Numinis, Paterfamilias Christianus, illud profligatissimi quæstûs crimen, quod, nec in profano securè, nec utiliter, & cum profectu, sacrô reum agitur in forô, coràm eô judice, debitas in pœnas, & ultimam exterminationem redacturus; *qui respicit viam hominis, & omnes gressus ejus considerat.* Prov. 5. v. 21. *Opera omnis carnis coram illo; &, non est quidquam absconditum ab oculis ejus.* Eccli. 15. v. 20. *A sæculo, usquè in sæculum respicit; & nihil est mirabile in conspectu ejus.* Eccli. 39. v. 24. 25. Audiamus Actionem.

Juvenal. Sat. 3. Propert. Lib. 4. Eleg. 5. Ovid. l. 5. Amor. Eleg. 11.

VII. Probè mihi notum est, perspectúmque: ad integram innocentiam (Actor jam loquitur) non sufficere; si propria solùm vacet culpâ conscientia; dum in oculis palàm prostituitur, venditur, traditúrque proditus,

ditus, & crucifigitur Chriſtus, remanente, velut in vagina, gladiô linguæ noſtræ. Igitur, nequaquam imperare mihi potui; quin, proculcatîs omnibûs rationibûs humanîs, meam hodiè, plurimorum Oratorum diſſimulationibus diuturnis, juſtam indignationem opponerem; haud ignarus: tam verecundiam, quàm *patientiam, eſſe peſtiferam; quæ ſibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit.* Ecquid erubeſcam accuſare, perſequi, ſuáque cum fœditate, malum illud, ante DEI tribunal, prout eſt, ſordidum, abſurdum, abominabile, miſsîs involucrîs, adducere; quod erubeſcere jam pridem deſijt, & frontem exuit, & verecundiam abjecit; & omnem, cum DEI timore, pudorem expiravit? Conſcientia me mea reum ageret; ſi tacerem porrò, quod, in reipublicæ detrimentum, in juventutis corruptelam, in fidei conjugalis injuriam, in Urbis, non unius, ſed patriæ totius opprobrium, in omnis deniquè converſationis, etiam honeſtæ periculum, cum heterodoxæ viciniæ ſcandalo, indiès ampliùs, &, non ſinè graviſſimorum ſuppliciorum metu (quæ, dum impune, quod commune, peccatum eſt, etiam innocuis impendent) tantò petulantiùs aggravari, & inſoleſcere, gemens, dolénsque ſcio; quantò ſecuritatis præſumtio major, minor autem animadverſionis debitæ, tum formido, tum cura reperitur. Patent jam oculis divinæ tuæ juſtitiæ, venaliumExploratorum indagationi nunquàm non indulgenter abſcondita, flagitij perniciosiſſimi Capita; quæ ſuis è latibulis, (foveîsinfernalibûs)utùt omnem exoſa lucem, obluctantiáque, protracta tamen, Actione meâ præſentî redarguam; quæ puniri etiam, tuô judiciô poſtulabo; tollíque de mortalium conſuetudine, communibûs, bonorum omnium, virtutis, & honeſtatis amicorum votîs, implorabo, & exorabo: ità quidem; ut, cum illis, pariter auferantur ſcelerum nutrices; tollantúrq; adulteriorũ Conciliatrices; omnésq; mediatrices dæmonum, cum internunciîs Veneris, pediſſequîs Cupidinis, adminiſtrîs turpitudinis, ſicariîs juventutis, omnísque virtutis, honeſtatísque civilis, pietatísque juxta, ac ſynceræ religionis, crudeliſſimîs homicidîs, de conſortio, conſpectu, convictúque, quô digni non ſunt, fidelium, imò, & mortalium omnium, ex rationis uſu, lucéque viventium, notitiâ, memoriâque, longiùs, quàm infeſtiſſimæ devoventur peſtes, æternas ad tenebras, & ineluctabiles umbras abjiciantur.

S. Leo. Papa. Epiſt. 16.

VIII. Non

VIII. Non eſt, in hoc Zelo meo, quicquam, nimiæ forſan indignationis, aut, plùs, quàm par eſt, inimicæ criminationis, aut, ultrà manſuetudinis Chriſtianæ moderationem, exceſſivæ perſecutionis damnabile; quô, vapulare forſan, prædicta improperia mea, Quintiliani cenſurâ deberent: *Vacua Cauſæ, Conviciîs implent.* Quid enim? *Vacua cauſæ* putabit aliquis, quæ perſequor? Proh! quis ille? &, quantîs ipſe convitiîs onerandus? *Vacua cauſæ* quis cenſebit illa, omnî ævô, cunctis gentibus, omni ætati, univerſæque conditioni mortalium deteſtanda ſemper, & execrata jam flagitia? quæ, maritalî quisquè ſacramentô ligatus perſpecta ſi haberet, (niſi crimini daretur, in crimen vocare, crimen, apud ipſos forſan criminum arbitros, vindicésque, occultô favore munitum) urgeret omninò, Judicum decretô, municipalique jure, Fuſtuarij pœnâ multari. *Vacua cauſæ* cenſebuntur illa, adulterina commercia? quæ conjuges innocentes, perpetuîs injuriîs fatigatæ (niſi eas, ad cancellos decretorij tribunalis perrumpendos, pro Cauſæ turpis gemebundâ delatione, vires deficerent) juxtà vetera Styrorum, ſacra jura, poſtularent ad infamem columnam protracta, virgîsque per Carnificem caſtigata, geminîs inſuper auribûs mutilari. *Vacua cauſæ* putabuntur illa conciliabula clandeſtinarum libidinum? inſtructæque, per officia ſimulata, malè credulæ juventuti, nunquàm ampliùs eluctabilium amorum voragines? illiquè, in mancipatum catenatæ voluptatis, nullô pœnarum terrore, nullâ fortunarũ ſpê porrò dirumpendi, nequiſſimô felicitatis mentitæ prætextu, conſtructi laquei? quibûs condignè puniendîs, mœſtiſſimi parentes, &, manifeſtatâ jam ſuarum, angelicæ quondam puritatis filiarum, infelici corruptione, filiorúmque, modeſtiſſimorum olim, protritâ jam penitùs innocentiâ, &, nullum non per lupanar, vagâ, projectâ, prodigâque licentiâ, tantùm non in ſuam ipſi vitam deſperatè crudeles (niſi deſoret, qui Cauſam ageret, & ſententiam, tantæ vindicem corruptelæ, ſolicitatione conſtituti juris exigeret) vellent, atque totô fervore contenderent, in ea decerni; non, quam Solon Athenienſis conſtituit, vicenarum drachmarum mulctam; vel, quam Q. Metellus, contrà Vectiliũ ſcripſit, proſcriptionem ab officio: ſed illam poſtularent, urgerent, &, pro reipublicæ, tam divinæ, quàm humanæ indemnitate, puritatéque, quibûscúnque poſſent, ſumtibûs, emtam etiam, extor-

Quintil. cit. á Calep. v. vacuus.

Conſtit. Crim. Auſtr. p. 2. art. 80. Ferd. III. Beckmann, in Idea jur. ſtat. ſtyr. & Auſt. 180. v. Lenocin.

Plutarch. in Solone.

Valer. Max. Lib. 7. Cap. 7.

extorquerent pœnam ; quâ, vindices proſtitutæ Virginitatis Athenæ, plexum capitê, ſuſtulerunt Eutymachum; quòd Olympiam, famoſiſſimi pudoris puellam, per ſummam injuriam, profligati pudoris Concupiſcentiæ venalem fecerit: quâ, ſeveriſſimus honeſti, rectique tutor, Tiberius Cæſar, ſacrilegos Iſidis myſtas in crucem agi, turpiſſimâque tolli morte fœdiſſimos illos Veneris negotiatores præcepit : quòd Paulinam, ornamentum illud omnis honeſtatis, in ipſo, ſacræ tum Iſidis templo, veluti ſacram Anubidi victimam oblaturi, cupidis immundiſſimi Decij Mundi, ſubjacere votis adegerint. Quodſi vetus Juſtiniani Cæſaris adhuc vigeret ſeveritas: deberent hæc, omnium flagitiorum incentiva, fomentáque diabolica, prout ab eo ſanctè fuerat imperatum, ultimô ſupplicio confici. Si, pro tribunali, decretoriâ fungens poteſtate, ſederet etiamnũ Cleomenes: per adminiſtros vindicantis juſtitiæ, pernicioſa iſta, naturæ totius, & fidei probra, felium inſtar, & canum, ſaccîs incluſa, fluminum in profunda, nunquàm ampliùs emerſura, demergerentur. Si demùm, omnis viciniæ conſenſu, ad aſſerenda, tuenda, vindicandáque domeſtici pudoris, & integritatis cognatæ, & matrimonij conjurati ſacra vota, nemo non pariter armatus, inſidijs adeò peſtiferis profligandis accurreret, pro judice, vindex; prout multîs ab hinc annîs conjurata chriſtiana vicinia, Remîs, infeſtatæ conjugali pudicitiæ ſuccurrit : nulla jam nominaretur, ùt reor, vel Acanthis, vel Nape, vel Dipſaas, vel Aquariolus, *mulierum impudicarum, ſordidus aſſecla.* Concupitam, â divite mœcho, pauperem, ſed, formâ juxtà, ac juventute floridam, viri pauperis conjugem, Strix vetula, Sagâ pejor, miſeram ſortem indolens, lacrymîs, & ſuaviîs, largæque fortunæ ſtipendiîs deſponſîs *conciliare* ſatagens, immolaréque turpi Leuconi laboravit; ſed ingenui, caſtíque pudoris ingeniô ſuperata, captáque, ceſſit in victimam ultionis commeritæ : dum, abductura prædam in amplexus adulteri, recepta quidem in domum, ſed, oſtiô firmatô, fidelibus â vicinis apprehenſa, veſtibûs nudata, ſcopîsque, cruentum in vulnus conciſa, ſpectaculum tandem, & exemplum lenocinij, ſeriò caſtigati, vindicatíque, patefactîs domûs januîs, in publicum non tam fugere, quàm, excurrere permiſſa fuit. Verùm, quis hodiè, vel, par auxilium, vel, utì ſuprà memoravi, tam diſtrictam inveniet, adversùs malitiam, ipsîs adulteriîs,

Aerod, ex. Dinarcho. contra Demoſth.

Joſeph. Lib. 18. antiq. Cap. 4.

Juſtinian. Novell. 14. cap. 1.

Athenæus Lib. 10.

Propert. 4. Eleg. 5.
Ovid. 1. Amor. Eleg. 11.
Feſtus, cit. à Serra. v. Leno.

Thom. Cantiprat. l. 2. apum. cap. 30. §. 37.

& inceſtibûs, & nefandîs omnibûs libidinum petulantium abominationibûs deteriorem, vindicis cujusquàm in hoc mundo tribunalis, juſtitiæque ſententiam?

IX. Tuum ergo, qui, idem ipſe es, *herì, & hodiè, &, antiquus dierum*! tuum, inquam, Crimen iſtud (nunquam non â tua juſtitiâ ſanctiſſimè condemnatum, & ſeveriſſimè vindicatum) nunc undequáque conſtrictum, jacet ante tribunal; totius Mundi, qui ſalutis habere partem cupit, &, â vitijs averſus, virtutem non amat ſolùm, ſed, ſalvam eſſe, firmámque cordibus in Chriſtianis exoptat, communî ſolatiô, non damnandum duntaxat, ſed, exterminandum etiam, penitúſque tollendum, & annihilandum. *Conſurge! conſurge! ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſæculorum. Nunquid non tu percuſſiſti ſuperbum? vulneráſti Draconem?* Sed, quæ tum, adeò ſeveræ percuſſionis, adeò profundæ vulnerationis, adeò profligatæ, nec, in æternum, revocandæ damnationis cauſa, culpa, irrítansquè malitia fuit? *Caudâ trahebat tertiam partem ſtellarum*: ità pateſactum in Apocalypſi per eundem eſt; â quo fuerat idem, plurimorum interitûs auctor, nominatus, *homicida ab initio*. Cujus autem homicida fuiſſe credendus eſt, *ab initiô*? Non hoc ad primum hominem, ſed, ad eos, qui fuerant ab initio, ſocios videlicet ſupernæ felicitatis, Angelos, referendum eſt; quos, unà ſecum, induxit in culpam, & pœnam; in caſum, & interitum; in defectionem, ac damnationem. Igitur, homicida dicitur Diabolus; non, gladiô armatus, non, ferrô accinctus; ſed, *quòd fuerit alijs cauſa peccandi; non quidem cogens, ſed, quâdam quaſi exhortatione inducens*; utì Angelicus Aquinas explicuit. Hic autem, homicida Satanas, &, intoxicans Draco, vinculîs æternitatis, horrendè vindicis, conſtrictus eſt, pro ſuæ, blandè ſerpentis, nequitérque trahentis, peſtiferæ caudæ laqueîs; quibûs innocentes involvit, involutos traxit, tractósque, ſecum præcipites in gehennam adduxit Angelos, non coactos, *ſed, quâdam quaſi exhortatione*, inductos. Et patietur tua, ſemper eadem, ſanctiſſimáque Juſtitia, noſtrum in ſupplicium, (quod, cùm vivunt, accerſunt) & Angelorum, ac innocentûm adhuc plurium, (poſt jam innumeros perditos) æternum interitum, diutiùs adhuc impunes vivere, & imunes? ex quibus, ad omne flagitium, ſtupráque turpiſſima, commerciáque, nulli non ſtatui, ætatíque pernicioſa, & jugis *exhortatio*, & rete, pennatorum etiam oculis inſidioſum, & occultiſſimi juxtà, ac, ad perdendum po-

Hebr. 13. v. 8. *Daniel. 7. v. 9.* *Iſaiæ 51. v. 9.* *Apocal. 12. v. 4.* *Joann. 8. v. 44.* *S. Thom. 1. p. Q. 63. Art. 8.*

potentiſſimi laquei, adeò ubivìs, in agris, & hortis, in villis, & urbibus, in plateis, & ædibus, in foro, ac templo, nullôque non, etiam ſacratiſſimô, cùm locô, tum exercitio devotionis, ac pietatis, nequiter, latentérque parati ſunt, & conſtructi; ut, nusquàm ſecura jam innocentia ulla, venuſtas ulla, juventus ulla, gemat ubiquè: *in viâ hâc, quâ ambulabam, abſconderunt laqueum mihi*! Præmiſſæ per Oſeam ſunt minæ; ſed, an vanè minari, moneréque per eum voluit, offenſa juſtitia tua? *Audite, domus Iſraël; &, domus Regis, auſcultate! quia vobis judicium eſt. Quoniam laqueus facti eſtis, & rete expanſum, ſuper Thabor.* Super *Thabor*! ſatìs dixi: nec enim alia, jam in vulgus infamata, fœdísque elocata negotiis, & operibûs tenebrarum abſurdiſſimîs contaminata, nominare loca, hujus eſt loci; quô, non tam ganeas, quàm ganeones; non tam lupanaria, quam lupas; non tam proſtibula, quàm proſtitutores; non tam lenocinia, quàm lenas ipſas, ac lenones, leones veriùs, ac leænas, conſtringi, tollique judiciô divinô expoſco: quibus ſtudium aliud non eſt; quàm, quod per naturam, in ſe, jam effœtam, non valent, in alijs, & per alios, aſſiduè procurare; gaudiorum triſtiſſimorum, ac dulcium dolorum adminiſtri; quibûs, lethali cum vulnere, medicam ſæpè manum omnem ſuperante, tenera corda, cauta minùs, inficiunt, & conficiunt. *Magiſtros, & Architectos erroris*, Divus quidem Cyrillus, peſtiferum illud bipedum peripſema nuncupavit, humanô nimis, & multùm ab exceſſu criminis inferiore vocabulô. Dæmonis aucupes, emiſſarios Inferni, Tartari incendiarios, in Regnorum, Provinciarum, & Urbium, omnísque pietatis, & honeſtatis, religionis inſuper, ac publicæ, privatæque felicitatis deſolationem, cum ſpiritibûs humani generis inimicîs conjuratos qui non dixit, honorâſſe potiùs, quàm, accuſâſſe, vel criminatus fuiſſe, cenſendus eſt.

Pſalm. 141. v. 1. Oſeæ 5. v. 1.

S. Cyrill. in Cap. 5. Oſeæ.

X. Enim verò Criminis hujus enormitas, vix, quanta ſit, &, quàm Univerſo noxia ſit, humanô valet intellectu comprehendi, aut eloquiô exprimi, aut ſtylô circumſcribi. Quot matrimonia, ſinè jurgijs, dolorum, & odiorum expertia, vacuáque miſeriarum, & ærumnarum, ipsâ morte graviorum, plena verò, cùm divinæ benedictionis, tum ejus, quæ conſequitur, dulciſſimæ vitæ forent? ſi, rogis injectæ, conflagrarent hæ ſtriges; quæ, fovendis maritorum, malè flagrantium ardoribus, domi ſuæ, tam fœtida, quàm uncta mercede pinguî pabula nutriunt: ex quibus,

& inceſtibûs, & nefandîs omnibûs libidinum petulantium abominationibûs deteriorem, vindicis cujusquàm in hoc mundo tribunalis, juſtitiæque ſententiam?

IX. Tuum ergo, qui, idem ipſe es, *herì, & hodiè, &, antiquus dierum*! tuum, inquam, Crimen iſtud (nunquam non â tua juſtitiâ ſanctiſſimè condemnatum, & ſeveriſſimè vindicatum) nunc undequáque conſtrictum, jacet ante tribunal; totius Mundi, qui ſalutis habere partem cupit, &, â vitijs averſus, virtutem non amat ſolùm, ſed, ſalvam eſſe, firmámque cordibus in Chriſtianis exoptat, communî ſolatiô, non damnandum duntaxat, ſed, exterminandum etiam, penitúſque tollendum, & annihilandum. *Conſurge! conſurge! ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſæculorum. Nunquid non tu percuſſiſti ſuperbum? vulneráſti Draconem?* Sed, quæ tum, adeò ſeveræ percuſſionis, adeò profundæ vulnerationis, adeò profligatæ, nec, in æternum, revocandæ damnationis cauſa, culpa, irritansquè malitia fuit? *Caudâ trahebat tertiam partem ſtellarum*: ità pateſactum in Apocalypſi per eundem eſt; â quo fuerat idem, plurimorum interitûs auctor, nominatus, *homicida ab initio*. Cujus autem homicida fuiſſe credendus eſt, *ab initiô*? Non hoc ad primum hominem, ſed, ad eos, qui fuerant ab initio, ſocios videlicet ſupernæ felicitatis, Angelos, referendum eſt; quos, unà ſecum, induxit in culpam, & pœnam; in caſum, & interitum; in defectionem, ac damnationem. Igitur, homicida dicitur Diabolus; non, gladiô armatus, non, ferrô accinctus; ſed, *quòd fuerit aliis cauſa peccandi; non quidem cogens, ſed, quâdam quaſi exhortatione inducens*; utì Angelicus Aquinas explicuit. Hic autem, homicida Satanas, &, intoxicans Draco, vinculîs æternitatis, horrendè vindicis, conſtrictus eſt, pro ſuæ, blandè ſerpentis, nequitérque trahentis, peſtiferæ caudæ laqueîs; quibûs innocentes involvit, involutos traxit, tractósque, ſecum præcipites in gehennam adduxit Angelos, non coactos, *ſed, quâdam quaſi exhortatione*, inductos. Et patietur tua, ſemper eadem, ſanctiſſimáque Juſtitia, noſtrum in ſupplicium, (quod, cùm vivunt, accerſunt) & Angelorum, ac innocentûm adhuc plurium, (poſt jam innumeros perditos) æternum interitum, diutiùs adhuc impunes vivere, & imunes? ex quibus, ad omne flagitium, ſtupráque turpiſſima, commerciáque, nulli non ſtatui, ætatíque pernicioſa, & jugis *exhortatio*, & rete, pennatorum etiam oculis inſidioſum, & occultiſſimi juxtà, ac, ad perdendum po-

Hebr. 13. v. 8. *Daniel. 7. v. 9.* *Iſaiæ 51. v. 9.* *Apocal. 12. v. 4.* *Joann. 8. v. 44.* *S. Thom. 1. P. Q. 63. Art. 8.*

potentiſſimi laquei, adeò ubivis, in agris, & hortis, in villis, & urbibus, in plateis, & ædibus, in foro, ac templo, nullôque non, etiam ſacratiſſimô, cùm locô, tum exercitio devotionis, ac pietatis, nequiter, latentérque parati ſunt, & conſtructi; ut, nusquàm ſecura jam innocentia, ulla, venuſtas ulla, juventus ulla, gemat ubiquè: *in viâ hâc, quâ ambulabam, abſconderunt laqueum mihi!* Præmiſſæ per Oſeam ſunt minæ; ſed, an vanè minari, moneréque per eum voluit, offenſa juſtitia tua? *Audite, domus Iſraël; &, domus Regis, auſcultate! quia vobis judicium eſt. Quoniam laqueus facti eſtis, & rete expanſum, ſuper Thabor.* Super *Thabor*! ſatis dixi: nec enim alia, jam in vulgus infamata, fœdísque elocata negotiis, & operibûs tenebrarum abſurdiſſimîs contaminata, nominare loca, hujus eſt loci; quô, non tam ganeas, quàm ganeones; non tam lupanaria, quam lupas; non tam proſtibula, quàm proſtitutores; non tam lenocinia, quàm lenas ipſas, ac lenones, leones veriùs, ac leænas, conſtringi, tollíque judiciô divinô expoſco: quibus ſtudium aliud non eſt; quàm, quod per naturam, in ſe, jam effœtam, non valent, in alijs, & per alios, aſſiduè procurare; gaudiorum triſtiſſimorum, ac dulcium dolorum adminiſtri; quibûs, lethali cum vulnere, medicam ſæpè manum omnem ſuperante, tenera corda, cauta minùs, inficiunt, & conficiunt. *Magiſtros, & Architectos erroris*, Divus quidem Cyrillus, peſtiferum illud bipedum peripſema nuncupavit, humanô nimis, & multùm ab exceſſu criminis inferiore vocabulô. Dæmonis aucupes, emiſſarios Inferni, Tartari incendiarios, in Regnorum, Provinciarum, & Urbium, omnísque pietatis, & honeſtatis, religionis inſuper, ac publicæ, privatæque felicitatis deſolationem, cum ſpiritibûs humani generis inimicîs conjuratos qui non dixit, honorâſſe potiùs, quàm, accuſâſſe, vel criminatus fuiſſe, cenſendus eſt.

Pſalm. 141. v. 1. Oſeæ 5. v. 1.

S. Cyrill. in Cap. 5. Oſeæ.

X. Enim verò Criminis hujus enormitas, vix, quanta ſit, &, quàm Univerſo noxia ſit, humanô valet intellectu comprehendi, aut eloquiô exprimi, aut ſtylô circumſcribi. Quot matrimonia, ſinè jurgijs, dolorum, & odiorum expertia, vacuáque miſeriarum, & ærumnarum, ipsâ morte graviorum, plena verò, cùm divinæ benedictionis, tum ejus, quæ conſequitur, dulciſſimæ vitæ forent? ſi, rogis injectæ, conflagrarent hæ ſtriges; quæ, fovendis maritorum, malè flagrantium ardoribus, domi ſuæ, tam fœtida, quàm uncta mercede pinguî pabula nutriunt: ex quibus,

dum effervescit præposterus, languescit, & extinguitur sacer omnis, ac debitus amor conjugalis. Cur autem hæc adulteriorum irritamenta, non continuò, dæmonum ignitîs catenîs vincienda traduntur? ut furtivîs ignibûs, tædîsque tam fœtentibûs desinant succendere thalamos alienos, absterritæ futurorum incendiorum præsensione maturâ? Quot nuptæ parerent innocentiùs, absquè familiæ nævô, prosapiæ probrô, hæreditatis injuriâ, bonorúmque, non patriorum, usurpatione furtivâ? si sorores illæ, non sanguine, sed amorum conspiratione familiariùs cognitæ, cognatæque, Veneris olim castra, ejuratâ castitate, secutæ, stigmate patenter inustô, non ædibus tantùm exigerentur, sed, & urbe totâ; quæ primam amori flagitioso januam, & accessus periculosos aperiunt; atquè, ad sua tecta, dilectas, insidiarum omnium ignaras invitant, ludósque, cœnulásque, &, ad solitaria colloquia prædoni pudoris, non effugia tantùm opportuna, conclaviáque, turpem omnem in casum præparata, subornant; sed ipsa quoquè, concepta jam adulteria, vel abortiri docent; vel, si tam impiæ voluntati Deus obstat, eadem consiliîs, auxiliîsque, cùm dissimulare, tum & mentiri juvant, ac fovent. Quot filiæ, vigilante matrum curâ, sanctissimîs moribûs institutæ, non florê tantùm ætatis, verùm, & virtutũ omniũ, ac honestatis odorê, viciniá universam eximiè condecorantes, & suavissimè afflantes, ad connubialia sacra, torósque, nec de nomine notos, cum suîs innocenter dilectîs, castéque desponsîs, virgines adhuc, & integriores, quàm frequenter nunc evenire solet, convenirent? si famulæ, stipendiîs occultîs corruptæ, meretrices ipsæ, pessiméque de familia tota meritæ, dum procorum votis ancillantur, ad infamen columnam, per lictores attractæ, scopîs expiarentur carnificum; quæ, non per internuncia solùm obsequia, negotiatrices occultorum amorum, clàm parentibùs, agere præsumunt; sed, altâ quoquè noctê, secretos Amasijs aditus prodere, proditósque jam, & probatos, ex condicto referare, itáque furtivè admissos, excubiîs insuper officiosîs, audaciores, metûsque securos reddere, &, ad omnem deniquè turpitudinem, domûsque probrum cooperari, sæpiùs etiam obstetricante manû, non verentur. Quàm sanctæ demũ omnes ædes nostræ? quàm, tuîs ex legibûs, & præceptîs Evangelicîs compositæ, rectéque, christianèque formatæ, familiæ nostræ forent uni-

univerſæ ? ſi ſtuprorum iſtæ Conciliatrices, earúmque ſocij, libidinum Inſtitores, (qui omnî conſcientiâ profligatâ, metúque, tam divinorum, quàm humanorum judiciorum excuſſô, quidquid peſſimus, ab eorum perverſo jam ingenio, & infrunitâ mente Dæmon exigit, quàm impunè, tam impudenter, ùt aggredi, ſic & exequi tentant) illæ quidem, auribûs truncatæ, cœnoſis cloacarum purgandarum obſequijs, ipſæ, cloacîs omnibûs inquinatiores, ac ſordidiorès; illi verò, ad tranſtra, remósque, ſentinámque, fœtoribus jam aſſueti, ſub virgarum, fuſtiúmque dominatu mundandam, adſtringerentur. Jam verò pietas quoquè, non domeſtica tantùm noſtra, cujusvis, ſed, quôdam contagij vitiô, totius etiam Civitatis probitas, peſtiferîs eorum afflatibûs corrumpitur : dum, quæ ſunt obſequijs noſtris addictæ, vel amplioris pollicitatione mercedis, vel melioris oblatione victûs, vel eorũ, quæ corpori, vulgaris jam ad luxûs, vanitatísque formam exornando deſerviunt, liberalî promiſſione, vel futurarum etiam, ſi quæ ſciuntur in votis eſſe, ſponſione nuptiarum, invitantur, alliciuntur, attrahuntur, comprehenduntur, tandémque, velut per oſculum, amoris innocentis indicium, diſſimulatô, perdendæ innocentiæ, virginitatis, & honeſtatis conſiliô, deſperatum in mancipatum libidinoſæ tyrannidis, quoad vixerint ineluctabilis, rediguntur.

XI. Tantam verò noſtrorum temporum iniquitatem, *quá corrupta eſt terra, & repleta*, an ego, tuæ, mi DEUS! enormiter per eam læſæ, contemtæque Majeſtatis conſcius; injuriæ, per eam publico, privatóque decori irrogatæ, gnarus; corruptionis, per eam omnibus vitæ civilis ordinibus, irreparabiliter (niſi deſuper adſit cura, potentiáque validior) illatæ, magnô meô dolorê non neſcius, tuo non debui reum ſiſtere ſanctiſſimo tribunali ? aut, tuam non implorare vindicem, adverſûs eam, divinam juſtitiam, nobis omnibus formidandam; quamdiù tam fœda, nos inter, in cœlum vaporans uligo toleratur, fovetur, & augetur? Credo quidem, nec vanè perſuaſus; quòd pridem iſta, te Vindicem, querela poſtulaverit; ſed, occultîs duntaxat ſuſpiriîs, ac gemitibûs infelicium: cùm. vel gravida delituit, in angulo proſtibuli maledicti, ſerò pœnitens miſeria; vel, paternis â laribus profuga, ruſticos inter penates, cruciatibus maternis tantùm non immoriens, proditorem ſuum infelix puerpe- *Geneſ. 6. v. 11.*

ra damnatum exoptavit. Nunc autem, O tempora! O mores! non eſt paucorum ampliùs, aut latens hæc, privatáque querela. Vicinus vicino, Pater Compatri, familiæque Rector unius, quod alteri, pro conſilio, queſtûm venit, ab altero prior intelligit; &, vix aliud inter inquilinos, ac familiares confertur ſermone frequentiûs; quàm, quod nullô jam horrore, ſed uſu velut indultô, &, tantùm non arrogatô, ligatô tamen, vinctôque, patientis mariti jurê actitatur: dum liber ignotis, quò libet, & quoties, & quando lubet, horîs etiam ab aliena converſatione, per naturæ neceſſariam quietem, exemtîs, ingreſſus patet, & egreſſus; parantur concubiâ nocte convivia; riſus, cachinnique, vicinis ex conclavibus percipiuntur inconditi; nec, niſi Luciferô jam illuceſcente, tenebrarum contubernia diſſolvuntur: interim, legitimîs thalamîs, conjuge viduatîs; prolibûs, matrum vigilî curâ deſtitutîs; ædibûs, abſquè Domino, ſub dominiô libertorum, aut libertinorum, relictîs. Quid hoc, obſecro, monſtri, nec inter ethnicos, gentilésque, paganósque, ſinè capitis, vitæque diſcrimine memorandi? Quin, (quod referre perhorreſco) relatum tamen eſt: vocatas alacrioris genij filias, ad choreas; &, quæ velut oviculæ venerant, per naturam in laſciviam pronæ, paſcuis poſt ſaltum indulgentes, obſeratîs tandem, haræ potiùs, quàm ovilis oſtiîs, datô quaſi ſignô, petulcæ hircorum poteſtati traditas, relictásque fuiſſe ſic; ut, quod minimè metuerant, miſeræ demùm gemuerint revertentes: *Erravi! ſicut ovis, quæ perijt.* Aliúdne dicendum hoc, aut, ſentiendum ab eo? quod, in Proditore, ac Traditore Agni illius divini, qui tollit peccatum Mundi, Mundus univerſus condemnavit: *Qui tradidit illum, dedit illis ſignum, dicens: quemcúnque oſculatus fuero, ipſe eſt; tenete Eum!* Pſalm. 118. v. 176. Matth. 26. v. 48.

XII. Nec eſt autem hujus proditionis nequiſſimæ, traditionis flagitioſiſſimæ, perditionis crudeliſſimæ, par, ejuſdémque rationis, omnium Lenonum, Lenarúmque lenocinium, aut, ſtratagema commune; quô, concupiſcentiæ furori prædas aucupantur innocuas, devorandásque lucrantur. Sunt enim, & hujus incomparabilis malitiæ, non differentiæ tantùm, ſed gradus etiam; quibûs non tam aſcendunt, quàm, profundiùs ad inferna deſcendunt. Alij enim perditûm veniunt, *curioſiùs inquirendo*: quales illi, Davidis miſſi fuêre; de quibus Regum faſti memorant ſacri: *miſit Rex, & requiſivit* (per miſſos nimirum, con- 2. Regum. 11. v. 3. & 4.

cu-

cupitæ procuratores) *quæ eſſet mulier ? Miſsîs itaque David nunciîs* (quorum inquiſitione, mulieris, abſente virô, liber ſtatus innotuit) *tulit eam.* Alij, *laudando conciliant* : quod Holofernis milites, & Vagao, libidinum adminiſter, Eunuchus, in Judith tentârunt, blandâ ſuadentes, non tamen perſuadentes oratione : *cùm ſteteris in conſpectu Domini noſtri, benè tibi faciet ; &, eris gratiſſima in corde ejus. Non vereatur bona puella* (diſſimulatâ ſcilicet, maturioris jam ætatis, vel, agnitâ formâ, vel, acceptâ notitiâ) *introire ad Dominum meum ; ut honoretur antè faciē ejus.* Alij poſtremò ſunt ; qui, nec exploratô prædæ ſtatu, nec ſolicitatô, per illecebras, animô, quam oculîs, in omnẽ Venerem vertagorum inſtar excurrentibûs, tam ſalaciter, quàm ſagaciter odorati prælibârunt, retibûs â longè circumductîs includunt, &, ſi non raptam, captam tamen, invitámque adducunt : quod, in caſtiſſimam Abrahæ Conſortem auſi ſunt, Ægyptij Pharaonis prædones Venerei. *Viderunt Ægyptij mulierem ; quòd eſſet pulchra nimis ; & nunciárunt Principes Pharaoni ; & laudaverunt eam, apud illum : & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis.* Vigent adhuc, ejuſdem iniquitatis, & multifariæ perditionis ingenia : niſi, deteriora ſint forſan, hujus temporis, alienæ cupiditati devincta miniſteria ; quàm ulla ſuperior ætas, vel concepit, vel exhibuit ?

Judith. 10. v. 16. & 12. v. 12.

Geneſ. 12. v. 14. 15.

XIII. Scio quidem, â Jeremia, tuô quondam oraculô, ſempiterna Æquitas ! grandem illam impietatem, inſtar portenti, manifeſtatam fuiſſe : *Inventi ſunt, in populo meo, impij, inſidiantes, quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas, ad capiendos viros. Sicut decipulæ, plenæ avibus ; ſic domus eorum, plenæ dolô.* Decipulas hujuſmodi periculoſas, &, nequiſſimîs, allectricibûs avibûs repletas (quæ, plumîs, alîs, gutture, cantu, totôque niſu, corporum, & animorum, viros æquè, ac juvenes, & adoleſcentes, tranſeuntes allicere, traheréque, ſecúmque clauſos, captósq; aucupantur) quot, heu ! populi Chriſtiani domos, fraudibûs hîs, & illecebrîs inſtructas, hodiè accuſare debemus ? Etiamnùm (quod Michæas pridem doluit) *Vir, fratrem ſuum, ad mortem venatur.* Sunt etiam jam, deprehenſi *Diaboli venatores ; qui multos venantur, illaqueant, capiunt, & acquirunt Diabolo*, non quôvis, venatoribus omnibus communî, vulgarîque, ſed, eorum, qui perdicibus inſidiantur, ingeniô, ſuprà cæteros, nequiore. Perdix enim, vel unica, plurimîs alîs capiendîs, aptiſſima : *Vocem emiſit perdix, congregavit, quæ non peperit.* Inde docti perdicum venatores,

Mich. 7. v. 2.

Vincent. Bellovac. ſpec. Moral. p. 3. lib. 3. Diſt. 17.

Jerem. 17. v. 11.

Theodoret. cit. à Manſi, in Bibl.

Tom. 2. Tract. 27. Disc. 12. num. 1.

tores, captas manſuefaciunt; *& harum voce alias, ejuſdem generis, convocant; quæ*, uti memoratus inquit interpres, *concurrentes decidunt in caſſes.* Perdices manſuefactæ, Lenarúmque, Lenonúmque paſtu familiares jam redditæ, quantùm negotiantur, vocis, orisque blanditiîs, labiorúmque lenociniîs, in plurimorum, curioſitate captorum, interitum! Verè perdices! quia in perditionem innumerarum animarum inſtructæ.

XIV. Hanc autem perditionem, cùm non ſit vilis cujúsque rei, nec, temporanea ſolùm, ſed æterna perditio, animæ ſinè fine futuræ (cujus nullum eſt æquum, in rebus cunctis conditis pretium) quibûs jam verbîs, quibûs lamentîs, & incuſationibûs, &, quantæ ream damnationis arguam, redarguamque, nullôque commiſerationis, aut patrocinij ſuffragiô dignam convincam? Si Patrum è ſenſu poſtulanda ſententia? ſanè *Deteriores*, Iſidoro, *ſunt, qui vitam, morêsque bonorum corrumpunt, his; qui ſubſtantias aliorum, prædiáque diripiunt.* Quis autem hos, in Crucem agi, non minùs meritô cenſuit? Quis non rotâ digniſſimum, & membrorum contritione judicavit, alienæ vitæ, poſt fortunas jam ereptas, crudelem inſuper peremptorem? Plùs ultrà præſens Crimen dijudicavit Villanovanus Præſul, argumentatione factâ:

S. Iſidorus de ſumm. bon. Lib. 3. cap. 38.

S. Thom. de Villan. ſerm. de S. Michaële.

Si eripere pallium, vel tunicam alicujus, malum eſt; uxorem verò, pejus; & vitam, deterius: quantò omnium horum peſſimum eſt; ejus animam interficere? eam, æternîs ignibûs, perpetuò torrendam, adigere? Mallem centum homines corporaliter peremiſſe; quàm, unam animam, perpetuo incendio addidiſſe. Nunc autem adverſùs eos divina tua imploratur juſtitia; qui non unius, ſed plurimarum (quæ jam ardent, & ardebunt æternùm) animarum perditarum, ac damnatarum, ſe, reos eſſe, nec poſſunt negare, nec excuſare. Nam, *quantos quisquè per ſcandalum* (non ſolùm occaſione, ſed, quod exaggeratioris eſt malitiæ, voluntate, oblatione, inductione, procuratione, nutritionéque, ac, perpetuâ quaſi ſuſtentatione veneni, animæ interiora depaſcentis, datum) *deſtruxit; de tantis periculum damnationis incurrit*, Ephremi ſententiâ: *& quantis detrimento fuit, de tantis damna contraxit.* Hôc ſuper, in lacrymas effuſus aliquando S. Epiphanius, Hieronymo ſcripſit: *Audio, ad Occidentem quorundam hominum naufragia perveniſſe: qui non contenti perditione ſuâ, volunt plures mortis habere participes.*

S. Ephrem. adhort.

S. Epiphan. Epiſt. ad S. Hieronym.

XV. Tales homicidas, imò, animarum parricidas, innumeros toto tibi, vindex DEUS! ex Orbe ſiſto; qui *ſuâ perditione non contenti*, dum plures mortis habere participes, continuô ſtudiô, mo-

modîsque diverſiſſimîs quæſiverunt; quid aliud ipſi, niſi graviorẽ adverſùm ſe damnationem, â tua extorquere juſtitia voluerunt? Quæſivit aliquando Petrus Bleſenſis: *quàm execrabiliter damnabilis ſit, apud DEUM, & homines, Herodiana crudelitas; quæ parvos occidit? atquè malitia Pharaonis; quæ ſubmerſit parvulos Hebræorum? Et illi quidem, non animarum, ſed corporum homicidæ fuerunt. Quantò igitur deteſtabilius, non dicam homicidium, ſed parricidium eorum; qui tot innocentium animas occiderint?* Quâ ergo veniâ digni putabuntur, per tot aliorum perpetuam internecionem, effecti crudeliſſimi, ſuimet perditores, atque interemptores; quibus, quod alteri quondam â Stridonio Doctore, eum inſimulatione peracrî objectum, vehementiùs adhuc improperandum eſt: *ſi ſoli tibi damnum* (quisquis es) *feciſſes; erat quidem triſtitia; ſed, forſitan tolerabilis: nunc verò quantas animas ſauciáſti?* Quantas, & quot, ſauciatas peremiſti? perdidiſti? Diabolo ſubmiſiſti? Quid ſi (quod comminatione jam ſtatutum Evangelicâ novimus) nunc, propinquâ jam, per ſuperabundantiam delicti, conſummatione ſæculi, *mittet Filius hominis, Angelos ſuos; & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem; & mittent eos in caminum ignis?* Nunc præſens eſt, illa per Moyſen judicij determinata conditio: *ſi egreſſus ignis invenerit ſpicas, & comprehenderit acervos frugum, ſive, ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum, qui ignem ſuccenderit.* Quantus hic ignis eſt, & quantorum optimis frugibus, & ſpicis, & ſegetibus, in horrea Domini congerendis, illatorum incendiorum reus eſt? Nunquid igitur ab eodem etiam ſuccenſi damnum ignis exigetur? Tamen æternâ tuâ mente decretum eſt, O Arbiter immutabilis! *Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam; cecideritque bos, aut aſinus, in eam; reddet pretium jumentorum.* Et non poſtulabitur ſeveriſſimô judiciô pretium animarum; quibus capiendis, ex propoſito, deliberatâque voluntate, condictîsque operîs, ac ſtudiîs, negotioſè prorſus, inſtructæ ſunt ciſternæ fœtentes, ac cœnoſæ? foveæque profundæ, in caſus, & lapſus irreparabiles apertæ; quarum inexplebilis voragō barathrum ipſum avernale contingit? *Fovea* namquè *profunda, eſt meretrix.* Has igitur in foveas, proſtitutásque ciſternas, animarum ruinæ, perditionique patentes, non vindicabit juſtitia tua; poſtquàm abſorptæ jam, per illas, perpetuas ad flammas innumeræ animæ abierunt?

XV. Animas queror perditas! pretium illud ſanguinis infiniti, pretium ineffabile, incomparabile, & irreparabile! pretium, dico,

Petrus Bleſenſ. de Conſeſ. Sacram.

S. Hieron. ad Suſann. lapſam.

Matth. 13. v. 41.

Petr. Bleſ. de Conſ. ſacra.

Exod. 22. v. 6.

Exodi 21. v. 33.

Prov. 23. v. 27.

dico, divinum; quod olim, vel in ſola perdendi deliberatione poſitum, regij vatis ore, querelam illam tuam excitavit: quia *Pretium meum cogitaverunt repellere!* quod ſcilicet infinitîs meritîs, cruore divinô, vitæque illius voluntariâ poſitione comparatum eſt; cujus quodlibet momentum, omnium viventium vitam omnem, propter unitam Divinitatem exſuperat. Hoc ergo pretium ineffabile, pro ſingulis animabus oblatum, cogitatâ ſolùm perditione vel unius animæ, nedum procuratâ, vel in opus redactâ, ſi graviter offendit Bonitatem tuam? ſi meritîs inferni pœnîs dignos reddidit? quale ſupplicium decernendum in eos; per quos, centies, ac millies, pretium illud, iniquiſſimâ negotiatione repulſum, rejectum, corruptum, perditúmque fuit? Excedit hæc injuria, judice Bernardô, Judæorum, Judæque (quam tamen hucúsque, nemo ſatis exæquare, vel judicare pro gravitate potuit) inquitatem omnem. *Si Dominus*, ait ille, *pretiùm ſanguinis dedit, in pretium redemtionis animarum: non tibi videtur, graviorem ab eo ſuſtinere perſecutionem; qui, ſuggeſtione malâ, exemplô perniciosô, ſcandali occaſione, avertit ab eo animas, quas redemit; quàm ab illo, qui ſanguinem ejus fudit?* Illud enim, quisquis agit, non agit ignorans, non operatur cæcus: Chriſtianus eſt; & quid ſit paſſus Chriſtus; &, pro quibus ſanguinem, & vitam, & animam ſuam poſuerit paſſus, non neſcit. Deterior ergo judæîs omnibûs, & gentibûs eſt; ut, qui ſciens evacuat in illis, quas perdit, animabus, non ſolùm, quod in earum ſalutem, infinitâ liberalitate profuſum eſt; ſed, quidquid etiam, divinæ ſapientiæ inſcrutabilî conſiliô, ejuſdémque omnipotentiæ ineffabilî artificiô, in earundem felicitatem perfectum eſt: prout accuſatum olim â Davide fuit: *Quæ perfeciſti, deſtruxerunt.* An non tanta perditio, tam crudelis deſtructio, majorî digna reprehenſione; quàm fictum illud Alberti M. ſimulacrum hominis, laborê quidem, non operoſô minùs, quàm ingenioſô confectum, unô tamen impulſu pedis, ab ignaro latentis opificij Diſcipulo, D. Thomâ confractum? Doluit opus, tricenorum annorum ſtudiô, laboréque perfectum Albertus; in quo tamen, præter induſtriam, nihil perditum ampliùs: aſt in perditîs, deſtructîsque, divinâ Sapientiâ dirigente, & eâdem Omnipotentiâ operante perfectîs animabûs (*quas, Chriſtus, ut redimeret*, clamat mecum, S. Ambroſius, *crucifigi ſe permiſit*; totúmque ſuum, infiniti pretij ſanguinem, ad ultimam usquè guttam evacuatum impendit) heu! ſudores,

Pſalm. 61. v. 5.

S. Thom. 3. p. q. 46. Art. 3. ad 4.

S. Bernard. cit. apud Leonem â S. Laurent. Fer. 6. Domin. 1. Adv. n. 12.

Pſalm. 10. v. 3.

S. Ambroſ. in 1. Cor. 8. v. 11.

dores, & labores annorum triginta trium, ab ipſa DEI Sapientia, & Bonitate infinitâ collocati, ſimul omnes perditi, deſtructi, evacuatique ſunt!

XVI. Quid igitur ſpei ſuper eſſe poterit, ipſius perditæ redemtionis, ipſiúsque Redemtoris, graviſſimè, per lenocinia, tot animarum parricidia, offenſi, proditi, traditi, ſceleratiſſimè reis? An ijs Patrocinium, ex Advocato peccatorum, aliquod expectandum; qui, perditîs omnibûs, ad ſublevandas criminum deſperatorum Cauſas, ipſius Advocati ſuffragiîs, in ſemetipſos ejuſdem juſtitiam excitaverunt? *Advocatum habemus apud Patrem, JEſum Chriſtum*: ſed, eundem (quod ſinè cauſa non eſt adjectum) *Juſtum*! *Juſtum*! audîſtis? Et juſtus iſte non audiet animas, veſtrâ culpâ, jam ardentes in Inferno? & ibidem blaſphemas in DEUM, vindictam de vobis, poſtulantes â DEO? Non meminiſtis, ex Divo Cypriano, veſtræ non ſemel objectam fuiſſe pertinaciæ comminationem? *Non invenient in judicio Domini ullum ſolatium; qui fratribus peccandi fomitem miniſtrârunt.* Repuliſtis autem hæc, etiam ultrò vobis ingeſta: reſpuiſtis omne conſilium ſanum: deſpexiſtis minas omnes, vel ſacrîs etiam ab oraculîs, obſtinatæ veſtræ perverſitati ſalubriter concutiendæ, cùm opportunum adhuc erat, cordibus infrunitis ingeſtas. Experiri nunc igitur meruiſtis: terriculamenta Veritatis inania non fuiſſe: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*! Ad vos pertinet, in Scribas, & Phariſæos fulminis inſtar conjectum *Væ! quia claueditis Regnum cœlorum, antè homines.* *Vos enim non intratis; nec, introëuntes, ſinitis introire.* Vos tenet, arctéque ſtringit Apoſtolus: *peccantes in fratres, & , percutientes* non tantùm, ſed, & interficientes, *conſcientiam eorum infirmam*: quia *in Chriſtum peccatis.* Necdum adoratus in Mundo, qui pro ſalute Mundi, & animabûs â morte ſempiternâ ſervandîs, mori dignatus eſt, Crucifixus DEI fuit altiſſimi Filius: damnatus tamen jam tunc, cum totius domûs, & poſterorum omnium everſione, ſempiternâque extinctione Jeroboam fuerat, ob idola; quibûs, in edito collocatîs, â Domini cultu populum avocaverat: *Et propter hanc cauſam peccavit domus Jeroboam; & everſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ.* Dignum ſanè ſupplicium fuerit: ſi, ſuper lapidem, nec lapis relinquetur; neque ſeminis fuerit ulla venenati memoria ſuper terram, in illis angulis, ædibûsque proſtitutîs; in quibus, relictô DEI cultu, chriſtianæque religionis officiîs neglectîs, feſti dies, carnalibus in deſiderijs, Adonidi,

Matth. 18. v. 6.
Matth. 23. v. 13.
1. Corinth. 8. v. 12.
3. Reg. 13. v. 34.
Marci 12. v. 2.

1. Joann. 2. v. 1.

S. Cyprian. cit. apud Leonem. loc cit. num. 15.

di, Venerique ſacrilegè conſecrati periêre. Si divinâ Servatoris ipſius voce pronunciatum: *Matth. 18. v. 6.* *qui ſcandalizaverit unum, de puſillis iſtis, qui in me credunt; expedit ei; ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus; & demergatur in profundum maris?* Quò, quæſo, non unius tantùm ſcandalô perverſi, ſed plurimorum, â perverſione non ampliùs reverſorum, penitùs everſorum, & in profundum Inferni demerſorum rei, convicti, confitentes, nec etiamnum pœnitentes, quò? DEUS immenſe! quò, quam in abyſſum, quod in profundum, in quod barathrum demergendi? *Pſalm. 5. v. 11.* *Judica illos DEUS!* & *ſecundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos!* Nec enim eſt in hominum ſorte quisquam huic turpitudini non infenſus; nec erit, qui tam fœdæ, proculcatæque cauſæ fulciendæ, vel erigendæ, ſuffragium aliquod oblaturus eſt: cùm nemini perſpectum non ſit: *Vernulæus Inſtit. Polit. Lib. 3. Tit. 4. c. 9. n. 3.* *quòd naturam, & leges impugnat; qui in ſcelere patrocinium alicui præſtat.*

XVII. Verè, *neſcitis, cujas ſpiritûs eſtis. Nolite, antè tempus, judicare. Nolite omni ſpiritui credere: ſed, probate ſpiritus: ſi ex DEO ſunt. Nolite condemnare; &, non condemnabimini. Eâdem quippè menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur vobis. Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt: ut pereat unus de puſillis iſtis;* quorum, tanquam nihilum eſt omnis, peccatorum aggravatione contrita ſubſtantia. Vos ſecundùm hominem judicàtis: *Dominus autem intuetur cor.* Quot ſunt eorum, quos immodicus nunc Zelus, æternâ dignos, utì judicat, poſtulat etiam, oppreſſos cernere damnatione, futuri tamen olim, æternæ plurimis Magiſtri, Miniſtríque ſalutis? Non ergo, ſicut judicia DEI, ſic etiam longanimitatis ejus, & miſericordiæ, ſunt nota vobis arcana? Non audiviſtis: *Gladium* excubantis ad oſtium paradiſi Cherubim, etſi *flammeum*, itáque ſeveritatis indicem, *verſatilem* tamen, in ejus manu fuiſſe? manifeſtô jam tunc, primam poſt ruinam, indiciô miſericordiæ, peccantibus omnibus ad pœnitentiam reſervatæ. *Quòd*, nimirum, *ſententia divini judicij talis eſt; ut poſſit verſari: nec ſemper, eâdem diſtrictione, claudat hominibus aditum paradiſi.* Fuerint æternæ jam perditionis occaſio, causáque ſcandaloſa, patefactîs veluti foveîs in lapſum, & impulſibûs etiam præcipitio datîs, in profundum Inferni, non uni, ſed pluribus, idcircò, damnationis extremæ poſtulati: *Quæ* verò, (Pater dulciſſime! qui non vis mortem peccatoris) *utilitas in ſanguine meo?* dum, plurimîs jam æternùm perditîs, iſti quoquè deſcenderint, &, cum illis, ſanguis

Pſalm. 38. v. 6. *1. Regum. 16. v. 7.* *Geneſ. 3. v. 24.* *Rupertus. Lib. 3. in Geneſ. c. 32.* *Pſalm. 29. v. 10.*

guis meus in corruptionem? pro quibus tamen, captum, vinctúmque, in judicium, ac mortem abducendum, *tanqàm latronem*, nec, tam corporum, quàm ipſarum etiam animarum corruptorem, ac ſeductorem, iniquiſſimè condemnandum, ôſculo proditorio voluntariè me tradidi? Nunquid ego ſum, têmetipsô, per meum Præcurſorem, præmonſtrante, *Agnus DEI; qui tollit peccatum Mundi?* non illud ſolum, per quod *in malignopoſitus*, &, hæreditariô ſcandalô totus Mundus interijt; ſed, & *totius Mundi*: nullus ut pereat, etiam, per quem plures perierunt; ſed, ut omnis, qui credit in me, habeat vitam æternam?

Matth. 26. v. 55. *Matth. 27. v. 63.* *Joann. 1. v. 29.* *1. Joann. 5. v. 19.* *1. Joann. 2. v. 2.*

XVIII. Agite ergo, tantùm non jam condemnati: *Ecce, Agnus DEI! Ecce, qui tollit peccatum* illud Mundi; quod eſt ſcandalum Mundi. Dum ergo pro vobis, proditoriè traditus, abripitur in mortem; arripite ſalutis obviam cauſam; totôque contriti corde, ſuſpirate! clamate! conclamate: Agnus DEI, qui tollis peccata Mundi! parce! exaudi! miſerere nobis! per quos tot agni (pudet, eheu! meminiſſe! pœnitet, proh dolor! feciſſe!) jam hœdis aſſociati ſunt in Inferno!

Joann. 1. v. 29.

FERIA VI.

POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ.

SERMO OCTAVUS.

Proponitur, clauſô Forô I. Juſtitiæ Divinæ, ſeu, Hortô Gethſemani, JUSTITIUM PRIMUM.

In quo, dum reſpirat, â periculis vindicatus,
Gratus, pro vindicijs, Homo Maleficus,
Advocato ſuo Divino, conſolatoriam parat Recognitionem,
In ejus, quam, paſſus pro nobis, exigit â nobis,
Et acceptiſſimam eſſe ſibi, teſtatus eſt,
Paſſionis, pro nobis toleratæ, memoriâ devotâ.

Commemoratio I. Dolorum omnium Summaria;

Quos, in Horto Gethſemani, uſquè ad vincula, & Comprehenſionem,
Cauſis hominis malefici, vindicandis, intentus,
Advocatus Peccatorum ſuſtinuit.

Teſſera.

di, Venerique ſacrilegè conſecrati periêre. Si divinâ Servatoris ipſius voce pronunciatum: *qui ſcandalizaverit unum, de puſillis iſtis, qui in me credunt; expedit ei; ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus; & demergatur in profundum maris?* Quò, quæſo, non unius tantùm ſcandalô perverſi, ſed plurimorum, â perverſione non ampliùs reverſorum, penitùs everſorum, & in profundum Inferni demerſorum rei, convicti, confitentes, nec etiamnum pœnitentes, quò? DEUS immenſe! quò, quam in abyſſum, quod in profundum, in quod barathrum demergendi? *Judica illos DEUS!* &, *ſecundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos!* Nec enim eſt in hominum ſorte quisquam huic turpitudini non infenſus; nec erit, qui tam fœdæ, proculcatæque cauſæ fulciendæ, vel erigendæ, ſuffragium aliquod oblaturus eſt: cùm nemini perſpectum non ſit: *quòd naturam, & leges impugnat; qui in ſcelere patrocinium alicui præſtat.*

Matth. 18. v. 6.

Pſalm. 5. v. 11.

Vernulæus Inſtit. Polit. Lib. 3. Tit. 4. c. 9. n. 3.

XVII. Verè, *neſcitis, cujas ſpiritûs eſtis. Nolite, antè tempus, judicare. Nolite omni ſpiritui credere: ſed, probate ſpiritus: ſi ex DEO ſunt. Nolite condemnare; &, non condemnabimini. Eâdem quippè menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur vobis. Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt: ut pereat unus de puſillis iſtis;* quorum, tanquam nihilum eſt omnis, peccatorum aggravatione contrita ſubſtantia. Vos ſecundùm hominem judicàtis: *Dominus autem intuetur cor.* Quot ſunt eorum, quos immodicus nunc Zelus, æternâ dignos, utì judicat, poſtulat etiam, oppreſſos cernere damnatione, futuri tamen olim, æternæ plurimis Magiſtri, Miniſtríque ſalutis? Non ergo, ſicut judicia DEI, ſic etiam longanimitatis ejus, & miſericordiæ, ſunt nota vobis arcana? Non audiviſtis: *Gladium* excubantis ad oſtium paradiſi Cherubim, etſi *flammeum*, itáque ſeveritatis indicem, *verſatilem* tamen, in ejus manu fuiſſe? manifeſtô jam tunc, primam poſt ruinam, indiciô miſericordiæ, peccantibus omnibus ad pœnitentiam reſervatæ. *Quòd*, nimirum, *ſententia divini judicij talis eſt; ut poſſit verſari: nec ſemper, eâdem diſtrictione, claudat hominibus aditum paradiſi.* Fuerint æternæ jam perditionis occaſio, causáque ſcandaloſa, patefactîs veluti foveîs in lapſum, & impulſibûs etiam præcipitio datîs, in profundum Inferni, non uni, ſed pluribus, idcircò, damnationis extremæ poſtulati: *Quæ* verò, (Pater dulciſſime! qui non vis mortem peccatoris) *utilitas in ſanguine meo?* dum, plurimîs jam æternùm perditîs, iſti quoquè deſcenderint, &, cum illis, ſanguis

Pſalm. 38. v. 6.

1. Regum. 16. v. 7.

Geneſ. 3. v. 24.

Rupertus. Lib. 3. in Geneſ. c. 31.

Pſalm. 29. v. 10.

guis meus in corruptionem? pro quibus tamen, captum, vinctúmque, in judicium, ac mortem abducendum, *tanqàm latronem*, nec, tam corporum, quàm ipſarum etiam animarum corruptorem, ac ſeductorem, iniquiſſimè condemnandum, ósculo proditorio voluntariè me tradidi? Nunquid ego ſum, têmetipsô, per meum Præcurſorem, præmonſtrante, *Agnus DEI; qui tollit peccatum Mundi?* non illud ſolum, per quod *in malignopoſitus*, &, hæreditariô ſcandalô totus Mundus interijt; ſed, & *totius Mundi*: nullus ut pereat, etiam, per quem plures perierunt; ſed, ut omnis, qui credit in me, habeat vitam æternam?

Matth. 26. v. 55. *Matth. 27. v. 63.* *Joann. 1. v. 29.* *1. Joann. 5. v. 19.* *1. Joann. 2. v. 2.*

XVIII. Agite ergo, tantùm non jam condemnati: *Ecce, Agnus DEI! Ecce, qui tollit peccatum* illud Mundi; quod eſt ſcandalum Mundi. Dum ergo pro vobis, proditoriè traditus, abripitur in mortem; arripite ſalutis obviam cauſam; totôque contriti corde, ſuſpirate! clamate! conclamate: Agnus DEI, qui tollis peccata Mundi! parce! exaudi! miſerere nobis! per quos tot agni (pudet, eheu! meminiſſe! pœnitet, proh dolor! feciſſe!) jam hœdis aſſociati ſunt in Inferno!

Joann. 1. v. 29.

FERIA VI.

POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMÆ.

SERMO OCTAVUS.

Proponitur, clauſô Forô I. Juſtitiæ Divinæ, ſeu, Hortô Gethſemani, JUSTITIUM PRIMUM.

In quo, dum reſpirat, â periculis vindicatus,
Gratus, pro vindicijs, Homo Maleficus,
Advocato ſuo Divino, conſolatoriam parat Recognitionem,
In ejus, quam, paſſus pro nobis, exigit â nobis,
Et acceptiſſimam eſſe ſibi, teſtatus eſt,
Paſſionis, pro nobis toleratæ, memoriâ devotâ.

Commemoratio I. Dolorum omnium Summaria;

Quos, in Horto Gethſemani, uſquè ad vincula, & Comprehenſionem,
Cauſis hominis malefici, vindicandis, intentus,
Advocatus Peccatorum ſuſtinuit.

Teſſera.

Tessera. Gratiam Fidejussoris non obliviscaris: dedit enim, pro te, Animam suam. *Eccli. 29. vers. 20.*

I. QUamvìs ab omni tribunalium humanorum usu, divinæ justitiæ differat institutum, suâ tantùm, &, æternâ quidem, legê subsistens; quâ, temporum varietatibus, pro vicissitudine rerum contingentium, nullâtenùs alligata, nec ad remittendum suspenditur, nec ad intendendum constringitur: sed, utì nunquam esse cessat justitia, sic, perpetuô judiciô, vel peccatores, commerita decernendo supplicia, damnat; vel justos, pro benefactis, ad præmia superna evocando remunerat; utì Salvianus pronunciavit: *sicut DEUS est semper; sic justitia DEI semper.* Quia tamen, ejusdem benignissimâ dispensatione, licitum nobis est, ejus de longanimitate confidere: non quidem; ut expectationis persuasæ solatium peccandi præsumtionem relaxet; sed, ut, per fiduciam pietatis, â districtæ severitatis horrore dimissus aliquantùm animus, &, beneficia miserantis jam accepta recogitet; &, quibûs obsequiîs, eadem in se conservare debeat, gratitudinis perpetuandæ solicitus indagator expendat: visum est, his de causis, post Actiones, terrificâ peccatorum redargutione, plures jam continuatas, &, Advocati Servatoris efficacî pro miseris allegatione vindicatas (cùm dies nunc sint salutis, &, indictô quidem, judiciô Mundi, simul tamen conjunctum sit acceptabile tempus) primum Forum justitiæ divinæ claudere; itáque, cunctîs temporis hujus sextîs feriîs, *Justitium* instituere, vacuum Actione, congruum Devotioni, debitum Advocato; quô, remissam excitare voluntatem, flere commissam iniquitatem, propitiare divinam pietatem, conciliare Servatoris infinitam charitatem valeant universi; tam, qui conscientiâ criminum necdum delatorum adhuc sunt gravati, quàm, qui jam excussorum propitiatione relevati gaudent.

Salv. l. 12. de Guber.

II. *Justitium, quasi juris statio dicitur*; vel, dicendi juris, causarúmque tractandarum intermissio, tam sacrîs canonibûs, quàm civilibûs constitutionibûs, justis ex causis, certîsque diebûs præcepta. Sic enim, hebdomadâ de sanctâ, sacer Canon est: *Omnis judicialis strepitus conquiescat; nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat.* Idem

Calepinus v. Justitium.

C. Conquestus. extravag. de Feriis.

Idem ex Theodosiano refert codice Sanctus Chrysostomus, ævô suô, sacro-sanctũ fuisse: *Imperatores nostri vacationem Civitatum Magistratibus concedunt; ut liberi iîs curîs, omnes istos dies in spirituali cultu absumant: ideò & tribunalium januas occluserunt.* Imò, magnus ille gregis Christiani Zorobabel, Constantinus Imperator, simul, atquè sacra nostra complexus, ornandis illis animum adjecisset, legem tulit: *ut, diê Veneris* (quôvis, anni totius) *omnes, â judicijs dandis, & aliîs obeundis negotiîs vacarent: utpotè, in quo Dominus Cruci suffixus fuerat.* Idem ergo placuit avitæ pietatis institutum, sextîs omnibûs hujus devoti temporis feriîs, hôc imitari consiliô: ut, qui superioribûs diebûs, gravissimîs accusationibûs Actorum, adversûs crimina, vindictam supernam, & extremas pœnas postulantium conterriti, ac tantùm non contriti penitùs, suas ab interitu causas, Advocati divini solicitô non minùs, quàm efficacî adjutoriô assertas, experti sunt; quid suæ jam intersit gratitudinis, &, vindicatæ salutis ineffabile beneficium ex debitæ retributionis officio postulet, expensîs laborum ejus, ac dolorum infinitîs impendiîs, acuratiùs, utpotè extrà terrorem judicialium Actionum positi, nunc, recogitando decernant.

S. Chrysost. Homil. in Hebdom. sanctâ.

Hadrian. Lyræus de Imit. Chr. Pat. lib. 5. Cap. 9. fol. 328. D, 2.

III. Me quidem quod attinet, ex æquo videor mihi Davidicum illud assecutus: *justitiam tuam non abscondi in corde meo. Veritatem tuam, & salutare tuum dixi.* Nec enim, quantùm assequi per conscientiam possum, eorum quicquam â me prætermissum invenio; quô divinæ justitiæ formidanda severitas, & vindictæ supernæ rigor agnosci potuerit ab excæcatis, &, efficaciter etiam ab induratis, cum totius inveteratæ malitiæ convulsione, contritionéque sentiri. *Justitiam* itaquè *tuam, non abscondi in corde meo.* Nequè parata derisoribus judicia, gravissimáque, tam veteris, quàm novæ legis tabulîs expressa peccatorum supplicia, vel affectatâ dissimulatione præterij, vel studiosâ mitigatione diminui; sed *Veritatem tuam dixi*: non eô tamen ardore; qui fulminis instar, cùm terret, ferit simul, ac perimit; sed qui cum fulgure, dum coruscat, percellit, & secuturæ mox aëris moderationi præfulget. Ità nimirum *Veritatem tuam* simul, *& salutare tuum dixi.* Veritas quippè, quæ divina, quæ Christi veritas est, ità terret, ingerendo justitiam; ut non absterreat, retinendo salutem: nec spiritu Veritatis desuper animatos David censuit eos; qui solùm *virtutem terribilium tuorum dicent*; sed, qui simul etiam *memoriam suavitatis tuæ eructabunt.* Non enim *factus est nobis â DEO*

Psalm. 39. v. 11.

Psalm. 144. v. 6.

1. Corinth. 1. v. 30.

DEO, Christus, justitia duntaxat; verùm, *& Sanctificatio, & Redemtio.* Quidquid igitur in spem salutis, erigendæ scelerum immanissimorum desperationi, jam inclinatæ, de Servatoris infinitâ pietate suggerere potui, propositîs ejus, quæ voluit nostrâ pro salute pati, tormentîs (cùm *salutare tuum dixi*) tanquam fidelis dispensator impendi. Quô quidem arbitror, indubiè persuasum omnibus magnæ consolationis argumentum; unde, perceptîs, ab Advocato divino prolatîs, causarum, etiam iniquissimarum patrociniîs, cognitâque gravissimi aversione periculi, de beneficio pariter indepto lætentur confitentes: *Nisi, quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitásset in Inferno anima mea.* Imò, securè jam nemo non, cum Claræ-vallis Abbate, suæ liberiùs nunc respiranti dicet animæ: *JESUM tibi dedit Mediatorem: quid non, apud talem Patrem, talis filius obtineat? Exaudietur utiquè pro reverentia sua.* Secùs fieri nequivit. Nam, si, cùm ipse dixit, facta sunt omnia, quæ sunt; quoniam ipse Verbum est, per quod facta sunt omnia: concipi nequaquàm potest: ut Omnipotens istud æternæ Sapientiæ Verbum, non eâdem ad reparandum sit, quâ fuit ad creandum, virtute; minùsque sit efficax, Patri loquendo factîs, quæ pro nostrâ dignatus est operari salute; quàm, cùm *voci suæ dedit vocem virtutis*, imperando ventis, & mari. *Psalm. 67. v. 34.*

IV. Ne verò tantis pro solatijs, in crimen aliud, ingratæ videlicet memoriæ, ipse nos aliquandp vocet; qui nunc saluti se nostræ totum impendit, suimet ipsius penè prodigus Advocatus; illud, antè omnia videtur, cum ipsa beneficiorum gratulabundâ recordatione, solicitô simul animô deliberandum: *Quid retribuam Domino?* Nec enim alienum est â Causarum Patronis; imò, jurê *licitum, atquè permissum Advocatis: pro operâ Advocationis, & patrociniô, salarium exigere, atquè recipere*; quod, convenientiùs, aut honorarium, aut palmarium, aut solarium, â solandô*, prout J. C. volunt, appellandum esset. Debitum quippè natura censet beneficijs gratuitis: ut gratum experiatur, vitæ, bonorúmque cunctorum assertor eum; cujus, nisi per ipsum, nec vita, nec fama, nec aliud quicquam hujus vitæ stetisset incolume. *Ingratus namquè beneficiô se indignum reddere dicitur: tollit enim naturæ debitum.** Cùm igitur in Actionibus, temporanea pro salute prosperè, felicitérque confectis, ad solatium, Patrono retribuendum, involuta quædam obligatio videatur; quis exaggerare satìs poterit obstrictum infinitîs rationibûs, *Psalm. 115. v. 12.*

L. unica. C. de suffr. l. 1. §. in honorar. 10.

** Lauterbach. de palm. advocat. Ayrer. fol. 21. p. 1. c. 1. obs. 7. n. 7.*

Tot. tit. C. de Ingra. lib. 28. l. omnimodò 30. Cod. de inoff. testam.

** §. hoc autem, quod plus. Nov. 22. de Nupt.*

Psalm. 93. v. 17.

S. Bernard. Serm. in Nat. B. V.

Psalm. 32. v. 9.

nibûs,

nibûs, aggravatúmque debitum noſtrum, ergà illum; qui, cauſas omnes noſtras, non in charta, ſed virginei ſui corporis tenerrimâ membranâ; non atramentô, ſed pretioſiſſimâ rubricâ ſui cruoris, Patri ſuo, ſumtibûs non minùs, quàm ſudoribûs, & laboribûs immensîs exaratas obtulit? &, ex utróque jure, tam ſpirituali, ſuæ ſcilicet Animæ, ſive ſpiritûs ad uſquè mortem afflicti; quàm externô, corporalíque, corporis nimirum innocentiſſimi, vulnere ſuper vulnus crudeliſſimè dilacerati validiſſimîs allegationibûs firmatas corroboravit? Quid enim, qualescúnque Legum citationes (etſi Pandectæ ſolæ, earum 9198; Codex verò, 4554. Novellæ quoquè, præter Gloſſarum adjecta, contineant centenas, & octo, ſupra ſexagenas) quid inquam hæ, tam numeroſæ, pro Cauſa forſan vulnerata congeſtæ legum citationes omnes, in favorem etiam, ingeniô patrocinante, contra ſuum quoquè ſenſum contortæ, & ad ſerviendum coactæ, cenſendæ tamen ſunt, ad ea; quæ, Causîs maleficorum aſſerendîs, divinus Orator, ex utrôque ſuô jure, tam internorum, quàm externorum Dolorum allegavit? Nam, ex illis duntaxat guttîs, quæ in ploratu lethalis Agoniæ totius Corporis membrîs omnibûs, utì Bernardus ajebat, quaſi collacrymantibûs profuſæ ſunt, computavit Hugo numerum, 62200. Cruoris verò ſtillas, anguſtatô ſpiritu ſudatas, ex eodem Hugone nonnemo numeravit, nonagies ſepties mille, cum quinis, ſupra trecentas. Gemituum autem, ac ſuſpiriorum, profuſioni jam dictæ conjunctas interpunctiones, non eſt, qui calculum ſcribere, vel numerum audeat effari; dum ex Apoſtoli tabulis conſtat: quòd *poſtulat pro nobis gemitibûs inenarrabilibûs.* Juſtum ergo, debitúmque cenſui, commonere veſtram dilectionem Syracidis præmemoratô conſilio: *Gratiam Fidejuſſoris ne oblivîſcaris: dedit enim, pro te, animam ſuam;* primùm in dolores, eósque, juxta menſuram amoris, velut immenſos, & infinitos, cunctîsque præſentis vitæ doloribûs acriores: ſecundùm hos autem, etiam in mortem, dedit eandem animam ſuam dilectam; quâ charitate, ſolis licèt amicis exhibitâ, nunquàm inter homines, excogitari major ulla potuit, aut inveniri.

Juſtit. Vulner. p. 2. Tit. 2, c. 2.

S. Bernard. Serm. 3. in Dom. Pal.
Hugo cit. à Mancin. Lib. 1. Diſſert. 2. fol. 46.
ibid. fol. 39.
Roman. 8. v. 26.
Eccli. 29. v. 20.
Joann. 15. v. 13.

V. Quamvis autem legalibûs inſtitutîs præſcriptum ſit: *Salaria ad facundiam Advocatorum ſunt computanda, nec imminuenda*: non id veſtram, ex conſcio ſufficientiæ defectu, ſolicitudine nimiâ vel gravare, vel deprimere debet piam voluntatem: cùm ſit omnis noſtra,

L. 1. §. 10. de Extraor. Cognit.
Pſalm. 8. v. 6.

noſtra, tanquàm nihilum, coram eo, collata quamvis ex univerſo, ſubſtantia. Igitur, dum gratitudinis exigitur officium, gratæque retributionis pro gratia debitum; minùs nihil cogitandum eſt; quàm, expectari veſtro ab Advocato eorum quidpiam, quæ vos circumſtant; aut, quæ ſunt præter, vel, extra vos. Non ille de ſacculis quicquam veſtris exoptat, eorum ex voto; *qui cauſas quærunt; ut litigantibus, plùs, quàm totum auferant: ex quo, major eſt expenſarum ſumtus, quàm, ſententiæ fructus: nec terminant negotia, quoúsque marſupia ſunt evacuata:* quos, *Corvos fori*, Lipſius; *togatos vultures*, Caſſiodorus; *accipitres pecuniæ*, Plato; Seneca, *venale genus*; Bartolus, *Curiarum canes, ac devoratores*, &, pro lucro modico, *calumniæ patronos*, ac, *Diaboli Oratores*, Nyſſenus Præſul congruâ prorſus appellatione notavit. Infamia ſunt hæc, ipſis in tribunalibus, criminum arbitrîs, ac vindicîbûs, iniquitatum, & criminum ſeveriſſime punierdorum Commercia. Nihil ſuis â clientibus, præter ipſos, & minimum quidem eorum, pro totô ſê, cunctis impenſô, Chriſtus flagitat, exigit, expectat. Cor unicum, dolorum ejus omnium, in horto Gethſemani, & Oliveti monte ſuſceptorum, piæ commemorationi devotum, vel, unicam tantùm lacrymæ ſtillam, pro cruentâ ſudoris, ibidem corpore totô profuſi pluviâ reddens, in ſummum laborum ſuorum ſolatium, dulciſſimámque retributionem depoſcit. Ità, per B. Veronicam, votum ipſe ſuum inſinuavit: *Intellige, filia mea: lacrymas, Paſſionis meæ gratiâ, â mediantibus manantes, mihi quàm gratiſſimas fore.* Nec eſt quicquam, quod pretium hujus compenſationis, ex hominum forſan arbitrio, ſecùs cenſente, dubium reddat. Quantum enim, Deô trutinantê, lacrymis pondus inſit, ille didicit; qui ſupremi numinis in oculis, ingentî gaudiô, ſuas ipſe lacrymas deprehendit. Non mirum; exinde definitum ab Auguſtino fuiſſe: *Nihil tam ſalutiferum nobis; quàm, cogitare: quanta pro nobis pertulit DEUS homo.* Non mirum; â Saxone Ludolpho pronunciatum, velut acceptum ex Oraculo fuiſſe: *Si quis, dolores* Chriſti *revolvendo, lacrymas ex compaſſione effuderit; tanti ponderis, ac momensi, apud Deum, erunt; ac ſi Martyr, inter ſupplicia, eas profunderet.* Non mirum deniquè; deciſum â Bernardino, non ex tripode fictâ, ſed exploratâ divinâ ſtaterâ: quòd *magis meretur, vel unam ſolam lacrymam emittens, ob memoriam Paſſionis Chriſti; quàm, ſi usquè ad terram promiſſionis peregrinaretur.*

Innocent. Lib. 6. de vil. condit. hum.

Lipſius. Civil. doctr. l. 2. c. 11. Caſſiodor. in Pſal. 73. Plato, apud Vernul. polit. p. 282. Nyſſen. Orat. de S. Stephano.

Bolland. 13. Jan. fol. 802.

Pſalm. 55. v. 9.

S. Auguſt. Serm. 23. ad FF. in Eremo.

Ludolph. de Saxon. Cap. 59. de Paſſ.

Bernard. de Buſto Serm. 15. Fer. 6. Paraſceves.

VI. Eritne tamen hoc, tam Domino pretioſum, tam homini,

ni, leviſſimîs aliàs, imô rebûs etiam indigniſſimîs ubertim deplorandîs familiare, poſtulatum ab eo devotæ compenſationis tributum, tanquàm impetratu difficile, multîs adhuc urgendum? *Heu me!* videor audire mihi, non tam voces, quàm, dirumpendi cordis, in fletus jam eliquati, vota: *Heu me! cur adeò ferreum, ac lapideum cor habeo; quod compaſſione, & dolore, non ſcinditur?* Progreditur in hortum Gethſemani, pridem illuc ſupplici vocatus â ſponſa, quaſi delicias guſtui præparatas oblatô ſibi fructu percepturus: *Comedat fructum pomorum ſuorum?* Fructum! heu! cujus lethiferâ deguſtatione vitiatus homo primus, virulentum humorem totus attraxerat, moriturus penitùs; niſi, venenô tranſumtô, mali malè comeſi malitiam, cruentô membrorum ſuorum omnium ſudore digerendam, dilectio Servatoris aſſumſiſſet. An hoc ſinè lacrymis cogitari poteſt? Non potuit ſanè ab eo; qui, memor illius, exclamavit: *O bone JESU! mori nos debuimus; & tu ſolvis! nos peccavimus: & tu luis!* Progreditur ad conſueta montis Oliveti paſcua, qui peccata Mundi venit expiaturus, Agnus DEI: dum Canes multi, vellus innocuum dilaceraturi dentibûs, adſunt; & Laniones immites, deſtinatæ mortis ictum illaturi jugulo, cultrum exacuunt. An hoc, victimæ liberatus periculô, ſiccîs poterit oculîs intueri? Non potuit; qui, conſcius amoris hujus, tam arcani, tam benevoli, tam liberalis, totus eſſe voluit oculus: ut in lacrymas totus diffluere, debitum ſcilicet amoris tributum, poſſet, non ſolùm adhortans alios: *Reddamus amorem, pro debito!* ſed ſibimet comminans: *Væ mihi! ſi non dilexero!* Si ſuum ſpectâſſet Sara Mater, Iſaac unigenitum, immolandum in montem abduci: num illa lacrymis peperciſſet; etſi cum his, ipſa quoquè fundenda ei vita fuiſſet? Vidit è domo ſua, quamvis Angelico ductui, fidelique cuſtodiæ providè commiſſum, in longinqua diſcedere filium, Anna Mater, Tobiam; &, licèt nullius conſcia, ſolâ tantùm formidati periculi ſuſpicione, *cæpit flere*; totúmque lucrum, pro dilecti diſcrimine, deteſtari; potius exiſtimans, videre filium; quàm, totius habere Mundi compendium. Quâ mentis conſternatione? quâ vultûs confuſione? quâ geminorum luminum ſuffuſione, ſuum in excidium, obviam properare filiam, Victor hoſtium, & quôvis aliô major, fortiórque luctu, Jephte conſpexit, veſtimentîs quidem diſcinſîs, exclamans: *Heu me!* ſed, ipſe tantùm non victimæ futuræ præmortuus?

Landſperg. in Thren. Deip. prec. 7.

Cant. 5. v. 1.

S. Bernard. in Serm. quodlib.

S. Ambroſ. in Lucam.

Geneſ. 22. v. 3.

Tobiæ 5. v. 24.

Judic. 11. v. 35.

VII. Quis verò doloris, ex amore, ſenſus, univerſâ Davidis aulam ſauciavit, unúmque cum Rege miniſtrorum cor in profluentem luctum diſſolvit? quando rebelli cedere filio coactus pater, ipſe, cum exigua fidelium cohorte, relictâ regiâ, deſertâ urbe, trepidante potentiâ, coronâ labente, ſceptrô nutante, pedibûs nudîs, oculîs udîs, miſeriam ſuam, aut levaturus lacrymîs, aut extincturus, in eundem olivarum clivum ſe recepit? Nemo tunc omnium unus expers doloris, fletûsque repertus eſt: *David aſcendebat clivum olivarum, ſcandens, & flens; nudîs pedibûs incedens, & opertô capitê: ſed & omnis populus, qui erat cum eo, opertô capitê, aſcendebat plorans.* Nemo non plorans, egrediente Solymœô Rege in montem oliveti. Quî ſit ergo, vel unicus, absquè lacrymîs, intuitu ſummi Regis, eundem in clivum progreſſi? dum non ignoramus; quis ille? &, cujus amore? &, quantum in diſcrimen? &, quos in dolores? &, quales in angores? &, quàm cruentam in luctam ſeſe mortis conjecerit?

2. Regum. 15. v. 30.

VIII. Deriſit aliquando cæcum, Reginæ Lydorum Omphales amatorem, ſatyricîs explosum ſannis Herculem, eidem exprobrando, quærens Tragœdus: *Fortem vocemus, cujus ex humeris leo, donum puellæ fa-*

Seneca in Hercule Fur.

ctus, & clava excidit? fulſitque pictum, veſte ſidoniâ, latus? Indignatus nimirum erat: adeò, vel unius Omphales amorê, portentum illud fortitudinis inauditæ, capi potuiſſe, decipíque; ut, clavâ cum ſuâ, leonis etiam exuvias, & inſigne totum robur ſuum, ſéque inſuper ipſum unius amatæ votis, nutibus, & obſequijs addixerit, Herculem exutus, imbecillem verò, debilémque, ac infirmam Omphalen indutus, ità; ut fuerint *Herculeô ſuſpenſa monilia collô, cui quondam cœlum ſarcina parva fuit.* Dignum hoc riſu, non paucorum autem etiam lacrymîs viſum eſt. Quid verò pietas noſtra concipiet, illum videns; qui cœli, terræque molem, tribûs digitîs, & movet, & firmat, *portans omnia verbô virtutis ſuæ*, noſtrâ dejectum infirmitatê, noſtrô trepidum pavore, noſtrâ mœrentem triſtitiâ: ſuâ verò virtute, ſuâ fortitudine, ſuâ nos lætitiâ exhilarantem? Non poteſt amor iſte, niſi collacrymando Divi Chryſologi verbis, expendi: *Venit Chriſtus ſuſcipere infirmitates noſtras; &, ſuas nobis conferre virtutes: humana quærere; præſtare divina: accipere injurias; reddere dignitates: ferre tædia, referre ſanitates.* Non hoc majus eſt? quàm; Herculem, robúrque diſſimulare; &, Omphalen debilem ſimilare? Quodſi cor induratum tantus amor non diſſolvit?

Ovid. Epiſt. 9.

Iſaiæ 40. v. 12.

Hebr. 1. v. 3.

S. Petr. Chryſol.

vit? tanta benignitas non emollit? tanta non eliquat exinanitio profuſæ charitatis? illud modò, quod noſtræ firmandæ ſaluti ſolicitus ejuſdem Vindex hôc aſſumpſit locô, revolvamus.

Valer. Max. Lib. 5. c. 6. Aſt, ſi famoſus Athenienſium Dux ille, nunquàm ſinè lacrymis nec memoriæ potuit hominum occurere, nec oculis, etiam in ſcena, ludôque tantùm perſonatô ſiccis proponi, centonem gregarij militis, ac mediaſtini ſordes indutus; ut, hâc miſerâ Majeſtatis diſſimulatione, ſuum in caput hoſtiles manus, cum ſuæ quidem vitæ diſpendio, ſuorum verò ſubjectorum ſalvâ felicitate provocaret, & occumbere ſolus poſſet, regni, populique ſervatâ ſalute? Quis jam ſibi poterit â lacrymis temperare, perceptâ, non de Codro, ſed Regum de Rege, Chriſtô, Patris Mediolanenſis antithesî; quâ Servatoris dilectionem, exſultans ipſe, ſibi gratulatus eſt:

S. Ambroſ. Lib. 10. in c. 22. Lucæ. *Suſcepit triſtitiam meam; ut mihi ſuam lætitiam largiretur: & veſtigiis noſtris deſcendit uſquè ad mortis ærumnas; ut nos ſuîs veſtigiis revocaret ad vitam.*

Non hoc in pietatem ſolvit affectus noſtros? non omnem vitam noſtram exhaurit? non totos nos in ſervitutis tributum, perpetuâ gratitudine devinctos exigit, longè juſtiùs; quàm ſuas obſtrinxit ſibi Codrus Athenas?

IX. Fortaſſè tamen etiam hæc infinitæ dilectionis victima, reconciliandæ miſeris divinæ juſtitiæ, mirabilî, cùm ardore, tum odore ſuavitatis conſecrata, duritiem cordium necdum omnium expugnavit? Igitur, cujus causâ, Gethſemani villam, & hortum, & oleîs refertum clivum, ejuſdémque ſacram jam ab oratione cavernam ſubire, Beneficus Amator, ibidémque triſtiſſimæ mortis inauditum agonem admittere, luctaríque decreverit, exploremus. Mirabilis verò ſi cui videbitur Urbinij fides, â Valerio Maximo commendata maximè; quòd, chariſſimi Domini pretioſas ipſe veſtes indutus, & annulũ aſſumſerit, locúmque, ſedémque prior illam occupaverit; in qua Panopionem, herũ ſuum, ab hoſtibus ad necem quæſitum iri certus, vitam pro Domino ſuam, ſibi cum cruore amittendam prænoverat? Si porrò Fulgoſus, parem prodigio, prodigum ſuimet, erga Menenium Agrippam, amorem famuli voluerit forſan extollere; quô, Domini perſonam ſimulans, ut eum neci ſubtraheret, ipſe ſe ſatellitum in manus conjecit, & militari furori tradidit occidendum, innumerîs confoſſus, conciſus, diſſectúsque vulneribûs? An, obſecro, erit in ullius hominis poteſtate

Val. Max. Lib. 6. c. 8.

Fulgoſus. Lib. 6.

(nolo dicere: Christiani) vel, non sentire cordis ictum, etiam instar petræ durati? vel, continere percussi pectoris liquidum dolorem, fletúmque, per Hebronensis Episcopi verba commotum? quibûs, non servus laudatur pro Dominô, sed, pro servô, eôque perfidô, & æternam in Crucem abiturô, stygémque, cum perpetuîs ibidem suppliciîs, propter Dominum, quem offendit, sinè fine passurô, Dominus ipse sese vinculis, & crudelissimæ mortis pœnis ultrò tradens exaggeratur, cum impressione vehementi: *Quòd, Dominus omnium, Rex Regum, & Mundi Creator, DEI Filius, pro hominibus; Creator, pro creaturis (quid dico?) pro inimîcis suis, morti se exponat! Hoc superat omnem humanum captum, & omnem amoris magnitudinem excedit.*

Fornerus Epis. Parad. Mal. pun. p. 1. Conc. 76.

X. Istud nimirum præcinuisse credendus est Habacuc, illô suô vaticiniô; quô factum extulit, futurum quod erat: *Egressus es*, inquiens, *in salutem populi tui.* Egressus enim verò Servator est in hortum: ut, perditam in horto salutem populi sui, primum revocaret in florem. Egressus est, trans torrentem Cedron: ut impetum illum torrentis, in omnes homines â prima defectione manantis, &, in barathrum æternum, universos abripientis, primus ipse frangeret, sisterétque. Egressus demùm est, per vallem Josaphat, *in salutem populi sui*, judicandus ipse pro populo: nè tota gens pereat, extremum ibi judicium non evasura; nisi mortis amaritudinem illô prior ipse de torrente bibisset; &, per vallem districti, justissimique judicij, voluntariô transitu præcessisset, prior omnibûs, invidiæ torrente per iniqua judicia rapiendus in mortem. Ità famosus inter Machabæos Judas, omnium habuit animos, uni sibi obstrictos: quòd, cùm ad ripam rapidi fluminis, â Timothei castris exercitum arcentis, animatus quidem ad irruptionem, cædémque miles, trepidus tamen fluctuaret, fluctibus committere se primus ipse, periculúmque subire non horruerit; itáque, amnê superatô, progressus in salutem populi fuerit. Sic Macedones etiam, non solùm discrimine liberavit, sed victoriæ simul gloriâ cumulavit Alexander, egressus prior, &, cunctantibûs omnibûs, ingressus undas; quibûs non transitîs ægrè aliàs fortuna Græciæ in tantum emersisset. Dispar est autem, â geminis, nostri transitus Servatoris: Illi quippè, quos transeundo præcesserunt, suæ secum participes victoriæ fecerunt, & gloriæ: Christus verò, Dux noster, ac Dominus, transitô torrente, nobis

Habacuc. 3. v. 13.

1. Machab. 5. v. 43.

Q. Curtius in Alex.

qui-

quidem ſalutis Author eſt factus; ipſe verò, judicij torrente pro nobis eſt abreptus in mortem. Nimirum, utì mirô verborum involucrô David, quod prænoverat, innuebat: *DEUS noſter, DEUS ſalvos faciendi*; & *Domini, Domini, exitus mortis.* Dicere voluit: eundem, qui noſtram operari ſalutem vênit in hunc Mundum, per mortem ex hoc Mundo digreſſum, eandem, quam cœpit ingrediens, exitu conſummâſſe ſalutem. Ità Pſaltis mentem interpretatus eſt Auguſtinus: *Quoniam ſanguis ejus in remiſſionem peccatorum noſtrorum effuſus eſt; non utiquè oportuit eum alios exitus habere ex hac vita; quàm mortis. Ideò David, cùm dixerat: DEUS noſter, DEUS ſalvos faciendi, ſubjunxit: & Domini, Domini exitus mortis: ut oſtenderetur; ejus morte nos eſſe ſalvos factos.*

Pſalm. 67. v. 21.

S. Auguſt. Lib. 17. de Civit. DEI. Cap. 8.

XI. Utinam egrederentur nunc etiam, aſſociatæ cogitationibus meis, omnes in hortum Gethſemani filiæ Sion! ubi triſtis jam uſquè ad mortem, ſolâ Divinitatis virtute prohibitam, & proſtratus in terram, & in cruentâ factus agoniâ, pro noſtrâ patitur, & laborat ſalute Servator, gravatus omnium causâ: ſub quâ, emergere ad ſuperna valuiſſet nemo; depreſſi verò ad Inferna omnes, mole ſcilicet non eluctabilî, perijſſemus. Erítne verò par aliqua intellectûs humani vis, attingendo intimo ſenſui mœroris, lethalísque triſtitiæ; &, ad extremas acerbiſſimæ mortis anguſtias conſtringentis, urgentis, opprimentisque doloris illius? qui, conceptâ integrè divinæ Majeſtatis, peccatîs hominum offenſæ, injuriâ infinitâ; perſpectâ penitùs, ejuſdem læſæ ſupremæ Bonitatis, amabilitate infinitâ; cognitâ intimè, tam offenſi Numinis, quàm rei hominis, differentiâ infinitâ; tum verò, vitæ divinæ (quæ *præponderat millé Mundis*) amittendæ, incomparabilî æſtimatione propoſitâ; injuriarũ quoquè, ac tormentorũ omnium, â Diſcipulis, â judæis, â gentilibus, animæ, corporíque ingerendorum, itáque (prout S. loquitur Aquinas, cum S. Iſidoro: *omnis paſſionis humanæ, ab omnibus generibus hominum, ſeu, omnis generis pœnarum*) minutiſſimâ repræſentatione objectâ; cruciatuum deniquè, pœnis ex illis tolerandorum, pro, debitorum ſingulis peccatis cruciatuum dimenſione extenuatâ, cor, animam, ſpiritúmque Servatoris, (immensô pondere, impreſſionéque vehementiſſimâ, omnia naturæ, ſibi relictæ, nullóque robore ſolatij deſuper affluentis adjutæ, intima penetrante) omni ex parte obruit, & occupavit? Tantùm ſanè abeſt; ut noſtrâ mente *dolorum hoc mare* complé-

S. Anſelm. lib. cur Deus hom.

S. Thom. & Iſidorus cit. à Gregorio Bronienſi. Lect. 9. n. 13.

S. Chryſoſt. homil. 10. in Ep. Rom.

plectamur ; quantùm animi noſtri comprehenſivam facultatem, limitibûs exiguîs definitam, excedit, integra, perfectáque cognitio, Bonitatis illius divinæ; quam Servator doluit offenſam: & juſtitiæ illius diſtrictæ; quam placare dolore ſuô voluit iratam: & peccatorum illorum immenſæ multitudinis; quam, aſſumtam in ſe, & exhorruit, & luere, elueréque conſtituit: & pœnarum deniquè omnium illarum; quas unus, omnium locô, ſubire, ſuſcipere, patíque liberaliſſimâ voluntate, *ſuorum magis, quàm ſuímet amans*, pijſſimus Advocatus decrevit. Ità Senatus Patrum, Doctorúmque judicavit: *DEUS*, inquit S. Ambroſius, *in corpore conſtitutus comprehendit mortem*: inde, ſuper omnium hominum horrorem, horror in illo tantò gravior mortis fuit; quantò vivacior ejus objectæ apprehenſio erat. Comprehendit inſuper omnia peccata; nam, utì B. de Caſſia ſcribit: *Scripta erant inviſibilî ſtylô in anima illa omnium temporum momenta, & imagines delinquentium; nec non, & peccatorum variæ quantitates, qualitates, numeri, & intentiones, tetraliter* (ſecundùm fœditatem ſuam) *& lucidè* (prout erant reâpſe) *refulgebant.* Inde, quis mirabitur Aquinatis Theologicum de dolore Servatoris arbitrium? *Dominus doluit pro peccatis omnium; quapropter hic dolor exceſſit omnem dolorem cujuscúnque contriti; tum, quia ex majori ſapientiá, & charitate proceſſit; tum etiam, quia pro omnibus ſimul peccatis doluit.* Quis doctiſſimo cum Soario non ipſe jam quæret: *Quanta magnitudo doloris Chriſti? qui pro omnibus hominibus damnandis pœnas ſubibat!* Senenſis Bernardini librante judiciô, *tantùm in mente doluit, pro æternaliter cruciandis; quanta erant tormenta, quibûs erant æternaliter cruciandi; & quantum erat odium, inter Deum, & eos, æternaliter generatum.*

S. Auguſt. in ſoliloq. cap. 13.

S. Ambroſ. cit. à Greg. Bonon. n. 14. l. cit.

B. Simon de Caſſia loco cit. n. 15.

S. Thom. 3. p. q. 56. art. 6. ad 4.

Soarez. Diſp. 33. ſect. 2.

S. Bernard. Senenſ. Tom. 2. Serm. 56. art. 1. c. 2.

XII. Hinc illæ lacrymæ, non oculis tantùm, ſed corporis totius membrîs, impetu ſæviente perruptîs, profluentis inſtar, & ſuos egreſſi limites amnis, dimanantes. Nec mirum: Nam *intraverunt aquæ, uſquè ad animam*; quas, dum in ſe Cypri Botrus electus attraxit, ſubjectus torculari, non potuit non eas undequaquè profundere, pondere preſſus illô; quod, in unum velut ſaxum congeſta, graviſſima mortalium omnium iniquitas exaggerabat. Hinc ſudor ille, non humoris tantùm, quem urgente calore ſecernere natura ſolet â ſanguine; ſed, cruoris inſuper conjuncti: imò, ſudor ipſe ſanguineus fuit: *ut, quidquid ſanguinis, quidquid ſucci in corpore latebat, exiret.* Non potuit non â conſueto naturæ labore ſudor diverſus, & inſolitus eſſe; cui, poſt

S. Bernard. Serm. 3. in Dom. Pal. Pſalm. 68. v. 2. Iſaiæ 63. v. 3. Iſaiæ 53. v. 6. Oleaſter in Iſa:

post sumtam, & assumtam totius peccati malignitatem, officiosus humanæ salutis amor, de membris innocentissimis extorquendo, non quemlibet, sed gehennalem, Dilectorum æternis incendijs paratũ, supposuit ignem; quô magìs accenderetur amor, & augeretur dolor. Fuerit hæc, ùt arbitror, pia Sanctorum cogitatio, qui dixerunt: *Summus, & mirabilis fuit Christi amor: fortis fuit, ardens fuit; amarus tamen, & crudelis amanti fuit:* ità Cyprianus asseruit. *Immensus, ac serventissimus amor in hoc manifestatur. Qualî enim ardore, fornax JESU incensa erat; quæ sic carnem suam totam in sudore relinquebat? Quantùm anima Christi, charitatis igne, in intimis bulliendo ferveret; hæc sanguinis ebullitio manifestat.* Ità Senensium seraphicus Ecclesiastes judicavit. Ingenium amoris, hâc inventione, communem naturæ modum superante (quem scilicet amor ipse, sinè modô, sinè mensurâ beneficus, excesserat infinitè) proditum agnovit Patriarcha Venetorum sanctus, & cum Carthagena deprædicavit: *Ignitus amor semper meditatur nova, & insueta componit: impatiens namquè cùm sit* (alienæ videlicet, quam ipse pati concupiscit, miseriæ) *cogitare non desinit; quomodò ardentiùs diligat.* Unde, *licèt naturaliter sanguis, cùm animus horret, & pavet, ad cor fovendum solicitè properet; ardens tamen amor Christi foràs illum mittit: ut, solatiô destitutô ejus corde, vehementiùs pro nobis angeretur.*

S. Cyprian. apud Paolac:

S. Bernard. Senens. Tom. 1. Serm. 50.

XIII. Quàm sunt hæc, luculenta Servatoris nostri, pro nostra salute soliciti, nostrî amore flagrantis, causis nostris intenti, sequè totum, servandîs duntaxat nobîs impendentis, profundèntis, &, angustiâ mœroris, pavoris, tædij, totam animam coarctante, torquentéque, tantùm non expirantis argumenta! Verè *JESUS*, utì Præsul Burgensis admonuit, *non patiens, tuæ utilitati, sinè adhibito dolore, studere, ex agoniæ vehementiâ aquam in horto fudit, & sanguinem. Non enim ardenter amat; qui, sinè exhibito dolore, beneficia præbet.* Non ego, (dum hæc maleficorum illorum causâ, quos diebûs lapsîs gravissimorum scelerum accusatos audivimus, ab Advocato misericordissimo, tam amanter assumta expendo) non ego, inquam, sed Evangelicus ille vates, Domini misertus, conscientias reorum omnium querelâ suâ compungens redarguit: *Numquid parùm vobis est, molestos esse hominibus?* quibus per vestra peccata, vel scandalo, in perniciem animarum, vel damno fuistis, cum injuriâ corporum? *quia molesti estis, & DEO meo.* Molesti sanè! nam, *agonem facitis DEO:* ità quippè, dictam molestiam interpretati sunt unanimî consensu celebres illi Septuaginta. Proh! quanta

Lucas Burgensis Tom. 10. in Ev. ad cap. 26. Matth. sect. 2. observ. 3.

Isaiæ 7. v. 13.

Septuag. in locum cit. Isa.

S. Laurent. Justin. de cœlest. Connub: cap. ultimô.

Carthag. homil. 5. de Pass.

quanta moleſtia, tantus agon? (ſi tamen dicere fas eſt, moleſtiam; quod amor ipſe, tam ingenioſus, quàm voluntarius torſor ſui, dulcî ſuppliciô, quia dilectis profuturô, ſuſcepit). *Hæc enìm eſt Charitas, quæ tantùm in DEum potuit!* *Scio Domine, & verè ſcio*, confirmatus â Seraphico Doctore; *quia non propter aliud feciſti; niſi, ut oſtenderes: quantô affectu diligeres me!* Inde totô palàm orbe confiteor: *Omnem humani ingenij excedit altitudinem, Doloris, & Amoris magnitudo!* Dolor enim, quem amor accivit, patique voluit, eſt inſcrutabilis: quia fuit in anima; quam afflixit uſquè ad mortem. Amor inſuper, qui dolorem invênit, congeſſit, aſſumſit, ſolus, pro omnibus, & ultrà modum, non eſt perceptibilis: quia fuit in corde, ſedê animæ, tantùm afflictæ, & tamen amantis; &, majorum inſuper dolorum ardore flagrantis: ut, quæ in horto, tantùm *Cæpit contriſtari* (prout Angelicô perſpexit intellectu, Thomas Angelus) *quia, quantumcúnque pro hominibus pateretur; nunquàm ſibi conſummare, ſed tantùm exordiri; nec, patiendo, deſiderium complere; ſed, ad plura patienda irritari quôdam modô videbatur.*

Theodor. Lib. 6. de Provid.

S. Bonav. Opuſc. de perfect. c. 6.

S. Laurent. Juſtin. de triumph. agone c. 19.

S. Thom. 3. p. q. 56. art. 6. ad 4.

XIV. Hæc, in animos admiſſa, ſufficient, utì reor, memoriæ fidelium in officium excitandæ, poſtulatum â Syracide: *Gratiam Fidejuſſoris nè obliviſcaris: dedit enim, pro te, animam ſuam!* Videbatur ſibi ſapiens cohortator parùm nimìs dicturus, memoratîs tantùm corporis doloribûs, pro ſalute mortalium toleratîs: ut ergo major eſſet amoris illius, noſtris in cordibus æſtimatio, ſolicitudo verò teſtandæ, reddendæquè gratitudinis vehementior; illud, quod fortiùs urget, quod acriùs penetrat, quod ſentit, & ſentitur acerbiùs, animæ mœrores, & ærumnas (exceſſum ſcilicet beneficæ charitatis memorandũ) ſuggeſſit, inquiens: dedit enim, pro te, animam ſuam. Sat igitur ei non erat: in ſudorem, & ſanguinem eliquâſſe corpus; nisì Spiritum etiam, & animam conjeciſſet in angores extremos; in quibus, *virtute Divinitatis, diſpenſativè, delectatio contemplationis ſic retinebatur in mente; quòd non derivabatur ad vires ſenſibiles*: ut, hâc demonſtratione convictus, tantâque abundantiâ redemtus confiteretur cum Chryſologo Petro Mundus univerſus: *Quod ſufficiebat Redemtioni, non ſatis erat Amori*: dum, qui potuiſſet unâ, vel ſudoris, vel ſanguinis de corpore profuſi guttâ, cauſas omnes diluere, voluit adauctîs, etiã animæ ſuæ cruciatibûs, membrorum omnium, tam ſpiritualibus, quàm corporalibus delictis, & comeritis delictorum pœnis, affluenter ſuccurrere.

S. Thom. 3. p. q. 15. art. 5. ad 3.

S. Petrus Chryſol. homil. 122.

Eccli. 29. v. 20.

XV. Jam

XV. Jam audire mihi videor pia ſuſpiria, mixtósque lacrymis gemitus, & ſingultus cordium, non tam teſtantium, quàm optantium ſtipendiũ amoris debiti referre, ſuo, tam ſolicito, tam profuſè benefico Servatori: *Domine! amem te, plùs quàm me: quia tu dilexiſti me, plùs, quàm te: quia mori voluiſti pro me!* Sic geſtiebat aliquando, ſuccenſus hôc amoris votô, S. Auguſtinus. *O amor! O amor! O amor! nunquàm, nunquàm ceſſabo, te, vocare amorem, ſpem noſtram, & omnia! O Domine! da mihi tam fortem vocem: ut, cùm te amorem voco, vox mea, ab ortu ad occidentem, & in omnibus finibus Orbis, uſque ad Inferos audiatur: ut omnes te, ceu verum amorem, agnoſcant, ament, & gratias tibi agant.* Ità, in abyſſum doloris, & amoris, Domini ſui, ac Servatoris, per ecſtaſin abrepta Diva quondam Magdalena, Carmeli Florentinæ anima, proclamavit. *O copioſa Redemtio! O divini amoris copioſa largitio! O DEI noſtri viſcerum benigna dignatio!* Sic devoti cordis intimum, de divino, infinitè beneficô amore ſenſum Rupertus olim explicuit. Quantus autem ſanctæ Senenſium Catharinæ tunc fuerit animi luctus, aut qualis, amoris cum luctu lucta, quis aſſequetur? cùm, trepidus pavore, pallidus horrore, triſtitiâ tabeſcens, tædiô langueſcens, qualis in horto Gethſemani, maleficorum aſſumtîs in ſe causîs, ad Patrem oravit, ſe ſpectandum eidem objecit Advocatus peccatorum, ſudore cruentô, de reſeratîs membrorum omnium velutì cataractîs, non defluô tantùm in cellæ pavimentum, ſed, per ipſum etiam, copioſè profluô. Non aliud mihi perſuadeo, quàm; unicum illius, per arrham oblati de ſentibus diadematis electæ, dilectæquè ſponſæ fuiſſe votum: tota ut, cum Byblide, doloroſô ardore diſſolveretur in flumen; quô, tam largè profuſo, dolori juxtà, ac amori, vel miſceretur unita, vel abſorberetur imẽrſa! Quis pietati ſufficiet expendendæ, nè dicam, verbîs explicandæ; quâ Mater Seraphica, recolens Dilecti ſui, pro reatu generis humani, mortis ignominioſiſſimæ ſupplicium aſſumentis, horribiles in oliveti clivo mœrores, & agones, non ſolo de vultu, ſed univerſo corpore profluvium cruenti ſudoris, & tantùm non ipſam etiam pretioſiſſimam animam, ad mortem usquè triſtem, extorquentes? Amoris hujus exceſſui Virgo ſancta, teneræ devotionis raptu velut ecſtaticô, tam addicta, tam erat affixa, votîs omnibûs: ut non ſolùm in ejus contemplatione geſtiret, anguſtiis illis mitigandis, Dominique ſui fovendo

S. Auguſt. in ſolilo. cap. 13.

Barry in Favo JEſu.

Ovid. Lib. 9. Metamorph.

Rupert. Abb. de divin. Offic.

Bzovius ad Ann. Chr. 1370. num. 20. §. 5.

cordi, cor ſuum in ſolatij liquorem diſſolvi ; ſed auderet etiam nonnunquàm, velut coram laboranti præſens, cruentas, de ſponſi facie, ſudoris illius amoroſi guttas abſtergere, ſuum, hôc obſequij devoti conatu, debitæ compaſſionis affectum, quantôque rorem illum, DEI ſudantis, margaritîs omnibûs cariorem, haberet in pretiô, conteſtans.

XVI. Hác pietate, hôc animô fuêre ſancti, ſanctæque; quarum conſcientiam nullô crimine contaminatam, nullô flagitiô gravatam, nullô reatu coarctatam, nequè judicium objectô culparum horrore redarguit; nequè ſupplicium ingeſtô pœnarum terrore concuſſit; ſed amor ſolus, expenſô divinæ charitatis exceſſu, ſolicitam reddidit, ad officium debitæ, tantis pro doloribus, gratitudinis exſolvendum. Quô verò vos eſtis animô; quorum cauſæ, tam amanter ſuſceptæ, tam laborioſè procuratæ, tam ſolicitè vindicatæ, tantîs impendiîs aſſertæ, ſolutæque ſententiâ damnationis jamjam infligendæ fuerunt? Quô vos nunc animô veſtrum ergà Servatorem, cauſarúmque tam liberalem Patronum eſtis; qui pro vobis Patri ſupplex, in terram proſtratus, veſtro ſub onere depreſſus, veſtrâ fœditate ſordidus, veſtrô crimine noxius, veſtrô periculô anxius, veſtrâ damnatione morituros, nihil non, adverſùm ſe decerni, optavit, & lubens acceptavit; tantùm ut â vobis averteret, quam nemo alius, (æternùm etiã ſi pro debita juſtitiæ ſatisfactione fuiſſet paſſus) avertere tamen potuiſſet, reprobationis, & Paſſionis æternæ ſententiam?

XVII. Necdum autem corda ſolvuntur? necdum animi rigores liquantur? necdum liquent ſenſus doloris? necdum patet manifeſta compaſſio? necdum exhauſtô rubent oculi fletu? necdum ſingultit preſſa vox mœorê? necdum rugit victa mens ſtupore? *O indurati*, gemens clamo cum Bernardo! *& obdurati, Filij Adam! quos non emollit tanta flamma, tanta benignitas, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator; qui, pro vilibus ---, tam pretioſas mercès expendit!* dedit enim, pro te, animam ſuam! Quem audiam, hîs auditîs, nunc ſtatuiſſe; quod fixum, conſtitutúmque fuit, Franciſco de Gatta, quotidianum Servatoris amori tributum? Ille geminarum horarum ſpatiô, repetens amaram, â dilecto ſcriptam Diſcipulo, ſui Domini Paſſionem, eandem flagrîs, & profuſô cruore, ſuis in membris, omnî noctè deſcripſit. Quam experiar Antoninæ Agneti geminam? Illa recordatione ſolâ vulnerum Sponſi ſui, tantîs, cum plan-

S. Bernard. Serm. 15. in Cantica.

Gonzaga. part. 3. de Orig. Seraf.

planctu, se fletibûs exhausit; ut maxillæ, salsîs irrigationibûs corrugatæ, florem omnem deplorato pro Nazareno amiserint. An Eleonoram alteram, â Spiritu sancto nominatam, Christi spiritus, & amor in æmulos ejus pietatis ardores excitabit? quâ illa, persuasa (sanguinis imbrem, quô nostræ omnium causæ â Causidico pro nobis perorante deletæ fuêre, quadragies mille guttîs, cum octingentîs, fluxisse) non antè destitit; quàm, totidem ipsa, de suo, sic servato corpusculo, pœnarum exactarum vices reddidisset. *Sed, heu!* (totúmne dicendum Afri Patris lamentum?) *heu! nescit flere, qui flenda commisit; &, cùm sit ipse lacrymabilis, non habet pœnæ lacrymas suæ!* Ergo, sinè solatio, sinè recognitione, sinè debitâ laborum suorum retributione relinquetur, ab ingratis, Advocatus?

S. Augustin. Serm. 7. in Psal. 118.

XVIII. Affulgere videtur è cœlo spes: nam, *apparuit Angelus de cœlo, confortans eum*: non est explorata satìs, cogitati solatij, per hæc verba, certitudo. Confortans enim Angelus, quid suggesserit, quâvè suggestione passum humana roboraverit infirmitatis nostræ robur, ac firmamentum, in arcanis manet. Confortans tamen, apparuit Angelus: an, ut suppleret, quod ab hominibus debebatur, ac deerat? an, ut eam, quæ tunc deerat, subinde futuram, humanæ pietatis gratitudinem, ipsi quidem omniscio, velut prænuncius melioris olim secuturæ generationis, exhiberet? Sed, nihil hoc de solatio videtur admittere tunc actum fuisse, divini plurimùm conscius agonis Laurentius; hoc ipsum, inter agoniæ, graves, urgentésque cruenti sudoris causas numerans: *quia præscivit, quòd, tam acerbæ Passionis suæ flagella, & vulnera, & mors gravissima, in multis, adhuc hodiè, miserîs, & obstinatîs peccatoribûs frustrari deberent.* Quod igitur allatæ de cœlô, atque ab ipso cœli Domino, dissimulatâ Majestate, susceptæ confortationis argumentum cogitandum est? Veterum penicillîs, & scalprîs expressi typi referunt Angelum, alterâ manu Calicem, Crucem alterâ, velut manifestum totius, quæ confusa fuerat in Calice, Passionis, &, omnium pœnarum breviarium offerentem. *O mirabile!* (juvat hîc exclamare cum doctissimo Bambergensis Ecclesiæ Suffraganeo) *solatij genus Angelici! quô tu, in agone tuo, Domine JESU, relevari voluisti.*

S. Laurent. Justin. de triumph. agone c. 19.

Luc. 22. v. 43.

Fornerus. Conc. 80. in Parad. mal. Punic. Tomô 1.

XIX. Non ita S. Erasmus, inter extrema tormenta, viscerum evolutione crudelissimè exenteratus, desuper confortatus est: qui, nubibûs diductîs, in claram luce conspicuos habuit, cum veteribus Patriarchis, Apostolos, ful-

Surius in vitâ S. Erasmi.

fulgentem è cœlo coronam adferentes; cujus intuitu, jam totus in gaudijs, absquè tormenti sensu, lætam in cœlum animam glorioſus Martyr emisit. Ità Divæ Virginis Margaritæ vertici, dum, in confessione christianæ fidei, sæviſſimîs cruciatibús torquebatur, demissa cœlô columba, cœleste simul, aurea cum corolla, robur attulit, hymnîs Angelicîs auctum; quibûs ad ſupernos, divini ſponſi thalamos, æternásque delicias evocabatur. Ità per aligeros Paranymphos, in horrendo ſupplicio, robur etiam S. Fides Virgo recepit: dum, in ferrea crate diſtentæ, ſubditîsque prunîs, igne, tantô ſæviorê, quantô lentiorê, crudeliter exuſtæ, ſtolam auream, nuptialem ſcilicet, â DEO ſponſo veſtem, cum corona gloriæ cœleſtis (Divo Capraſio cuncta ſpectante) miſſi deſuper attulerunt. Ità ſuas in ſupplicijs per Angelos confortari ſponſas voluit; cujus, in extremis anguſtijs, omne robur, & accepta de cœlo confortatio, Crux, oblata cum Calice, & in hoc, horrida de ſpinis corona, ludicra chlamydis purpura, fatui regni ſceptrũ, arundo, cæteráque cruciatuum inſtrumenta fuêre. Inde Beda V. ait: *Confortatus eſt, ſed, talí confortationê; quæ dolorem non minuit, ſed, magis auxit. Confortatus enim eſt, ex fructús magnitudine, non ſubtractâ doloris amaritudine.* Mirabilis hæc eſt, cum doloris exaſperatione, ſolatij, roborísque ſolantis conjunctio! Fortè: quia præviſa conſecuturæ ſalutis certitudo, pœnarum, amariorum adhuc, & atrociorũ avidum excitavit amorem? Aut: quia ſalutis tam copioſæ redemtio, doloribûs innumerîs procurata, nullô recipiendæ gratitudinis fulta ſolatiô, doloris amaritudinem exaſperavit; ideò, propoſitâ magnitudine fructûs, quæ fuerat ſolatio, ſubtracta non eſt amaritudo doloris?

Metaphraſtes in vit. S. Margar.

Surius in vit. S. Fidei.

V. Beda. in Lucam.

XX. Abſit hæc interpretatio, tam injuria pietati chriſtianæ; quæ fletu jam teſtatur uberî fractam duritiem, potentiſſimô ſenſu, doloris, & amoris illius, intima penetrante; qui, niſi penitùs in Judam efferatos, & voluntariâ deſperatione quaſi jam prædamnatos, non poteſt non omnium, utùt ingratos, animos expugnare, dirumpere, totósque in unum debitæ pietatis votum colliquefacere; quod expectat, qui pro tantis laboribus nihil aliud optat; ſed pro tam pretioſo, copioſóque ſudore, tantùm, & unicè, noſtras *ſitit lacrymas.* Jam audio conſenſum excitatæ devotionis, in voces, ambroſiâ dulciores prorumpere: *Reddamus ergo amorem, pro debito; charitatem, pro munere; gratiam, pro ſanguinis pretio! Væ mihi! ſi*

S. Petr. Chryſolog. ſerm. 93.

S. Ambroſ. in Lucam.

non

non dilexero! Sentio, quid geſtiat animus: quid veſter confiteri velit affectus; quid promere, gemitibûs interrupta, vox anhelet. Dicam ore meô, ſed cordis veſtri ſenſus: *Deducant oculi noſtri lacrymas; & palpebræ noſtræ depluant aquîs*! *Quis dabit oculis noſtris fontem lacrymarum?* Cor totum, ah! ſi diffluueret, ruptîsque venarum anguſtiîs, totam, vitalî cum ſanguine, vitam ſuam, tam diû jam debitam, tam durè retentam, ſuo redderet Aſſertori! Cerebrum totum vertatur in undas! imò, quidquid inde ſtillat, niſi veteris ingratitudinis erubeſcentiâ cruentum ſit, itáque manifeſtum faciat, & intimum dolorem, & confuſum extremô dolorê pudorem, totô capitê defluentem, non erit par voto meo, minus autem, etiam tale ſi fuerit, quale volui, debitô meô tributum! Lacrymas cupio; quales roſcidô è cœlo conchæ concipiunt, ſuppares margaritis! Lacrymas flagito; quales populeis de frondibus recipit Adria, fulgentes cum electro! Lacrymas deſidero; quales balſami de cortice ſtillant, ungendîs Advocati mei divini vulneribûs, dulce ſolatium, & gratitudinis meæ perpetuum, cum ingeſtô ſuavitatis odorê monumentum!

Jerem. 9. v. 18.

XXI. Quis mihi dabit roſas illas, cœleſtî frargantes odorê, ſanguineas Divæ Lydwinæ lacrymas? quas, JESU patientis memoriam revolvens, humore jam deficiente, cruentas profudit ex oculis Virgo ſancta, ſuas, ipſa, roſas appellans; quarum odorê, ſuprà conſuetam fragrantiam ſuavî, præſentes etiam mirabiliter afficiebantur. Quis me dolor, ſudore parî, cum S. Lutgarde diſſolvet? cujus non ſolis ex oculis, verùm toto de capitê, per ſtillantes largè capillos, in corpus ipſum profuſus cruor manavit. O ſi perpetuos, ex amari doloris fluxu, geminæ malæ ſulcos acciperent, cum Petro plorante! aut meus, utriúſque luminis viſus, non tantùm hebetaretur, ſed extingueretur omninò, uti Granatenſis Leonoræ! aut, adeò profuſus eſſet meus, & exundans fletus; qualis fuerat B. Stephani Soncinatis! qui, Servatoris tormenta meditans, in tantum ſolutus dolorem eſt; ut, quaſi de fontium rivis, perfuſum cerneretur, qua incedebat, pavimentum. Doleo! meum non eſſe dolorem; qualis Neronis olim fletus erat: quando fugiens nullum non veſtigium lacrymâ ſignavit. Doleo! non tam liberalibûs cor meum amaroribus innatare; prout amantium olim, Davidis, & Jonathæ! qui ſuîs integrum, ùt Philo teſtis eſt, impleverunt lacrymîs dolium.

Lyræ. in Chriſto. Lib. 2. cap. 5.

vit. S. Lutgardis. Lib. 2. cap. 19.

Gonzaga in Hiſtor. Seraph. p. 3. de Orig. Seraph.

Lyræus. locô cit.

Sueton. Lib. 6. cap. 49.

Philo. Hebr. in ant. & ex illo S.

Quid *Hieron.*

Quid porrò dicam? Domine! tu pro me perorâsti, perfusus cruentô sudore: Ego tibi grates refero, lacrymas reddens, pro cruore! nec priùs ponam lacrymis hisce modum; donec inaudiam: *Quiescat vox tua â ploratu, & oculi tui á lacrymis.* Amen. *Ferem. 31. v. 16.*

FERIA II.

POST DOMINICAM II. QUADRAGESIMÆ.

SERMO NONUS.

Forum II. Justitiæ Divinæ, Tribunalia varia, Sacrorum, Profanorúmque Judicum Jerosolymæ.

Actio V. De Crimine læsæ Majestatis,

Contrà eos;
Qui, licèt conscij, mortalis Peccati,
Seu, gravis offensæ in DEum admissæ,
Ceu vacui periculi, genio indulgent,
Etsi, nullô momentô, Damnationis æternæ securi.

Actor V. S. Michaël Archangelus,

Ex Nominis etymo, vindex Gloriæ divinæ,
Severissimâ Delatione perstringit audaciam;
Quæ, scienter, ac deliberatè, lethalî culpâ DEum offendere,
Itáque, verè, strictéque censendo,
Se Criminê læsæ Divinæ Majestatis obstringere, non veretur.

Mysterium V. & Actionis assumtæ Argumentum.

Inexplicabilis Temeritas illius assistentis Ministri;
Qui Pontificis, nequaquàm læsi, gratiam obtenturus,
Alapâ, in faciem, Christo, DEI Filio datâ,
Ausus est, Crimen supremæ læsæ Majestatis admittere.

Tessera. Unus assistens Ministrorum dedit alapam JESU. *Joann. 18. v. 22.*

I. Hem!

I. HEm! quid hoc? ictum alapæ percepi! quis autem alapam accepit? quis alapam dedit? heu! ſcelus immane! non effabile, non expiabile Crimen! *Joann. 18. v. 22.* *Unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam JESU, dicens: ſic reſpondes Pontifici?* Pontificis ergo cauſâ, DEI ſupremi Filius percuſſus eſt alapâ? Vindicata eſt injuria, non facta, per ſummam contumeliam; quâ nulla fieri poteſt atrocior, nec unquàm eſt facta. Non læſus defenditur homo; &, graviſſimè læſa, DEI Majeſtas offenditur! Proh! *fortis percuſſor, & mollis adulator, verè inſanus*, utì Rupertus definivit, *pro Domino ſuo, Pontifice, ut ſuam illi cuſtodiam commendaret, non fortiter, ſed ſtultè zelatus.* Quid non audet aſſentatio miniſtri, herilis gratiæ cupida: dum placere ſe poſſe præſumit, per irrogatam, etiam DEO, palmarem injuriam? Quid verò præſumendum etiam, hôc mitratô de judice; qui tam enormiter læſæ crimen innocentiæ, ſpectator ipſe, diſſimulat? Quid non demùm, alapæ, cenſendum eſt ineſſe doloris, & ignominiæ; quam totius, in aſcenſu Jeroſolymæ, Paſſionis prædictione ſpeciatim factâ Diſcipulis, etiam flagellîs, cum Cruce, memoratîs, unam, ſolámque ſubticuit: verùm, inter flagra, ſpinas, crucémque ſilens, unicam tantùm pati noluit ſilens, infinita patientia Servatoris? An, alienum â Domini mente, credendum; quod, cum Abbate Ruperto, de tam acerbo injuriæ ſenſu, noſter ſenſit Ponferradienſis Eccleſiaſtes? Ille, *per alapæ percuſſionem totam ſignificatam fuiſſe Paſſionem*; ideóque ſolam eam cenſuit in quæſtionem vocatam. Hujus autem judiciô, Servator, per alapam ſilentiô preſſam, crucem verò verbis expreſſam oſtendebat: *tantam eſſe alapæ ignominiam, tamquè ſibi acerbam; ut, minùs detrectaret, in Cruce, quàm, inter alapas videri.* Quidquid, ſic offenſus, paſſus fuit, omni notus Jeroſolymæ, doctrinâ præſertim cœleſtî, mirabiliúmque patratorum virtute, non ſemel jam adoratus â populo, proclamatúsque gloriæ Dominus, Deíque Filius, omnem ſuperat humanam cenſuram: ut mirum non ſit: exclamâſſe, velut inopem judicij, ſententiæquè ferendæ minimè parem, oris aurei Patrem: *Alapâ DEUS percuti potuit! Quid enim illi contumeliæ poteſt exæquari?* graviſſimæ, ex ignominia; quia fuit infinitæ dignitatis irrogata perſonæ: maximæ, ex injuria; quia fuit manifeſtæ inflicta innocentiæ: atrociſſimæ, ex percuſſionis vehementiâ; quia per indutâ ferreâ chirothecâ dexteram tenerrimæ fuit impacta faciei, prout ex B. Veronicæ relatis

Rupertus Abbas l. 13. in Joann.

Rupert. Abbas. loc. cit.

Baëza in Chriſto Fig. Lib. 15. cap. 1. §. 5.

S. Chryſoſt. homil. 80. & 86. in Joann.

Iſidorus de Inſolanis. in vit. B. Veron. lib. 4. cap. 15.

latis memorat Isidorus. Nec desunt probatissimæ fidei viri, prudentî sanè conjecturâ persuasi: tam validum illius, ebrij vinô, furoréque, percussoris ictum fuisse; ut per totam resonuerit aulam Pontificis; universæque sociæ crudelitatis plausum gaudiô concitatô retulerit; manserintque digitorum incussa maxillæ vestigia; prostratúsque jacuerit antè pedes Pontificis, mansuetissimus Dominus, motîs concussione dentibûs, tumescente in livorem vultu, cruore quoquè immodicô, de naribus, ore, oculisque prosiliente; prout ab Evangelico vate prævisum, descriptúmque, sic observante D. Chrysostomô fuerat: *Isaias prædixit omnem hanc contumeliam. Quemadmodum, inquit, obstupescent super eum multi: sic inglorius erit inter viros aspectus ejus; & forma tua, inter filios hominum*: quos horribiliùs nihil, ùt intimè, sic extimè, quàm alapæ, turbat, & confundit injuria.

Salmeron. Tom. 3. Tract. 10. de Pass.

S. Vincent. Ferrer. cit. à Speranza. punct. 8. de Pass.

Servius, cit. à Sylveira. Tom. 5. in Evang. Lib. 8. c. 4. q. 5. n. 38.

S. Chrysost. homil. 86. in Matth. Isaiæ 52. v. 14.

II. Non aliter, ac prodigium, hujus extremæ contumeliæ dolorosissimum sensum, à patientissimo Servatore toleratum, contemplati sunt, & admirati Patres gravissimi. *Grande miraculum!* ait S. Ephrem, non sinè mentis propriæ vehementi concitatione, suos allocutus: *Grande miraculum, fratres! stuporis plenissimum est: cernere Christi Regis, ac Domini nostri mansuetudinem. Palmâ cæsus, à servo, Dominus!* Eâdem admiratione commotus Hypponensis Præsul â quovis postulat christiano: quisnam, ejus in corde, pietatis, & judicij zelus, tantâ super offensâ? quis verò, tantâ simul super offensi patientiâ sit sensus? *Si cogitemus, quis acceperit alapam? nonnè vellemus eum, qui percussit, aut, cœlestî ignê consumi? aut, terrâ dehiscentê sorberi? aut, correptum dæmoniô volutari? aut, aliquâ hujusmodi quálibet pœnâ, vel, etiam graviorî puniri? Quid enim horum, per potentiam, jubere non potuisset; per quem factus est Mundus? nisi patientiam nos docere voluisset; quà vincitur Mundus?* Nihil similis patientiæ totus habet Mundus, etiam divinô, non verbô tantùm, sed admirabilî, & prodigiosô doctus, & instructus exemplô. Non vivere, visum satiùs Anglo Warthoni fuit; quàm, alapam ferre, non ultam sanguine. Hanc illi, mendacij leviter insimulatus Joannes Stuartus, Regi cognatus, occasione quidem lusûs, non jocô tamen, sed vindice dexterâ, palàm inflixit. Excussus in genam rubor continuò sic exarsit; ut extingui nequiverit, usquè dum alter, alterius ense lethaliter transfossus, ità verò, luridum utérque cadaver, expalluit. Nec est Mulieris etiam ignotus, ex alapâ pridem acceptâ, rancor inveteratus. Hujus cùm

S. Augustin. Tract. 113. in Joann.

Emanuel de Metern. lib. 29. Hist. Belg. Anno 1609.

S. Ephrem. Serm. de Pass. Dom.

cùm in agone jam ſupremo recrudeſceret, ex cognatâ forſan circumſtante, triſtis, & acerba memoria; tantùm abſuit, ut alapæ, quondam inflictæ, veniam ſupplici daret: ut ſenſum ejus obſtinata ſervare decreverit, poſt mortem etiam in orco perpetuum.

Ut, annuæ Soc. JESU.

III. Divinam ergo patientiam Servatoris, alapâ percuſſi, non eſt, qui mirari, vel commendare pro dignitate poſſit; cùm cœlum ipſum obſtupuiſſe videatur, horrore, immaniter, & crudeliter, in faciem offenſæ, læſæque ſupremæ Majeſtatis. Ità nempè, non de cœleſtibus orbibus tantùm, ſed orbe de toto judicavit S. Ephrem: *Contremuerunt cœli; fundamenta terræ concuſſa ſunt; expaverunt Angeli omnes, atquè Archangeli; Gabriel, & Michaël facies ſuas alis contexerunt: Cherubim trementia ſub rotis ſe abdiderunt: Seraphim illâ horâ alas ad invicem colliſiſſe viſa ſunt: cùm daret miniſter iniquitatis alapam Domino Majeſtatis.* Vix aliud cogitare ſinit univerſalis rerum omnium creatarum, ad vindictam ignominiæ, rigor ſtupens, rigidúsque ſtupor, auditâ etiam, læſæ, non irritatæ, Patientiæ modeſtiſſimâ poſtulatione: *Quid me cædis?* Audijt hanc, potiùs quæſtionem, quàm querelam, facti conſcius Judex; nec ullô, vel ſupercilij tantùm contracti ſignô, aut reprobat inſolentiam ſervi, aut ſolatur innocentiam Chriſti: ſed, indignante Salmerone, *tacuit Pontifex, & diſſimulavit: apud quem, ſi quis forte canem ejus percuſſiſſet, non abiiſſet impunis.* Verùm, ſi morſu vindice brachium ſceleratum etiam canis invaſit, compreſſit, & tantùm non avulſit ab impij corpore percuſſoris; qui S. Thomam, Diſcipulum Domini, ſacrilegô auſus eſt ictu percutere? Si Julianum, Orientis Præfectum, è veſtigio tabes viſcerum, & ultrix putredo conſumſit; cùm Euzojo, ſalubria ſuggerenti, palmam contumelioſam impegit? Si mortê luit, ad carceres attractus pro tactu, capitêque multatus pro manu Cappeluchius; quâ temerè ſolùm attrectare Burgundiæ Ducem auſus erat homo vulgaris? quid ergo naturæ ſenſum univerſæ ſic oppreſſit; aut vires, & vindicem Zelum ità conſtrinxit; ut, pro Numinis incarnati læsâ majeſtate, nequè cœlum immugire, nec homo mutire, neque latrare quidem ſit canis auditus? Queſtubûs hoc, & lamentîs, piâ bile amaricatîs proſecutus eſt Hebronenſis Epiſcopus: *Maledictus Diaboli verna DEI Filium verberat; cujus Majeſtas eſt planè infinita! O nefandum ſcelus! O, ſuprà modum enormem divinæ Majeſtatis læſionem! Stupendum maximè: quòd cœlum, terra, elementa, & omnes creaturæ ſenſibiles,*

S. Ephrem. Serm. 1. de Paſſ.

Joann. 18. v. 23.

Salmeron. loco citato.

Abd. Babyl. in Hiſtor. Apoſtol.

Theodoret. p. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 11. & 12.

Joann. Fuven. Urſin. in vit. Caroli VI. fol. 448.

Fornerus. Tom. 1. Parad. malor. pusnicor. Corn. 89.

ſibiles, tantum ſui creatoris injuriam potuerint aſpicere, & tolerare.

IV. Nihil verò vehementiùs, quàm, cœlorum quietem, tonitruorum ſilentium, fulminum continentiam, & aligeri totius exercitûs immotam patientiam, patientémque indulgentiam, & inermes excubias, videtur ſenſiſſe S. Chryſoſtomus exclamando quærens: *O Angeli! quomodò manus continere poteſtis?* Cùm rebellis ille, veſter olim concivis, concitatîs in perfidi ſui conſilij ſocietatem cæterorum etiam ſpirituum infelicium votîs, adverſùs Majeſtatem divinam conſurgere, eámque voluntate perversâ, per immanem injuriam, in ſuo perſequi throno, ſuâque, per inſanam affectatæ ſimilitudinis ambitionem, ſupremâ poteſtate ſpoliare, perduellî duntaxat animô moliebatur: nunquid junctîs continuò viribûs Diabolicam illam præſumtionem profligâſtis? & proturbatam cœlîs, ad ultimas uſquè pœnarum infernalium tenebras præcipitatam perſecuti ſuiſtis? Ità fides nos erudivit: *Projectus eſt Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocabatur Diabolus, & Satanas.* Projectus eſt, ſed non aliâ manu, quàm veſtrâ: nam, adjectum & illud eſt: *Michaël, & Angeli ejus, prœliabantur cum Dracone.* Nunquid & primus, inter homines rebellis, divinæ non tantùm legis transgreſſor, ſed felicitatis ejuſdem curioſus inſidiator, ejectus de paradiſo, vindices è veſtigio veſtras paſſus eſt manus, flammeô adverſùm ſe gladiô pugnantes? Nunquid per vos, inimica ſupremo Numini, totíque ſordens cælo, Sodomæ, Gomorrhæque, carnalis contumacia, cum totâ regionê, ſceleris ejuſdem perfidâ conſpiratione fædatâ, ſulphure fuit, ignique ſubverſa? *Delebimus* (ità veſtræ præmonuêre minæ) *locum iſtum: eò, quòd increverit clamor eorum coram Domino: qui miſit nos, ut perdamus eos.* Vos Ægyptios, DEI contemtores, interfectîs unâ nocte primogenitîs eorum, horrendâ plagâ cecidiſtis? Vos Davidis, etſi non gravem adeò, divino tamen honori, per vanam poteſtatis jactantiam, illatam injuriam, peſtiferâ virorum ſeptuagies millium internecione, ſeveriſſimè vindicâſtis. Vos Aſſyrium, divinæ Majeſtatis impium obtrectatorem, percuſſîs, unâ nocte, centum octoginta quinîs millibûs, ictu profectò terribilî, tanquàm Ultores offenſæ ſanctiſſimæ Divinitatis, vigiles, & potentes, & omnibus meritò formidabiles, concuſſiſtis. Quid his immoror? ſacros tantùm, DEI, templique theſauros, auſus Heliodorus attingere, ſacrilegâ manu rapiendos, quàm horrendas

S. Chryſoſt. homil. 80. in Joann.

Geneſ. 19. v. 13.

Exod. 12. v. 29.

2. Reg. 24. v. 15.

4. Reg. 19. v. 35.

Apocal. 12. v. 7. & 9.

Geneſ. 3. v. 24.

2. Machab. 3. v. 26.

pœnas,

pœnas continuò luit, veſtrîs manibûs, ex utrâque parte, terribiliter, & tantùm non lethaliter, flagellatus? Vix arrogatæ divinitatis blaſphemiam eructaverat, Majeſtatis æternæ, non manu, ſed ore ſolô, veſanus attrectator, Herodes: *confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini; eò, quòd non dediſſet honorem DEO: &, conſumtus à vermibus, exſpiravit.* Ità ſeveri quondam, ac celeres divinarum injuriarum ultores, Angeli ſancti, dum alapâ cædi gloriæ Dominum, cujus eſt infinita Majeſtas, &, ab impudentiſſimo quidem, ac viliſſimo miniſtro Pontificis iniquiſſimi conſpexiſtis; *quomodò manus continere potuiſtis? Omnes expaverunt* (jam audivimus, querelam, gemitúmq; D. Ephrẽ) *Archangeli etiam, Gabriel, & Michaël, facies ſuas alis contexerunt.* Nullus ergo læſæ crimen divinæ Majeſtatis ulciſcetur?

Act. 12. v. 23.

S. Chryſoſt. ſuprà cit.

S. Ephrem. ſuprà cit.

V. *Ecce adſum! Quis, ùt DEUS?* Quid audio? Diductîs nubibûs cœlum clareſcit, ingens aligerûm chorus armatum aureô clypeô, flammeôque gladiô Ducem, pro læsâ DEI Majeſtate pugnaturum, comitatus adeſt; utì verò mihi perſuadeo, non jam unum illum, irrogatæ Numini contumeliæ graviſſimum ictum, ſed, quod eſt jam familiare Mundo, penéque quotidianum, læſæ divinæ Majeſtatis Crimen, in pœnas ultimas, actione ſeveriſſimâ vocaturus. Contremiſcite! quicunquè, lethiferâ culpâ ſcienter offenſi Numinis, reos vos eſſe cognoſcitis. In vos enim noſter gloriæ divinæ Zelus exardeſcit. Ipſe ego vos nunc, Michaël Archangelus, æternô ſuppliciô dignos, quia ſupremæ Majeſtatis, temerariô prorſus auſu, rebellîque voluntate, graviſſimè offenſæ convictos, poſtulaturus adſum; cujus tutelâ, atquè præſidiô (veſtrorum immanitate ſcelerum, per audacioré indies, de pietate divinâ præſumtionem, jam nimiùm aggravatâ) ſicut, vel deſtitui non curâſtis; vel adjuvari perverſè ſperâſtis; ità protegi nunc, aut obumbrari, vos indigniſſimos reddidiſtis. Nec eſt modò locus ullus effugio ſuper. Inevitabile ſtatis ad tribunal, utrinquè conſtricti. Non advertitis, injectos vobis compedes ineluctabiles, per connexa cujuſdam devoti ſtringentia verba?

Geneſ. 46. v. 2.

Si Regem, abſquè purpura, & ſolio, è plebe unum reputans, ſinè Majeſtatis præcone, percutias; veniam de te impetrat ignorantia: nec Majeſtas (etſi læſa percuſſione) *conqueri poteſt; quæ ſe expoſuit ictibus, cùm delituit.* Non eſt veſtra talis, aut par in ullo, conditio: imò illius etiam, ab aſſiſtente Miniſtro, crudeliter inflictæ Domino alapæ, graviſſimâ offenſionê deterior eſt. Signatum ſuper vos lumen lucet vul-

Manſi. Tom. 4. Bib. Tract. 71. Diſc. 3. num. 6. in fine.

Pſalm. 4. v. 5.

vultûs illius; qui ſe veſtris jugiter conſcientijs ingerit; &, cùm nunquam non, tum ſuæ vos Majeſtatis, tum veſtræ ſubjectionis, ac mancipatûs admoneat, omni vos ignorantiæ prætextu evacuat. Jam verò, manus etiam veſtras an non pariter vinculîs conſtrictas perſentiſcitis, ex arctâ redargutione Tridentini Theologi? *Si indignationem concipis juſtam contra hunc ſervum, ſemel, Chriſtum, ignotum, cædentem ſinè cauſa? in te ipſum oculos converte; & agnoſces: à te Dominum tuum, manibîs malorum operum cædi, non ſemel, ſed pluries; non ignotum, ùt ille; ſed, notum DEI Filium.* Quidquid igitur â vobis, quos ità vinctos trepidare jam cerno, contrà ſummi Numinis voluntatem, legésque ſanctas, apertè, vel occultè, ſcienter, volenter, perverſâque deliberatione, & everſâ mente, conſiliôque cum hoſtibus initô, vel, pravis eorum ſuggeſtionibus obtemperando, DEI verò ſanctiſſimîs præceptîs inſuper habitîs, cogitatô, dictô, factôque, cum injuria ſummæ, ſanctiſſimæque Divinitatis admiſſum eſt, ùt læſæ divinæ Majeſtatis Crimen, â vobis totiès commiſſum Actionê præſentî convincam; quoties liberâ voluntate, ſanôque (non dico: præcipitatô, non, confuſô, vel perturbatô) ſed ſanô, ſed ſerenô, ſed arbitrij ſui compote intellectu, mortiferæ rei culpæ facti eſtis.

Salmeron. in Joannem.

VI. Urgeor autem ad hoc omnî contentione demonſtrandum, & condemnandum, eô ipſô nomine, quod â perſecutione rebellis primi ſpiritûs, illius Maligni, qui tertiam noſtræ conditionis partem, contrà ſanctiſſimam tuam Majeſtatem, impiè concitatam, ſuæ perfidiæ ſociavit, in hanc uſquè horam, imò perpetuum, infinita tua Bonitas, & gloria, tunc â me vindicata, Zelo meo decrevit: *Quis, ùt DEUS?* Nec eſt, prout ſibi forſan occinent aliqui, vel de me, vel ſociâ cœleſti cohorte, jam tempus, aut locus, illud cogitandi ſolatium, Seraphicô quondam, dilectô nobîs, â Doctore relictum: *Ipſi ſunt propugnatores noſtri, qui pro nobîs, adhuc viventibûs, bellant; qui in morte nos juvant; qui nos poſt mortem aſſociant; qui nos DEO repræſentant, & noſtros defectus coram eô ſuîs orationibûs velant.* Hæc enim, & ejuſdem ſanctæ, piæquè fiduciæ plura ſimilia, ſanctis â viris, non, fovendæ, vel fulciendæ criminum audaciæ prolata, ſuggeſtáque fuerunt; quibûs protervè, perfrictequè, ſuprema Majeſtas contemnitur, impetitur, offenditur, & violatur; &, quæ longanimen ejus patientiam, quantò & veniam ſæpiùs obtulit, & judicium tardiùs intulit, tantò petulantiùs proculcârunt: ſed ijs duntaxat ea ſuffragantur ſolatia; qui ſo-

S. Bonav. Serm. de SS. Angelis.

ſolicitæ pietatis obſequiîs gratiam, dum ea ſe tenerô pulſu cordis inſinuat, obſervant, admittunt, & amplectuntur; vigilîque ſtudiô, ſuæ ſalutis negotijs urgendis intenti, nihil prætermittunt; quô cœleſtia ſibi patrocinia, tempore opportunô, demereantur. Hoc enim diſcrimen, ore propheticô, Rex ille vates non obſcurè præcinuit: *Dixi: confitebor adverſùm me injuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus, in tempore opportuno: verùmtamen in diluvio aquarum multarum* (cùm ſcilicet, ſuperabundante peccati malitiâ, decretum judicium eſt, veniæque nullus ampliùs, aut auxilio locus ad effugium pœnæ ſupereſt, quæ diluvij jam inſtar exundans non ampliùs eſt eluctabilis) *ad eum non approximabunt.* *Pſalm. 31. v. 5.*

VII. Fruſtra ſanè ſibi pollicentur â nobis præſidiũ; quos tribunal divinum apertum reos jam habet, de ipsâ negligentiâ veniæ ſæpiùs oblatæ, & pœnitentiæ longanimiter expectatæ, & gratiæ ſermè ſemper inſuper habitæ, ac pertinaciter, & contemtim rejectæ, ſeveriſſimè per nos accuſandos. Jam tempus eſt, quô non tantùm cogitanda ſunt perfidis iſtis Majeſtatis divinæ contemtoribus, verùm etiam ſentienda, tolerandáque, quæ Patrum ſanctorum ſolicitus olim terror præmonuit; eorum verò perverſitas, nullius patiens diſciplinæ, tanquàm rigoris nimiùm exaggerati ſpectra quædam, empuſásque fictas exploſerat. Non, non vana fuit Cyrilli comminatio: *Væ ſontibus! cùm ſanctis Angelis odio, & ſanctis teſtibus erunt execrationi.* Seraphicus ipſe Doctor aliud, â priori Bonorum ſolatio, ſenſit, & pronunciavit adverſùs eos; qui læſæ divinæ Majeſtatis rei, ſupremo tribunali jam vincti, pedicísque, manicísque gravati ſiſtuntur. *Tanta*, ait, *erit tunc ſeveritas: quòd, ſi omnes Angeli genua flecterent, & orarent pro aliquo, qui eſſet in peccato mortali, judex non exaudiret.* Sentiant igitur, quod, exoſi, noluerunt audire; cùm, vel oris aurei repetitâ ſententiâ monebantur: *Omnes Angeli erunt cum ipſo, teſtantes: quot, quantáque miniſteria ſua, cùm â Domino mitterentur, ad hominum ſalutem, peracta ſunt*, ſinè fructu: vel, cùm, *formidoloſè penſandum*, purpurati Petri de cautelâ ſuggeſtum erat: *nè illos, qui ad cuſtodiam deputati ſunt, Angelos, vitæ factor offendat; ut potiùs apud DEUM conqueri, quàm ſuâ debeant atteſtatione tueri:* vel, cùm diſertè Bellovacenſis fuerat eis objectum aſſertum: *Angeli perhibebunt contrà impios teſtimonium; ſub quorum cuſtodiâ peccaverunt; quorum doctrinas, monitiones, & Conſilia, nec non interceſſiones, & auxilia, reprehenſio-*

S. Cyrill. Alexandrinus. T. 5. p. 2. Hom. div. ult.

S. Bonavent. in Diæta ſalut. Tit. 9. unico.

S. Chryſoſt. hom. 8. in Matth.

S. Petr. Damiani Lib. 6. Epiſt. 32.

Bellovacenſ. ſpecul. moral. lib. 2. Diſt. 5.

henſiones, & omne charitativum miniſterium contemſerunt.

VIII. Hæc ſunt, quæ veſtrum quidem crimen exaggerant; noſtræ verò defenſionis, forſan ſperatæ, cogitationem omnem, atquè fiduciam, cum inani præſumtione conceptam præcidunt penitùs; accuſationem deniquè noſtram, & æquiorem, quàm initio ſibi veſtra pietas, anguſtiîs extorta perſuaſit, efficiunt; & acriorem, ac vehementiorem poſtulant, exiguntque; quàm ſolet aliàs noſter eſſe, propenſus in hominum ſalutem promovendam, propugnandam, & firmandam affectus. Quoties enim ſalubres, â tutelaribus veſtris inſpiratas admonitiones neglexiſtis? Quoties eorundem, cœleſtis plena lucis conſilia deſpexiſtis? Quoties plenîs quaſi manibûs, oblata per ipſos auxilia petulanter excuſſiſtis? Quoties incuſſos ab ipſis metus, &, exulceratâ ſynteresi, concitatos animi remorſus, obſtinatè compreſſiſtis? Quoties inſtantes eorum reprehenſiones, & objurgationes, diû, noctûque, vigilî curâ, pravis veſtris intentionibus coërcendis adhibitas, obluctante pertinaciâ, reſpectum omnem ſupremæ Majeſtatis contemnente, reſpuiſtis, abjeciſtis, contemſiſtis? Omnis vos offendit ſermo, qui ſalutis admonuit; omnis diſplicuit admonitio, quæ virtutem commendavit; omnis commendatio pietatis, devotionis, & religionis, velut unguis vobis in ulcere fuit: dum averſam â DEO mentem veſtram, & inveteratæ veſtræ malitiæ, contrà Dominum, Creatorem, & Aſſertorem, conjuratæ crudeliſſimum odium attigit, attingendóque, ſimul, ùt culpavit, exaſperavit. Vos enim fuiſtis illi, *auditores nimiùm delicati, qui* (prout queſtus de vobis Bernardinus Eccleſiaſtes ex noſtro ſpiritu fuit) *vellent intacta pertranſiri vitia.* Nunc igitur, præter horrorem, horrendásque criminationes, veſtríque Criminis acerbiſſimas condemnationes, nihil aliud â nobis expectate. Pro Cauſa ſupremæ Majeſtatis offenſæ, jam unà mecum Tutelares omnes veſtri, junctîs viribûs, in condemnationem apertæ veſtræ perduellionis, Diabolicâ, ſi non in omnibus, in multis tamen haud multùm inferioris, conſpirârunt. En! *gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in Nationibus, increpationes in populis; ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: ut faciant in eis judicium conſcriptum.* Nullus eorum adverſatur huic propoſito: dum, offenſæ divinæ Majeſtatis injuriâ, nemo non eorum offenſus; nemo non magis, quàm ſi læſus foret ipſe, læſus eſt:

S. Bernardin. ſenenſ. Tom. 3. ſerm. in ſeptuag. art. 2. c. 1.

Pſalm. 149. v. 5.

Glo-

Idem. Ibid:

Gloria hæc eſt omnibus ſanctis ejus: quòd honorem divinum zelaverint: quòd gloriam ſupremi Numinis, adverſùs ejus rebelles, hoſtes, ac perduelles vindicaverint: quòd univerſum abſterrere Mundum ab illo crimine contenderint; cujus nullum, ſicut inter homines adverſùs humanam, ſic nullum eſt patrocinium inter cœlicolas, adverſùs divinam, cœlique, terræque, ſupremam Majeſtatem admiſſi. *Quis, ùt DEUS?*

Vide Schard. cit. loc. V. Crimen.

IX. Quodſi læſæ Majeſtatis humanæ tam eſt vindex juſtitia terrena; ut nemo ſit ab aditu tribunalis excluſus, nemo non, ad cauſam agendam idoneus non tantùm, ſed etiam authoratus (*eſt enim crimen adeò atrox: ut, in quæſtionibus læſæ Majeſtatis, Papinianus dixerit, debere etiam mulieres audiri*) vererer ſanè, per homines ipſos redargui: ſi, qui ſum divinæ tuæ Majeſtatis primus, nominis, & muneris prærogativâ vindex conſtitutus, gladiôque, velut inſignî juſtitiæ vindicandæ donatus, tacerem, ac diſſimularem; quod pietas omnis deplorat, fides omnis accuſat, zelus omnis deteſtatur, & execratur. Non enim occulta ſunt ampliùs conjuratorum vota, conſilia, ſtudia; quibûs tuum, O DEUS! evertere regnũ, ejúsque ſceptrum, ac Poteſtatem convellere, Providentiam tuam excæcare, Sapientiam eludere, Immenſitatem conſtringere, Omnipotentiam ligare, Bonitatem opprimere, Sanctitatem contaminare, Jus demùm, & Juſtitiam omnem eripere, tollere, &, unà cum tremendâ nobis omnibus, ac damnatis etiam ſpiritibus reverendâ Majeſtate, protritam, conculcatámque voluerunt, optaverunt, &, ut aſſequerentur, quod intenderant, nihil non, iſti, gravium rei ſcelerum moliti fuerunt.

X. Exaggerationem huic ineſſe objurgationi, nemo, ſinè violentâ conſcientiæ ſuæ reclamantis oppreſſionê, cogitare poteſt. Jam eſt hæc obtrectandi inſania, pridem erepta ſceleratis omnibus, per Maſſilienſem, illum Criminoſorum Cenſorem, Salvianum: *Dicet aliquis: non ſe hôc animô facere; quô, aut contemnat DEUM, aut vilem putet. Omnibus, criminoſiſſimis reis, excuſatio iſta ſuppetit: non ſe hôc animô fornicari, quô DEUM ſpernant. Sed, quid prodeſt malis hæc excuſatio? cùm nihil interſit, quâ ſe quispiam dicat peccare cauſâ; cùm ſit omne peccatum Divinitatis injuria*; quâ divinas omnes perfectiones hoſtiliter invadit; &, quantùm in ipſo quidem voto, tacitâque peccati machinatione, ſeriò diſcuſsâ, deprehenditur, non tollere tantùm DEUM intendit; ſed, aggreditur etiam, ac deſtruere attentat. Exprobravit

Scharàius in Lexico juridi: F. R. v. Crimen.

Salvianus. Lib. 4. relatus à Magir. fol. 1846. n. 26.

vit hoc Claræ vallis Abbas, accuſans ipſe quemvis peccati gravis reum, eâ de malitiâ: *quâ in ipſum deſævit authorem; &, quantùm in ipſo eſt, DEUM perimit. Omninò enim vellet: DEUM, peccata ſua aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut neſcire.* (Advertite! quô tendat iſta malitia; quid intendat hæc manifeſta veſania) *Vult ergo: Eum, non eſſe DEUM: quia, quantùm in ipſo eſt, vult, eum eſſe, aut, impotentem*; qui ſcilicet peccata, quibûs ejus Bonitas offenditur, punire non poſſit: *aut, injuſtum*; qui pervicaces legum ſuarum transgreſſores vindicare non velit: *aut, inſipientem*; qui, perverſas voluntates, flagitioſas conſpirationes, criminoſas actiones, adverſûm infinitam ſuam Sanctitatem admiſſas, ignoret. An hoc aliud eſt? quàm, velle: DEUM non eſſe. Jam verò, dum ad omne flagitium omnipotentiæ divinæ concurſus inflectitur; ex quo principium eſt omne, cujusquè motûs, ac vitæ: dum ad omnem rerum creatarum vetitum uſum, Providentia divina pervertitur; cujus ordine univerſa ſubſiſtunt: dum ſceleratum quodvis ad propoſitum, divina Sanctitas, in obſequium quaſi cogitur, ac torquetur (prout per Iſaiam exprobratum eſt: *ſervire me feciſti in peccatis tuis: præbuiſti mihi laborem, in iniquitatibus tuis*) quid hâc tortuoſâ violentiâ, non ſolùm intenditur, optatur, & quæritur (utì prioribus ex injurijs declaratum eſt) ſed, ipſô factô, ipſô auſu, ipſâ contentionê, ſummæquè Sanctitatis, Poteſtatis, & pijſſimæ Voluntatis profanationê, ùt ità dicam, quid, inquam, nisì peremtio, deſtructio, & annihilatio divinæ Majeſtatis attentatur? Hominum eſt hæc, & non noſtra tantùm, Angelorum, ſententia: *Unum peccatum mortale, cùm ſit contra DEUM, Deoquè injurioſum*, judicê Sylveirâ, *quantùm in ſuo affectu, DEUM eſt ſpolians ſuâ Divinitate: &, longè major eſt injuria DEI; quàm ſit omnis injuria, in univerſos Reges perpetrata.*

S. Bernard. Serm. 3. de Reſurrect.

Idem. Ibid.

Sylveira. in cap. 18. Matth. v. 24.

Iſaiæ. 43. v. 24.

XI. Et hæc, in DEUM? & homines? quinam iſti? &, quis ille? Deficit hîc etiam Angelicus intellectus: quidquid enim illâ ſummâ de Bonitate cogitatio noſtra concipit, dum infinitam nequè comprehendere, nequè effari ſufficit, omnia quidem, non omnî tamen modô, Unum Omne dicendo, dixit. Hoc autem in Unum Omne, ſummúmque Bonum, viliſſima conſurgere creatura; eidem obſiſtere, & repugnare; eandem execrari, ac deteſtari; adversùs eam arma movere; & (quod horrendum eſt, etiam cogitatu, dictu verò terrificum) impias in Majeſtatem illam extendere manus; eandémque contumeliîs, & blaſphemiîs graviſſimîs laceſſendo irri-

irritare; quis? quantum hoc ſit piaculum? quàm enorme crimen? nisì, DEUS ipſe, ac ſolus, cujus infinita Sapientia creatum omnem ſenſum exſuperat, cenſor æquus, aut accuſator ſufficiens, aut Judex, aut Vindex pro merito decernet? Aliquid gravitatis hujus, & immenſurabilis enormitatis Ecſtaticus ille Richelius, in extremam condemnationem veſtram expreſſit, illâ ſuâ argumentationê ſtringente:

Dionyſ. Carthuſian. Opuſc. de enormit. peccat. Art. 6.

Quantò is, in quem peccatur, majoris eſt dignitatis, ſublimioris authoritatis, eminentioris majeſtatis; tantò peccatum reputatur enormius. Cùm Deus, contrà cujus legem, & contrà quem omne peccatum committitur, ſit prorsùs infinitæ Majeſtatis, incomparabilis dignitatis, ſuperaltiſſimæ authoritatis, certiſſimè innoteſcit: quòd peccatum, ex hac parte, ſit quodammodô infinitæ enormitatis; atquè incomparabiliter gravius omnî offenſâ in puram Creaturam. Conſentiunt in idem judicium, quotquot rectè ſentiunt, omnes; ità, ut legaliter etiam definitum ſit:

Extra: de hæred. Cap. Vergentis.

Longè graviùs eſt, æternam, quàm temporalem, lædere Majeſtatem. Quô verò rigorê, quàm ſeverô, terribilîque judiciô, Majeſtatis humanæ qualiscúnque temeraria violatio, delata forſan ad humanæ cenſuræ bilancem expenditur? etſi nihil per eam, niſi ſolus quidam character Numinis, & mortalis tantùm umbra ſupremæ, æternæquè Majeſtatis, atquè, quod crimini non parùm detrahit, ab homine, conditionis ejuſdem participe, ſit offenſa. Veſtra jam, quanta ſit culpa; quantum inſuper eidem inſit juſtiſſimæ damnationis præjudicium; ex hoc ipſo formidabiliter cogitate. Vel, ut plùs de reatûs veſtri gravitate, quantùm in ſe ponderis habeat, animabûs veſtrîs ad barathrum infernale meritò deprimendîs, percipere, ſentiréque valeatis; illud ipſum flagitium, quod in ſacrilego Domini Servatoris percuſſore deteſtati quidem eſtis, injuriâ tamen longè atrociorî, quia cognitionê clariorî, &, audaciâ frequentiorî multiplicatum ipſismet in vobis deprehenditis, apprehenſum expendite, judicate, & condemnate. Quisquis enim lethalî noxâ tenetur obſtrictus, teſtibûs nobîs omnibûs, ab illo Sancto, qui non peccavit labiîs ſuîs, tanquàm ſupremæ Majeſtatis percuſſor impius, infamatus, & accuſatus eſt, verbîs apertîs: *Tetendit adverſùs DEUM manum ſuam, & contrà Omnipotentem roboratus eſt.* Iſte peccatoris, in DEUM pugnantis, Numini contumacis, Domino ſuo rebellis, in eum armati, comparati, roborati, conatus, auſus, & inſultus proh! quantus eſt?

Job. 1. v. 22.

Job. 15. v. 25.

XII. Jam verò, & illud â vobis, quod negare non poteſtis, expreſſum, confeſſúmque palàm

làm exigo. Quid hoc ſceleris, quid criminis eſt? manum extendere contra DEUM? robur, & acceptas â Creatore, corporis, animíque vires in ipſum Conditorem violenter exerere? quæ liberaliter ab omnipotente collata ſunt, adverſùs munificum largitorem, in miniſterium iniquitatis convertere? Domino ſupremo legitimè ſubjectos â debitæ cultu devotionis avertere? ſummæ poteſtati, initâ cum ejus hoſtibus conſpirationê, repugnare? pervicaciter, ejus mandata detrectare? leges, & ſtatuta patentibûs manifeſtata litterîs protervè explodere, dilacerare, conculare? Miſſos ejus, & Nuncios, authoritatis omnis reſpectu negatô, contumeliîs inſuper, & probrîs affectos profligare? quæ ſunt â DEO, ſupremi jurê Dominatûs interdicta, in ipſius ejus oculîs, omnî metu, reverentiâ, ſubmiſſionê procul miſſâ, perfrictâ fronte comittere? ſocias in omnê ejus perſecutionem facultates, juratis ejuſdem inimicis conjungere? conſilium, & auxilium, non undequáquè tantùm exigere, cogeréque, ſed, ſolerter etiam, & impenſè conferre in omne nefas; per quod, vel obſequium ejus turbari; vel gloriæ incrementum ſupprimi; vel ſacroſancti nominis ejus, & fidei, & religionis prædicatio, propagatio, debitáque ab univerſô Orbê adoratio, itáque regni DEI ampliſicatio prohiberi, coërceri, evertíque quàm perniciosiſſimè poſſit? Non eſt hoc, voce preſſâ, cenſurâ ſtrictâ, definitionê propriâ, maximéque congruâ, læſæ Majeſtatis Divinæ Crimen? præſertim, cùm omne, quod allatæ criminationis argumentum continet, &, in accuſationem veſtram, Angelicâ ſub nubê teſtium, allegatum eſt, eorum ſit execranda malitia, ſumariáque perverſitas; qui ſummô jurê, titulîs omnibûs, omnîque, quod excogitari poteſt, nomine ſubjectionis, divinæ poteſtati ſubditi ſunt: quô ſolô, vel inter homines, reatus Majeſtatis læſæ contrahitur: *quia, nemo poteſt fieri Criminis læſæ Majeſtatis reus; nisì fuerit ſubditus.* *Clement. Paſtoral. §. rurſus. de rejudicat.*

XIII. Non eſt hæc, â me congeſta, nimiùm extenuata, fragilíque mortalium infirmitati, penitùs atterendæ, per ſubtilitatê angelicam, plùs, quàm par eſt, exaggerata criminatio cenſenda. Sic inter homines ipſos, de Deo, rebûſque divinîs, ex pondere ſanctuarij arbitrantes, ſtatutum ſemper, pronunciatúmque fuit: ut, quisquis offendere DEUM, Conditorem, authorémque ſuũ, ac, Univerſi ſupremum Dominum, ſciens, volénsque præſumſerit; huic, de quo vos univerſim redarguo, ſceleri ſit obno-

obnoxius judicandus. Hôc ſenſu dixit Abbas ille religioſiſſimus: *Exaggera, & aggrava ipſa peccata; quibûs tu deſpicabilis, & abjectus homuncio, creatorem cœli, & terræ, Dominúmque ſummæ Majeſtatis inhonorâſti, & contemſiſti; eíque infinitam irrogâſti contumeliam*: quaſi verò ſatìs nequeat exaggerari, vel aggravari, quovis in peccato reperta, *ſummæ Majeſtatis inhonoratio.* Hôc judiciô definivit Chartuſianus Richelius: *Quantò ſublimior eſt majeſtas, majórque ſanctitas; tantò enormiùs eſt, in eam peccare, ei non obedire, ipſam inhonorare.* Cùm *DEUS æternus, ac adorandus, ſit immenſæ Majeſtatis, infinitæ Sanctitatis, Æquitatis, & Perfectionis: peccatum omne, quantùm contrà ipſum, & ejus præceptum committitur, infinitam quòdam modô gravitatem, & enormitatem contrahit*: ut, quod in hominem admiſſum, ſimplex eſt, infinitæ veluti malitiæ ſit, irrogatum DEO Crimen. Nec eſt alius cujusquam alterius de Numinis offenſâ ſenſus: omnes, cum Angelico Doctore, malitiam ejus, & gravitatem, utì ſuprà cujusvis humanæ dignitatis, & bonitatis, & majeſtatis perfidam violationem extollunt; ità pondus illi tribuunt etiam unico, ac ſoli, vehementius; quàm cumulatis cæteris omnibus, læſæ mortalis majeſtatis criminibus, vel ineſt naturâ, vel adjicitur arbitrantium ſeveriſſimorum opinionê. Abundè ſufficiet, pro ſexcentîs aliîs, Divi Bernardini Theologicum aſſertum, quô totius veſtræ temeritatis, & irreverentiæ, perverſitatis, & inobedientiæ, pravitatis, & perfidiæ, cum extremæ perduellionis, & hoſtilitatis enormî reatu conjunctæ, ſummaria redargutio, quôdam quaſi breviariô complexa perſtringitur: *Mortalis culpa*, ait ille, *offendit infinitum DEUM: ſed, quantus eſt Sanctitate, & Bonitate, & omnimodâ Nobilitate, & Dominationis jurisdictione; atquè amicitiæ, & gratiæ, atque magnificentiæ magnitudine ille, qui offenditur; tantò magis eſt ponderanda ejus offenſa. Cùm igitur DEUS in omnibus his ſit infinitus: ideò offenſa contrà ipſum eſt quôdam modô infinita.*

XIV. Penitiùs jam, ut arctiùs reatum veſtrum perſtringam, ipſæ proprietates explorandæ ſunt; quibûs implexa criminis illius malitia tantùm ſuprà cætera delicta pondus acquirit; ut, & læſæ majeſtatis arbitrium, & æternam, etiam ipsâ morte, nec eluendam infamiam, nec abolendam damnationem ſortiatur. Quidnam tandem illud eſt; quod inter mortales crimen læſæ majeſtatis eſt? Ulpianô definitore illud eſt; quod adverſùs populum Romanum, vel adverſùs ſecuritatem ejus committitur; quô, per legem Juliam Majeſta-

Blofius, Inſtit. vit. Aſcet. medit. 1. Diviſ. 4.

Dionyſ. Carthuſ. locô cit. Art. 4.

S. Thom. in 4. Sent. Diſt. 15. q. 1. Art. 3. ad 1.

S. Bernard. T. 2. ſerm. 11. Art. 1. cap. 1.

L. Quisquis, penultima. Cod. ad leg. Jul. Majeſt.

Schardius. in Lexico Jurid. Rom. & Pontif. jur. V. Crimen.

jestatis tenetur; qui in bellis cesserit, aut arcem tenuerit, aut ea castra non cesserit; qui injussu Principis bellum gesserit, delectúmve habuerit, exercitúmque comparaverit: quivè, cùm ei in provincia successum esset, exercitum successori non tradiderit; aut aliîs modîs majestatem publicam læserit. Unde, receptâ jam, hujus etiam ævi, sententiâ communî, *Crimen læsæ majestatis est; ubicúnque quis contra Principem, vel urbem aliquid molitur; aut, qui profugit ad hostes; vel, illos juvat, qualicúnque causâ, scilicet armîs, consiliô, vel pecuniâ: vel, qui subjectas provincias nititur facere rebelles; vel seditiones, aut bella movet in civitate; vel, qui Prælatum, Magistratum, aut Principem occídit; vel, qui contrà latus ejus militat; vel arma fert, & occupat, contrà rempublicam:* quod, etiam perduellionis crimen dicitur, id est, hostile. Ad extremum, etiam illis Majestas læsa crimini datur; *qui de necê virorum illustrium, qui consilijs, & Consistorio Imperatoris intersunt; Senatorum etiam, vel cujuslibet, postremò, qui Imperatori militat, cogitaverit: quia is, qui de necê talium virorum cogitat, Imperatorem ipsum offendit: Nam & ipsi,* inquit, *pars corporis nostri sunt.* Hîs ergo delictîs, etiam cogitatîs, ac, solâ tantùm voluntate constitutîs, vel, cæcô moliminis ausu tentatîs compeditus quisque, si læsæ crimen Majestatis contraxisse damnatur in humanis tribunalibus (cùm nihil non eorum, & graviorî quidem omnia cum injuria, lethiferîs quibûsque supremi Numinis in offensîs deprehendantur) an subtilitatis angelicæ, nimiúmque perstringentis censuræ, nostram hanc Actionem arguere, lamentabilî quâdam protestationê, vel querelâ poteritis? Ipsi de delictis vestris decernite; quibûs, non ignorantes, non præter arbitrium, aut propriæ voluntatis consensum, non impulsu præcipitî mentis in alia distractæ, nec advertentis; sed legis conscij, fœditatis interdictæ gnari, scientes itaquè, volentésque Majestatem supremã offendere non horruistis. Quid hôc pravô consensû, decretum â vobis, vel ausu ipsô tentatum, vel ipsô facinore perpetratũ, consumãtumque existimatis? Ipsi ergo jam judicate; sed ex Dionysij doctrinâ, rectôque judiciô: *Rectus ordo,* ait ille, *exigit; ut inferior, suo superiori subdatur: ut effectus, ad suam causam convertatur; ut creatura intellectualis, suo creatori, ùt beatificanti principio, inmitatur. Hoc totum peccatô subvertitur: quia per ipsum mens creata suo Conditori rebellis est; eique, quasi dorsum in faciem vertit.* Rebellionis in peccato malitiam agnoscitis? Quid porrò dici manifestiùs, ad

Idem. Ibidem.

Facbin. in Controvers. jur. Lib. 9. cap. 32. d. l. Quisquis.

Dionys. Carthus. locô cit. Art. 4.

ar-

arguendæ Majeſtatis offenſæ crimen; quid atrociùs, ad ſummam ejus, etiam ipsâ morte non expiabilem, malitiam pronunciandam expectari poteſt? Sed, quid ſentietis porrò? cùm audieritis, ex ejuſdem Carthuſiani cenſurâ: quòd, omne peccatum grave, ſit, *divinæ Bonitatis contemtus, divinæ Majeſtatis injuria, divinæ Sanctitatis offenſio, contrà divinam Voluntatem rebellio, divinæ Sapientia dereliction, propriæ voluntatis impletio, infectio animæ, & vulneratio virium ejus, peremtio gratiæ, imitatio dæmonum.*

Idem, Ibid:

XV. Nihil jam his aliud ſuperaddendum cenſeo: ſolum inquiro: cùm offenſæ majeſtatis criminê teneatur; qui contrà Principem, vel urbem, aliquid molitur: non tenebitur graviùs eôdem criminê; qui contrà Deum, & ejus Eccleſiam, quod legibus utriúsque repugnat, attentat? Illius damnatur; qui fugit ad hoſtes; vel eos, quocúnque modô, conſiliô, armîs, & pecuniâ juvat: & non damnabitur enormiùs, eôdem pollutus; qui violatô Baptiſmatis juramentô, conjuratis DEI hoſtibus, Mundo, Carni, Dæmoni, totus accedit; &, ex eorum voto, non ſuas tantùm omnes, tam externas, quàm internas vires, & facultates, ſed ſe totum, in eorum obſequium, DEO duntaxat impugnando deſtinatum, addicit, conſecrat, impendit, expendit, exhaurit? Illô vinctus cenſetur; qui ſubjectos in ſeditionem excitat, & â fidelitatis obligatæ ſacramentô ſeducit: nec cenſebuntur eâdem perduellionê conſtricti, longéque duriùs, & iniquiùs innodati; qui perverſæ vitæ moribûs, vulgo perſuasîs; & pravæ doctrinæ peſſimîs inſtitutîs, legê donatîs; habitu inſuper laſciviam propinante, & ſermone libidinem provocante, cæterîsque ſtudiîs proſtitutæ converſationis, nihil aliud moliuntur; quàm, in Diaboli mancipatum, & vitiorum tyrannidem, & religionis perfidiam, abſtractas ab obſequio, cultuquè Dei, innumeras, ſecum, animas inducere, perderequè? Majeſtatis humanæ rei decernuntur; qui, Magiſtratum, Senatores, Militésque, Principis nomine præcipientes, conſulentes, & pugnantes, violenter aggrediuntur, lædunt, aut necant: nec idem ſtatuendum ſit in illos; qui Chriſtos Domini, conſpicuos inſulîs, characteribûs inſignes, divinæ voluntatis interpretes, legis ejusdem doctores, vicariâ ſupremi Numinis poteſtate graves, ac venerandos, quibus omne, ligandi, ſolvendíque miniſterium, authoritatê ſupremâ commiſſum eſt (ut inſtar oris, ac manûs, ipſius velutì Numinis loquentis, ac operantis, habeantur, & obſer-

ſerventur) contumaciter deſpiciunt, perſequuntur, injuriîs, & contumeliîs, ac tantùm non plagîs, atquè vulneribûs, ipſâque morte, paribûs certè, ſi non, omnî nece etiam gravioribûs perſecutionibûs affligunt, excruciant, mortificántque? Quid dicam ampliùs? qui monetam adulterant; qui regia ſigilla mentiuntur; qui Cæſaris imaginem probrosîs deformationibûs corrumpunt; qui petulantibûs auſibûs, ædes, aut palatium regale profanant, ipsô factô læſæ majeſtatis crimen incurrunt: quid ergo ſtatuendum aliud in illos; qui ſuum ipſi corpus, domum, ac templum ſummi Regis, per illicitas voluptates contaminant? qui ſuas ipſi animas, ad imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis, mirabilî potentiâ, ſapientiâ, bonitatéque formatas, per fœdiſſimorum ſcelerum inquinamenta conſpurcant? qui numiſma divinum, quod in ſemetipſo quilibet ex pretio redemtionis accepit, per infamem ſimulatæ pietatis, fidei, religionis, chriſtianæque pietatis hypocriſin, adulterant, corrumpunt, &, cum igenti Divinitatis injuriâ, fraudéque ſalutiferæ religionis depravant? Proh! quantum, his in exceſſibus, læſæ divinæ Majeſtatis delictum eſt? Agnovit hoc Seraphicus Doctor; cùm admonitos voluit fideles: *Nummus anima eſt; quam Dominus maximè in morte examinat: ut imaginem ſuam quærat.* Judicavit idem Imperfectus Chryſoſtomi; cùm hortatus pariter univerſos admonuit: *Illibatam ſemper DEO imaginem ſuam reddamus; non ſuperbiæ faſtu tumidam; non hypocriſis duplicitate contectam; non luxuriæ ſordibûs contaminatam.* Poſtremò, tale fuit & Auguſtini, ſeveriſſimi Doctoris judicium, comminantis cum Apoſtolo: *Si quis templum DEI corruperit, corrumpet illum DEUS. Videtis: quomodò minatur? Hoc juſſit; hoc præcepit: nè per illicitas voluptates corruat templum ejus, quod eſſe cœpiſti. Quare corrumpis domum DEI?* Teipſum?

S. Aug. Tom 4. lib. de decem chord. C. 10.

Idem. Ibidem.

S. Hilarius. apud Sylveir. Tom. 4. Lib. 6. cap. 46. Quæſt. 10. num. 64.

S. Bonavent. ſerm. 2. in Dom. 22. poſt. Pent.

Imperfectus, homil. 42.

S. Auguſtin. loco cit.

XVI. Unum ſupereſt, quod abnuere nemo poteſt: ùt enim impoſturam regiæ dignitatis, & affectatæ poteſtatis uſurpationem, ſimulatione non tam perſonæ, quàm juris, obtentam, nullus eſt, qui non capitale velut crimen, offenſæ, deſpectæ, rejectæque, per tam enormem audaciam, audáxque mendacium, Majeſtatis condemnat: non erit ſanè cerebri tam infirmi, tam everſi, perditique judicij ullus, etiam criminoſiſſimorum hominum, qui totâ jam mente exorbitârunt: quin, manifeſtum in eo crimen, omnes, extremè læſæ divinæ Majeſtatis criminabuntur; qui, quamcúnque rem aliam creatam, aut ſuum ipſe ventrem,

aut

aut honorem ſuum, aut ſemet-ipſum DEO præfert, numinis inſtar habet, colítque, & haberi, colíque concupiſcit. Hoc autem jam vos ipſos, omnésq; condemnat, *quorum DEUS, venter eſt.* An non idem ipſum adverſùm vos queſtus jam pridem Didacus accuſavit? *Hóc modô peccator cum Deo agit: ſuos appetitus, & libidines pluris habet; quàm illum.* Ore vatis Evangelici jam olim divino tribunali delatum hoc fuit: *Repleta eſt terra Idolis! opus manuum ſuarum adoraverunt.* *Ridiculum* autem, viſum eſt S. Hieronymo: *quòd aliquis judicetur idololatra; qui duo grana thuris offert creaturæ; quæ debuit DEO offerre: &, ille non judicetur idololatra; qui totum ſervitium vitæ, quod DEO debuit offerre, offert creaturæ.*

Philipp. 3. v. 19.

Didacus de ſtella. in cap. 11. Lucæ.

Iſaiæ 2. v. 8.

S. Hieron. in Epiſt. ad Ruſtic.

XVII. Superat hoc profectò, ineffabiliter, omnem illam læſæ terrenæ majeſtatis injuriam; quâ regium in thronum, arrogatâ, vel ſimulatâ poteſtatis authoritate, ſeſe, vel ſubditus rebellis ingerit; aut impoſtor fraudulentus extollit. Cuilibet enim peccato geminus hic, extremæ dementiæ, perfidiæque, cum idololatriæ infamiâ, conjunctus auſus eſt. Duo nempè quôlibet in delicto, contrà ſupremum Numen admiſsô, infanda reperiuntur: averſio mentis, â ſummo Bono (quod malitiæ caput eſt) & converſio mentis, ad creatum bonum: quod, ſerpentis venenati velut appendix, & extrema abominatio eſt; & idolum illud horrendum, terribiléque conſtituit; ſuper cujus monſtrô læſus ipſe DEUS, cœlos omnes in ſtuporem, ac deſolationem provocavit, per Prophetam: *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc! & portæ eius deſolamini vehementer! Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt!* En, averſionem, repudiationem, rebellionem, & defectionem. *Et foderunt ſibi ciſternas!* En, converſionem impiam, ſceleratam, contumelioſam, idololatricam! quâ *iſta carnalia, carnémque, mox morituram, fœtentem, & ſordibûs intùs repletam, ſupermundiſſimæ* (utì pijſſimâ locutus eſt emphaſi Dionyſius) *Divinitati, & ſuperinfinitæ Bonitati Creatoris ſui præferunt, prædiligunt, præhonorant!* Heu! *Quis, ut DEUS!* Atque hîs tantîs in offensîs, quibûs totus propè terrarum orbis involutus, diluviô meretur univerſalî deleri continuò, nos, quibus tuendæ divinæ gloriæ zelus, cum nominis, ac muneris immeritâ prærogativâ tributus eſt, tuum, O Majeſtas, infinitè amabilis, infinitè ſapiens, infinitè juſta, non tuebimur honorem? non vindicabimus ſanctitatem? non, ut condignâ damnatione pereat, Crimen tam enorme, ſanctiſſimo tuo tribunali ſiſtere, meritásque urgere ad pœnas debui-

Jerem. 2. v. 12.

Dionyſ. Carthuſ. de enormit. peccati. Art. 5.

buimus? Qui manum parricidalem extendit in Principem; nunquid, poſt horrenda ſupplicia, diſtractus equîs, & quadripertitò dilaceratus, palîsque ſublatus, monumentum eſſe debuit jam ſæpiùs, vindicati ob læſam majeſtatem criminis diuturnum? An non & maledicis adverſùs Reges, vel mutilata, vel evulſa lingua, criminis tanti ſupplicium fuit? Qui monetam, Principis imaginê ſignatam adulterat, inductâ publicum in detrimentum corruptelâ, nullum, rogi tormentô, certius aliud, ac mitius habet. *Qui hoſtes concitaverit, quivè opera hoſti tradiderit; pœnam capitis dato*: ſic legê ſancitum eſt: & quamvis omne aliàs crimen mortalitatê extinguatur peccantis; unum vivit, manétque perpetuæ obnoxium pœnæ; *Si quis fortè Majeſtatis criminê reus fuerit*; ità ſcilicèt: *ut, ſi quid contrà Majeſtatem Imperatoris commiſſum dicatur; etiam poſt rei mortem, id crimen inſtaurari ſolere*, humanô rigorê decretum ſit. Quantô magìs æternô videbitur ſuppliciô damnandum, afficiendum, ac torquendum, æternæ Majeſtatis læſæ, Crimen immane, incomparabile, ineffabile?

L. 12. Tabul. cit. à Schardio locô cit.

L. Quisquis. Cod. ad leg. Jul. Majeſt. & penult.

XVIII. Vindicem ergo ſuæ Majeſtatis Altiſſimum eſſe; nec antiqua ei, plectendis maleficis, fulmina, ſuppliciáque deeſſe ſentiant; qui, cum probro ſuæ premæ juſtitiæ, nihil verentur minùs; quàm, ultrices è cœlo pœnas: dum neminem offendunt audaciùs; quàm Cœli, & Angelorum Dominum. Non eſt, qui præſumat hiſcere, vel frontem contrahere, vel attollere ſupercilium, ſolâque turbati vultûs intemperiê, minùs placidæ mentis affectum Principi ſuo, non eâ, quâ par eſt, ſubmiſſionê devotum prodere: manum autem extendere, ſtringere gladium, in faciem ſpuere, contumeliam eructare, debitum obſequium detrectare, tantùm abeſt, ut palàm audeat ullus, metu juſtitiæ vindicis, è veſtigio, ſuum in caput proritandæ: ut, altiſſimâ malaciâ, vehementiſſimas etiam tempeſtates latentis in profundo corde perfidiæ diſſimulare contendant. Tuæ verò ſolius divinæ poteſtatis, quæ tamen terminîs nullîs ligata, nullîs obſtaculîs impedita, cunctas, ad ultionem inimicorum armatas, & obſequentes, quascúnque voluerit, omnî momentô, creaturas habet, nullus eſt reſpectus, nullus metus: dum nullus eſt Phinees; qui arreptô pugionê, protervam tuæ legis transgreſſionem, Iſraëlitê, cùm ſcorto Moabitico, ſimul transfoſſô, continuò plectat: nec prorumpit ſacer Mathathiæ furor, *ſecundùm judicium legis* accenſus, Judæum, in omnium oculis, idolo temerariè

Sapient. 5. v. 18.

Num. 25. v. 8.

2. Mach. 2. v. 24. 25.

rariè immolantem, ſuper ipſam aram trucidans. *Auget autem gravitatem peccati, accumulátque contemtum in DEUM: quòd in conſpectu, & præſentiâ Creatoris, Salvatoris, atquè Judicis fiat*: prout agnitum, & exaggeratum â Dionyſio fuit. Dionyſ. Carthuſ. locô cit. Art. 10.

Sed, *uſquequô peccatores, Domine? uſquequò peccatores gloriabuntur? Exaltare, qui judicas terram! ut Prophetæ tui fideles inveniantur*; per quos minatus es: *Væ! genti peccatrici, populo gravi iniquitate, filijs ſceleratis! Dereliquerunt Dominum; blasphemaverunt ſanctum Iſraël; abalienati ſunt retrorſum! ſuper quô percutiam vos ultrà, addentes prævaricationem? Deſolabitur, ſicut in vaſtitate hoſtili, & derelinquetur filia Sion!* Ut quid enim terram poſſidet, & beneficiîs tuæ Bonitatis abutitur? An, ut incraſſata quotidiè magis, & impinguata, tantò petulantior, quantò robuſtior, inſultet Majeſtati tuæ? Pſalm. 93. v. 3. & 2. Eccli. 36. v. 18. Iſaiæ 1. v. 4.

XIX. Memineris judicij tui terribilis; quod *Angelis peccantibus non pepercit; ſed, rudentibûs Inferni detractos, in tartarum tradidit, cruciandos, in judicium reſervari.* Quî poterunt adhuc luce tuâ frui, non involuti, ſepultique tenebrîs æternîs? quorum omnis halitus, non eſt, niſi lutulentæ fœtidiſſimus vapor uliginis, obnubilando ſplendori Nominis, & gloriæ tuæ, perpetuâ infeſtatione conſurgens, ad inducendas, fieri ſi poſſet, univerſæ pietati, fidei, virtutique tenebras. Ipſe Mundus melior diù jam abs tua juſtitia poſtulat, & expectat, quod æquiſſimum judicat, perverſitatis tantæ ſupplicium. Magni Gregorij Pontificale judicium ità cenſuit: *Qui mala ex judicio faciunt; diſtrictius contrà ſe judicium accendunt: ut tantò eos durior ſententia feriat; quantò illos in culpa arctiùs vincula deliberationis ligant.* Secùs peccandi finis non erit: tua magìs indiès, niſi per juſtitiam ſentiatur vigil, conſcia malorum, poténsque ferire, vileſcet Majeſtas; imò, quod veremur, non agnoſcetur, non credetur ineſſe cœlo DEUS ampliùs ab impijs: quia, dum *auferuntur judicia tua â facie ejus, non eſt DEUS in conſpectu ejus*: quodquè graviùs; jam *dixit*, impius, *in corde ſuo: non eſt DEUS.* Placeat ergo Majeſtati tuæ decernere vindictam. Omnes mecum angeli non aliud, quàm ſanctiſſimæ tuæ voluntatis imperium expectant. Vis? ut, quemadmodum tuæ Majeſtatis blaſphemiam, vindicê quondam gladiô ſum ultus, excidiô rebellis, & inſultantis Aſſyrij? Ecce! in manibus adhuc meis idem, *ultor iniquitatum gladius eſt. Vis? percutimus in gladio.* S. Gregor. M. p. 3. Paſt. admonit. 38. Pſalm. 9. v. 5. Pſalm. 13. v. 1. 4. Reg. 19. v. 35. Job. 19. v. 29. Lucæ. 22. v. 49.

XX. *Converte gladium tuum in locum ſuum.* Non eſt hic locus vindictæ, ſed gratiæ; non eſt mortis judicium iſtud, ſed vitæ; Matth. 26. v. 52.

non apertum est hoc tribunal damnando, per severitatem, misero peccatori; sed, per misericordiam asserendo, servando, salvandóque. *Mihi vindicta!* *Rom. 12. v. 19. 21.* *&, ego retribuam*, non, perdendo; sed, vincendo *in bono malum.* Qualis ego Mundi Redemtor? qualis Filius DEI altissimi? per me si non pateret aditus, cum fiducia, ad thronum gratiæ ijs; propter quos descendi de throno gloriæ, Majestatis exinanitô terrorê; ut, *factus in similitudinem,* *Philipp. 2. v. 7.* non hominum duntaxat, sed, *carnis peccati*, essem omnibus, *Rom. 8. v. 3.* *propitiatio pro peccatis*; &, *causa salutis* *1. Joann. 2. v. 2.* *æternæ? Non est voluntas antè Patrem* *Hebr. 5. v. 9.* *vestrum, qui in cœlis est; ut pereat* *Matth. 18. v. 14.* *unus de pusillis istis.* Ego de spiritu Patris mei legem statui; præceptum reliqui: *Diligite inimicos ve-* *Matth. 5. v. 43.* *stros: benefacite his, qui oderunt vos;* *&, orate pro persequentibûs, & calumniantibûs vos: ut sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est:* cùm autem idem ipse non egero; quomodò credet Mundus; *quia Pater in me* *Joann. 10. v. 38. 37.* *est; &, ego in Patre? si non facio* *Matth. 5. v. 45.* *opera Patris mei; qui solem suum oriri facit, super bonos, & malos.* Maleficos, & læsæ Majestatis reos condemnare, vindicare, de medio tollere, perdere, hominum est; quorum, nisi per gladium asserta, non stat incolumis, nec subsistit mortalis majestas. Divinitati proprium sem-per est; misereri, & parcere: nec diviniùs quidquam est, &, quod evangelicâ meâ legê magis optavi persuasum; quàm, studiosâ Divinæ perfectionis imitationê, dimittere, parcere, benefacere: quâ scilicet indulgentiâ *Pater cœlestis perfectus est.* Non- *Matth. 5.* nè percutienti dexteram, præ- *v. 48.* bendam & alteram, docui maxillam? si non esset idem animô meô fixum, â peccatoribus per longanimê patientiâ sustinere; discerptus in mille partes percussor ille, vestrô perijsset vindicê Zelô; qui dedit alapam mihi. Sum Christus Domini; quem unxit Pater unctionê misericordiæ suæ. Per hanc ergo misericordiam veniam illius criminis postulo; quod, in faciem percussus, patientiâ divinâ sustinui. Respice, Pater! *in fa-* *Psalm. 83.* *ciem Christi tui!* tuósque, meós- *v. 10.* que rebelles, tuis pedibus provolutos, lacrymîsque magis, quàm verbîs, pœnitentes, de tuâ misericordiâ, meîsque meritîs confisos, ac supplices, illîs oculîs dignare; quibûs primum hominem, post inflictum etiam rebellibus angelis æternæ damnationis judicium, etsi læsæ tuæ Majestatis reum, propter *2. Corinth.* me recepisti: ut experiatur *5. v. 19.* Mundus: *quoniam DEUS erat in Christo, Mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Amen.

FERIA III.

F E R I A III.

POST DOMINICAM II. QUADRAGESIMÆ.

SERMO DECIMUS.

In Foro II. Juſtitiæ Divinæ; ſeu, Tribunalibûs Jeroſolymæ.

In Aula Cayphæ, ſummi Pontificis,

Actio VI. De Perjurio, & Falſo.

Bartol. in l. ſi quis major. C. de Tranſact.

Contrà eos,
Qui, tum intrà, tum extrà judicium,
Præſertim, falsè contra proximum teſtando,
Aut, calumniis innocentes obruendo,
Aut, ſibimet ipſis dirè imprecando, pejerant.

Actor VI. Vir Ignoti Nominis,

Cæruleâ in pileo plumâ inſignis,
Graviſſimi criminis reos petit â DEO in pœnas;
Qui falsîs teſtimoniis, contrà proximum adductîs,
Aut, fictis adverſùs innocentes calumniis,
Pejerando, vel nocent alijs, vel devovent ſemetipſos.

Myſterium VI. & Actionis hujus Argumentum.

Teſtimonia falſa contrà Veritatem æternam quæſita,
Et enormibûs Perjuriis confirmata, in ſacro Cayphæ Pontificis Tribunâli.

Teſſera. Quærebant falſum teſtimonium contrà JESUM; ut eum morti traderent: &, non invenerunt: cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent. *Matth. 26. v. 59. 60.*

I. ERgo ſic agitur, ſacros etiam inter cancellos, cum Innocentiâ? ſic, adversùs Juſtitiam, ejuſdem arbitri, vindicésque pugnant ipſi? quíquè Defenſores eſſe debuerant, facti ſunt iniquiſſimi, perfidiſſimique Corruptores æquitatis? *Falſa*, id eſt, mendaciter cogitata, nequiter collata,

ta, perniciosè palliata, quæruntur in exitium, pro justi judiciô, iniquè decernendô, testimonia? Sic summi Sacerdotum Principes, &, cum universo Concilio, Pontifex ipse, crudelî sacrilegiô profanatæ suæ sacræ potestatis, mentitus Deum, contrà Deum iniquitatem extremam subornavit? Ità Synedri, sacræ legis interpretes, assertores, juratique tutores, unanimî conspirationê statuerunt, inquiri, comparari, cogíque, sumtibûs etiam emta, falsa contrà JESUM testimonia? Proh Deum! ubi requirenda deinceps justitia? unde postulanda subinde veritas? ubi jurisjurandi sanctitas, absquè metu, vel suspicionê fraudis, ac impostura, securè in posterum veneranda, adoranda? dum perjuriorum ultores jurati, non tantùm perversi laborant juris infamiâ; sed, negotiantur, & authorant ipsi perjuria? Execrabile tribunal! cujus in capite, non Veritas, non Fides, non Conscientia, sed Pater mendaciorum Præses est. Absit! ut ad falsa, quæsita, obtentáque, & producta contrà JEsum testimonia, vel animum, vel auditum advertamus. Aliundè nota jam, perspectáque mihi sunt omnia; quæcúnque, per multos falsos illos testes, tum commenta, tum commentitiè prolata, fuerint, contrà Sanctitatem oraculîs Prophetarum prænunciatam: *Dominus, Redemtor vester, sanctus Israël*; contrà Veritatem, assleverationê divinâ firmatam: *Ego sum Via, Veritas, & Vita*; contrà Virtutem, censuræ minùs, quàm solis fulgor, quem nec intueri quisquam, sinè lucis reverentiâ potest, obnoxiam: *Quis ex vobis arguet me, de peccato?* contrà manifestam, alienîs tantùm iniquitatibûs, voluntariè susceptîs, oneratam innocentiam: *eò, quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.* Satìs constant, quæ constituta fuerint, commentitiîs testimoniîs in DEI filij perditionem adducenda. Videlicet: quòd sit *inutilis*, & universæ Synagogæ pernicioſus; de quo tamen Angelus, gaudium evangelizans, asseruit omni populo: *quia natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus.* Quòd sit operibus vitæ communis *contrarius*; qui de semetipso sanctè testatus est: *Ego, quæ placita sunt Patri, facio semper.* Quòd, obtrectationê molestâ, censor importunus, *improperet eis* peccata legis; qui, doctrinæ suæ totam Patri tribuens authoritatem, confessus est: *Ego à me ipso facio nihil: sed, sicut docuit me Pater, hæc loquor.* Quòd occulta disciplinæ perversæ peccata, manifestâ maleficorum redargutione, *diffamet*; qui judicium suum publici testimonij justificationê fulsit:

Isaiæ 43. v. 14.
Joann. 14. v. 6.
Joann. 8. v. 46.
Isaiæ 53. v. 9.
Luc. 2. v. 11.
Joann. 8. v. 29.
Ibid. v. 28.

Joann. 5. v. 39. sit: *sicut audio, judico; & judicium meum, justum est.* Quòd arrogantiâ blasphemâ *scientiam* ineſſe ſibi divinam polliceatur; cujus pridem anteà locutus in perſona David exſultavit: *Mirabilis facta* *Pſalm. 138. v. 6.* *eſt ſcientia tua ex me!* Quòd *Filium Dei* ſe nominet; quamvìs non ſolus Nuncius ille cœleſtis Meſſiâ de naſcituro prædixerit: *Erit* *Lucæ 1. v. 32.* *magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur*; ſed coronatus etiam vates, de Patris acceptum ſpirtu præcinuerit: *Filius meus es tu! Ego hodiè,* *Pſalm. 2. v. 7.* *&, antè luciferum genui te!*

Pſalm. 109. v. 3. II. Hæc, in illo malignantium concilio, clàm confícta, doloſè condícta, pertinaciter conjurata, nec minùs audacter, ac mendaciter, in medium, adverſùs Dominum, & adverſùs Chriſtum ejus collata fuiſſe, mihi perſuadeo, cum pluribûs adhuc aliîs ejusdem conſilij commentîs. Quòd nimirum occultas eorum *cogitationes*, velut mentium, & arcanorum inſpector, exploratas traduxerit; quem tamen ſacerdos ille, ſenéxque venerandus, ipſe palàm in templo decantavit, poſitum: *Luc. 2. v. 35.* *ut revelentur ex multis cordibûs cogitationes.* Quòd â moribûs cæterorum omnis ejus, & *vita* differat, & *via* recedat; quas tamen juſtas, & rectas, conſonîs vaticiniîs David, Oſeásque præcinuêre: *Pſalm. 24. v. 8. 9. 10.* *Univerſæ viæ Domini, miſericordia, & veritas*: &, *Pſalm. 15. v. 11.* *notas mihi feciſti vias vitæ*: &, *rectæ viæ Domini, & juſti ambulant in eis.* Quòd, veluti *nugaces* rejecti, deſpectíque, omnî fuerint ejus acceſſu prohibiti, ejúſque alloquiô privati; qui tamen benigniſſimâ pietatê vocavit omnes: *Venite* *Matth. 11. v. 28.* *ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos.* Quòd ſe ſubtrahat â vijs eorum, &, tanquàm *ab immunditijs*, nè contaminetur, abſtineat; etſi hujus averſionis, aperta per Ezechielem cauſa jam fuerat: *Nun-* *Ezech. 18. v. 24.* *quid via mea non eſt æqua; &, non magis viæ veſtræ pravæ ſunt?* Quòd *juſtorum noviſſima*, miſeriîs, & ærumnîs referta, proſperis hujus vitæ commodis, cunctisquè voluptatibus præferat; ſcilicet, ex vatis oraculo, *ſciens reprobare* *Iſaiæ. 7. v. 15.* *malum, & eligere bonum.* Deniquè, quòd glorietur: *ſe Patrem habere DEUM*; cui paterna vox, audita de cœlo, teſtimonium dedit: *Tu es Filius meus dilectus; in* *Marci. 1. v. 11.* *te complacui!* De quo dæmon ipſe, licèt hoſtis, invitúsque, confeſſus tamen eſt: *Quid nobis, & tibi, JESU Nazarene? veniſti, perdere* *Marci. 1. v. 24.* *nos? ſcio, qui ſis, ſanctus DEI!*

III. Hæc multorum illorum falſorum teſtium partim animîs concepta; partim verò linguîs etiam expreſſa fuiſſe, quamvìs Evangeliſtæ ſacer calamus non teſtetur (qui nullius eorum, quæ perperàm ab illis, & inconvenienter, fatuéque fuerunt adducta,

ſed

ſed illorum duntaxat meminit; quæ duobus noviſſimis â teſtibûs, falſiſſimè, ac præpoſterô, perversôq; ſenſu objecta erant) procùl tamen injuriâ, cogitare licebit, olim jam ùt cognita, ſic & prodita ex manifeſtatione divini ſpiritûs, per ſapientiſſimum Regem; qui velut aſſidens impiorum Concilio, quidquid adverſùs Dominum, ab ipſis, malitiâ ſuggerente, invidiâque concipiente, producendum (antequàm eloquerentur) jam conſtitutum, ſicut audierat, indicaverat: *Circumveniamus juſtum; quoniam inutilis eſt nobis; & contrarius eſt operibus noſtris; & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit, ſe ſcientiam DEI habere; & Filium DEI ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Gravis eſt nobis, etiam ad videndum: quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius; & immutatæ ſunt viæ ejus. Tanquàm nugaces æſtimati ſumus ab illo; & abſtinet ſe â vijs noſtris, tanquàm ab immunditijs; & præfert noviſſima juſtorum; & gloriatur, Patrem, ſe habere, DEUM.* Nec ego ſum primus, vel Salomonis interpres, vel hujus interpretationis authror; quâ Rex ille ſapientiſſimus, deſuper illuſtratus, inconvenientes falſorum teſtium allegationes, contrà Servatorem, ſimulatâ judicij formâ productas, deſcripſiſſe judicatus eſt. Firmianus Lactantius, in hunc me ſenſum induxit, prior aſſerens: *Salomon in libris Sapientiæ uſus eſt his verbîs: Circumveniamus juſtum &c. Nonnè ità deſcripſit nefarium illud conſilium ab impijs initum contra DEUM; ut, planè interfuiſſe, videatur? Atquî â Salomone, qui hæc cecinit, uſquè ad id tempus, quô geſtares eſt, mille, ac decem anni fuerunt.*

Sapient. 2. v. 12. & ſeqq.

Lactantius, cit. â Mancino de Paſſ. Nov. antiq. Lib. 3. Diſſert 3. punct. 1.

IV. Quis verò dolor innocentis Domini fuerit, hiſcè calumniîs, mendacibûsque teſtimoniîs inſimulati, etſi non prægravati (nam *convenientia teſtimonia* non erant) facilior aliunde conjectura non eſt; atquè, expensâ calumniæ gravitate; quam abjectiſſimis hominibus, judicum *pecuniâ* corruptis, & ab ipsîs judicibûs dictatam, occultorum conſcius noverat Chriſtus. Nè enim viderentur latrones, ac homicidæ, ſed æqui judices; judicialem, ùt inquit Sylveira, formam intentant, cum teſtibus ac tribunalis apparatu; de quo tamen, aureô pronunciatum orê novimus: *quòd figura ibi duntaxat judicij erat, rê autem ipſâ latronum impietas*, â vate regiô priùs cognita, quàm exercita; ſic verò prædicta, ùt acta; &, utì tolerata, ſic deplorata, doloris indicê querelâ illâ: *Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me! Ego redêmi eos; & ipſi locuti ſunt contrà me mendacia!*

Marci. 14. v. 57.

Maldonatus, cit. à Sylv. locô infrà cit. n. 72. q. 10.

Sylveira, Tom. in Evang. Lib. 8. cap. 4. q. 9. n. 66.

S. Chryſoſt. hom. 8. in Matth.

Pſalm. 34. v. 11. Oſeæ 7. v. 13.

V. Fuerunt hæc, ſolius animi gra-

graviſſimâ injuriâ preſſi tacita quædam, utì fas eſt credere, ſuſpiria (quid enim, non cogitâſſe, cenſendus eſt, ex omnibus, quæ fuerunt â Prophetis prædicta: dum eadem, quæ priùs Prophetarum erant in ſpiritu viſa, ſecùndum ipſorum oracula, ſuô patiens in corpore ſenſit?) nihil autem tam enormi malitiæ, vel confutandæ, vel objurgandæ, Verbum Divinum oppoſuit, non linguâ ſolùm, & orê mutô ſilentium retinens triumphale; ſed etiam potentiâ, virtutêque, diſſimulatâ; per quam linguas maledicas, & obtrectationes mendaces, perjuriîs etiam,* ac dirîs imprecationibûs inſuper aggravatas, alligare faucibus, deſtituere motu, você, ſonô, eloquiô, aut aliîs divinæ vindictæ manifeſtîs pœnîs coërcere, ferire, perdere potuiſſet; nisì patientiam, humanâ majorem, ſuæ verò Divinitatis apertum teſtimonium exhibere voluiſſet: cùm nihil inter omnia, quæ ſenſum humanum acerbiſſimè ſolent, aut poſſunt affligere, calumniâ, falsîsque delationibûs, & criminationibûs fictîs, atrociùs, animum excruciet, & patientiam offendat. Quod â Spiritu ſancto videtur per Salomonem indicatum illô proverbiô fuiſſe: *Jaculum, & gladius, & ſagitta acuta, homo, qui loquitur contrà proximum ſuum falſum teſtimonium.* Pro jaculô Pagninus, & Vatablus, ex græco ponunt: *ùt malleus, & gladius, & ſagitta acuta.* Multiplicibus nimirum, ad nocendum inſtrumentis, falſi teſtimonij criminator aſſimilatur: quia nihil eſt ad nocendum ſæviùs, crudeliùs, &, ad perdendum omninò, conterendúmque proximũ, teſtê falſô atrociùs. *Aſſimilatur*, ait Cardinalis Cajetanus, *malleo, gladio, & ſagittæ acutæ; hoc eſt, univerſo generi nocivorum ab homine. Per hæc enim omnes modi ſignificantur; quibûs homo homini nocet.* Gladius ferit, ſagitta transfigit, malleus conterit: hæc ſunt mendacis criminationis extrema tormenta; cui non ſufficit, ictu factô vulnus intuliſſe; totam penetrat, & configit animam; nec, nisì confixam atterat, penitúsque contritam elidat, antè deſævit. Inde, nullîs aliàs in ærumnîs auditus, calumniantium tamen opprobriîs intimè vulneratus, confixus, & attritus, exclamavit Job: *Usquequò affligitis animam meam; & atteritis me ſermonibûs?* Quam querelã Septuaginta, mirabiles illi interpretes, ſic unô ſenſu transtulerunt: *Usquequò moleſtiam facitis animæ meæ, & deſtruitis me verbîs?* Græcus autem textus ità reddidit: *Quousquè feſſam facitis animam meam; & evertitis me verbîs?* Itanè falsîs inſimulationibûs, & attributîs innocentiæ ſuæ criminibûs, vulneratum ſe ſæviùs,

Pagninus, & Vatablus, ex græco.

Cajetanus cit. à Sylveira cit. locô. num. 69. quæſt. 9.

Job. 19. v. 1.

Septuag. interpret.

Græc. verſio.

* *Teſtîs, non juratus, plenam fidem non facit: l. jurisjur. 9. C. de teſt: cap. tuis 39. extra. eod: Tit. Proinde juramentum teſtis, ſubſtantialis ſit teſtimonij ſolemnitas. Argum. c. 1. extra. de ſponſal.*

Prov. 25, v. 18.

viùs,

vius, & tantùm non exanimatum, confessus ipse fuit; qui nullum propè totius in ipsum pugnantis infortunij videbatur priùs ictum sensisse? Hoc agnovit ex querulîs adeò læsæ patientiæ verbîs Origenes, vehementissimi, quem Job testari voluit, sensûs interpres: *Job*, inquit, *est athletarum fortissimus; in cujus libro nihil ità eminet; ùt ejus fortitudo, & patientia. Labores tamen sentit; quos ex duro sermone hauriebat: idcircò his loquitur verbîs: Quamobrem ad corporis dolorem, animi quoquè molestiam adhibetis? Cur me, magis verbîs, quàm, doloré corpus conciditis?*

Origenes. in catena græca.

VI. Ea nimirum sævities maledicarum, & (præsertim in judicijs, ubi de famâ, vitâque decernitur) calumniantium linguarum, suprà quodvis aliud crudele tormentum, immanitas, & enormitas est; ut, qui saxo par, velut animâ carens, cæterîs stetit in pœnîs, noscatur in calumnijs homo, patientiâ, etsi non fractâ, motâ tamen, & infirmatâ. Solus Dominus, *qui, quæ sunt graviora susceptit*, utì S. Ambrosius exsultans ait, *calumniûs appetitus, silentium detulit triumphale.* Nec est hujus locutionis emphasis, nisi post exactam iniquissimi judicij consideration em, â S. Doctore prolata. Videbatur enim ei, quod in Joseph innocentem invidia fraterna commisit, quædam fuisse figura, tristisquè præludio perversissimæ falsitatis; quam perfida Synagoga, contrà divinam sui Servatoris innocentiam, in sceleratâ Pontificis aulâ consummavit: *Sicut*, ait, *fratres Joseph tunicam ejus, hœdi sanguine asperserunt; sic Judæi falsis testibûs Christum Dominum obruerunt. Mentiti sunt illi, Patri homini, de filio mortali: mentiuntur isti, Patri DEO, contrà Filium, DEUM immortalem. Iniquitas maxima; contrà hominem falsum testimonium in judicio proferre: major; contrà DEUM, in carne nostrâ mortalem á judæis corruptos testes malitiose subornari. Utrumquè autem DEUS abominatur.* Sed, quanta fuerit abominatio; quantus horror totô coràm conscio cœlô, super hôc, tam enormî criminê falsi, quod contrà veritatem æternam, innocentiam summam, & sanctitatem infinitam, clàm subornatum, palàm prolatum, juramentîs insuper, (ùt in criminalibus fieri processibûs, ad fidem testimonijs asserendam solet, exigíque consuevit) forsan etiam dejerando, dirîsq; devotionibûs, & imprecationibûs, perjurè cumulatum, ac sceleratissimè adauctum est? Non est sanè quisquam humanô præditus ingeniô; qui calumniarum hoc genus, & criminationes, non solùm fictas, hostilîque mentê commentas, sed perjuriîs etiam,

S. Ambros. in Psal. 118. serm. 17.

S. Ambros. Lib. de Joseph. Patr. cap. 3.

Menoch. arbit. quæst. 26. n. 3. Quòd juris naturalis; ut testis juret. Setzer. d. cap. 9. n. 8.

ac

ac devotionibûs horrendîs, in proximi perditionem exaggeratas, non deteſtetur, non execretur; etſi tantùm, in ruinam, necem, ac interitum humanæ virtutis, & innocentiæ proferantur. Quàm ſeverè divinîs, humanîsque legibûs adversùs iniquas, & calumnioſas accuſationes, falſâque, contrà conſcientiam allata tantùm, nullîsque gravata perjuriîs teſtimonia, decretum eſſe conſtat? *L. licèt 9. de probat. c. ſicut. 9. de teſt. & alteſt: C. 86. 11. q. 3. cap. 14. 15. quæſt. 4. cap. 18. de teſtam.* *Teſtis, ait lex, corrupti dictum non valet. Teſtimonium venale, non eſt veritatis teſtimonium.* Teſtis enim teſtimonium vendere non debet: &, quod ab ære fit, cùm fieri debeat ſpontè, turpiter fit, juxta vetus Poëtæ hexametron: *Non bene conducti vendunt perjuria teſtes.* *Ovid. Eclogâ 10.* Sacrîs etiam ex oraculîs in falſos teſtes fulminatum eſt, per comminationes odij, judiciíque divini: *Proferentem mendacia, teſtem fallacem, odit Dominus.* *Prov. 6. v. 19.* *Teſtis falſus non erit impunitus; &, qui loquitur mendacia, peribit.* *Prov. 19. v. 9.* *Teſtis mendax, peribit.* *Prov. 21. v. 28.* Quid jam horroris, atquè judicij, de falſis accuſationibûs perjuriô firmatîs cogitandum non eſt, in utrôque forô metuendi? Profanis â cancellis latapridem eſt ſcelere de tam horrendô ſententia: *Perjurium, grande, & atrox eſt delictum; &, ſpecies criminis læſæ Majeſtatis divinæ:* imò, *Carpzov. Defin. Conſiſt. l. 3. Defin. 80. n. 8. 9.* â S. Climacho, *perjurium* dictum eſt, *DEI abnegatio*: unde meritò, non tantùm â S. Auguſtino, *ùt immane peccatum*; ſed univerſalis juris decretô vapulat infamiâ *grandis ſceleris: cùm ſit, juramentum*, tres interficiens juris jurandi comites, Veritatem, Juſtitiam, & Judicium; atquè eâ de cauſa, prout â magno Doctore Hipponenſi pronunciatum, perjurium, *velutì deteſtanda bellua, de rebus humanis exterminandum eſt.* *S. Joann. Clim. Grad. 12. in princ. Bibl. PP. Tom. 6. p. 2. pag. 265. col. 1. A. Cap. ult. 22. q. 1. cap. Animadvert. 2. 22. q. 2.*

VII. Tanti verò criminis, nullúsne deprehendetur, amore veritatis, patrociniô innocentiæ, zelô juſtitiæ, calumniarum, & falſitatum, venaliúmque mendaciorum, atquè criminationum inimicitiâ ſuccenſus Accuſator? qui non in ſolos judæos, divinæ Veritatis conjuratos hoſtes, & commentitios accuſatores Domini, ſuîsmet ex verbîs, atquè mendaciîs, palàm agnitîs, coram ipſo Pontificiæ iniquitatis diabolicô tribunalî, *Diabolicî ſceleris*, judicê S. Chryſoſtomô, jam convictos, criminationê, pro ſceleris immanitate, ſeverâ conſurget: ſed adversùs illos cauſam ſuſcipiat agendam; qui coràm ſunt, & Servatoris divinam patientiam, confictîs accuſationibûs per falſos teſtes oneratam admirantur; & audaciſſima teſtium quæſitorum, nullô divinæ vindictæ metu prolata, conjuratáque mendacia deteſtantur; ipſi interim, frequentibûs, & familiaribûs jam, tum- *S. Auguſt. de Verb. Apoſt. ſerm. 28.* *S. Chryſoſt. homil. 19. ad pop. Antiochen.*

intrà, tum extra judicium, in proximorum fraudem, & extremam sæpè, famæ, bonorúmque temporalium, si non ipsius etiam vitæ perniciem, sparsîs in vulgus calumniîs, & aggravatîs perjuriô mendaciîs, cum suarúmmet animarum execrationibûs horrendîs, dirîsque devotionibûs, detestabiles, itáque coràm sanctissimo, divinæ scilicet Veritatis læsæ, tribunali, longè graviùs accusandi, & condemnandi?

VIII. Video quendam, audaciâ mirabilî erigentem se, paratúmque, ùt videtur, ad causam dicendam. An autem sit admittendus; an verò, divini tribunalis apertîs cancellîs arcendus, & excludendus (cùm ignotus, & habitu quoquè peregrinus videatur) anceps adhuc sum, vel ex eo maximè; quòd, *ultrò se offerens ad testificandum, habeatur pro suspecto*: &, qui mendaces ipsi sunt, eisdem, velut infamibus, tam sacræ, quàm civiles actiones, & accusationes, omnî jurê noscantur interdictæ. Ex pilei colorê cyaneô, plumâque crispatâ, & elatâ, suspicor, hunc, eundem esse; qui militi quondam, innocenter ad furcam, restímque damnato, mirabiliter, indulgente divinô Numine, patronus adfuit, & ab extremo miserum discrimine vindicavit, verbô priùs datô; quô, nè sententiâ mortis infamis acceptâ desperaret auxilium omne pusillanimis, præstô se futurum, restî jam etiam injectâ collo, Causidicus personatus spopondit, & quidem, plumâ militarî, pileôque cyanei coloris insignem; eâ tantùm conditione postulatâ: ut, jamjam laqueum passurus, defensorem innocentiæ suæ peteret â judice, populo de circumfuso aliquem, eundémque, qui pilei, plumæquè colore spectabilior præ cæteris appareret, Advocatum. Ex condicto res universa, sed formidandô pejerantibus omnibus, tum exemplô, tum judiciô transacta. Jamjam enim laqueô suscepto miles, criminis tam direè luendi sese innocuum, &, pecuniam olim cauponi servandam, abs se ægrô datam, non autem acceptam, aut furtô sublatam fuisse, jurejurandô confirmans, ac protestatus, id postremò rogavit: ut, pro innocentia liceret loqui vel unico tantùm illi; quem insignem omnibus cristatus plumâ coloris cyanei pileus in confertô spectantium populô fecerat. Annuit judex: egítque confestim personatus Causidicus innocentiæ causam, argumentîs tam validîs, adversûs criminosum accusatorem; ut, qui spectator aderat, convictus, nullîs excusationibûs, manifestum jam, certúmque crimen â se poterat, judicium eva-

C. 2. de Testibus l. si quando 19. C. eodem. Bart. in l. post. legat. §. his verò. ff. de his, quibus, ùt indignis. Cap. constituimus: 9. 3. q. 5. vide de Barbos. loc. com. Lib. 14. c. 32. ax. 6.

Vireus. Lib. 3. cap. 17. de Præstig. Dæmonum.

evaſurus, avertere, cœperit horrendum pejerare; ſeſéque dæmoni, confeſtim abripiendum devovere. Nec vana fuit ea devotio: quanta ſit enim perjurij malitia, quanta in divino tribunali abominatio, confeſtim patuit: cùm perjurum civem, idem, qui militaris innocentiæ fuerat Advocatus, Vindex perjurij, præſentium omnium, ac teſtium oculatorum ex conſpectu raptum, ſecum in orcum abſtraxit.

IX. Trepidabunt fortaſſè, perceptîs hîs, in præſenti concione nonnulli? Si qui igitur tam enormis, pejerandi, ſeſéque per diabolicas imprecationes, ad fidem, calumnijs, atquè mentitis delationibus, & criminationibus adſtruendam, dirè devovendi, cum falſis adversùs Dominum quæſitîs teſtibûs conjurati criminis conſcientiâ premuntur; hos obſecro, per ipſam, ſcelere tam enormî ad necem quæſitam, Servatoris divinam innocentiam, offenſamque veritatem: ut continuò percutientes pectora ſua pœniteant; & compunctô, contritôque corde, donec ad pœnitentiæ tribunal, actioné peractâ, conferre pro reatuum abſolutionê ſe poterunt, piâ fiduciâ, ſuum interim ad Advocatum JEſum Chriſtum confugiant. Actor enim, adverſùs pejerandi, devovendíque crimen horrendum, idem eſt, indulgente Numinê; qui quondam toleratus eſt ejusdem â Benignitate: *cùm veniſſent filij DEI; ut aſſiſterent coràm Domino: nam, aſſuit inter eos etiam Satanas*; &, qui terribilî vindictâ, dum aſſeruit innocentem, è medio ſuſtulit pejerantem. Audite ergo Dæmonem, inſultantem etiam divinæ Bonitati, perjurorum, & perjuriorum accuſatorem. *Job. 1. v. 6.*

X. Viden', onniſcium Numen! quô tua ſit, inter fideles, locô juſtitia? quâ religionê tua Sanctitas, tua Poteſtas, tua ab eis Majeſtas colatur, timeatur, obſervetur? Cujus enim authoritate lata lex, ſtatutáque, ſanctéque firmata eſt? *Non loquêris contrà proximum tuum falſum teſtimonium.* Cujus orê, ac poteſtatê vetitum, interdictúmque fuit? *Non pejerabis in nomine meo.* Cujus nominê minatus eſt populi Dux Hebræi? *Non uſurpabis nomen DEI tui fruſtrà: quia non erit impunitus; qui ſuper ré vanâ nomen ejus aſſumſerit.* Cujus numinê Zacharias afflatus cautum omnibus voluit, utì ſuſcepit, ac percepit ipſe: *Hæc dixit ad me: hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ: Omnis jurans, judicabitur; & veniet* (ſcilicet judicium) *ad domum juran-tis, in nomine meô, mendaciter; & commorabitur in medio domûs ejus, & conſumet eam.* Quô demùm â Domino miſſus judiciúm terribile vates indixit Malachias? *Exod. 20. v. 14.* *Levit. 19. v. 12.* *Deuteron. 5. v. 11.* *Zachar. 5. v. 3. 4.* *Malach. 3. v. 5.* *Acce-*

Accedam ad vos in judicio ; & ero testis velox maleficis, adulteris, & perjuris. Si tuô numinê, tuâ potestatê, tuô divinô orê definita, promulgatáque sunt ista perjuriorum interdicta, severâque judicia; quibûs mendaces accusationes, & calumniæ, tui nominis invocationê sacrilegâ, cum æquitatis, & innocentiæ fraude roboratæ, supplicijs extremis obnoxiæ manifestantur: poteritne levis cuiquam censeri culpa, tam tuæ sanctitati contraria? nomini tuo tam contumelioſa? tuæ æternæ, & infallibili veritati tam inimica? cujus testimonium, in confirmationem ficti criminis, ad perdendam innocentiam provocatur, adstruitur, & ausu nefariô obligatur; & quidem, adeò protervè, liberéque; ut, quod aliquando morum christianorum acerbus ille, sed justus Censor, de nationis duntaxat unius linguâ dolens pronunciavit, familiare jam sit idioma plurimorum; qui, *perjurium ipsum, sermonis genus putant esse, non criminis. Quis enim omninò hominum sæcularium* (non est mea, sed ejusdem, salê pleni Salviani accusatio) *præter paucos; qui non, ad hoc, semper Christi nomen in ore habet; ut pejeret?*

Salvianus. Lib. 4. de gubernat. Tom. 5. Bibl. PP. part. 3. pag. 339. col. 2. H

Idem. ibid. pag. 340. col. 1. A.

XI. Non habet autem ullum, excusandæ tantæ perversitati patrocinium, vel consuetudinis familiaritas, vel insitæ, complexæque pravitatis ignorantia. Satis enim exploratus illis mandatorum tuorum sensus est. Nôrunt ejusdem Numinis, cujus individuæ substantiæ personalis Trinitas unô Deitatis nominê credenda ipsis, & adoranda est, nomen idem sacro-sanctum, eâdem Decalogi sanctâ lege, non solùm vanè non invocandum, sed, quod abhorret ipsa tota DEUM colens natura, fictè, falsè, mendaciter assumendum non esse; nec, sinè summâ summæ Sanctitatis, & Æquitatis offensionê assumi posse. Declamatæ sunt è suggestis, pro concionibûs, & rudium, ac parvulorum institutionibus, antiquorum Ecclesiæ Patrum gravissimæ perjuriorum damnationes, &, contrà pejuros, horrendæ sententiæ. Nec sanctus Augustinus ullam hujus undequáque gravati criminis excusationem vel agnovit, vel admittere voluit; sed ipse statuit: quòd *tantò quisquè inexcusabilior perjurus est; quantò magis ea, quæ pejerando asserit, falsa novit esse, vel credit*: &, *quantò, per quod juratur, magis est sanctum; tantò magis est pœnale perjurium.* Quoties admoniti sunt, per Evangelij præcones integros, paternæ doctrinæ Bethlemij Doctoris? *Animadvertendum est; quòd jusjurandum hos habet comites: veritatem, judicium, & justitiam. Sed, si ista defecerint, nequaquàm*

S. August. contrà mendacium. cap. 19. in fine. Tom. 4. fol. 37. D.

Idem Epist. 54. ad Publicolam. Tom. 2. fol. 452. D.

S. Hieron: in Glossa ordin: super Epist. ad Rom. cap. 1.

quàm erit juramentum, sed perjurium. Quoties territi sunt Africani Patris exaggerationê? *Tantum mali habet juratio; ut, qui lapides colunt, timeant falsum jurare per lapides. Tu non times DEUM præsentem, DEUM viventem, DEUM scientem, DEUM in contemtores vindicantem?* Neminem istorum omnium latuisse mihi quidem persuadere valeo triplicem, ab Isidoro congestam, & ingestam redargutionem: *Testis falsidicus tribus est personis obnoxius: primùm DEO; quem pejerando contemnit: consequenter judici; quem mentiendo fallit: postremò innocenti; quem falsô testimoniô lædit.*

S. August. serm. 30. de verb. Dom.

S. Isidorus Lib. de sum. bono.

XII. Magna nimis adversùs Christianos, evangelicæ prædicationis frequentiâ eruditos, de cognitâ, perspectâque enormitate criminis, præ cæteris omnibus, evangelico instituto repugnantis præsumtio est. Qui enim suo docti sunt â legislatore; qualis omnis eorum deberet esse sermo: geminîs videlicet concluſus verbîs: *Est, est: Non, non:* qui prætereà, per sui divini Magistri mandatum, jurandi temeritate absterriti, coërciti, constrictique sunt: *Audistis; quia dictum est antiquis: non pejurabis. Ego autem dico vobis: non jurare omninò, neque per cælum; quia thronus DEI est: neque per terram; quia scabellum est pedum ejus*: an isti tam rudes, ignarique credendi sunt? ut, quod â veri Numinis cultu procul positi, suis in tenebris inter gentes agnoverunt, confessíque sunt, ipsi nesciant: quibus tamen adyta Sanctuarij patent, lucê divinâ, in splendoribus Sanctorum, liberaliter eorum animos irradiante? Romanis M. Tullius improperavit avitam hanc religionem, & antiquam legem: *Noluerunt majores nostri, qui judicabant, hanc patere inimicitijs viam; ut, quem quisquè odisset, eum testimoniô tollere è medio posset.* Vana numina, tam â perjurijs aliena, tam illis infesta, Justinus asseruit; ut, minatus eorundem iram, dixerit: Dij *sunt perjuriorum vindices.* Parî comminationê Pausanias absterruit â pejerando gentiles, inquiens: *Commissa perjuriô fraus in nepotes redundat.* Hæc hominum ethnicorum judicia, potuisse fidelibus non esse, vel clariùs nota; vel, cum ipsâ fidei luce, non perspicua; vel, omninò esse recondita, ignotáque? non est sanè, nisi de illis forsan credibile; qui rationis necdum integrô pollent usu; vel mentê sunt capti; vel omnem de Deo fidem, &, quod consectarium est, omnem ejus metum, ac reverentiam ejurârunt: cùm & ipse, secùs de Deo sentiens, Plutarchus affirmaverit: *Qui jurejurandô fallit, DEUM contemnere se fatetur.*

M. T. Cic. pro Fontejo.

Justin. Hist. Lib. 14.

Pausanias Lib. 2.

Plutarch. in Lysandro.

XIII. Et feret ità se vilipendi, tamquè turpiter in postremis haberi

Matth. 5. v. 37.

Matth. 5. v. 34.

beri tua ſe Majeſtas infinita, â viliſſimis terræ vermiculîs? quorum quantò felicior eſt impunitas; tantò procacior eſt impietas: nec eſt alia quæquam hujus proterviæ, tam inſolentis, & frequentis, & jam vulgaris, proritatio; quàm, concepta de tuâ longanimitatê præſumtio. *Pſalm. 147. v. 9.* Quia *judicia ſua non manifeſtavit eis*: hinc invaleſcit, ſicut cætera peccandi, ſic vel maximè, pejerandi, ſequè dirè devovendi licentia: *quia non profertur citò adverſùs malos ſententia; abſquè timore ullô filij hominum perpetrant mala.* *Eccleſ. 8. v. 11.* Non hæc odiô tuæ ſanctitatis, aut bonitatis, per blaſphemiam impropero. Sacer id Eccleſiaſtes ipſe, malitiæ mortalium objurgandæ, magisque vel ideò condemnandæ pridem objecit: quia *Sapient. 11. v. 24.* *diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Hæc autem dum longè â cordibus eorum eſt; quantum interim tuo nomini, tuæ ſanctitati, tuæ juſtitiæ, tuæ legi, chriſtianæque religionis auguſtiſſimæ majeſtati detrahitur, inter eos? quos umbra quælibet fidelium tuorum abſterret, ùt ſpectrum; &, quidquid non exactè dimenſum juxtà regulam crucis, ac omnem ejus menſuram, utì profitentur, occurrit in oculos, ùt ſcandalum legis ipſius, quam divinam prædicari nôrunt, offendit: quô non tam peccantes, pro legis transgreſſionê damnantur; quàm ipſum innocentiſſimæ legis inſtitutum, velutì delirans, & in omnem abominationem ſectatores ſuos inducens infamatur. Auditum hoc â ſe fuiſſe teſtatus eſt Maſſilienſis, chriſtianæ perverſitatis redargutor acerrimus: *Ubi eſt Catholica lex, quam credunt? Vitam improbam agunt; & probam legem habere ſe dicunt. Talis profectò ſecta eſt; quales & ſectatores. Sancta â chriſtianis fierent; ſi Chriſtus ſancta docuiſſet.* *Salvian. Lib. 4. de Provid.* Ità tuum traducunt gentes gregem fidelium: ità ſanctæ Chriſti legi contumelioſè inſultant: ita tuum, ejúſque nomen, ex corruptis chriſtianorum linguîs, quibûs ipſi Majeſtatem tuam pejerando profanant, calumniîs inſolentiſſimîs deſpectum, blaſphematúmque execrantur.

XIV. Et, ſi fas eſt, quod ſentio, coràm Numine tuo ſupremo liberâ oratione proferre; fateor, quod quidem ſe prodit ipſum, & Majeſtatem tuam, cui patent omnia, latére non poteſt: eos nimirum, qui mihi cæcis in ſaxis, divinitatísque mentitæ ſimulacrîs vaniſſimâ ſuperſtitionê deſerviunt, *& incommunicabile nomen lapidibus, & lignis impoſuerunt,* *Sapient. 14. v. 21.* horrere magis, & cavere religioſiùs, & prohibere ſanctiùs, perſequi etiam temeraria, ſuis ab idolis jurejurandô provocata, mendacium aſſertionum teſtimonia,

monia, multò ſeveriùs; quàm eadem obſervari, plectique conſueverunt ab his, quite, DEum vivum, & Verum, credunt, venerantur, & adorant. Roma priſca, quamvis omnium ſuperſtitionum, ſi non genitrix, nutrix certè (ut quæ, nullam reſpuens falſitatem, gentiũ omniũ ſerviebat erroribus) ità tamen vigilî zelô, vindicandæ præpoſteræ religionis, fervens, & accenſa contrà perjuros, legê XII. Tabularum decrevit; ut falſi teſtimonij convictus quisquè dejiceretur altô de ſaxo præceps. Ægyptij perjuros omnes, ùt violatæ numinum ſuorum ſanctitatis reos, mortê multârunt. Millenîs involuta ſuperſtitionibûs India, quemcúnque deprehenderit, in falſi patrocinium, & ficti contrà proximum criminis firmamentum, teſtes invocare, ſaxeos, ligneósque DEos; eundem, inexorabilî ſeveritatê, manuum, pedúmque digitîs truncatũ, omnibûs humanîs officiîs, uſúque membrorum deſtituit. Libya, quamvis Africanô ſolê peruſta, tetráque, vix homini ſimilis, ab humanô tamen adeò aliena ingeniô non eſt, aut arbitriô; ut perjuros, Dijs injurios, patiatur innocuos: horum enim, non ſolas facultates, & opes omnes, &, quidquid eſt penûs domeſticæ venale proſtituit; ſed ipſos etiam perpetuô manci-

S. Leo ſerm. 1. in natali SS. Petr. & Paul.

Alexand. ab Alex. Lib. 6. Genial. dier. c. 10.

patu damnat; &, oculorum alterô privatos, tanquàm diſtortæ mentis intuitu fraudulentos, & in transverſum, tam â dijs, quàm ab hominibus actos, infames publico reddit. Poſtremò compertũ etiam Tenes Cycnæi ſupplicium eſt; quod â tergo ſingulis jurantibus impendebat, eâ legê: ut, qui ſtrictô ad ictum gladiô, quoties jurandum pro teſtimonio foret, aſſiſtere poſt tergum debebat carnifex, cùm primùm perjurij reus quispiam agnitus foret, eundem confeſtim gladiô tolleret è medio. Hâc ſeveritate meis addicti nominibus, numinúmque monſtris, jurisjurandi ſacram, ſanctámque tueri, & vindicare religionem, ſuis etiam in tenebris, & abominandîs aliàs erroribûs contenderunt; perſuaſi nimirum: totius rei publicæ ſalutem, & incolumitatem, ex hac præcipuè curâ, zelôque ſubſiſtere. Nec enim arbitrabantur, poſſe numen aliquod eſſe; quod, eâ temeritate, contemtum, in vindices pœnas, tam contrà pejerantes, quàm adverſûs ipſam perjuriorum impunitatem, cum populi totius, regnorúmque devaſtationê, non illicò læſam ſuam exacueret, ac tonantê effunderet Majeſtatê. *Divini* quippè *Numinis proprium eſt*, utì Paſchalis pronunciavit; *quoties perjuriô læditur, ſeveriſſimîs ſupplicîs tanti criminis reos ulciſci.* Hinc

Suidas. V. Tenedos.

Car. Paſchal. Lib. de Virt. & Vit. c. 13.

prisca monitio: Nè naviga cum perjuris. Cùm enim perjurium sit, injuria DEI; stultè creditur: DEO suas injurias non esse curæ. Sentiunt hæc ethnici: minùs verò nihil, atquè id ipsum persuasum habere sibi videntur Christiani; quibus pejerandi licentia, cum formidine divini judicij, reverentiam omnem, & metum, &, tantùm non ipsam quoquè formidandæ divinitatis fidem extinxit: etsi lex divino sit in Codice manifesta: *Lex est posita, mendacibus, & perjuris.* *1. Timoth. 1. v. 10.*

XV. Quàm terrificîs autem suppliciîs eadem tua sacrosancta, summa, divináque voluntas, frequentiùs jam, & olim, & novissimîs temporibûs, adversûs pejerandi præsumtionem vindicata fuit? Cur impia Jezabel de fenestra domûs præcipitata, equorum ungulîs proculcata, & â canibus discerpta, totáque, præter calvariam, & pedes, ac summas manus, interitu tam horribilî devorata perijt? Nimirum, sic de cœlo decebat ulcisci perjurium; quod contrà Naboth innocentem, de blasphemiâ mendaciter accusatum, crudelis instruxerat: *Scripsit litteras ex nominé Achab; & misit ad majores natu, & optimates. Litterarum autem hæc erat scntentia: Submittite duos viros, filios Belial, contrà eum, & falsum testimonium dicant.* Inde judicium Domini, juxtà verbum Eliæ, consummatum: *In agro Jezraël comedent canes carnes Jezabel.* Dignum supplicium; quô, canê pejor, & angué, canina transiret in viscera; cui divina, humanáque fides, oblitæ scilicet omnis humanitatis, ac divinitatis, insuper erat. Quid senes illos mœchos perdidit? qui, postquàm everterunt sensum suum, amorê castissimæ Susannæ vulnerati, declinaverunt oculos suos; ut non viderent cœlum, nequè recordarentur judiciorum justorum: donec, vigil in cœlo numen experti, cumulatîs iniquitatibûs inquinatas animas eructârunt sub acervo lapidum; quos populus universus, talionê condignâ, malitiam pessimam contumulaturus, in eos conjecerat, ultionis divinæ terribilî monumentô. Nam *consurgentes duo presbyteri in medio populi, posuerunt manum super caput ejus* (ritu scilicet Hebræorum; quô testes, & accusatores, manus imponere reorum capitibus, non tantùm ùt jurisjurandi signum consuevêre: sed etiam, ut divinas pœnas, hâc rei capitis apprehensionê, ne devolverentur in populum, reum in caput è cœlo deprecaturi provocarent) *convicerat autem eos Daniel, ex ore suo falsum dixisse testimonium.* Et ideò simul omnes *consurrexerunt adversùs duos presbyteros; fecerúntque eis, sicut malè egerunt.* Inultam *Daniel. 13. v. 34. & 61.* *4. Regum. 9. v. 36.* *3. Reg. 21. v. 10.*

ultam enim nequaquàm fore, violati juramenti fidem, quâ ſuprema Majeſtas in teſtem accitur, ac mendacio fulciendo ſubſtituitur, ipſa tua divina Veritas jam per Ezechielem olim juravit: *Vivo ego, quoniam juramentum, quod ſprevit, ponam in caput ejus.* Hoc terribiliter ſenſit omnium propè regum Hebræorum infeliciſſimus Sedecias: quamvis enim gravibûs, multîsque ſupplíciîs Regum aliorum ſcelera caſtigata fuerint; vix tamen ſeveriùs in alium quenquam animadverſum eſt, quàm in ipſum. Exiguô ſpatiô temporis miſer, exutus regnô, ſuîsque lateronibûs, ſeu ſtipatoribûs deſtitutus, vidit omnem everti regiam, devaſtari civitatem, templum injectîs hoſtilibûs flammîs conflagrare, jugulari ſuis in oculis filios, clientes omnes vinculîs conſtrictos abripi in ſervitutem; tandem, crudeliter effoſſîs oculîs, ad gravius ipſâ necê tormentũ, ipſe vivere permiſſus eſt: ut compedibûs gravatus ærumnam ſuam diù ſentiret; eôque ſenſu lueret iniquitatem, non aliam, quàm perjurij: *ſpreverat enim juramentum*; cujus, veluti vinculi, quô tuæ Providentiæ fides civilibus hominum commerciis innexa ſervatur, & obſervatur, ea ſemper cura juſtitiæ tuæ fuit: ut, cùm cæteris quidem flagitiis venia, etſi aliquantùm ſuſpenſa, tamen ſperanda ſit, & exorabilis, *implacabilis autem DEUS, juramentis contemtis*, dicaris.

Ezech. 17. v. 19.

4. Reg. 25. v. 7.

Ezech. 17. v. 18.

S. Chryſoſt. homil. 19. ad Pop.

XVI. Nec eſt, quòd hujus implacabilitatis rigorem quisquam vel admiretur, ùt alienum â benignitate divinâ; vel ſperet, imbecillitatis humanæ intuitu, quæ nunquam non etiam graviſſimæ malitiæ flagitiis obtenditur, mitigatum iri. Crimen enim perjurii, præter id, quòd innocenti proximo famæ, vitæque detrimentũ accerſat maximum, ſummam quoquè divinæ Majeſtatis injuriâ conjunctam habet. Quis animô tam abjectô, penitúsque protritâ reperietur honeſtate, vecors licèt, & protervus alióquin? ut poſtulare præſumeret integræ fidei virum, honeſtiſſimâ conditionê vulgô celebratum, eô pactô ſecum tribunal adire publicum; ut contrà vicinum, quem perditum intendit, jurejurandô teſtetur: fraudem ab eo factam principi; vel, pollutum adulteriô matrimonium; vel, de traditione civitatis occultè cum hoſtibus ab eo transactum fuiſſe: quorum tamen omnium non veritas tantùm nulla, tam enormiter accuſandum, teneret reum; ſed, nequè ſuſpicionis quidem umbra cuiquam, unquàm, aut uſquàm apparuerat. Tam infame, tam abominabile obſequium nemo quis-

quam, etiam projectissimus, pro perversæ suæ voluntatis molimine scelerato, præsumit ab homine deposcere; quem indolê generosâ, nobilî, ingenuâ præditum novit: nequè tamen veretur, aut exhorrescit idem, perjurus ullus: cùm in pessimi consilii crudele commentum, & mendacem innocentis criminationem, ab ipsâ summâ Veritate, ac divinâ Sanctitate suffragium falsi testimonii non tantùm flagitat, & exposcit; sed arroganter etiam illud, quasi præsumtâ jam de DEO confirmationê tacitæ suæ falsitatis, adducit. Unde Philonis improperium illud, quô, talem objurgans audaciam, ajebat: *Quod ab amico non audes postulare; ad id DEum vocas?* occultè postulans ab ipso sanctissimo Numine: *esto alienæ malitiæ Vicarius!* An non igitur meritò pronunciatum est ab eodem? *Deum vocare in testem mendacij, sce-lus est nefarium.* Verissimum fateor Vincentij judicium: *Perjurium est majus peccatum, quàm homicidium*: obtinet enim, âb infidelitatis primô scelere, locum alterum, in prima divinæ legis tabulâ; cujus alterâ in parte vitæ humanæ infestatio prohibita continetur.

Philo. de Decal.

Idem. ibid: Tom. 2. pag. 1025.

S. Vincent. serm. 2. Fer. 6. post diem Ciner. p. 2. fol. 117. col. 2.

S. Thom. quodlib. 1. q. 9. Art. 10.

XVII. Quas ergo ad pœnas tam atrocis criminis eos â divino tuo tribunali postulabo, judex æquissime, *DEUS veritatis?* Novî promissum: *quoniam requiret Dominus veritatem.* Requiret utiquè; non minorî manifestationê læsæ suæ, &, sicut ad falsi testimonium implacabiliter provocatæ, sic, ad vindex provocantis audaciæ supplicium pariter inexorabiliter descendentis, ferientísque justitiæ. Scio, quàm districtam exegerit hæc tua justitia pœnam â perjuris illîs tribûs, in contumelioſam condemnationem Jerosolymorum Episcopi, Narcissi, conjuratîs; qui virum sanctum, falsò, turpis, & infamis criminis insimulârunt: quidquid enim, authorandæ criminationi suæ, sibimetipsis, perjurè se devoventes, imprecabantur, luerunt singuli. Primus quidem incendiô, quod optavit; alter morbô regiô, quem excivit; postremus oculorum geminorum cæcitate, pro suo quisquè dirô votô, puniti: simul autem & illud experti senserunt; quod Rex Israël, altô quidem sensu, sed in hominem non æquè reum, pronunciavit: *Hoc est judicium tuum; quod ipse decrevisti.* Mitiora tamen senserunt isti; quàm, quæ perjuris Divi Gregorii, Præsulis Agrigentini, calumniatoribus evenerunt: ut qui sanctissimâ tuâ, justissimâque voluntate, continuò mihi fuerunt adjudicati, pro conjuratâ turpissimi flagitii delationê, sinè cessationê torquendi. Cùm enim in synodo delecti

Ibidem, v. 24.

Euseb. l. 6. Histor. c. 7.

3. Reg. 20. v. 40.

Psalm. 30. v. 6.

Euseb. Ibid: lib. 9. c. 7.

cti reum ad pœnas urgere, perjuriîs decem ſuprà centum aggravatîs, pecuniæ magìs acquirendæ, quàm ſalutis retinendæ cupidi non vererentur; alios eorum, ità jubentê tuô Numine, per miniſtros meos Angelos obſideri confeſtim præcepi; alios, per aërem in Infernum abripi; alios, dirîs verberibûs palàm contundi, ac conteri; alios atrum in carbonem horrendè coram omnibus denigrari; cunctos demùm, diversîs cruciatibûs dirè tortos, caſtigati demùm perjurii luculentum omnes monumentum eſſe feci. Ità ſuum quoquè, quod ſibi fuerat imprecatus, triſte ſupplicium luit, vectigalium perjurus uſurpator, Antonius ille de Gruck; qui, non contentus, mendacia ſua divini nominis adjectâ ſanctitate gravare, ſe quoquè, non temporaneis tantùm flammis, verùm ſempiternis etiam ignibus, vera ſi non diceret, addixit; atquè, prout vovit, inivit: cùm, ſuccenſô ſtraminis manipulô, cui forſan indormierat, correptus miſer, non corporê ſolô, ſed animâ quoquè, buſtum avernale cœpit eſſe, ardétque etiamnùm.

Dauroult. Flor. Exem: cap. 3. Tit. 26. num. 7.

XVIII. Plures jam hôc immanî ſcelere vitiatos; æterna tua juſtitia, velut humani generis, & fidei chriſtianæ, ſicut & incolumitatis publicæ peſſimos corruptores, perpetuò crucian-

dos mihi tradidit. Ad quid igitur iſtorum toleratur adhuc in hoc Mundo, non unius falſi teſtimonij, ſed iñumerabilium perjuriorum rea multitudo? per quam nominis divini jam viluit omnis inter mortales invocatio; veritatis autem explorandæ medium etiam omne, &, quod ſummum fuerat aliàs, innocentiæ ſervandæ, vindicandæque patrocinium, tribunalibus omnibus, & ſacris, & profanis ereptum eſt. Nequè verò, ſi porrò pejerantibus, ac, ſeſe dirè, falſéque devoventibus, Pietas tua ſic, ùt hactenùs, clementer indulſerit, quicquam certiùs mihi polliceor; quàm, in proximo fore: nullus ut ſuperſit ampliùs, non inter gentiles, & ethnicos (qui mei ſunt) ſed inter Chriſti cultores, æternæ felicitati per Baptiſmum authoratos, nequè divini nominis honor, nequè tui Numinis amor, nequè tui judicij metus, nequè tuarum legum obſervantia, nequè tuæ Bonitatis, aut Æquitatis, aut Majeſtatis ulla ſubinde in hoc Mundo reverentia. Quod quidem â me tantò faciliùs obtentum iri confido; quantò manifeſtius argumentum, ac ſignum, id me jam in pluribus adeptum eſſe, circumfero cum hac ipſa cyanei pilei mei plumulâ: quæ nihil oſtentat aliud; quàm, inſignem de Numine, per

innumera procurata perjuria contemtô, victoriarum, ac triumphorum meorum jactantiam. Eſt jam in ea Mundus confuſionê; quam Sapientia tua, (mê nihil non in eam corruptelam præſtante) coràm oculîs, etiam, quæ futura ſunt, intuentibûs, jam tunc habuit; cùm per Sapientem prædixit: *Omnia commiſta ſunt: ſanguis, homicidium, furtum, & fictio, corruptio, & infidelitas, turbatio, & perjurium, tumultus bonorum, DEI immemoratio, animarum inquinatio, &c. Aut enim vivunt injuſtè; aut pejerant citò. Malè ſenſerunt de DEO; & juraverunt injuſtè, in dolo contemnentes juſtitiam.*

Sapient. 14. v. 25. 28. 29.

XIX. Et iſta quidem, non, utì vulgô vapulo per Chriſtum diffamatus, velut Pater mendaciorum congeſſi. Tuus omnia, qui nec falli poteſt, nec fallere, ſpiritus hæc Mundi chriſtiani perverſa monſtra manifeſtavit. Quamvìs haud opùs eſſe videatur, ex oraculis ea, quæ ſunt jam publica, divinis vel aſſerere graviùs, vel vehementiùs infamare. Quibûs aſſertionibûs deferuntur ad Tribunalia cauſæ? quibûs verborum adjectionibûs inclinantur extorta judicia? quibûs conteſtationibûs evincuntur quæſitæ ſententiæ? quibûs ex præjudiciîs de ſumma rerum ſummarum decernitur? Omnia ſcienti, & intuenti, non eſt opùs occulta

Joann. 8. v. 44.

ſingulorum commenta, nequiſſimáque molimina, millê fraudibûs, perjuriîsque contexta, conjurata, palliatáque, ſpeciatim evolvere. De mercatorum tabernîs, mechanicorum officinîs, negotiantium librîs, nummulariorum mensîs, teloniorum receptaculîs, vectigalium rationibûs, quæſtorum ſacculîs, ærariíque publici tum exactoribûs, tum curatoribûs, tum adminiſtrîs, quid dicam? Quot enim dirîs devotionibûs, conteſtatæ, &, centies juratæ, violatæ nihilô minùs fidei, omnis illorum negotiatio, omniáque eorum officia, & commercia, cum infinitîs tuæ Majeſtatis injuriîs contaminata ſint, quis enumerabit? Quoties, tum inhis, tum aliîs, otioſîs juxtà, ac perniciosîs ganeonum, aleatorúmque, turpibûs etiam, infandîsque ſponſionibûs, & pactîs, cum divinâ veritate, & æquitate, ſalus æterna, cœleſtis hæreditas, immortalitas animæ, myſteriorum divinorum ſanctitas, & quidquid demùm pium, ac ſacrum eſt, inſolentiſſimâ temeritatê ejeratum eſt? Si licuiſſet mihi, tuâ toties annuentê juſtitiâ, quoties mihi ſeſe pejerantes devoverant, eos, vel intortô collô, vel divulsô ſolô, & hiſcente terrâ, de conſpectu illorum, quos perjuriîs circumventos, aut obrutos, in extremam

per-

perditionem coëgerunt, continuò abripere; quot huic non ampliùs adeſſent judicio? quot officia, dicaſteria, ac tribunalia, ſuis eſſent arbitrîs, actoribûs, & exactoribûs deſtituta? Non erunt autem, ùt mihi perſuadeo, diutiùs impunes, adeò diù jam impudentes tui Numinis contemtores. Unde enim ſuffragium aliquod cauſæ ſuæ tam perditæ ſperare poſſint, non video. Vix ullum Sanctos inter omnes reperturi ſunt; qui tuo pro ipſis in tribunali patronus intercedere volet. Habeo præſumtionem ex ter-mitratô teſtê Gregoriô; qui, quod expertus eſt, ipſe faſſus eſt: *Ad Martyrum ſepulchra veniunt ægri; & ſanantur: veniunt dæmoniaci; & curantur: veniunt perjuri; &, â dæmonio vexantur.* Adeò Sanctorum omnium nulla perjuris pietas favet; ſed, ſicut in læſæ Majeſtatis criminibus, nec Auditor, qui recipiat; nec Advocatus, qui ſcribat; nec Procurator, qui litem aſſumat, ità, nullus coram DEO Sanctus, qui perjuris patrocinetur, invenitur. Non eſt ergo, qui de manu meâ velit ſceleratos iſtos eruere: nec ipſe peccatorum omnium Advocatus hanc in ſe ſuſcipiet, nomini ſuo, ſuæque legi, ſuóque gregi, tam contumelioſam, tam pernicioſam, tam odioſam, ac propudioſam cauſam Chriſtus. Ità me ſpe-

S. Gregor. homil. 32. in Evang.

rare jubet purpuratus ille Petrus; cujus verbîs omnis omninò ſalutis, etiam â Salvatore recipiendæ ſpes, præciſa videtur eſſe perjuris: *Quisquis*, ait ille, *jusjurandum pejerans violat, â Chriſti ſe corpore, quaſi per quoddam abſciſſionis diſſidium ſeparat; & â Redemtionis humanæ myſterijs alienat. Et, niſi pœnitens canonicè ſatisfecerit; nec Incarnatio Domini, nequè Nativitas, nequè Paſſio, vel Reſurrectio, & Aſcenſio, ſibi proficere aliquatenùs poteſt*: niſi Canonicè ſatisfecerit: ſed, quis erit horum?

S. Petr. Damiani. Lib. S. Epiſt. 10. ad Moricum. Doctr. Tom. 1. pag. 131. col. 1. E.

XX. Non eſt congrua, feriáque, minùs Canonica, de horum ullo pœnitentia præſumenda; qui toties, ipſis etiam in ſacris tribunalibus, arcanarum cauſarum, tuarúmque gratiarum ab Adminiſtris exactam fidem, etiam dejerando firmatam, leviſſimis ex cauſis, ad ingenium reverſi, turpiſſimè perfidi, perjuríque violârunt. Sinat ergo ſacroſancta juſtitia tua: ut per me tuis aliquando finis imponatur tam gravibus offenſis! Faciam, ſi licuerit; quod Valentianis egi: cùm, ſpectatorê Magnô Carolô, magnam tuæ læſæ Majeſtatis ultionem exercui, perjurô confeſtim, ùt eructaverat injuriam, mediùm diſcerptô. Faciam, ſi fas fuerit; quod in urbe Morinenſi præſtiti: cùm in omnium oculis, pejerantis primùm corpo-

Vincent. Bellov. ſpec. Hiſtor. Lib. 24. c. 24.

re

re dirîs tormentîs cruciatô, demùm eôdem exanimî, in ſolum dejectô, ream animam inde ſubtractam orco adjeci. Faciã, indultum ſi fuerit; quod Goduinus Anglus, utì perjurus optavit, continuò ſenſit; eôdem ſcilicet bolô, quem pejerans ingeſſerat, ſuffocatus: aut, quod criminatrix Thaumaturgi Gregorij, mulier infamis, confeſtim, ùt locuta, ſuſtinuit punita: cùm pro calumniâ, contrà Sanctum jurejurandô firmatâ, me tortorem ſuis in membris, & læſæ juſtitiæ divinæ vindicem infeſtiſſimum, ſed æquiſſimum tolerare debuit. Ecce me! nemo reorum iſtorum, dummodò velis, aut ſuperſtes, aut expers erit ſupplicij. Mille mihi ſunt, (imò legiones integræ) commilitonum, tuorũ ſatellitum, tuæq; juſtitiæ miniſtrorum copiæ! Aut irruemus unà omnes, in omnes; aut, ſi malueris, diſcerpemus membratim omnes; aut, ſi, quod malim ipſe, conceſſeris (nè veſtigiô ullius iſtorum omnium in terris relictô) nobiſcum univerſos, utì coram ſunt, abripiemus in ignem æternum!

Dauroultius Tit. 26. cap. 3. num. 6.

Polydorus. Lib. 8. Hiſt. Angl.

XXI. Nolite expaveſcere, nimiôque criminationis Diabolicæ terrorê confundi. En! *Converſus Dominus reſpexit Petrum.* Quantum ab unico ictu oculi Servatoris perjurus Petrus cauſæ ſuæ, quamvìs ægerrimæ, patrocinium nactus eſt? quantum auxilium, nè penitùs interiret, unicus oculi reſpicientis, & miſerentis obtutus Diſcipulo contulit? Quis de Domini tam pij miſerationê non confidat, etiam conſcius, ejus â ſe, pluribûs perjuriîs læſæ Sanctitatis? *Reſpexit Dominus Petrum* (ità conſolans fiduciam excitare veſtram contendit S. Leo) *& inter calumnias Sacerdotum, inter falſitates teſtium, inter cædentium, & conſpuentium injurias conſtitutus, illîs turbatum,* lapſúmq; jam, *Diſcipulum convênit oculîs; quibûs viderat turbandum.* Illîs autem ipsîs oculis, quibûs Petrum offenſus perjuriîs aſpexit, & aſpectum erexit, & erectum ab interitu vindicavit, etiam pro vobis, apud Patrem, Advocatus, omnia jam, ab hoſte contrà vos allata, Servator ſolicitus efficaciſſimè diluit. Habent nimirum oculi ſuam etiam virtutem, omnî linguâ potentiorem, non inter homines tantùm, ſed etiam apud Altiſſimum. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt*; ut omnem eorum, ab ipſis miſeriam abſtrahant; & optatam, in vicem, ſalutem conferant. Confidite! *quia poſuit oculum ſuum ſuper corda* veſtra, *oſtendere illis magnalia operum ſuorum*, divitias videlicet, miſericordiæ ſuæ. Potuit unicus obtutus dilectæ, totum expugnare cor Amoris divini: minúsne potens erit oculus ipſius Amo-

S. Leo, ſerm. 3. de Paſſione.

Pſalm. 10. v. 5.

Eccli. 17. v. 7.

Cantic. 4. v. 9.

Lucæ 22. v. 61.

Amoris, placandæ Patris æterni divinæ juſtitiæ ? Si *oculi Domini præbent fortitudinem his ; qui corde perfectô credunt in eum ?* quid non roboris, & virtutis, veſtris omnium cordibus intuitus Cauſidici veſtri divini, quô ſperare, ſuâque vos confidere de pietate jubet, jam inſpiraverit ? Etſi igitur acerba fuerit, plurimîsque minîs exaggerata criminatio Adverſarij : nunquid potentior ineſt acies Oculo Domini, radiúsque multùm efficacior ; quàm ſuo quondam vibrare ſolebat ex oculo Viſinus, pugil ille mirabilis; qui ſolâ ſui oculi, quoscúnque in enſes hoſtium intentâ, fixâque aciê, gladiorum hoſtilium acies omnes hebetavit? Nihil ſupereſt aliud; quàm, ut veſtris etiam adjungantur ex oculis lacrymæ ; quæ, cum Servatoris oculô, ad vos converſô, & ad Patrem reverſô, maximæ ſanè pondera vocis habent. Major his, ità per oculos Domini, pro vobis Patri loquentis, ad omnem accuſationem diluendam vis ineſt; quàm ſi totus in perditionem veſtram extorquendam conſpiraret Infernus. Vel unicam ſuæ Matris lacrymulam. Alexander Macedo tantî fecit; ut graviſſimis calumniis, quas adverſùs eam Antipater ſcripſerat, aliud non oppoſuerit; quàm: *Neſcit Antipater : unam Matris lacrymulam multarum calumniarum epiſtolas eſſe deleturam.* Infinities majora de Domini, piè reſpicientis, & ad Patrem directîs lacrymîs fidenter expectanda ſunt. Ità Petrum perjurum pietatis oculô reſpiciens, flentem ſervavit â perjurii pœnis : ità pœnitentes quoquè vos efficaciſſimè ſalvabit Servator omnium. Nam *pupilla, dum compungitur* (ùt ait S. Paſchaſius) *magis, quàm loquentis verba, impetrandi effectum habet : &,* (ex D. Ambroſii ſententiâ) *quòd defendi non poteſt, ablui poteſt.* Ite ergo cum Petro *foràs, flentes amarè.* Amen.

2. Paralip. 16. v. 9.

Olaus Mag. Lib: 3. c. 16.

Engelgr. Emblem. 24. §. 2.

S. Paſchaſ. lib. 2. in Thren. S. Ambroſ. ſerm. 48. Luc. 22. v. 62.

FERIA IV.

POST DOMINICAM II. QUADRAGESIMÆ.

SERMO UNDECIMUS.

In Foro II. Juſtitiæ Divinæ ; Tribunalibûs Jeroſolymæ.

In Carcere domûs Pontificiæ fœtidiſſimo, & extremo.

Actio VII. De Conſpiratione.

Contrà eos ;
Qui Cœtus, & Contubernia quotidiana,
Ex inſtituto, pravôque jam receptô more, celebrant,
Nocturnô vel maximè tempore,
Jacturâ ſummâ Temporis, Bonorúmque temporalium, ac æternorum,
Cum ſcandalo Proximorum, & injuriâ Vicinorum.

Actor VII. Caſtroverdus, Eccleſiaſtes infelix,

Ex ſacra S. P. Auguſtini familia ;
Qui vulgô jam infames, hôc nomine, Societates nocturnas,
Quaſi conſtitutos authoritatê quâdam Cœtus,
Tanquam pernicioſas, contrà DEUM, omnémque Virtutem,
In omne malum, quod inde conſequitur,
Occultas, perfidásque Conſpirationes perſtringit.

Myſterium VII. Actionis propoſitæ Argumentum.

Petulans contrà Chriſtum, in aulâ ſummi Pontificis,
Carcere ſordidô, fœtentêque detentum,
Ludibriîs abſurdiſſimîs, extremîsque pœnis vexatum,
Judæorum, ac Militum nocturna Conſpiratio.

Teſſera. Non cognoverunt eum : ſed fecerunt in eum, quæcunquè voluerunt. *Matth. 17. v. 12.*

Vehementem animi commotionem, você debilê, geſtúque corporis, deliquio ſimili, veluti perculſus, dum exorditur, Eccleſiaſtes exhibet.

I. AH! qualî vulnere ſauciatum eſt cor meum, ægrè tantùm indulgens vitalis reſpirii, viriúmque ; ſenſum ut verbîs indicare valeam ; quô tota propè loquendi facultas erepta eſt. Proh! quàm acerbè totum jam animum oppreſſit; quod ex D. Matthæo adduxi, ſancti verò Patris

L. vivus ff. de re judic. Oldenſ.

tris Hieronymi gravis interpretatio, cum totius mei ſpiritûs terribilî convulſione, fibris omnibus afflicti cordis impreſſit. Ah! mi JESU! conforta me! nè, cum viribus, vox, & verba deficiant! Retine Domine fatiſcentem animam! *Domine, virtus ſalutis meæ!* Nemo tam inſolitos affectus, &, præter morem, agitatæ mentis inexpectatam confuſionem, aut indignè ferat, aut ſimulationis inſimulet. Quî poſſet non vacillare caput hoc meum vertiginê? dum illud ſentio, meo Caput in capite; quod, audaciâ ludente, petulantiâ illudente, colaphîs, pugnîsque percuſſum agitationê vertiginoſâ commotum eſt? *Colaphis eum cecidérunt; &, illudebant cædentes.* Quî non, hebetata meorum acies oculorum caliget? quibus â ſordido velamine nubes atra jam ingruit; quô *velaverunt eum*; cujus *oculi multò plùs lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi.* Quî non omnis vultûs mei color emortuus luridô pallore ſimulacrum potiùs, quàm aſpectum hominis viventis oſtendat? poſtquàm audivi: *Expuerunt in faciem ejus*; in quam non tantùm deſiderant Angeli reſpicere; ſed omnem ſalutis univerſæ ſpem defixit, qui rogavit: *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus!* Nunc autem *non eſt ſpecies ei, neque decor: vidimus, & non erat aſpectus!* Quô tandem conatu poſſibile ſit mihi, vel os in ſermonem aperire? vel, in diſerta linguam verba movere? dum ictus percepi; quibûs *Os Domini* percuſſum eſt alapîs: *Palmas in faciem ejus dederunt: &, alapîs eum cædebant*; quibûs Os, ac Verbum divinum obtuſum eſt. Quâ rationê meus in officium recolligere ſe queat intellectus? cùm intelligo, Doctorem æternæ veritatis, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*, morê fatui ludificari; velut ſtolidum, Abderiticúmque traduci; tanquàm ignarum, quæſtionibûs inflictîs torqueri: *interrogaverunt eum, dicentes: prophetiza! quis eſt, qui te percuſſit?* Quî ſubſiſtere diutiùs, membrorum omnium non collapſô penitùs vigorê, valeam? dum per capillos, & barbam vellicatus, in omnem partem, hinc, & inde, Ludionis inſtar, ac ſcurræ trahitur, truditur, & volvitur ille; *qui fundavit terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Heu me! novô compunctum eſt ictu, transfixúmque cor meum, recurrentibûs in memoriam Evangeliſtæ terribilibûs verbîs: *Fecerant in eum, quæcunquè voluerunt.* Quid enìm? DEUS bone! quid fecerunt? dum licuit agere, quod líbuit; & inimica, conjurata, petulans, ac ſcelerata voluntas, impetum, habuit pro legê; temeritatem, pro conſiliô; libertatem,

Pſalm. 139. v. 8.
Matth. 26. v. 67.
Lucæ 22. v. 63.
Lucæ 22. v. 64.
Marci 14. v. 65.
Eccli. 24. v. 28.
Matth. 26. v. 67.
1. Petr. 1. v. 12.
Pſalm. 79. v. 4.
Iſaiæ 53. v. 2.
Iſaiæ 1. v. 20.
Matth. 26. v. 67.
Marci 14. v. 65.
Colloſſ. 2. v. 3.
Lucæ 22. v. 64.
Pſalm. 103. v. 5.
Matth. 17. v. 12.

tatem, pro arbitriô; feritatem, pro modô? *Tam turpia* (ſic deſcripſit Hieronymus) *tam obſcœna, tam nefanda fecerunt; ut ea, ob turpitudinem, noluerint Evangeliſtæ exprimere, verbîsque apertîs revelare; nec, uſquè ad judicii extremi diem, manifeſtanda.* Quis igitur de tam infandîs loquendi mihi ſit animus? cùm nihil audiatur, niſi blasphemîa: *multa blasphemantes dicebant in eum*; nihil non audeatur, cum ſummâ impudentiâ: *Fecerunt in eum, quæcunquè voluerunt*!

S. Hieron: in cap. 26. Matth.

Lucæ 22. v. 64.

II. Illud, inter hæc abominanda, tandem conſtitui; quod & fixum animo ſtat, inquirendo perſequi: Quinam tam infanda, tam abominanda, tam ſuprà conjecturam omnium hominum obſcœna peccaverint, in abſtruſo, cæteris â carceribus, aulæ ſummi Sacerdotis ergaſtulô; in quod, poſt fulminatam blasphemiæ ſententiam, Servator innocens, exultante furore detruſus, & incluſus reliquam exigere noctem coactus eſt? Divus Marcus, nominibûs prætermiſsîs, ait: *Cœperunt quidam conſpuere in eum*; & paucîs interjectîs, ex officio miniſtros accuſat: *& miniſtri alapîs eum cædebant.* S. Matthæus videtur omnes in unum arguere Synedros; eoſdémque reos indicare totius illius ludificationis obſcœnæ; qui, mortis reum unà conclamantes, damnaverunt Chriſtum Domini: dum ſententiæ, quâ *dixerunt omnes: Reus eſt mortis*! continuò ſubjunxit: *Tunc expuerunt in faciem ejus.* Divus Lucas in milites prætorianos, Pontificúmque ſatellites, reſtringere culpam omnem videtur, inquiens: *Viri, qui tenebant illum, illudebant ei*: ut omninò certum, omnique procul dubiô judicandum ſit: non tantùm ex militari cohorte gentilis Præſidis, verùm ex turba judæorum, quæ militibus aſſociata, Servatorem, latronis inſtar comprehenſum, ad Pontificis tribunal vinctum adduxerat, plures, odiô, furorê, impietate quoquè, & impudentiâ, cæterîs ampliùs efferatos, magisque perfrictâ fronte ſcurras, & ſanniones, quorum cuſtodiæ traditus, poteſtatiq; relictus fuerat, crudelé in ſocietatem conſpirâſſe: quidquid genius, præcipitatâ jam honeſtate in transverſum actus, malevoláque, cenſoris omnis expers, petulantia ſuggeſſerit, certatim audendi, & exerendi; &, donec vires voluntati pares fuerint, exercendi, quatuor illîs horîs continuîs: quibûs, poſt concilium diſſolutum, reversîs ad ſua Senioribûs, in extremum angulum atrii, velut in atrium quoddam Inferni, ſordibûs, & illuviê refertum, neminê prohibentê, neminê cohibentê, neminê moderantê, neminê demùm per-

Matth. 26. v. 47.

Lucæ 22. v. 63.

Marci 14. v. 65.

Ibidem. v. eodem.

perſtringentê, Deô inſuper patientê, *fecerunt in eum, quæcunquè voluerunt!*

III. Poterátne quicquam aliud cogitari, vel expectari talî ex cœtu, ſocietatê, conſortiô, conſpirationê? in qua fæx hominũ inhumaniſſimorum, ſibi relicta, certáque: *Nemo nos videt*; & concubiâ noctê, quæ aliunde *hoſtis eſt pudicitiæ, & amica ſcelerum*; & extrà cenſoriũ omnem oculum, adverſùs Dominum, & adverſùs Chriſtũ ejus congregata, & unita erat? Fallórne, ſi mihi perſuadeo: Diabolico illo in conſortiô conjuratæ petulantiæ, ſceleratæquè conſpirationi mulieres non defuiſſe? Præſumtionem excitavit narrationis evangelicæ ſeries; quæ moleſtîs, & periculosîs interrogationibûs Petrum, non ab unâ, ſed alterâ inſuper ancillâ tentatum, ſtatim, ac illudentium commemoravit opprobria, ſubjunxit. Et (quod conjecturam auget, ac firmat) non ſeorſum â cæteris, mulierum illa garrula poſtulatio fuit: ſed, quæ *vidit eum, alia ancilla, ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum JESU Nazareno.* Mulieres igitur, & ancillæ, ſummi Pontificis in aula, ſociatæ fuerunt miniſtris illis, atquè militibus, qui erant ibi; quibus reliquô noctis tempore cuſtodiendus, ſeu potiùs, millê vexationibûs torquendus, & affligendus, â Pontifice relictus fuerat Servator. Ab his enim, progenio muliebris curioſitatis, vagabundè diſcurrentibûs, & nunc hîc, nunc ibi, negotia ultrò quærentibûs, modô ab unâ, modò ab alterâ (forſan hortantibûs etiam excubitoribûs) infeſtatus eſt Petrus in atrio; cùm interim infandîs ludibriîs, dirîsque perſecutionibûs, Dominus jam abſtruſus, turpiſſimè ſuô torquebatur in carcere. Talis ergo ſocietas procacium ancillarum, & nihil non audentium viliſſimis cum ſervis militum, non poteſt aliud in animum inducere; quàm firmam de verbis Divi Patris Hieronymi fidem: fuiſſe ſcilicet adeò nefanda, atquè obſcœna, in eô petulantiſſimæ Conſpirationis nocturnô miniſtrorum conſortio perpetrata; nullus ut ea fuerit auſus Evangeliſta calamô ſuô deſcribere, tenebris in illis, in quibus acta ſunt, uſquè ad univerſalem totius abominationis revelationem conſepulta.

IV. Sed eſt aliud adhuc, unde meus augetur horror hâc de ſocietate conceptus; ex quâ, ſummum fortè tormentorum omnium, ſanctiſſima, divináque Servatoris innocentia paſſa fuit. Nec enim in extremam eam vexationem ſoli tantùm famuli cum ancillis conſpirâſſe, factô cœtu, reperiuntur: etiam Optimates,

Daniel. 13. v. 20. Petrarcha. de remed: utr. fort. Lib. 1. Dial. 24.

Matth. 26. v. 71.

mates, & illos, â quibus per exempla tantùm eſt ſcandali; quantum poteſtatis ineſt in plebejos ex prærogativâ, gloriæ Dominum opprobriîs affeciſſe reperio, noſtri Salmeronis eruditiſſimô calamô proditos: *Ipſi Sacerdotes, & Scribæ, & Phariſæi, projecerunt ſputa, quaſi in viliſſimum, & abominabilem hominem.* Indè crevit audacia ſervorum; cùm eam non ſolùm authoratam, ſed imperatam etiam arbitrati ſunt, per inſolentiam Dominorum. Nihil enim ſibi non licere præſumit inferior; cùm ea, quæ nec â poſtremis quibusquè, citrà decoris, & conſcientiæ profligationem ſuſcipiuntur, velut religioſè non tam cœpta, quàm præcepta, ſuperiorum in exemplo cognoſcit. Hoc innuere Burgenſis voluiſſe videtur, conteſtans: *Expuerunt præſentes, illi in primis, qui eum tenebant*, ſatellites videlicet armati; qui vinctum adduxerunt cum miniſtris, in Dominorum ſuorum beneplacitum, &, quod rebantur, optatum obſequium, conjurati: *Alij quoquè; & ſpectatores: quidam etiam ipſorum Principum.* Ergo Principes etiam, & Sacerdotes reperiuntur hîc uniti? Quid non â plebe, fæcéque viliſſimâ, ſic præludentê Principum, ſummorúmque Sacerdotum iniquitate, pravitate, atque odiô, conſputationê ſordidiſſimâ confimatô, mox attentatum, animísque, manibûsque ſociatîs, continuatum fuiſſe judicabimus exinde; quòd conſpirationi, ad vexandum, & pro libidine torquendum noctê reliquâ Dominî factæ, Optimatum, & ſacrorum etiam Principum exemplum, atquè authoritas, velut imperium acceſſerit? Sicut enim, â ſolis defectu, ſuper omnem terram tenebræ; ſic obſcuratîs per pravas actiones capitibûs, aliud non reliquis de membris cogitandum, nisì, opera tenebrarum.

Salmeron. Tom. 10. in Evang. Tract. 22.

Lucas Burg. in Matth.

Idem, Ibid.

V. Quidquid tamen in eâ, tam corruptâ ſocietate, per iniquiſſimam conſpirationem illâ triſtiſſimâ noctê tranſactum eſt, patrocinium aliquod ab ipſo, qui memoravit, Evangeliſtâ videtur obtinuiſſe: cùm diſertè teſtetur, eô totô de conſortiô ſcelerato: *non cognoverunt eum.* Quaſi verò totum id, quod ebrius furor, & ſociatæ pravitatis audacia, ex conſpiratione contrà Chriſtum inimicâ, pro cæco perverſiſſimæ voluntatis arbitriô peregit, nequè tentatum unquàm, imò, nè cogitatum quidem, aut deliberatum fuiſſet, ſi cognoviſſent. *Non cognoverunt eum: ſed, fecerunt in eum, quæcunque voluerunt.* Itanè verò ſuffragium ignorantiæ favere poterit pariter, ſceleratiſſimis cœtibus, aut conſortiis, aut (ut

Matth. 17. v. 12.

Ibidem.

no-

notiorî jam, & infamatâ magìs appellationê utar) Societatibus illis nocturnis; in quibus, cum fœminis viri, cum ligatis liberi, libertate tam diſſolutâ, tam omnis, humanæ, divinæque legis oblitâ conveniunt, uniuntur, & conſpirant, pactîs ultrò, citróque, per litteras, aut orê tenùs, aut conciliatores per internuncios, & conciliatrices, firmatîs; ut, adverſùs Dominum, & adverſùs Chriſtum ejus, totámque ſanctitatem Evangelici Codicis, ac Inſtituti, nihil infenſius eâ, vel perniciosiùs excogitare, atque introducere potuiſſet ipſe primævæ ſocietatis, quam in adjutorium humanum benignitas Conditoris inſtituit, infenſiſſimus corruptor: cùm eorum, qui noctuma conſortia, ſeu (vulgarî jam infamiâ nominis, alioquin innocui) Societates ex propoſito celebrant, & quotidianâ jam, velut acceptæ legis, conſuetudinê receptas, condictásque frequentant, in mente deliberatum aliud, aut conſultum, fixúmque non ſit; quàm, quod inimicæ contrà DEUM, ejúsque ſanctiſſimam legem, & chriſtianæ diſciplinæ Canonem, divinô ſanguinê rubricatum, omnísque, naturalis etiam, cùm innocentiæ, tum pudoris dictamen, initæ conſpirationis judicandæ, manifeſtum ſuppetit maturæ, vigilíque rationi (nè dicam, apoſtolicæ, vel religioſæ criſi) argumentum. Non hæc temerè loquor: quid enim ex Juris Conſultorum etymologiâ (quam omnis, pro tribunalibus aſſumta, reſpicere debet Actio) Conſpirationis nominê criminari, damnarique ſolet? Etymô vulgarî *Conſpiratio, eſt quædam fraudulenta confœderatio, facta in præjudicium alicujus perſonæ, vel dignitatis. Hanc (quia fere nunquam non doloſa cenſetur) ideò ſeverè jubet lex vindicari. Sed & Imperator Adrianus, privatim quoquè ſtatuit, vindicari ſcelus Adverſariorum; quibûs opprimitur litigantis innocentia.* Quid, obſecro, prohibet, nocturna conſortia, in quibûs mares mulieribus, non ſacramenti jurê, ſed, arrogatâ licentiâ, contrà ſacra conjugum abſentium jura, præſentium verò, & invicem forſan iniquè conniventium conſcientiam, nocte concubiâ commiſcentur; atque promiſcua quibuslibet, cum quibus lubet, familiariùs agendi, ludendi, jocandi, nugandique, liberrima cum opportunitate facultas, quaſi datô ſignô, vel, explicatô vexillô, patet, & indulta cognoſcitur? quid, inquam, vetat, hæc nocturna conſortia, Conſpirationes veras, atquè ſic ſociatos, tanquàm *in præjudicium Chriſti Domini, dignitatisque totius chriſtiani nominis, ac legis conſpiratos*, accuſandos pronunciare?

Partulph. Pratejus in Lexico jur. Civ. & Canon. V. Conſpiratio.

L. vivus ff. de rê judic.

re? dum aliô consiliô, vel intentionê non convenitur horîs illîs humanæ quieti destinatîs, obscurîs, & solè privatîs; quàm, ut conspuatur, illudatur, percutiatur, atquè, cum suâ sanctissimâ legê, legislator ipse, Christus, turpissimîs opprobriîs, quam liberè, tam audacter, offendatur.

VI. Absit autem; ut hoc argumentum, etiam in sacrô, divinôque tribunalî, præsentibûs coràm testibûs, forsan & reîs ipsîs non paucîs, actionê criminalî perstringatur â me, pro gravitate sceleris illius; quod, nominê Conspirationis christianæ, contrà Christum, non ignotum, sed confessum, & adoratum Dei Filium, unicúmque supremô jurê Dominum, initæ, longè graviùs, quàm omnis illa Judæorum, adversûs Eum ignotum, in Cayphæ domo conspiratorum, nocturna; & ineffabilis abominationis infamata jam, damnatáque persecutio, criminandum, & ad extremas pœnas, atquè ultima supplicia postulandum est. Actionem adeò periculosam Actori, quia plurimis, & iis quidem non infimæ sortis, aut fatuæ tantùm, & invalidæ indignationis hominibus odiosam, absit, inquam, â me suscipi, vel persequi: cùm in animum necdum induxerim, hoc suggestum deserere; sed constitutum habeam, decretúmque (si Deus faveat) reliquum adhuc Quadragesimæ tempus, prout incepi, sermonibûs continuatîs exigere totum. Jam alius adest, &, exulare quidem pro Veritatis præsentis exaggerationê, non minùs, quam fuerat olim, etiamnum comparatus. Castroverdus, viro nomen est; ingens autem eo ex nomine, & homine, decus, & splendor est, eritque perpetuò celeberrimæ, ac sanctissimæ, sancti Patris Augustini religiosæ familiæ, non tam ob eloquii singularis facundiam; quàm propter energiam, quâ flectere animos hominum, & expugnare, expugnatósque subigere sceleratos quosquè pollebat Castroverdus. Gnarus hic, gravis cujusdam, &, in vulgus pernicioси scandali, quod acceptum â nobilibus, ignobile jam fieri cœpit, ac populare; &, quia eximium fuerat, atquè exemtum â censura in Optimatibus, etsi pessimum, non potuit tamen â plebe non optimâ, bonum non æstimari, non diligi, non pariter exerceri. Castroverdus igitur, quem sui muneris Ecclesiastici pungebat obligatio, nè suam per dissimulationem augeretur, ægrîs jam capitibûs, & infirmâ totius urbis nobilitate malum, subinde, cùm in pedes, plebémque descenderit infesta corruptio, non ampliùs, corpore scilicet,

Kibler. mundi Mirabil. p. 2. Mors in olla. mihi, fol. 166, num. 253.

licèt, jam integrè proſtratô medicabile, ſumſit animos, id pro Concione, morê ſuô, quàm ferventiſſimâ Actionê accuſandi, objurgandi, ac perſtringendi. Suggeſtũ itaquè, non animô tantùm, ac intentionê, verùm & rationê inſuper, ac orationê paratâ firmatus conſcendit, celatîs, quas habitu religioſô texerat, ocreîs, & veredô, pro templi foribûs conſtitutô; quô continuô, fugâ ſibi conſulturus, ab exitu ſermonis uteretur. Ipſe ille ergo, qui ſic inſtructus tunc evaſit, hodiè tentaturus idem eâdem nunc adeſt mente, atquè eâdem dicendi libertatê, contrà nocturnarum ſocietatum impias, & chriſtiano nomini probroſas Conſpirationes, periculô quôvis poſthabitô, imperterritus jam exclamat Actor.

Daniel. 13. v. 42.

VII. *DEUS æterne! qui abſconditorum es cognitor*; &, quem nullum latet ſecretum, nec effugere quicquam poteſt; etſi luminis omnis, atquè ipſius etiam, qui viſibilem totum efficit orbem, ſolis radios obſcuriſſimis abſtruſum in angulis declinet. Huic tuæ, cui patent omnia, priùs, quàm ſint, cuncta tuenti, ſcientiquè Providentiæ, quamvis nihil non apertum eſſe, notúmque credam, atque confitear (quod quidem credi pariter â reis hiſcè, quos objurgatum veni, minimè mihi perſuadeo) tamen, urgentê conſcientiâ, meiquè muneris obligationê, quâ tui me Verbi præconem, tuæ gloriæ, nominísque zelotem, & humanæ ſalutis procuratorem eſſe juſſiſti, continuîs ſtimulîs compulſus adſum, non eô quidem conſiliô; quô manifeſtum juſtitiæ tuæ facerem, hominum, non viliſſimorum, indigniſſimum tamen, & infrà chriſtiani nominis, fideliúmque regiæ ſortis maximam dignitatem abjectiſſimum ſtatum: ſed, ut inter publicas maleficorum hujus Mundi criminationes coram tuô jam apertô tribunalî ſuſceptas, etiam ſuum intelligant reatum, agnoſcant periculum, timeant judicium, ſentiántque ſuam, tantò magis præ cæterîs meritam damnationem; quantò ſe, cùm admonitionis, tum objurgationis, omnísque correctionis impatientes, imò, quia per natalium conditionem eximii ſunt, etiam penitùs exemtos ab omni judiciorum cenſurâ, ſicut inter homines, quos terrent, ſic, & apud Majeſtatem tuam divinam (cujus timor nullus in ipſis animadvertitur ampliùs) inſolentiſſimâ perſuaſionê ſunt arbitrati. Verebar etiam; nè per ſilentium reus ipſe fierem tot ſcelerum; quot, per ignorantiam, non eruditam, per audaciam, non repreſſam, per pravitatem, non correptam, per libertatem, non coërcitam, per

proterviam, non caſtigatam, per conſuetudinẽ deniquè chriſtianæ totius modeſtiæ, continentiæ, decorisque, ac pudoris parricidam, & impiam, adverſùs Chriſtum, chriſtique doctrinam, & omnibus evangelicis conſiliis inimicam Conſpirationem, non accuſatam, quotidiè majori cum offendiculô ſecùs credentium invaleſcunt. Altô quippe recepta ſunt animô, non ſinè ſtimulô jugiter perurgente, ſuſpiria pœnitentis Prophetæ: *Væ mihi! quia tacui.* Gravat etiam ultrix comminatio, ſanguinis animarum omnium diſtrictâ ſeveritate requirendi, de mutâ publicorum præſertim ſcelerum diſſimulationê. Nec meminiſſe, niſi cum horrore poſſum, quæ Divo â Petro, Damiani Cardinale, Nicolao, Petri ſucceſſori, gravi cum argumentationê ſuggeſta ſunt: *Si Heli, propter duos duntaxat filios, quos non eâ, quâ digni erant, invectionê corripuit, cum eis ſimul, & cum tot hominum multitudine periit: quâ arbitramur dignos eſſe ſententiâ; qui in aula Eccleſiaſtica - - ſuper non ignotis pravorum hominum criminibûs tacent?* Nec me latet lata jam ab Iſidoro, vel potiùs, per Iſidorum prolata, promulgatáque juſtitiæ tuæ quàm ſevera, tam vera, juſtiſſimáque ſententia: *Sacerdotes, pro populorum iniquitate damnantur: ſi eos, aut, ignorantes, non erudiant: aut, peccantes, non arguant.* Nec damnantur immeritò; tum, quòd Chriſti ſanguinem, in animabus perdi, periréque, jacturâ non effabilî, nec reparabilî ſinant: tum, quòd ſupremi miniſterium ordinis, ad quod, per evangelicæ prædicationis munus, Apoſtolicâ ſunt authoritate ſublevati, per impium, & crudele ſilentium, diabolicis lucris accommodant, ad eorum obſequia turpiſſimè detortum. Nam, *ſi DEI miniſter eſt* (ità convincit ratiocinatio purpurati Petri) *qui mala facientes in iram vindicat: Diaboli procul dubiô miniſter eſt; qui criminoſos, ac reprobos ſuaviter palpat: &, ſicut DEO præbet obſequium; qui perverſos ulciſcitur: ſic miniſter eſt adverſarii; qui perpetrantibus iniqua blanditur.* Abſit â me tanti criminis, magis, quàm ipſa, quæ perſtringenda conſtitui, nocturnarum Conſpirationum flagitia, tuô reum, damnandúmque pro tribunalî ſilentium! *Dicam veritatem in conſpectu tuo.*

Iſaiæ 6. v. 5.

Ezech. 3. v. 18.

S. Petr. Dam. Lib. 1. Epiſt. 6.

S. Petr. Damian. Lib. 7. Epiſt. 11.

Judith. 5. v. 6.

S. Iſidorus Lib. 1. Sent. cap. 46.

VIII. Non enim eô ſum animô; qui cuiquam horum, quos hic redarguo, vel pro munere, vel pro favore, vel temporaneæ cujuscunquè commoditatis intuitu quôvis, aut ſpê, ſerviliter obnoxium, aut obſtrictum ſeſe reperiat. Et ideò procul â me quæſitus ille meticuloſæ taciturnitatis prætextus eſt; quem, pro nominis forſan proprietate, Tacitus obtendit

tendit olim ſuo, politicæ magìs, quàm veritati ſacrato calamo: *Rara temporum felicitas; ubi ſentire, quæ velis; &, quæ ſentis, dicere liceat.* Non ſunt hæc ſacrorum Oratorum axiomata; quos nullô temporum diſcriminê, nullâ placendi, diſplicendíque formidinê, nullâ deniquè felicitatis temporaneæ, ſed æternæ tantùm, alienæ ſalutis curâ, vult, & patitur, in muneris obligatione, vel reſtringi, vel angi ſolicitâ deliberatione S. Chryſoſtomus; ſed, *etiamſi injuriam ferre oporteat; etiamſi aliud quidlibet ſuſtinere neceſſum ſit*, hortatur: *Omnia faciamus; ut recuperare tandem illos poſſimus.* Hinc unus eſt mihi, ac Philoni, jam obfirmatus hâc pro Actione ſcopus: *Ego, qui non unum virum curandum ſuſcepi, ſed integram civitatem, laborantem morbis graviſſimîs, quid agere debeo? Emori præſtat; quàm, loqui ad gratiam, diſſimulatâ veritate.*

Tacitus. Lib. 1. Annal.

S. Chryſoſt. Tom. 6. Homil. 6.

Philo. Libro de Joſeph.

IX. Tua res agitur, magne DEUS! honor tuus inſuper habetur; leges tuæ poſtremô ſunt locô; magnum illud, & ſupremum arbitrium rationis, quod ingenitum omnibus, cum primâ functionê diſcernentis intellectûs providentia tua divina conſtituit, ingeſtîs, per ipſum noctis abuſum, turpiſſimîs tenebrîs obruitur, adeóq; dementatur (errorê ſcilicèt, pro rationê, jam arbitrô; dum, quod quisquè vult, æquum, iniquúmque definit) ut, quod nos ùt Conſpirationem accuſamus; velut honeſta converſatio nequiſſimè defendatur, &, eorum excuſetur progenio, quos D. Gregorius accuſavit: *nulla correctionis jacula ſe penetrare permittunt: quia in omnî peccatô, quod faciunt, ſcutum ſuperbæ defenſionis opponunt. Quodſi factum excuſare nequeunt, excuſant animum:* ſcilicèt, ùt ſapiens innuit: *Os impiorum, operit iniquitatem.* Itáque, quod, ſcelerum, & adulteriorum ſeminarium nos arguimus; ùt neceſſarium animorum, curîs nimiùm fatigatorum diverticulum ab illis exigitur: quod, ùt ætatis omnis, & ſexûs, & cujuscúnque ſanctiùs obligati ſtatûs corruptelam, totiúsque diſciplinæ chriſtianæ diſſolutionem, internecionémque nos perſequimur, damnatúmque, quia damnoſum, eſſe contendimus; velut innocentiſſimum, ærumnarum humanarum ſolatium, gravaminum, ac moleſtiarum levamen, privatorum juxtà, ùt publicorum laborum adjutorium, & conveniens elevatæ ſuprà plebem natalium differentiæ, vitæque minùs ligatæ, liberiúsque natæ diſcrimen, ab illis defenditur, &, expers omnis culpæ, vacuum cujusvìs offenſæ, nullius, vel ad ſocios incentivi, vel in populum offendiculi, vel contrà DEUM, ejúsque legem deli-

S. Gregor. Lib. 33. Moral. cap. 24.

Proverb. 10. v. 11.

ĉti tuentur inſimulandum ab ullo: niſi forſan (ſic enim obganniunt) chriſtianus aliquis Ariſtarchus, juſta quæquè, dum ſuo non conſentiunt genio, perſtringere pertinax; aut omnis hilaritatis odioſus deplorator Heraclitus; aut ex Trophonij reverſus antro Miſanthrópus quispiã, ùt ſuæmet ipſius umbræ, ſic omnis humanæ conjunctionis, atquè conſortij perſecutor infeſtus, linguam inimicam attentaret exerere, atquè cavillantem, objurgantemq; ſtylũ, cerebri ſui, vel corrupti, vel obtuſi, non ſani ſanè, ſed infirmi, deliriô manifeſtatô exercere. Ità filij tenebrarum ſacras nocturnarum Conſpirationum criſes explodunt; ſuæque perverſitatis criminatores, tanquàm ſenſu rectæ diſcretionis deſtitutos, in vulgus theologorum, œſtrô quôdam, ac præpoſterô zelô corruptorum, ſcrupuloſorúmque rejiciunt, aſpernantur, & averſantur. Quâ quidem averſionê nihil aliud, quàm cauſæ ſuæ majorem accerſunt infamiam; & argumentum condemnandæ ſuæ pravitatis tantò luculentius reddunt; quantò magis cæcitatem ſuam, iniquitatis defenſionê produnt; & malitiam, impatientiâ correptionis exaggerant. Planè; *ùt cœnum ſolet tum maximè fœtere, cùm moveas; incendium tunc maximè ardere, cùm verſes; & rabies tunc maximè ſævire, ſi provoces*; & ſcabies tunc maximè prurire, ſi frices: *Ita illi objurgationis neceſſariæ ſtimulos contrariô calcê fregerunt, non ſinè ſuô quidem malô, & vulnere, repugnantes.* Nihil enim huic odio debitæ correptionis, in tempore faſtiditæ, contemtæ, & verò etiam hoſtiliter profligatæ certiùs impendet; quàm, quod â tuô ſanctiſſimô tribunalî, dum nullum ampliùs malo remedium, omnia detrectanti, ſupereſt, actionê præſentî poſtulare quidem perhorreſco, conſecuturum tamen, & illatum iri, velut præſagus, formidánsque prænoneo, ſecundùm illud Sapientis proverbium: *Qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus*; quô, de conſortio Conſpiratorum ſubtractus, illud quidem, funeſtô ſuô finê terrefactum deſerere cogetur (utinam etiam diſſipare, totúmque ab invicem diſſolvere!) ſimul autem & illam incipiet, mutationê triſtiſſimâ, ſocietatem experiri; quæ perpetuis in tormentis nullum unquam eſt habitura, cum ſociis Diabolis, damnati conſortij finem. *Prov. 29. v. 1.*

S. Pacianus in Paræn. ad pœnit.

X. Non hæc auguror imprudentî, vel ſcrupulosâ, & judicij vacuâ præſenſionê. Quorum enim cœtui, ſubitâ Numinis ultionê de nocturnâ Conſpirationê ſublati, ſe conjungendos (niſi mentiri ſibimet ipſis

ſu-

futilî perſuaſionê velint) ſperare, vel cogitare poſſunt, præter quàm eorum; quorum, utì ſecuti ſunt, ad conſortia, tam inchoanda, quàm pertinaciter continuanda, conſilium, ità genium etiam obſtinatum, omnis admonitionis, redargutionis, & correctionis perſecutorem imitati ſunt? Jam in hos pridem, quæ cogitavi, Beatus ille, magni Patris Auguſtini doctiſſimus Eremita, Simon de Caſſia judicata pronunciavit: *Eorum eſt deſperanda ſalus, quibus eſt odioſa correctio: & tibi, & omnibus anathema fiant, ab omni converſationê ſemoti; qui proximum unum, & deinceps authoritatem Eccleſiaſticam, animô contemſerint: quoniam ſeipſum Diabolum fecit, qui corrigi nequit. Et propèmodùm homo delinquens, juſtæ correctioni non ſubditus, pejor eſt Diabolo: cùm corrigi nolit; & nequit: aut nolit, quia nequit; aut nequit, quia nolit.* Hoc magni nominis Theologis argumentum fuit judicandi, non unô ſenſu dictum â Syracide fuiſſe: *Qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris*: ſed, indicare ſimul, ac, dicere voluiſſe Sapientem: quòd, qui correptionis oſor eſt, *indicium præbet inhabitantis in ſe Diaboli: &, imitator eſt Diaboli*: prouti concordî ſenſu ſunt interpretati dicta verba, Lyranus, Hugo purpuratus, & Rabanus: aut, ſicut eadem, pariter conſentientes, acceperunt Carthuſianus Richelius, Janſenius, & Emmanuel Sà; *oſtendit eô ipſô, ſe decreviſſe, peccatis adhæreſcere.* Tales ergo, cùm hodiernâ ſint Actionê damnandi magìs, quàm objurgandi; ſeu, diabolicæ ſocietatis condemnationê digniſſimi, convincendi potiùs, quàm reprehendendi, vel perſtringendi, (dum omnis eorum emendatio, propter ipſam, quam ſibi perſuadent, iniquiſſimarum ſuarum conſpirationum innocentiam deſperata creditur) primum hoc ſuſceptæ meæ criminationis, probatum, perſuaſúmque jam argumentum eſto: *Conſpiratos* hoſcè, quia correptionis oſores, & correctionis perſecutores, & ſuæ ſunt malitiæ defenſores, communî, cum dæmonum ſocietate jam damnatâ, damnationis charactere notatos, & inſignitos eſſe. Quô num dici quicquam poſſit horribiliùs, ad vitij cujuspiam abominationem, ac deteſtationem, &, quod optandum eſt maximè, ſeriam, integrámque ejerationem ejusdem obtinendam, non video.

B. Simon. de Caſſia lib. 9. cap 44. in illa verba Evang. ſit tibi, ſicut Ethnicus.

Eccli. 21. v. 7.

Lyran. Hugo Cardin. Rabanus, Maurus, in loc. cit.

Item. Dionys. Carthuſ. Janſen. & Emmanuel. Sà. in loc. eund.

Sueton. in Cæſar. cap. 75. Seneca. Epiſt. cap. 85.

XI. Jam autem non præſumtionê ſolâ, ſed rationibûs, ex ipſâ, quam habent in ſe, fœditate deſumtîs, infamia illa, nocturnîs horîs inſtituta conſortia, tanquàm contrà Chriſtum, ejúsque ſanctam legem, & univerſam Virtutem, initas Conſpi-

ſpirationes, apertâ demonſtrationê redarguam: certiſſimum eſt enim Papæ Gregorii gnoma: *Neſcit impius mala, quæ fecit; niſi, cùm pro iisdem malis puniri jam cœpexit.* An verò malum non eſt: viſcerum ſpurcitias, abditásque ſordes in faciem Chriſti ſacroſanctam, cum eructationibûs graviſſimi pædoris, exſpuere? *Neſcit impius* hæc *mala, quæ fecit*: quoties cogitationibûs venereîs, concupitîs adulteriîs, & oſculîs, animî depravati prodromîs, quibûs illa libera ſexûs diſparis converſatio fœdè polluitur, reus factus eſt Hieronymo Doctori, Cenſorique ſapientiſſimo: *Faciem Chriſti conſpuunt; qui conſcientiam ſuam fœdant cogitationibûs; &, pravîs actionibûs polluunt.* An culpæ vacuum eſt, & non peſſimum: gloriâ, & honore coronatum DEI Filium cædere colaphîs, unctúmque Domini, contumelioſam per audaciam depalmare? *Neſcit impius* hæc *mala, quæ fecit*: quoties verborũ procaciâ, vel diſertè, vel æquivocâ proritationê magis noxiè dimiſſâ, prava ſua ſenſa ſociatis aperuit; &, cupidinis cantilenas malè modulatas, tactu pejorê confirmans, Origenis hôc meruit ictu contundi: *Colaphîs cædit Chriſtum; qui verbîs, vel actibûs ſuîs turpibûs, & inhoneſtîs laſciviîs involvitur, & carnalibûs concupiſcentiîs ſepelitur.* An delictô caret, malúmque palpabile non eſt: blasphemias, non in Sanctos Domini tantùm, ſed in ipſum Sanctum ſanctorum, vitiatæ, ſi non alienæ prorſus â DEO mentis horrendam ſentinam evomere? Deúmque Servatorem, cum Evangelicæ ſanctitatis inſtituto, fatuitatis arguere? nequè ſecùs, ac ab illuſoribûs miniſtrîs, atquè militibûs, in Cayphæ factum ergaſtulô deteſtati ſumus, ludibriîs, improperiîs, horrendîsque ſubſannationibûs traducere? *Neſcit impius mala, quæ fecit*: quotiès expugnandæ, tenerioris adhuc ſenſûs pietati, & ad Evangeliũ, ipſumquè Chriſtũ, fibrîs adhuc aliquibûs inhærentẽ, penitùs evellendũ, ſermones nocturnis conventiculis eos ingeſſit; quos, horrore blasphemiarum perterritus, vix referre, prout audivit, eſt auſus integerrimæ fidei teſtis: *Audivi* (ſic habet in ſuo malæ ſpei Promontorio) *quæ horret animus referre, non jam dubitantium, ſed, palàm aſſerentium, &, noſtræ religionis hominum, & familiâ illuſtrium aliquot perſonarum: mera eſſe deliria, figmentáque, ac ſomnia, quæ è pulpito ſacerdotes narrant.* Poſſem forſitan, hîs atrociora ſuperaddere; quæ mihi quoquè, non ſemel, refutanda, impugnandáque, ac execranda, partim exinde relata, partim ibidem, adhuc antè, quàm tenebræ denſabantur, objecta ſunt? niſi tam infanda, blaſphemá-

S. Gregor. lib. 13. moral. cap. 3.

S. Hieronym. in. cap. 14. Matth.

Origenes. homil. 27. in cap. 24. Numeros.

Paulus Zebetner. in Promontorio malæ ſpei; ſeu verm. Conſc. fol. 264.

máque religioni noſtræ, vel meminiſſe, gravaretur animus. An autem hæc perſecutio chriſtianæ legis deterior non eſt omnî judaicâ ſubſannationê, cunctîsque blasphemiîs, & opprobriîs, quibûs dirè vexatum â militibus, & contemtum Servatorem dolemus, gravior injuria? Nam, venerabilî Bedâ judice, *qui tunc cæſus eſt colaphîs judæorum, nunc cæditur blasphemiîs falſorum chriſtianorum: & , qui conſputus eſt ſalivîs infidelium; nunc veſanîs opprobriîs fidelium exhonoratur.* Iſtáne tamen omnia cenſenda ſint extra culpam? aut, quamvìs aperta Chriſti Domini perſecutio, de nocturnis conſortiis, negari nequeat, eáne tamé de Conſpirationis infamiâ, malitiâque, non niſi per injuriam inſimulari, etiamnùm obſtinatè nonnemo propugnabit? Altiùs igitur adyta, tam ad ſpeciem, etſi execrata, tamen ſanctè palliata, excuſatáque perrumpam; ut integrô vultu ſuô perfida Conſpiratio detegatur. Nullô autem, dum hâc utor violentiâ, conſociatorum diſcriminê, rem agendam ſuſcipio: quidquid enim infamiâ Societatum, ſeu cœtuum, aut conſortiorum, nobilium æquè, ac ignobilium è ſorte ſordet (quando natalibus non alia, niſi de virtute, ſupra cæteros, eminentior nobilitatis prærogativa defertur) de criminê Conſpirationis manifeſtè deprehenſô, reum ſimul ago, condemnatúmque univerſim volo: dum nihil in conſortiis illis, aut intenditur, aut quæritur, aut agitur; aut, â ſecùs etiam comparatîs, & innocenter forſan inductîs exigitur; quod non cum divinæ majeſtatis offensâ, cum diſciplinæ chriſtianæ contemtu, cum Evangelicæ legis injuriâ conjunctum eſt; pugnátque cum nominê, vocationê, dignitate, virtute, ac, in Baptiſmo datâ, ſacramenti fidê, & universîs officiîs chriſtiani hominis, ad ſui Servatoris imitationem juramentô ligati, &, inſuper, ab Aſſertore ſalutis obligati; niſi prædeſtinationis æternæ velit expers eſſe, omnîquè ſpe participandæ felicitatis excidere.

V. Beda. cit. â Manſio in Bib. Tom. 1. Tract. 11. Diſc. 8. n. 5. in fine.

XII. Non, non ſum injurius, dum ſic urgeo. Nunquid enim, ad periculoſos alearum jactus; ad caducam fritilli ſortem; ad pictorum foliorum otioſa negotia, (quæ, ludi nominê, delecta, dilectáque delicta ſunt, acſi luſus eſſet vita noſtra, tranſigendîs maximi negotii rebûs, â Deo nobis indulta) quotidiè convenitur, conſidetur, & inſtituta conſortia celebrantur? Hoc autem, dum, non animi levandi cauſâ, ſed, velut ex legê jam, & inſtitutô, nullôque modô, vel menſurâ temporis frequentatur; quis non cum Divo Senenſium

Ec-

S. Bernard. Senenſ. Tom. 1. ſerm. 42. Art. 1. & Tom. 4. ſerm. 33. part. 1. princ.

S. Chryſoſt. Homil. 15. ad Pop. Antioch.

S. Antonin. in ſumma. 2. p. Tit. 1. Cap. 23. §. 8.

Eccleſiaſte condemnabit, velut, *admirabile impietatis, & iniquitatis opus*? ipſos autè colludentes, tanquàm *maledictos, & indiabolatos*? prout vir ille ſanctus deteſtatus eſt. Quàm ſeverô judiciô perſecutus fuit ſanctus Chryſoſtomus ludendi conſuetudinem? quæ, ùt ipſe declaravit, *non videtur multis peccatum eſſe manifeſtum; ſed infinita vitæ mala ſolet inferre*. S. Antoninus gravius adhuc pondus adjecit, ad Infernum uſquè, ludos, & luſores conjùratos per ſuam ſententiam deprimens: *Qui ludunt, exponentes ſe fortunæ, ſive per taxillos, ſive per chartas; iſti*, ait ille, *feriuntur gladiô divinæ ultionis in Inferno*. Quid jam de alterâ conſortiorum iſtorum intentionê, vel occupationê dicam? Convenitur enim, amoris mutui cauſâ; cui liberior in alienâ, quàm propriâ, conceditur ædê facultas: cùm nimirum apertum quaſi theatrum eſt; cujus aditu dum nullus excluditur, quem aliàs zelus domeſticus, aut oculus vicinus abſterret, nihil jam obſtat, communicandis invicem affectibus; revelandis arcanis concupiſcentijs; decernendis, ad infanda quæquè tranſigenda, cùm temporibus, tum occaſionibus: &, quia cuncta turbata ſunt in turbâ, pro libitu confertâ; quæ non abominandæ commiſtioni tunc patet occaſio, vel abſentibûs, vel ſtudioſè declinatîs eorum obtutibûs; quorum intuitu, ac metu, ſemper integra domî fuit, & innocens, non maritalis tantùm continentia, ſed virginalis etiam pudor, & innocentia? Non loquor ſomnia; certiſſima magnorum argumenta Patrum refero, & ex eorundem judicio, damno delata. Nam, *ſi procul â fœmina fueris*, inquiebat Nazianzenus Præſul, *manet ſcintilla: ſi autem vitæ commercium cum eâ habueris, ex parvo vento magnum incendium excitabis. O averſandum amorem!* cui tamen non declinando, ſed accerſendo, conſervando, & confirmando, augendóque, nullô non diê, fomentum omne, per licentiam converſationis, & quæritur, & ſuppeditatur, inter eos; quibus omnis alius, niſi unius, quia, qui ſecùs, purus non eſt, interdictus amor eſt: contrà quem, grandî voce, parîque authoritate, Mediolanenſis Pater exclamavit, omnes admonens, in conſortijs, occultorum amorum causâ ſociatos: *Nemo irrideat vicem abſentis mariti! ſervat excubias DEUS: imò, ſinè excubijs deprehendet reum antè, quàm faciat. Si maritum evaſeris, & judicem; non evades judicem totius Mundi. Ille graviùs ulciſcitur. Major eſt enim injuria; authorem, quàm, cuſtodem thalami ſpreviſſe, &, non conſideráſſe.* Quoties autem hæc ipſa vobis terrificô ſpiritu repetita, & objecta, ſpreviſtis tamen?

S. Gregorius Naz. in diſtichis.

S. Ambroſ. Lib. de Abraham, cap. 2.

men? &, ùt ſuſpiciones temerè ſuſceptas, fatuósque metus, etiam contrà conſcientiam, aliter vos arguentem, innumeráque, non innocentium, ſed criminoſorum amorum, quotidiana delicta ſuggerentem, inſolenter excuſſiſtis?

XIII. Verùm, eſto (quod ægrè credendum) abſit omnis, ab animo primi congreſsûs, vel quærendus, vel nutriendus, ac fovendus, præſertim, qui maximè Societates, & Conſpirationes nocturnas aggravat, & infamat, adulter amor. Nihil aliud, præter artifices modulos, raræ vocis admirandam amænitatem, cantici novi feſtivum, & ingenioſum leporem, ſingularis harmoniæ ſuavitatem, in mente, propoſitôque veſtrô, prout contenditis, defixum, optatumquè ſit. Dicite verò, ſed ex verô: Quinam illi tam exquiſiti Cantores? quænam, & quônam habitu, &, quânam vultûs, oris, geſtûs, totiúsque corporis illecebroſâ compoſitionê concordatæ ſint ad harmonicos illos modulos Cantatrices? An fortè ſirenibûs ab ambulantibûs periculi minùs; quàm, â natantibûs? An ſecuriùs audiuntur amorum irritamenta; quæ voce ſolâ, de pectore accinuntur apertô, inter parietes: quàm, quæ publicam excitant impudentiam, in theatro? Quid, ex mente Syracidis, Vatablus vetuit? *Cantatricem mulierem nè frequentes; nè fortè conatibûs ejus capiaris: nec audias eam; nè fortè pereas in efficacia ejus.* Vatablus, Eccli. 9. v. 4. Quodſi porrò per choreas, & ſaltuum hilaritates, juventutis agili vigori, tum exercendo, tum augendo non denegandas, atquè ità innocenter in conſortiis deſideratas, effugium fortè quæritis: hoc ipſum eſt, quod vel maximè reos vos ex nocturnis conventiculis tenet. Quis enim choreas, illecebrarum, & graviſſimarum ruinarum plenas, æquus arbiter eorum, quæ ſe ſaltibus ingerunt, & ad prava conſiliunt, non accuſabit? Non eſt neceſsè revocare memoriam, in, longè remotum â nobis, divini Præcurſoris interitum, unicô ſaltatricis puellæ votô poſtulatum, & impetratum: cum quo dimidii quoquè regni poteſtas, arbitrio dilectæ ſaltatricis oblata, quantô, quæſo, cum publicæ rei periculô nutavit? Non vacant ſaltus, (quôcunquè tandem ritu, ſub cenſura delectorum, nec minùs diligentium, quàm dilectorum oculorum conſtituti, ac promiſſi) graviſſimorum periculô delictorum. Secùs, imprudenter eos exterminâſſet Mediolanô ſanctus Cardinalis Borromæus, Archi-Epiſcopus, tanquàm offendiculum: *unde mortiferæ cupiditates excitantur.* Ignominoſè magnus Baſilius Marci 6. v. 22. S. Cardin. Carolus Borrom: in Act. Eccleſ. Mediol. p. 3. pag. com. 425.

S. Basil. in Homil. de Pasch.

compellâssет saltatrices, *fœminas lascivas, DEI timoris oblitas.* Calumniator fuissет Ecclesiæ Christianæ Doctor, & magni Pater Augustini, S. Ambrosius, per suam illam ironicam permissionem: *Saltet! sed, adulteræ filia: quæ verè pudica est, quæ casta est, filias suas religionem doceat, non saltationem.* Deniquè, si sinê culpa forent choreæ; fuissent etiam sinè mente lacrymæ S. Neo-Cæsareensis Episcopi, pro concione gementis, & quærentis: *Quas fleam? puellásne, conjugii expertes? an, viris conjunctas? Illæ quidem, amissâ virginitate, reversæ sunt: hæ verò pudicitiam viris minimè servaverunt.* Nihilô minùs tamen suas, lusu, pravîs amoribûs, cantilenîs, non ad consoni pudoris, ac honestatis numeros concinnatîs, & choreîs, ac saltibûs depravatîs exorbitantes, contaminatásque Societates, nunquàm isti, sceleratissimæ Conspirationis adeò jam convicti, sustinuerunt â nobis incusari.

S. Ambros. Lib. 3. de Virgin.

S. Basilius Homil. de ebriet. & Luxur.

XIV. Ad instructas nunc descendo nocturnas epulas, &, in sacrorum jejuniorum, ac abstinentiæ præceptæ fraudem, inchoatâ vix, post noctis medium, Dominicæ memoriæ diê, parata jam convivia. Nunquid & in his culpæ nihil, nequè ab inordinatâ conniventiâ gulæ; nequè â festinatâ carnium edendarum appetentiâ; nequè ab irreverentiâ memorandi reparatæ nostræ salutis mysterii; nequè â coactis familiæ, præter necessitatem, & contrà festi jam inchoati sanctitatem, irreligiosîs obsequiîs; nequè â scandalo culinæ, totius in viciniæ malum nidorem, fumantis; nequè â vigiliis universæ domûs, contrà naturæ jura, cum ipsorum verò subjectorum injuriâ, violenter exactîs; nequè â periculo, quod officiîs divinîs, tum ab ipsis, tum ab universa familia, Dominicîs, festîsque diebûs religiosè præstandîs, ex intempestivis his comessationibûs, in diluculum usquè continuatîs, conjunctum esse solet? Alia, quæ symposiis nocturnis, & epulis adeò petulantibus, facillimâ conspirationê, solent esse conjuncta, (*cùm pro membrorum ordine, sit ordo vitiorum; itáque semper saturitati juncta lascivia*, testê S. Hieronymô) prætereo. Digitos autem ad illos, quantâ comminatione possum, insolentiam istam, christiano nomini abominandam provoco; qui nec gentili quidem Regi, tam turpiter, ac intempestivè, cum suis optimatibus, & concubinis comessanti pepercerunt: *sed in eâdem horâ apparuerunt digiti, quasi manus hominis, scribentis contrà candelabrum, in superficiê parietis aulæ regiæ*, terribile scilicet comessationis intempestivæ, luxuriosæque judicium; quod, *eâdem noctê*, inter-

S. Hieron. cit. à Lohner. Tom. 1. Bibl. Tit. 52. §. 30. n. 8.

Daniel. 5. v. 5. & 30.

interfectô Regê completum eſt. Severa quippè peccantis gulæ ſemper fuit ultrix divina juſtitia. Non aliô contaminati crimine noſcuntur fuiſſe Chananæi Regis filii, filiæquè : nisì, quòd *comederent, & biberent*; &, *in orbem tranſiſſent dies convivii*, mutuîs videlicet invitationibûs crebreſcentes. At (quamvìs etiam Pater ſanctus *offerebat holocauſta pro ſingulis*, ſolicitus : *nè fortè peccaverint filii*) *illis* tamen *veſcentibûs, & bibentibûs vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit â regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domûs*; cujus ruinâ ſimul omnes oppreſſi miſerrimè conſepulti ſunt; eôque ſuô docuerunt interitu, quod credere noluerunt hucusqnè nocturni hi ſcelerati comeſſatores : *Nihil gulâ perniciosiùs* : præterquàm enim, quòd *obtuſum, & craſſum ingenium, & carnalem animam reddat, & cæcet intellectum*, (accuſante S. Chryſoſtomô malitiam ejus) cœlum claudit, & Infernum aperit, virtutes omnes interimit, ipſúmque, prout arguit Petrus purpuratus, *DEum negare convincitur*.

Job 1. v. 5. & 19.

S. Chryſoſt. homil. 40. in Joann.

S. Petr. Damiani Lib. 6. Ep. 32. ad Eremit. pag. 105. Tom. 1. col. 1. C.

XV. Videtis, quantîs criminibûs vincti, conſtrictique per illa veſtra, prout imponere ſimplici, ſeu ſtolido potiùs, ingenio Mundi contendiſtis, innocentia nocturna conſortia teneamini? Quid, quòd vel ſola temporis jactura, ſi priora deſint, veſtræ tamen extorquendæ damnationi ſufficiet? quam quidem ipſi, qui ſunt omnium in frequentatis nocturnis cœtibus innocentiſſimi, non modò non abnuunt, ſed adſtruunt, cum excuſationis obtentu : ſolius nimirum fallendi temporis gratiâ, Societatis illud Inſtitutum amari, ac celebrari. Proh ! fidei noſtræ probrum ! proh ! chriſtianæ inſtitutionis injuriam ! Ergo temporis futuri, nec dum certi, compendia tamen jam optantur â chriſtianis : â quibus Apoſtolus diſpendia malè tranſacti ſolicitè redimi poſtulavit ? Temporis fallendi, ſeu abbreviandi, deſideriô, peſſimè jam exactîs diurnîs horîs, etiam impenduntur nocturnæ : cùm tamen nihil magìs in votis, nihil frequentiùs, omnibûs â DEO precibûs, quàm annorum, & præſentis vitæ prorogatio flagitetur? Quàm, immenſæ æternitati promerendæ, modica totius eſt vitæ noſtræ dimenſio? &, hanc otiosîs prodigere congreſſibûs, cum illius irreparabilî ſempiternâ jacturâ, proh ! quàm inſipienter, quàm ſtultè deligitur ? Indultum nobis â Numine tempus eſt, privatîs familiæ, publicísque, rei communis, ac patriæ neceſſitatibûs procurandîs, negotiîs tranſigendîs, commodîs promovendîs. Indultum eſt, ad reddenda DEO, debitæ religionis,

ac ſervitutis officia; ad præſtanda prolibus, atquè domeſticis, obligatæ providentiæ, ſolicitæque curæ miniſteria; ad procuranda, per aſſiduæ pietatis labores, æternæ ſalutis auxilia; ad exibenda proximis, pro virium facultate, chriſtianæ charitatis obſequia; ad promerenda demùm, ſed non, niſi per continuas vitiorum oppreſſiones, & virtutum exercitationes, perpetuámque de repugnante naturâ victoriam, cœleſtis beatitudinis præmia. Et, hoc fallere, id eſt, ſuô fruſtrari fine, deſtituere commodô, ſequè ſic ipſum lucrîs infinitîs, DEUM verò, temporis largitorem, defraudare ſuæ diſpenſationis liberaliſſimæ fructu, ſuæque gloriæ maximîs incrementîs, quis non graviſſimis chriſtianæ perverſitatis hoc accenſeri criminibus debere, ſuccenſens meritò judicabit? Itanè, poſt annorum tot jam præteritorum impenſa ſtudia, tantùm non addidicerunt fideles, evangelicîs inſtructi præceptîs, exculti conſiliîs, parabolîs eruditi, factîs inſuper, atquè divinîs ipſius etiam Servatoris exemplîs animati? ut, quibûs, tum internîs, tum externîs, animæ, corporisque negotiîs occupare ſeſe ſalubriter, & ex animi ſententiâ poſſint, ac debeant, adhuc ignorent? Perditum ergo, & quidem deliberatô conſiliô, tempus confitemini; quod perditum iviſtis, dum conſortia adiiſtis? Sed, quantum â vobis perditum? &, quantæ jacturæ reos vos eſſe judicatis? quando, Divô Bernardinô librante, *Tempus tantùm valet; quantùm DEUS.* DEUM igitur abjeciſtis? *Tam pretioſum tempus eſt*, arbitriô ſancti Antonini; *quòd damnati darent omnes theſauros Mundi, ſi haberent in poteſtate ſua, pro habendô momentô temporis; in quo poſſent pœnitere, & evadere tantas pœnas.* O DEUS æterne! vides, quàm ſe tuâ gratiâ fecerint indignos, tam prodigi corruptores, non unius, vel horæ, vel diei, ſed vitæ propè totius! Quid prodeſt: eos de nihilo creâſſe, & in hunc mundum induxiſſe; in quo, nonniſi ad fallendum, perdendúmque tempus, hactenùs fuerunt? Fortè, pridem jam illos reſpiciens, dixiſti: *Pœnitet me, feciſſe hominem!*

S. Bernard. Senenſ. Tom. 4. ſerm. 18. p. 1. princ.

S. Antonin. p. 2. Tract. 9. cap. 14. §. 1.

Geneſ. 6. v. 7.

XVI. Illud nunc ſupereſt, quod poſtremum quidem eorum, quæ perſequor actionê præſentî, primum tamen, & caput eſt omnium; quæ Conſpirationis hucusquè per me delatæ, accuſatæquè damnationem, nullîs prætextibûs excuſabilem, nullîs effugiîs evitabilem reddunt. Nemo enim unus, conjuratorum omnium, non palàm confitetur: eô conſiliô Societates nocturnas â ſe frequentari; mutuîs ut aſpectibûs,

ctibûs, videntes, visíque, noſcant invicem, & innoteſcant. Tantúmne? Eſto: ſolum hoc, nihílque, præter, *videre*, *videriquè*, propoſitum, ac deliberatum fuerit. Hoc autẽ ipſum, an innoxium totum? an non & hoc ipſum, videre, videríque, divino judicio reddit obnoxia nocturna conſortia, propter hoſtiles, & perfidas, mutuîs hîs ex aſpectibûs, & conſpectibûs, natas, & nutibûs firmatas Conſpirationes? Tertullianus proteſtatur: *Ejusdem libidinis eſt: videre, & videri.* Quid miſerum Alipium in turpiſſimum fœdo cum hoſte conſenſum præcipitavit; præter unicum oculi jactum? *ùt vidit, perijt.* Videre duntaxat peregrinæ regionis mulieres voluit, ideóque prodijt curioſa Dina: & viſam continuò Sichem rapuit, atquè corrupit. Proto-parens noſtra, cùm vidit lignum, quòd eſſet bonum, & pulchrum oculis, continuò concupivit aſpectum, tulítque, comeditque, ac dedit. Nullô nimirum negotiô faciliùs, ac citiùs impia contrà DEUM, omnémque virtutem, ac legem excitatur, tractatur, & conſumatur Conſpiratio; quàm, quæ per oculos inſinuatur, & mutuîs aſpectibûs conciliatur. *Illecebroſa viſûs tranſeuntis affectio eſt*: ait S. Ambroſius. Auguſtinô verò judicê, *prima adulterij tela, ſunt oculorum.*

Tertullian. apud. Lanciz. opuſc. 2. num. 277.

S. Auguſt. Lib. Confeſſ. cap. 8.

Geneſ. 34. v. 1. 2.

Geneſ. 3. v. 6.

S. Ambroſ. in Matth. can. 4.

8. Auguſt. ſerm. 83. de Tempore.

Unde convincit magnus Papa-Doctor Gregorius: *Quisquis per has corporis feneſtras incautè exteriùs reſpicit, plerunquè in delectationem peccati, etiam nolens cadit; atquè, obligatus deſideriîs, incipit velle, quod noluit.*

S. Gregor. lib. 21. moral. cap. 2.

XVII. Verùm, quinam illi ſunt, qui, vel ſpectaculum eſſe, vel habere concupiſcunt: & eâ mente prodeunt in ſcenam; ut, vel oculos alienos in ſui contemplationem, & admirationem pelliciant; vel conſpicuîs illecebroſi theatri formîs delectentur? Quid mulier jam nupta ſuæ venuſtatis elogium, niſi Venus eſſe velít, ab alterius nuptæ marito ſolicitat? Quid matrimonio vinctus, alienæ ſpeciei curioſus explorator, in mulierẽ ſibi jam interdictâ, ſi non eſt Ægiſthus, inquirit? Illud igitur innocens intentum, *videndi, ac, viſum iri* (cùm ſit eorum, quibus præceptum eſt: *Nè circumſpicias ſpeciem alienam: ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis, exardeſcit.* Et, è converſo: *Nè des fornicarijs animam tuam in ullo: ne perdas te, & hæreditatem tuam.*) cenſerine poteſt, ac debet aliud: quàm, voluntaria formæ concupiſcendæ proſtitutio, rea, tot adulteriorum, quot, ex voto, facta compos oculorũ eſt? Aliternè pariter judicandum, illud curioſum videndi deſiderium: quàm, deliberatus mœchandi, fornicandíque pruritus;

Eccli. 9. v. 8.

Ibid. v. 6.

ritus; tot jam Conſpirationibûs contra DEUM initîs gravatus; quot concupitîs ſpeciebûs inquinatus? Nec juvat hîc multîs proteſtari: contrariam, & alienam prorſûs ab his, quæ ſic arguuntur, intentionem adferri: cùm innocens eſſe non poſſit intentio; ubi, quod eidem repugnat, intenditur: &, malum voluiſſe convincatur; qui voluit, unde nequit non ſequi malum, quod noluit. Inſignita nempè animo conſpecti ſpecies, quod ſuum eſt, ſemper operatur; atquè, prout inquit S. Clemens, *verſatilibûs, &, tanquam conniventibûs oculîs intueri, nihil eſt aliud; quàm, oculis mœchari*: cùm, etiam oraculi divini decretô, *ſpeciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſint.* Fruſtra contradicitur argumentis iſtis: nihil eſt enim, quod in ejus formæ ſpectaculis, non eſt ſic plenum laqueîs; ùt redundans illecebrîs.

S. Clemens. Alexandr. lib. 3. Pædag.

Eccli. 9. v. 11.

XVIII. Quis, oro, cùm ea convenitur in theatra, perſonarum habitus? quis veſtium luxus? quis vultuum unctorum, pictorúmque cultus? quæ non, capillorum, vel in frontem per cirrhos dejectorum, vel in faſtigium, per ſuggeſta turritorum, vel gemarum fulgore, cypreis ex nivibûs radiante, coruſcorũ, quæ non, inquam, trahendis, & involvendis, tam oculis, quàm animis, illicia ſeſe ingerunt? Pudet, apertos illos, & variîs laqueîs, ut alliciant procaciùs, & intricent profundiùs, in omne nefas conſtructos pectoris impudici ſinus meminiſſe ſolùm; quibûs, utì locutus Cyprianus olim, *expolitæ libidinis victimæ, nuditate veſtium, nudæ oculis ingeruntur.* Quid in his, dum ſe videndos proſtituunt; & ab his, dum curioſè ſpectantur, non metuendum periculi, graviſſimique peccati? Et tamen obtenditur, expers omnis in malum Conſpirationis, iſthæc, tam ad omnem abominationem inſtructa Societas? Nôſti, O Sapientia æterna! idcircò pridem exclamâſſe Tertullianum: *Maximum ſcandalum ille ipſe virorum, & mulierum accuratior cultus: ipſa conſeſſio, ipſa in favoribus, aut Conſpiratio* (audîſtis? perfidi:) *Conſpiratio ipſa, aut Diſſenſio inter ſe, de commercio, ſcintillas libidinum conflabellant.* Sine igitur, ut, apertè dicam: quid, ex hujus formæ conſortiis, peſſimæ Conſpirationis conſequatur. In id, quod accuſatum aliàs â Cypriano fuerat, condeſcenditur: ut, *eſſe jam inter innocentes innoxium, crimen ſit: malos, quisquis non imitatur, offendat. Conſenſenſêre jura peccatis; &, cæpit eſſe licitum; quod publicum eſt.* Necdum omnia prodita ſunt. Illud forſan in poſtremis habendum; quod S. Hieronymus improperavit: *Itur in verba; ſermo teritur; lacerantur abſentes; vita aliena deſcribitur.*

S. Cyprianus. libr. de diſcipl. & habitu Virgin.

Tertull. lib. de ſpect. cap. 25.

S. Cyprianus. lib. 12. Epiſt. 2.

S. Hieronym. Epiſt. ad Marcellam.

Aut,

Aut, quod magnô ſuô dolore deploravit eruditiſſimus Eſcobar, *Proh dolor!* exclamans: *video fœminas, non paucas, pluribûs, unâ viſitationé, maculîs infici; quàm, totô menſe familiaribûs converſantes.* Agnoſcitur hîc Syracides divinô ſpiritu non ſolùm ſuaſiſſe: *Cùm alienâ muliere nè ſedeas omninò; nec accumbas cum ea ſuper cubitum: nè fortè declinet cor tuum in illam:* ſed etiam ſapiens accuſâſſe pridem, ac verè manifeſtâſſe deprehenditur; quod excuſare nemo nunc ampliùs poteſt: *Non ſuffecerat, errâſſe eos circà DEI ſcientiam; ſed, in magno viventes inſcientiæ bello, tot, & tam magna mala, pacem appellant. Aut enim filios ſuos,* (& filias, adhuc Veneris ignaras) *ſacrificantes;* (dum eas priùs, quàm nôrint, ac velint, profanant) *aut, inſaniæ plenas vigilias habentes, nequè vitam, nequè nuptias mundas jam cuſtodiunt.* Et hoc, innocuum? hoc, culpæ vacuum?

Eſcobar. Serm. 1. de Nat. B.V.

Eccl. 9. v. 12.

Sapient. 14. v. 22. & ſeqq.

XIX. Nihil his, quamvîs adhuc plurima ſuppeterent exaggerandæ Conſpirationum damnationi, ſuperaddere porrò conſtitui: ne nimiùm excurrat Actio. Moleſtias enim, quas intempeſtivi rhedarum decurſus, & rotarum, equorúmque concitatorum ſtrepitus, nocturnæ quieti cauſant; accuſat urbs univerſa: ſcandala, quæ concipiuntur de coloribus famulorum diverſorum, ad fores ædium, quas nullus habitat maritus, excubantium; accuſat vicinia: Blasphemias, & execrationes horrendas, in quas, ad uſquè diluculum inſomnia, perpetuîsquè vigiliîs fatigata prorumpunt obſequia; cum domeſticis externi, aurigæ, famuli, famulæquè, ſupremæ tuæ Majeſtati factas quidem confitentur; ſed criminantur ſimul, â conſortiis tam ſceleratîs extortas. Habes igitur iniquiſſimarum, contrà legem tuam, tuámque ſanctitatem, & omnem virtutem, Conſpirationum convictas Societates nocturnas: in quibus, mali ſi nihil fuit; undè ergo illa Benedictæ Hiſpanæ abominanda flagitia? undè tantum in ſcelus adolevit, ipsâ de pulchritudine, quàm celebris, tam infamis, Romæ Catharina? undè Moguntinus ille corruptus Ephebus? & iñumeræ noſtri ſæculi puellæ, undè priùs matres, quàm nuptæ? nuptæquè, non ligatæ, ſed, adeò liberæ, ſolutæque undè factæ ſunt? ut, quæ ſit earum obligatio, quid agere, quid vitare, quid credere, ſentiréque debeant, vix perſuadere jam ipſis quicquam, vel os aureum, vel oris inſpirator aurei, Paulus ipſe queat? Et, quâ demum ex cauſa Thaiſis, longa deteſtans Alexandriæ ſcandala, ſolitudinem arctæ cellæ delegit? Cujus rea, poſt Antiochiæ faſtidita commercia, mapalî

Alanus. p. 5. cap. 61.

Nierenberg. in Troph. mar. lib. 4. cap. 6.

palî miserô arctè concluſa se Pelagia condidit? Cur Ægypti deſerta ſubiit Maria pœnitens, annorum quadragenorum ſolitudine, quàm ſanctè ſuſceptâ, tam fortiter conſummatâ? Quid aliud, ſanctus iſtarũ omniũ converſæ libertatis ſervor, per voluntariâ, ab humanæ converſationis licentiâ, ſeparationem voluit expiare? quàm, iniquiſſimas priorum conſortiorum, contrà Deum excitatas, conciliatas, nutritásque Conſpirationes?

XX. Quidnî igitur tuam, quâ poſſum, contentionê juſtitiam provocem, æquiſſime DEUS! ut aliquando tandem, *Iſaiæ 58. v. 12.* *diſſolvantur Colligationes impietatis.* Quid enim impium eſſe magis poteſt; quàm, authoritatem aliquam, ex ipſa natalium felicitate, tã turpis Conſpirationis arrogare ſibi? Cùm hoc, aliud non ſit; quàm, *in DEum quoquè*, (Rupertus ità ſenſit) *culpam retorquere.* *Rupertus Lib. 3. in Geneſ. c. 15.* Nihil aliud urgeo, nihil potiùs obteſtor, â læſâ Majeſtate tuâ; quàm, unicum hoc: *Diſſipa gentes, quæ bella volunt* ! *Pſalm. 67. v. 31.* Videntur enim id non expectare tantùm, ſed exigere: ut, dum nullâ ſe patiuntur poteſtate, vel adhortationê ſeparari, gladius adveniat hoſtilis; *qui regiones noſtras dividat*: aut furor tuus ille repentinus ingruat; *qui dividet eos*. Contremiſcitis, horrore concuſſi? *Mich. 2. v. 4.* *Matth. 24. v. 51.*

XXI. Quid autem hoc, inſuetum, & inſolens? miſericordiſſime JESU! Vides trepidantes, pavoréque judicii, ac terrore tantùm non deſperantes? Quid hoc? Advocate divine! Nullúmne cauſæ tam exaggeratæ patrocinium ex tua ſacratiſſima Paſſionê cogitandum? Ecce minatur Patris, implacabilis hominum interventu, juſtitia! Jam dimiſſi ſunt Angeli, Societates tam criminoſas in faſciculos collecturi; quos mittent in caminum ignis, ad comburendum! Adjuva Domine! Vellet, eheu! ſed non poteſt: quia, quæ tenet eum Societas conjurata, non dimittit. Prævalet & Conſpiratorum clamor: nec priùs, quàm diſſolventur conſortia, loquetur Verbum; quod vênit: *ſeparare hominem, adversùs Patrem ſuum; & filiam, adversùs Matrem ſuam; & nurum, adversùs Socrum ſuam.* *Matth. 10. v. 35.* Nihil ergo loquetur; niſi Conſpiratorũ â Societate ſolutum fuerit. An autem expectabit eô uſquè Juſtitia divina? hoc neſcio: non polliceor: vereor, ut!

(✻)

F E R I A V.

POST DOMINICAM II. QUADRAGESIMÆ.

SERMO DUODECIMUS.

In Foro II. Justitiæ Divinæ, Tribunalibûs iniquîs Jerosolymæ.

Zasius in §. Pœnales. Instit. de Act.

Actio VIII. De Albo, vî corruptô.

Contrà eos;
Qui peccati gravioris omnis immunem Innocentiam,
In Mortiferum primum Peccatum,
Authoritatê, vel Consiliô, vel Blandimentîs, &c.
Vel, etiam vî corruptam induxerunt.

Actor VIII. Anima ex Inferno.

Propter admissum unicum, grave Peccatum, damnata,
Sui petit â DEO supplicii socium habere in Orco;
Quem olim habuit Innocentiæ suæ Corruptorem in Mundo,
Tanquam æternæ, quam nunc patitur, Damnationis Authorem.

Mysterium VIII. Actionis hujus Argumentum.

Illusæ Christi Servatoris Innocentiæ,
Cum opprobrio tentata, ab impio Herode, externa Corruptio,
Per vestem Albam, Eidem, quasi fatuo, seu Corrupto, injectam.

Tessera. Sprevit autem illum Herodes, cum exercitu suo: & illusit, indutum veste albâ. *Lucæ 23. v. 11.*

I. NOn deerunt, ùt opinor, qui mirabuntur: in Herodis aulâ stare, Prætorianos inter milites, turbámque famularem, opprobriîs infinitîs petulantissimè subsannatam Servatoris Innocentiam; quam tamen, pro criminalis judicij decernendâ sententiâ, non ad Galilææ Tetrarcham, seu Pro-regem, sed ad Præsidem, Cæsaris nomine, totius Judææ jura tuentem, ac vindicantem, adductam, traditámque novimus, ex evangelicæ relationis ordine: *Surgens omnis multitudo eorum, duxerunt eum ad Pilatum.* *Lucæ 3. v. 1.* *Lucæ 23. v. 1.*

multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Quod quidem non temerè, sed providè, altôque conspirationis illius invidæ consiliô susceptum fuisse, Patrum indagationê jam exploratum est. Nec enim, per imperii Romani dominatum, in maleficos de vita tollendos, omnem sublatam fuisse potestatem Judæorum Principibus, cum pluribus, non sinè rationê, censuit Magnus Papa, Dominicæ Passionis Prædicator, idcircò perversam confertæ multitudinis illius mentem incusans: *Tanquam extenuanda esset furoris vestri immanitas (si ejus sententiâ, qui Provinciæ vestræ præsidebat, uteremini) vinctum JEsum, ad Pilati judicium deduxistis.* Cùm igitur universum Concilium, deliberatô consiliô, mortem Crucis turpissimam (cujus fortè solius decernendæ potestas ipsis per Pilatum contracta, ligatáque fuerat) contrà Christum innocentissimum extorquendi, tantâ frequentiâ, tantâque summorum etiam Sacerdotum authoritate cumulatum, adduxerit JEsum, â se jam condemnatum, ad Præsidem: tum, *ut, quem ratione superare non poterant, saltem vincerent multitudine*, prout Seraphicus Doctor judicavit: tum, *ut durís nexibûs vinctum, & clamoribûs prædamnatum, inter tot præjudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus absolvere*, sic arguentê miratô Leonê. Quânam ex causa factum tamen est: ut, prætermissô, neglectôque Prætoriô (cujus implorata, clamoribûsque violentîs exacta sententia fuerat) non coràm Præside, sed coràm Herode, regiæ potestatis Tetrarchâ, stans hodiè proponeretur, vexationi magìs, quàm judicio subjecta, damnationis omnis expers Innocentia Domini? Ipse non capio: translatam in aliud forum Causam stare; quæ non tantùm cœpta, sed multîs etiam, tum allegationibûs accusatorum, tum Præsidis quæstionibûs in Prætorio discussa, & agitata, ac tantùm non judicata, pronunciata certè jam fuerat innocens. Quid Herodi cum JESU? cujus crucifigendi potestas in arbitrio Pilati? cujus accusatio, per invidiam facta, judici jam explorata? cujus, sinê causâ, causa, criminosáque, non accusati, sed accusantium, Actio, Prætoris judiciô constat? Cur, quem, etiam *per interlocutoriam sententiam* variè postulatum, nullâ tamen inquisitionê reum invenire potuit; quem, iniquissimè delatum agnovit; quem, ad necem crudeliter, & impiè postulari deprehendit; quem, sententiâ decernendæ Crucis absolvendum censuit, post omnem tamen, & adhibiti juris formam, & inquisitæ veritatis industriâ, suâ nihilô minùs ex censurâ dimit-

S. Leo. Serm. 3. de Pass.

Sylveira. Tom. 5. in Evang. l. 8. c. 7. Quæst. 1. num. 5.

S. Bonav. cit. apud Sylveiram. num. 11.

S. Leo. serm. 8. de Pass.

P. Georg. à JESU Maria Tom. 2. lect. 10.

dimittit ad aliam; nec functus ipſe ſuâ poteſtate, pro munere; nec authoritate prætoriâ, in favorem innocentiæ, pro conſcientiâ Pilatus?

II. Non eſt hoc, integri judicis; nequè, legalis judicii: *Judicium, ubi cæptum eſt, ibi finiri debet.* Ità legibûs noſtrîs decretum eſt: *nec emergentè privilegiô, aliô evocari, aut educi negotium, de quo agitur, poteſt*: nisì forſan miſerabilium perſonarum afflictæ res, quas patrocinium omne deſtituit, ab ipſô Principe ſubſidium ſupremum implorent. Nam hæ, *omiſsô judicé, coràm quo cæptum eſt judicium, ad Principis forum implorare poſſunt.* Procul autem hoc abeſt â Domino; qui non tractus, ſed oblatus eſt; quia ipſe voluit. Abeſt etiam ab hac appellationê cogitandâ, tam Herodis, in omne ſcelus, & impietatem dejecta mens; quàm Actorum ipſorum contraria prorsùs, de notâ peſſimi Principis propenſionê, contrà Chriſti Domini ſanctitatem, concepta perſuaſio. Sic enim clariſſimus Carmeli me fulgor illuminat, Sylveira: *Herodem judicem Judæi non recuſárunt; cùm ejus iniquitas eſſet nota. Nam, ſicut ille Baptiſtam occiderat; ità quoquè, Chriſtum, occiſurum ſpereverant.* Ad Pilatum igitur iniquitatis, & violati juris cenſura devolvitur: nec juvat excuſatio Theophylacti prætenſa: quòd ſcilicet, *Romanorum legem ſequens Pilatus, mittit Dominum ad Herodem. Illa enim cavet: ut unusquisquè â Principe ſuæ regionis judicetur. Ideò, & tanquàm Galilæum, JEſum mittit Principi Galilæo.* Latet aliud in mente Pilati conſilium; cui juris illius, ad arbitrium flectendi, peropportuna favebat occaſio. Quàm enim ſolicitus erat, cauſæ tam periculoſæ, quâ damnatio Innocentiæ urgebatur, â ſua conſcientia devolvendæ in aliam; tam gaviſus pariter erat, idem, per alienæ poteſtatis obſervantiam, ac reverentiam, cum ſuæ formidinis diſſimulatione, transferendi, ſibi favorabilem adeò commoditatem obveniſſe; quâ ſimul, & ab innocentis condemnationê, (ſuâ quidem opinionê, ſed perperàm arbitrante) liber evaderet; & ſimultate jam diuturnâ diſſidens ab Herode, tam iniqui ſpeciê favoris, iterum in amica cum eo pacta conveniret. Ità judicem judicârunt violati reum juris, per effugia malè quæſita, Franciſcus Lucas, & B. Simon de Caſſia. Ille inquit: *Captabat occaſionem, ſe extricandi judiciô JESU, gnarus: quòd injuſtè poſtularetur ad mortem: quamvis legê Romanorum non omninò teneretur; cùm de judicio Galilæi, in Judæâ deprehenſi, ageretur.* In hâc autem, tam iniquâ judicii translationê, non unius tantùm culpæ reum, ſed geminæ, Pilatum damna-

L. uti cæptum 30. ff. de jud: L. ſi quis poſtea 7. ff. de jud. l. pen. ff. de juriſd.

Bellug. in ſpec: Princ. rubr. 23. n. 2. verſ. ſed pone. vide Barboſ. loc. com. Axiom. Lib. 9. Cap. 123. Ax: 10. in Limit. col. 2. in fine.

Sylveira, locô cit. c. 8. Quæſt. 1. num. 4.

Theophylact.

Franc. Luc: cit. à R. P. Gregoriô à JEſu Mariæ, Tom. 2. Lect. 11. num. 6.

Idem. Ibid. num. 7.

damnavit idem Lucas : *Bis hìc peccavit Pilatus : ſemel , quòd innocentem non abſolvit : ſemel , quòd inſontis judicium commiſit Tyranno , inceſtuoſo , adultero , infami* : ſuperaddidit autem tertiam quoquè , jam â me ſuprà memoratam , iniquiſſimi Præſidis condemnationem Beatus de Caſſia , ex affectatâ videlicet Herodis amicitiâ , periclitantê licèt (quam ejus arbitrio , cognitâ jam cauſâ , transmiſit , atque commiſit) innocentiâ Servatoris. Hinc , *quamvìs ſecundùm Romanorum leges , ſi capitur reus , ibi ſubeat pœnam doloris* (decretum ſit) *ubi fuit patratio criminis ; & ſub illo mulctetur judice , ſub quo rempublicam conturbavit , aut quidpiam dignum pœnâ commiſit* : Pilatus tamen remiſit Chriſtum ad Herodem. *Sed* , (hîc nimirum tota declinatæ poteſtatis , translatique judicii cauſa volvitur) *Pilatus ad Herodem reverentiam ſimulavit ; ut â judicio Chriſti manus ſervaret innocuas : & , ut Herodem , propter non poſitas cauſas , ab ipſo diſcordem , placaret in homine Galilæo.* Aliud igitur ad tribunal , actio transferenda fuit. O prætextum !

B. Simon de Caſſia apud eundem Gregor: loco cit. num. 6.

Idem. Ibid: num. 7. circa finem.

III. Nihil in hoc , diverſum ab eo , factum eſt ; quod miſer hodiè Mundus , perſonæque miſerabiles , frequentiùs jam actum ingemiſcunt : quorum cauſæ per tribunalia vagantur , ſuſpensâ , quam ubiquè poſtulant , nullibi verò conſequuntur (etſi contrà ſe quoquè decretam , acceptare ſæpiùs paratæ ſint , opténtque) ſententiâ. Quis verò ſic tractatæ , divinæ fuerit innocentiæ dolor : nemo , niſi , qui ſenſum integrum ipſius illius habuerit Innocentiæ , vel expendere , vel exponere ſufficiens erit. Nec enim parva fuiſſe Servatoris patientiſſimi pœna cenſenda eſt : quòd manifeſtatâ jam accuſatorum injuriâ , vinculîs tamen gravatus adhuc , eorum relinquatur in manibus , per compita , populi concurſu frementia , inter inſanas obtrectantium ſubſannationes , & improperia , de maledicâ Principum ſuggeſtionê concepta , atquè in utrámque aurem , omni ex parte , â populo tumultuante injecta , deducendus ; vel potiùs , pro furoris illigati ſævitiê , raptandus â ſanguinariâ domo Præſidis , ad Herodis , immodicô diſtans intervallô , palatium , flagitiîs innumerîs fœdè pollutum. Expendit hanc injuriam , cum enormî , corporis , jam aliundè multùm attriti , moleſtiâ conjunctam , ex Beati forſan Simonis Caſſiani piâ compaſſione objectam , Joannes â Carmelo , famoſus interpres , exaggeratâ non parùm , quæ claruit exinde , patientiâ Domini : *Hanc enim* , ait , *pœnam etiam , inter cæteras , ſuſtinuit pro nobis JESUS : quòd fatigatus tantîs injuriîs , per totam noctem ,* *Sylveira loco cit: num: 6.*

in

in domo Cayphæ; ac, tot, & tantîs interrogationibûs, in aula Pilati, conſtrictus vinculîs ductus ſit ad Herodis palatium, itinere trecentorum quinquaginta greſſuum, tam variis, ac multis judicibus exhibitus judicandus. Perſuaſit quidem ſibi Caſſianus idem, excelsô progreſſam animô fuiſſe, tam congeſtas inter injurias, Innocentiam Servatoris, velut *ſuâ libertate potitam: quòd firma veritas examinari â pluribus gaudet, & nullum Judicem Innocentia timet.* Non hoc inficior: ſed, ipſum, ut aliis quoque perſuaſum ſit, Author eſſe volo: nihilô tamen minùs (quia, quantùm voluit, tantùm pro ſuæ diſpenſatione charitatis paſſus eſt) facilè mihi perſuadeo: Tribunal ipſum Herodis, *ad cumulum Paſſionis Chriſti*, proùt ſenſit Cajetanus, acceſſiſſe. Si enim ex perſonâ ſceleratî Principis, tam, de violatô; per inceſtum adulterium, fratris torô, quàm, de impiâ, contrà ſanctum veritatis Præconem, ad puellæ ſaltatricis crudele votum, latâ ſententiâ, vulgò jam diffamatâ, gravitas objecti doloris ponderanda ſit: nihil, quod illi coæquari per injuriam poſſit, invenio. Quid enim ab eo, qui ſordet flagitiîs, totúsque ſcelus eſt? quid, inquam, ab eo judicij, de ſumma Innocentia, expectandum eſt; cui nihil, præter crimen, ùt gratum, ſic & probum, & approbatum eſt? Et, quid ille de veritate decernet; qui, reclamante conſcientiâ, præconem Veritatis interfecit? Quodſi verò Servatoris afflicta patientia, de conjuratô Sacerdotum accuſantium, & conſtantium inceſſabilî furore, clamoribûs criminantibûs exaggeratô penſetur: nec aliud, etiam inde, præter *cumulum Paſſionis*, inauditîs injuriîs aggravatum, judicare cuiquam, nisì quem omne judicium deficit, licebit. *Stabant autem Principes Sacerdotum, & Scribæ, conſtanter accuſantes Eum. Hæc enim erat*, indignante Beatô Caſſianô, *Judæorum damnata conſtantia: ut Chriſtus morti protinùs traderetur.* Ità ſteterunt olim, adverſûs innocentem Naboth, duo filij Belial, in ejus interitum exquiſiti; *ſcilicet, ùt viri Diabolici.* Ità ſtetit pariter, ut unanimiter omnes opprimeret, cum inviſo ſibi Mardachæo, Judæos, Amon invidiâ tabeſcens. Ità ſteterunt, eversô ſenſu, mentêque dejectâ, contenebrati duo illi, filiarum Iſraël corruptores, contrà Suſannam integerrimam, conſtanter, ſeu, vehementer accuſantes eam. Ità ſteterunt, contrà juſtum Daniel, Babylonij Palatini, Regem, niſi perire vellet ipſe, violenter ad ſupplicium decernendum urgentes. Ità contrà ſanctum Gregorium, cum ſociis perjuris, Aſterius; contrà Criſpum innocuum, flagitioſa

Lucæ 23. v. 11.
B. Simon de Caſſia locô cit. Lect. 13. n. 2.
3. Reg. 21. v. 13.
Eſther 3. v. 8.
Daniel. 13. v. 34.
Daniel. 14. v. 28.

B. Simon de Caſſia locô cit: Lect. num. 1.

Cardinal: Cajetan: in locô cit:

Marci 6. v. 18.

Idem. Ibid. num. 7.

damnavit idem Lucas: *Bis hîc peccavit Pilatus: ſemel, quòd innocentem non abſolvit: ſemel, quòd inſontis judicium commiſit Tyranno, inceſtuoſo, adultero, infami*: ſuperaddidit autem tertiam quoquè, jam â me ſuprà memoratam, iniquiſſimi Præſidis condemnationem Beatus de Caſſia, ex affectatâ videlicet Herodis amicitiâ, periclitantê licèt (quam ejus arbitrio, cognitâ jam cauſâ, transmiſit, atque commiſit) innocentiâ Servatoris. Hinc, *quamvìs ſecundùm Romanorum leges, ſi capitur reus, ibi ſubeat pœnam doloris* (decretum ſit) *ubi fuit patratio criminis; & ſub illo mulctetur judice, ſub quo rempublicam conturbavit, aut quidpiam dignum pœnâ commiſit*: Pilatus tamen remiſit Chriſtum ad Herodem. *Sed*, (hîc nimirum tota declinatæ poteſtatis, translatique judicii cauſa volvitur) *Pilatus ad Herodem reverentiam ſimulavit; ut â judicio Chriſti manus ſervaret innocuas: & ut Herodem, propter non poſitas cauſas, ab ipſo diſcordem, placaret in homine Galilæo.* Aliud igitur ad tribunal, actio transferenda fuit. O prætextum!

B. Simon de Caſſia apud eundem Gregor: locò cit. num. 6.

Idem. Ibid: num. 7. circa finem.

III. Nihil in hoc, diverſum ab eo, factum eſt; quod miſer hodiè Mundus, perſonæque miſerabiles, frequentiùs jam actum ingemiſcunt: quorum cauſæ per tribunalia vagantur, ſuſpensâ, quam ubiquè poſtulant, nullibi verò conſequuntur (etſi contrà ſe quoquè decretam, acceptare ſæpiùs paratæ ſint, opténtque) ſententiâ. Quis verò ſic tractatæ, divinæ fuerit innocentiæ dolor: nemo, niſi, qui ſenſum integrum ipſius illius habuerit Innocentiæ, vel expendere, vel exponere ſufficiens erit. Nec enim parva fuiſſe Servatoris patientiſſimi pœna cenſenda eſt: quòd manifeſtatâ jam accuſatorum injuriâ, vinculîs tamen gravatus adhuc, eorum relinquatur in manibus, per compita, populi concurſu frementia, inter inſanas obtrectantium ſubſannationes, & improperia, de maledicâ Principum ſuggeſtionê concepta, atquè in utrámque aurem, omni ex parte, â populo tumultuante injecta, deducendus; vel potiùs, pro furoris illigati ſævitiê, raptandus â ſanguinariâ domo Præſidis, ad Herodis, immodicô diſtans intervallô, palatium, flagitiîs innumerîs fœdè pollutum. Expendit hanc injuriam, cum enormî, corporis, jam aliundè multùm attriti, moleſtiâ conjunctam, ex Beati forſan Simonis Caſſiani piâ compaſſione objectam, Joannes â Carmelo, famoſus interpres, exaggeratâ non parùm, quæ claruit exinde, patientiâ Domini: *Hanc enim*, ait, *pœnam etiam, inter cæteras, ſuſtinuit pro nobis JESUS: quòd fatigatus tantîs injuriîs, per totam noctem,*

Sylveiræ locò cit: num: 6.

in

in domo Cayphæ; ac, tot, & tantîs interrogationibûs, in aula Pilati, conſtrictus vinculîs ductus ſit ad Herodis palatium, itinere trecentorum quinquaginta greſſuum, tam variis, ac multis judicibus exhibitus judicandus. Perſuaſit quidem ſibi Caſſianus idem, excelsô progreſſam animô fuiſſe, tam congeſtas inter injurias, Innocentiam Servatoris, velut *ſuâ libertate potitam: quòd firma veritas examinari â pluribus gaudet, & nullum Judicem Innocentia timet.* Non hoc inficior: ſed, ipſum, ut aliis quoque perſuaſum ſit, Author eſſe volo: nihilô tamen minùs (quia, quantùm voluit, tantùm pro ſuæ diſpenſatione charitatis paſſus eſt) facilè mihi perſuadeo: Tribunal ipſum Herodis, *ad cumulum Paſſionis Chriſti*, proùt ſenſit Cajetanus, acceſſiſſe. Si enim ex perſonâ ſceIerati Principis, tam, de violatô; per inceſtum adulterium, fratris torô, quàm, de impiâ, contrà ſanctum veritatis Præconem, ad puellæ ſaltatricis crudele votum, latâ ſententiâ, vulgò jam diffamatâ, gravitas objecti doloris ponderanda ſit: nihil, quod illi coæquari per injuriam poſſit, invenio. Quid enim ab eo, qui ſordet flagitiîs, totúsque ſcelus eſt? quid, inquam, ab eo judicij, de ſumma Innocentia, expectandum eſt; cui nihil, præter crimen, ùt gratum, ſic & probum, & approbatum eſt?

B. Simon de Caſſia locô cit: Lect. num. 1.

Cardinal: Cajetan: in locô cit:

Marci 6. v. 18.

Et, quid ille de veritate decernet; qui, reclamante conſcientiâ, præconem Veritatis interfecit? Quodſi verò Servatoris afflicta patientia, de conjuratô Sacerdotum accuſantium, & conſtantium inceſſabilî furore, clamoribûs criminantibûs exaggeratô penſetur: nec aliud, etiam inde, præter *cumulum Paſſionis*, inauditîs injuriîs aggravatum, judicare cuiquam, nisì quem omne judicium deficit, licebit. *Stabant autem Principes Sacerdotum, & Scribæ, conſtanter accuſantes Eum. Hæc enim erat*, indignante Beatô Caſſianô, *Judæorum damnata conſtantia: ut Chriſtus morti protinùs traderetur.* Ità ſteterunt olim, adverſûs innocentem Naboth, duo filij Belial, in ejus interitum exquiſiti; *ſcilicet, ùt viri Diabolici.* Ità ſtetit pariter, ut unanimiter omnes opprimeret, cum inviſo ſibi Mardachæo, Judæos, Amon invidiâ tabeſcens. Ità ſteterunt, eversô ſenſu, mentêque dejectâ, contenebrati duo illi, filiarum Iſraël corruptores, contrà Suſannam integerrimam, conſtanter, ſeu, vehementer accuſantes eam. Ità ſteterunt, contrà juſtum Daniel, Babylonij Palatini, Regem, niſi perire vellet ipſe, violenter ad ſupplicium decernendum urgentes. Ità contrà ſanctum Gregorium, cum ſociis perjuris, Aſterius; contrà Criſpum innocuum, flagitioſa

Lucæ 23. v. 11. B. Simon de Caſſia locô cit. Lect. 13. n. 2. 3. Reg. 21. v. 13. Eſther 3. v. 8. Daniel. 13. v. 34. Daniel. 14. v. 28.

noverca, infausta Fausta; contrà virginem Hildegardem, scelerato affinis; plurésque, parî non minùs crudelitate, quàm iniquitate violenti, steterunt, constanter accusantes virtutem, innocentiam, sanctitatem: sed, in. suum quidem exitium; innocentiæ verò, divinitùs vindicatæ, gloriam, victoriam, ac triumphum. Quid verò de summâ, divinâque Innocentiâ tantîs clamoribûs obrutus magìs, quàm. inclinatus ad judicium, Herodes, ineptissimus arbiter virtutis, & Innocentiæ statuit?

IV. Facilè præsumi de judicio conjectura potest; in quo nullum juri jus est; & cuilibet, nefas dicere, fas est. Execratus quidem Actiones hujusmodi judiciales, earúmque tam enormem perversitatem gentilis olim Orator legitur, memorabilî sententiâ judices ipsos perstringens: *Nihil est, quod minùs ferendum sit; quàm, rationem ab altero vitæ reposcere eum; qui non possit suæ reddere. Accusare enim debent ij, qui nullô suô peccatô impediuntur; quô faciliùs alterius peccata demonstrare possint.* Volebat enim, vir sapiens juxtà, ac eloquens: nullius ut audiretur adversùs quenquam allata criminatio; quem propria crimina. maximi reum supplicij postularent. Quod si verò per notoriam infamiam, actorum omnium, & accusantium vigor infringitur; quid ipso de judice sentiendum, publicâ famâ damnatum? cùm *in judicem suspicio nulla cadere debeat.* Actum autem hîc agitur: cùm ullo de jure quæritur, in ipsius justitiæ, & Innocentiæ condemnationê; quæ ab infensissimîs ejus hostibûs, Actionê, sinèrationê, sinè probationê, solâ tantùm accusationê, prolatâ, apud Herodem postulatur. Nihil enim obtinebunt, cùm odium, & invidia causam agunt, etsi clament, leges, & sapientûm oracula virorum: *Non, qui accusatur, sed, qui convincitur, reus est!* Atquè: *antè probationem justam nemo damnandus, vel judicandus est!* Et, quod maximè necessarium, omnísque judicij formandi caput est: *Judex veritatem diligenter investigare tenetur!* Denique, quod in aditu jam, aulæ tam impiæ, de perversô, sancta quæquè ludificantis, Herodis ingeniô conjectura præsensit concepta, novô Servatoris tormentô, post insolentes, & mendaces accusationes consecutum est: dum, nullîs inquisitionibûs discussa, vel cognita, contrà legem omnê judicij; nequè damnata, ex voto Pontificum; nequè etiam â petitæ mortis infamiâ, per sententiam Herodis absoluta; sed (quod meritò coràm omnibus reum convincit, ac obnoxium damnationi judicem facit) spreta, illusa, dirîsque vexationibûs

Cicero. in Verrem.

L. 16. C. de jud.

S. Isidorus. Lib. 1. Sollil.

Cap. Nullum. 10. C. judic. 11. q. 5.

Auth. qui semel. C. quom. & quan. jud. ibi. perquis. verit. l. 2. &c.

bûs, nugaciter, ac petulanter
tradu&ta, itáque perſecutorum
in poteſtate reli&ta, & publicô
cum opprobriô fatuitatis impa-
&tæ, tandem ad arbitrium Ro-
mani Præſidis Innocentia Serva-
toris remiſſa fuit: *Sprevit* enim
illum Herodes, cum exercitu ſuo; &
illuſit indutum veſte albâ; & remiſit
ad Pilatum. Deputando eum, inter-
pretê mentis impiæ Lyranô,
idiotam, & fatuum. Vilipendit enim
Herodes JESUM, inquit B. Simon
de Caſſia; *quia ſignum non viderat;*
nequè verbum ab ore ſuſceperat; quem
æſtimavit fatuum; atquè, ùt ta-
lem, non ſolus ipſe, ſed, pote-
ſtate, per authoritatem illuſionis
â ſe cœptæ, reliquo ſuo exerci-
tui factâ, *illuſit cum exercitu ſuo.*
Omnes enim in eadem culpa pares mon-
ſtrantur: dum non tantùm licere
ſibi jam quisquè cenſebat, quod
â Rege ſuo factum videbat; ſed,
velut imperatum etiam, cum
ejuſdem approbatione, præſum-
tâ voluntate credebat.

Lyran: in loco cit. Luca.

B. Simon de Caſſia Lib. 13.

Gloſſa interlin.

V. Unde verò poteſtas ea fuit
Herodi, quamvis Regi, ſeu,
pro Cæſare, Tetrarchæ: ut,
quem accuſatum accepit, ne-
glectâ judicij formâ, non ſolùm
remitteret ſinè ſententiâ; ſed
etiam, petulanter illuſum con-
temneret; quem, necê damnan-
dum, nullâ tenùs inveniret? Sanè,
per illatam illuſionem Innocen-
tiæ, triplicî reatu conſtringitur
Herodes. Et primum quidem,
unanimî ſenſu decretũ ab Eccle-
ſiæ Patribus ejus iniquitatis
grande peccatum eſt (prout
illorum judicium excepit Lucen-
ſis) *Remiſit vinctum, ùt acceperat,*
nec ipſe abſolvens innocentem, contrà
officium juſti judicis. Idquè, nè Ju-
dæorum indignationem incurreret. Pri
mum hoc delictum, neglectæ
ſcilicet obligationis, auget al-
terum: quia, dum non libera-
vit, quem potuit, & per con-
ſcientiam damnare non valuit,
remiſſum cum ignominia, Præ-
ſidis arbitriô judicandum, ipſe
mortê damnavit: ità, cum Sa-
xone Ludolpho, juſtus Landſper-
gius juſtiſſimè pronunciavit: *Hoc*
in loco Herodes in necem Domini vide-
tur conſenſiſſe. Nam, ſuæ Ditionis
hominem innocentem debuit abſolvere;
& non alieno judici remittere. Remi-
ſit ergo eum Pilato, dicendo: Fac de
eo, quicquid volueris: ſic enim Domi-
nus, cum notâ illuſionis, portando ve-
ſtem albam, Herodis conſenſum, de
ſuâ necê ſecum retulit. Accedit in
cumulum, cùm dominîcæ Paſ-
ſionis, tum Herodianæ conde-
mnationis, ignominioſa veſtis
albæ proſtitutio, &, cum hâc,
illius, quæ candorem omnem
ſuperat, Innocentiæ Chriſti di-
vinæ, per ipſam coloris albi tam
turpem proſtitutionem, illuſo-
riè quæſita Corruptio: quæ qui-
dem, ipſum illuſorem, & fatuum,
& mente totâ, judiciôque cor-
ruptum, toti manifeſtum orbi
fecit.

Franciſcus Luc. cit. à P. Gregorio à JESU Maria. Lect. 13. n. 16. Tom. 2.

Ludolph. de Saxon. & Landſpergius. citati loc. cit. num. 16. & 17.

fecit. Nam, judicê Cassianô, *Non est verorum Regum, illudere in judiciô constitutum: sed, damnare convictum reum; aut, absolvere innocentem. Sed, ad exaggerationem Passionum Christi, & contumeliarum, etiam Reges terræ infatuati sunt.* Nec est hac de fatuitate, convictam ut habeamus, in illusione per albam vestem ab Herode factâ, multîs inquirendum. Quid enim vacillans hominis insani cerebrum prodit manifestiùs? quàm, quòd per albæ vestis indumentum innocentiam agnitam operire, opertámque, coràm omni populo corrumpere, cum omnî gloriâ, & Majestate Christi quæsiverit. Candida vestimenta, nobilitatis olim, erant insignia: hæc Archelaus, templum ingrediens, in ostentationem suæ potestatis assumsit. Hîs & Salomon, ut Rex agnoscereturr, extimô velutì characterre divinitatis, uti solitus est. Triumphorum etiam, ac triumphantiũ præconia quædam, alba veteribus indumenta fuerunt. Sic Scipio Punicam Urbi victoriam, tacitus ipse, silensquè, solius candidæ vestis prætextu, quem secum attulit, nunciavit. Nec ipsis Hebræis aliud unquàm candidus habitus, quàm hilaritatis, & festivorum gaudiorum indicium præbuit. Deniquè, nè sim in veterum allegationê, seu morum, seu judiciorum nimius, id, ex Gellio, vulgò notum: Legibus ipsîs interdictum olim fuisse: nè rei capitalis criminis, aut mortê multandi, candidîs vestibûs induerentur: quô nimirum servaretur integrum, gentibus omnibus ex candore notum, Innocentiæ signum; cujus semper omnis, in judicio, per album indicata lapillum absolutio stetit. Manifestam ergo quis non palpat Herodis dementiam, vel ex hac sola candidæ vestis injuriâ? quâ, dum illudere, tanquàm amentem, DEI Sapientiam voluit, præter mentem, amentissimus ipse, vel maximè patefecit, illustravit, & confirmavit majestatem, & gloriam, & Innocentiam Servatoris, ob idipsum, non minùs, você magnâ, quàm exsultationê, Mediolanensis Præsulis exsibilatus: *Nec otiosum; quòd veste albâ induitur ab Herode, immaculatæ tribuens indicia Passionis. Quòd agnus DEI sinè macula, cum gloria, peccata mundi susciperet.*

VI. Quid hoc, obsecro, per assertum, hâc tenùs non animadversum, insinuare contendit ex Herodis injuriâ sanctus Doctor? quâ Rex impius, non tantùm albæ vestis honorem depravavit; sed gloriam etiam Innocentiæ Christi corrumpere sacrilegus illusor attentavit? Illucescit nimirum per Ambrosij verba grande mysterium; dum innotescit, in albâ veste, totius Mundi,

B. Simon de Cassia locô. cit. num. 7.

Aulus Gellius. locô cit.

Joseph. Lib. 2. antiq. cap. 10. & Lib. 12. cap. 2.

Aul. Gell. Lib. 3. cap. 4.

S. Ambros. lib. 10. in Lucam.

Philo. Lib. de vita Theorotica.

di, injectum Agno DEI commune piaculum. Advertamus animos ad *immaculatæ indicia Paſſionis*; ſeu, patientis Innocentiæ ludicrum indumentum; in quo peccata Mundi, cum gloriâ, ſuſcepiſſe dicitur Agnus Dei. Si enim innocentiam Paſſionis veſtis alba declarat: quî poſſunt in eâ Mundi convenire peccata? Si verò totius orbis, candidâ cum veſte, ſunt ſuſcepta peccata: quomodò tributa ſunt per eam *immaculatæ Paſſionis indicia*? Memineritis, quæ ſuperiùs ex Ludolpho memoravimus: quòd *ſic Dominus, cum notâ illuſionis, portando veſtem albam, Herodis conſenſum de ſuâ necé ſecum detulit.* Ità nimirum. Herodes impius, album indumentum Innocentiæ ſubſannando tribuens, perverſitate ſuâ, Mundi totius lutum, cum hominum univerſorum reatu, candidis innocentiæ tabulis injecit: dum ex ipſo candore, quô Innocentem illuſum induit, mortis iniquiſſimæ reum cenſuit, & fecit. An autem, adeò manifeſtam per injuriam, *Album vî corruptum* non advertunt? aut, cùm advertunt, non vindicatum Actione debitâ, ſuſtinebunt Cauſidici? quibus notum ex celebri J. Conſultorum theſauro; quòd ſingularis præſcripta ſit Actio, quæ dicitur: *Actio Albi Prætorij: & datur in eum, eóſve; qui Album vî corruperunt, aut ſuſtulerunt.* Ecce, *Album* Divinitatis incarnatæ, omnî ſanctius, & candidius Albô Prætoriô; *in quo*, utì ex Theophilo Pratejus docet, *Prætores, edicta, actiones, interdictáque proponebant; quô omnibus innoteſcerent.* In Chriſto nempè, &, per Chriſtum, revelata nobis eſt omnis Patris voluntas, & æternæ ſalutis nova lex, & abundantia gratiæ, &, quicquid demùm agere, vitaréque, juxta beneplacitum ejus oportebat, indicatum eſt: quando *veſtimenta ejus facta ſunt alba, ſicut nix; & vox, de nube dicens*, audita eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Ipſum audite!* Hanc vivam, legis omnis divinæ, totiúsque nobis oblatæ gratiæ, tabulam *Albam*, per ludibrium albæ veſtis, injectô mortis reatu corrupit Herodes: Ille verò, *qui peccata multorum tulit*, tantam etiam non detrectavit injuriam; etſi faſſus de eâ fuerit Beatus ille de Caſſia: *Hæc paſſio inter geſta, mentè magis, quàm calamô, tractanda eſt: & patientiæ ejus contemplationibûs tradenda eſt, non litteralibûs elementîs.* Neque verò vacat mihi, pro foro hodierno, hanc injuriam Albi divini, vî corrupti, urgere: dum alius pro me jam vult Actor eſſe; cui cedere cogor, & locum, & Actionem.

VII. St! Altum hodiè ſilentium poſtulo: dum facultas mihi ſermonis per divinam eſt indulta juſtitiam, apertô ſcilicèt, male-

Ludolph. de Saxonia ſuprà citat.

Partulph. Pratejus V. Album. L. 1. C. de interd. §. pœnales. Inſt. de Action.

Matth. 17. v. 2.

B. Simon de Caſſia Lect. 13. num. 10. in fine. loco cit.

Schardius. in Lexico V. Actio. num. 60.

maleficorum omnium discutiendis Causis, ejus Tribunalî. Vindictam exactura huc vêni; nec discedam inulta: dum eo coràm Judice res agenda conceditur; qui justitiæ totius, & Author, & Vindex, imò, ipsa Justitia est. Non queror Actionê præsentî prætoriam, *de Albo vî corrupto*, injuriam; sed, meam ipsius causam ago: quin, potiùs, tuam, O DEUS! ex offensa; meam verò, ex pœna; quam, nullô sæculorum cursu terminandam, verùm æternitate totâ, cui per tuam sententiam sum alligata, finê jam desperatô, semper, heu! semper toleranda, &, nunquam expiandam luo, jam damnata æternum! Adsum igitur ex orco, vindictam exigens, *de Albo*, non solùm *Corrupto*, sed, omninò *sublato*: de quo querula mea, & objurgans Criminatio procedit, adversùs unum illum (unum dico, illum!) quem hîc video præsentem, & (quod indignor) adhuc viventem! Hunc ipsum volo, confidóque de divina justitia, socium hujus meæ, cujus author est ipse, & causa, pœnæ! Ille, qui me primus, in primum, contrà Te, DEum summum, grave peccatum induxit; itáque, per malitiam, innocentiæ fuit meæ primus raptor, & corruptor, non meretur porrò ullum pœnitentiæ locum. Innocentiam ille rapuit mihi: quidnî præcludam ego, & evertam, hâc Actionê meâ, omnem veniam, & indulgentiam illi?

VIII. Erat! erat illa mea quondam integritas, *Album*, omnî nivê, quôvis liliô, purissimôque argentô, totôque, qui vel in summi pretij margaritîs optari potest, aut cogitari, nitidissimi candoris fulgore, candidius, nitidius, purius; quia species quædam candoris illius; qui purissimîs radiîs æternæ lucis, albam illam, gloriæ cœlestis, incorruptibilem stolam illustrat. Parùm dixit Claræ-vallis Abbas, animæ de castæ nitore: *quòd, statum quendam immortalis gloriæ repræsentat*; in quô scilicèt, *amicti stolis albîs, sequuntur Agnum, quocúnque ierit*: cùm omnes illæ animæ, quæ, candorê castitatis, in corruptibili etiam corpore nitent, *sinè maculâ sint ante thronum DEI*, quasi stolîs albîs hîc jam indutæ. Parùm insuper, cum Hieronymo, fulgoris illius excellentiam idem Bernardus expressit; *dum, super lilia, parem Angelis*, album virgineæ felicitatis nitorem extulit. Nequè dignè satìs, aut omninò propriè, puritatis fulgorem, *solem* virtutum omnium Augustinus appellavit. Ipse lucis æternæ candor, in meâ quondam integritate, velut in imagine refulgens, & conspicuus fuit: quod, cum Ambrosio, Basilius,

Sapient. 7. v. 26.

S. Bernard. Epist. ad Henricum.

Apocal. 14. v. 4.

Ibid: loc. cit.

S. Hieron. in Psal. 144.

S. Bernard. locò cit.

S. August. de Virgin: Virginitas sol est.

ſilius, ac Cyprianus, deſuper illuſtrat, cognovêre, faſsíque fuêre; caſtæ cuivis animæ, primævi nitoris Albô gaudenti, ſolatium hoc, unô velut ore tribuentes: *Ad imaginem DEI es, ſi immaculata in te figura refulgeat;* * *reſpondens, ad ſanctimoniam Domini; quia per illam, & in eâ, DEUS meliùs, quàm in mundo ipſô agnoſcitur.* Nam, *fidelis anima, virginitatem ſuam, ab omni ſordidæ cogitationis labê puram, immaculatámque cuſtodiens, ad id provehitur: ut ſimilitudinem incorruptibilis DEI in ſe, velut in ſpeculo mundiſſimo, ipſô, cum gratiîs ſuîs, ſuaviſſimi radij in morem, illi influente, ſpeciem, & laudem ſuam conſequatur.* Divinitatis ergo lux quædam, ſeu, candor lucis illius, &, utì dixerat Orator aureus, *Domini imitatio, divinæq; ſimilitudinis expreſſio, Innocentia mea fuit.* Huic Albo, cunctos inter fulgores creati candoris, non eſt, quod conferri, vel comparari poſſit: quantò enim clariùs æternæ lucis candorem, in ſe, per ſimilitudinem recipit integritas virginalis; tantò glorioſiùs creati candoris, & lucis cujuscunquè, nitidiſſimum fulgorem, ſplendore ſui divini candoris tranſcendit. Quid enim illi ſuppar eſſe poſſit felicitati? *quæ per gradus eburneos, id eſt, per gradus continentiæ, & caſtitatis, ad DEUM aſcendit:* utì magnus ille Carthuſiani Candoris Patriarcha conſpexit. Satis eſt; ut Albi, quod in mê turpiſſimè corruptum queror, fulgor, quantus fuerit, agnoſcatur; id ſolum (ſed, proh! quàm inexplicabilî meô tormentô) meminiſſe: Illum ipſum, *qui paſcitur inter lilia* (cœleſtis videlicet, & angelici candoris flores) adeò mei decoris, &, omnia ſuprà lilia nitidæ puritatis, amorê fuiſſe delectatum: ut, datô jam verbô, non tantùm ſibi me delegerit in ſponſam; ſed, illius etiam albæ ſtolæ, quâ ſequaces Agni gaudent ex Agno, jam fecerit, & promulgaverit beatiſſimam Candidatam, per Apocalypticum Evangeliſtam; qui, juſſus, Eccleſiæ Sardis Angelo per Epiſtolam indicavit: *Habes pauca nomina in Sardis; qui non inquinaverunt veſtimenta ſua: & ambulabunt mecum in albis; quia digni ſunt. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentîs albis.* Album hoc veſtimentum, quod quidem, pro mei, ſinè inquinamentô ſervati candoris, primæque ſtolæ, quam albam accepi de Baptiſmo, non violatâ puritate, mihi certum deſponſúmque fuerat, aliud non erat; quàm, ipſius Agni divini candidiſſimum vellus, & innocentiſſimi nitoris incorruptibile veſtimentum. Id enim Orator clari nominis, ex Oratorio Philippi Nerij, verbîs illîs: *An bulbunt mecum in albis*, innui cenſuit: ſcilicèt: *quòd ipſiſſimâ Agni immaculati veſte ſint amiciendi*; cùm ſimul jun-

S. Ambroſ. ſerm. 8. In Pſalm. 118.

**S. Cyprian. de habitu Virgin.*

S. Baſilius de verâ Virginit.

S. Chryſoſt. in Pſalm. 100. v. 3.

S. Bruno Lib. de Ornat. Eccleſ. cap. 9.

Cantic. 2. v. 16.

Apocal. 3. v. 4.

Joſeph. Manſius. Tom. 1. Biblioth. Tract. 14. Diſ. 1. num. 17.

jungatur utrúmque; ſcilicèt: *Mecum*; *&*, *in albis*. Nec Rupertus Abbas, ab hoc, aliud ſuô videtur animô concepiſſe; quàm, perpetuam illam albi veſtimenti gloriam, in Agni divini perpetuâ ſocietate ſperandam, ex illo ſplendore; quem, cum eodem Agno, ſervatus ab omni turpitudinis inquinamento, conſcientiæ fidelis candor, & integritas virginalis, innocuum, ſeu, concolorem in hac vita cuſtodivit. Ex hoc enim intulit: *Quia non inquinaverunt veſtimenta ſua, id eſt, incorrupta ſervaverunt corpora ſua, ambulabunt mecum in albis. Mecum, inquit, Filiô Virginis; mecum, qui ſum virgineus flos, virginitatis lilium. Mecum ambulabunt in albis; id eſt, in corporibûs immaculatîs; cum quibus reſurgent nitidi, velut agni novelli*, candoris incorruptibilis habituri gloriam, pro Albo; quod â corruptione ſervaverunt immune. Quanta fuit igitur Albi mei venuſtas? quàm incomparabilis prærogativa Candoris mei? quem, non ſola divini candoris aſſimilatio, &, lucis inde communicatus fulgor, ſed, promiſſum etiam, ab Agno ſinè maculâ percipiendum, in illâ luce candidâ veſtimentum, ſuprà ſortem omnem humanæ conditionis, & condignæ pariter æſtimationis elevavit, ipsô ſic judicante, decernentêque Syracide: *Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ.* Hujus namquè tam Deo charus, & pretioſus nitor eſt; ut, ſi totus orbis una foret (proh! quanti pretij?) candidiſſima margarita; imò, ſi cœlum empyreum ipſum, cujus portæ ſingulæ, ſingulæ (ſed, quantæ?) margaritæ, ſuô nitidiſſimô etiam, cœleſtíque cum fulgore appenderetur: nihil tamen, vel tantus candor, ei foret, iñocentiæ cum Albo collatus: nam *omnis res temporalis* (prout Hugo Cardinalis interpres explicuit) *quantitúnque ponderis, id eſt, valoris ſit, non eſt digna continentis animæ; id eſt, ad comparationem animæ continentis*, ſeu, innocentîs.

Ecclí. 26. v. 20.

Manſ. loc. cit. num. 19.

Hugo Card. in locô cit.

Rupertus Abbas in cap. 3. Apocal.

IX. Quanta fuerit hujus mei, tam fœdè corrupti, decoris albi venuſtas, &, in oculis divinæ Bonitatis, dignitas, vel inde liquet apertiſſimè; quòd eidem ſuas gratias, & peculiares favores, non atramentô, ſed, Agni imaculati pretioſô cruore divinus Amor inſcripſerit, Angelis æquè ac hominibus, palàm legendos, utriúsque teſtamenti ſigillîs appenſîs. Quanto dolori mihi nunc eſt! meminiſſe tantùm characterum illorum, Jeremiæ de ſtylo fulgentium: *In charitate perpetuâ dilexi te*! Et, quæ de regij Vatis oraculis in me micabant: *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis: gloriâ, & honore coronâſti eum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus; & conſti-*

Jerem. 31. v. 3.

Pſalm. 8. v. 6. 7. 8.

tuiſti

tuiſti eum ſuper opera manuum tuarum! Quantum ſplendorem contulit innocentiæ meæ privilegium illud inexplicabile; quod, eidem divinâ poteſtate tributum, Diſcipuli dilecti calamus indicavit: *quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem, Filios DEI fieri*: adjectîs prætereà ſignîs manifeſtîs, impreſſæ candori meo charitatis divinæ: *Videte! qualem charitatem dedit nobis Pater: ut Filii DEI nominemur, & ſimus*! Quis non ex his, adeò conſpicuîs, innocui mei Candoris *Albo* divinitùs collatîs gratiîs, &, ſuprà vilitatis humanæ ſortem, inexplicabilis eminentiæ privilegiîs, innocentiæ meæ communicatîs, jam intelligit: quantò ſit integritatis meæ conditio felicior, &, ſuper omnia, quæ pretium aliquod in rebus creatis, atquè fulgentibûs habent, ampliùs æſtimanda? dum, præter iſthæc, tanta licèt, firmatum inſuper, & quidem Apoſtolici ſigilli ſacramentô, cum ipſâ juſtificationê dealbantis gratiæ, refulgens in illo meo Candore jus hæreditatis æternæ manifeſtè cognoſcitur: ſcilicèt, juxtà promiſſum: *ut, juſtificati gratiâ, hæredes ſimus, ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Hæc autem, tanta promiſſa, & has, tantas gratias, & hæc, tam ſingularia felicitatis æternæ, quaſi jam ſubarrhatæ, patentia, ſigillatáque teſtimonia, cum innumerîs aliîs, Angelicîs, cœleſtibûsque privilegiîs, non, albo in pariete Prætor, ſed, in anima meâ, labis omnis expertê, nullôque tunc ullius criminis inquinamentô corruptâ, ſummus ille Pontifex, luculentîs characteribûs, cœlo, terræque conſpicua fecit; cui Pater omnia dedit in manus; qui etiam, quæcunquè accepit â Patre, nota fecit Mundo; per quem abluti, & ſanctificati, & juſtificati ſunt omnes, dealbati ſcilicèt in ſanguine ejus. Imò, totum illud album, innocentiæ meæ glorioſiſſimum indumentum, cum omnibûs divinîs favoribûs, eidem inſertîs, merum fuit Servatoris mei beneficium: qui primæ ſtolæ candorem, odiô ſerpentis inquinatum, eâdem albâ veſte toti reparavit humano generi; in quâ non tantùm totius corruptæ naturæ commune ſuſcepit opprobrium; ſed, ipſius etiam, quod eidê debebatur, ſubeundæ mortis judicium. Ità me quondam docuit mitratus Venlonenſis: *Olim Adam, tanquàm inſaniens, candidam juſtitiæ, ac ſanctitatis veſtem, unius pomi pretiô vendiderat: nunc autem Chriſtus Dominus veſte candidâ, velut inſanus,* (inſaniam ſcilicet primæ prævaricationis, ut elueret, luens) *indutus, meruit candidam juſtitiæ veſtem peccatoribus reſtitui.*

Joann. 1. v. 12. *1. Joann. 3. v. 1.* *Tit. 3. v. 7.* *Hebr. 9. v. 11. 14.* *Joann. 13. v. 3.* *Joann. 15. v. 15.* *1. Corinth. 6. v. 11.* *Apocal. 7. v. 14.* *Godefr. de Lit. Epiſc. Venlon. in ſacrif. Veſp. Conc. 24. fol. 391.*

X. Hanc ego candidam juſtitiæ veſtem, ex Agni divini meritîs

tîs infinitîs, omnibûs prærogativîs gratiarum, Deíque ſpecialium favorum, inſignitam habui, par illis; de quibus gemens propheta non conſolabilî luctu lamentatus quondam fuit: *Candidiores Nazaræi ejus nivê, nitidiores lactê.* Quis mihi tunc, oris aurei gratulatorios applauſus non occinuit? *Gaude Innocentia! & exſulta! quia ubíque illæſa es; ubíque ſecura. Si tentaris, proficis: ſi humiliaris, erigeris: ſi pugnas, vincis: ſi occideris, coronaris. Tu, in ſervitute, libera es; in periculo, tuta; in cuſtodia, læta. Te potentes honorant, ſuſpiciunt principes, magnates requirunt. Tibi boni parent; inimici ſuccumbunt: nec unquam poteris victrix non eſſe; etiamſi inter homines tibi juſtus judex defuerit.* Recrudeſcit ſæva decoris amiſſi memoria, meæ damnationis exaggeratio, tormentúmque crudeliſſimum, toties cruciatibûs novîs, &, atrociorî perpetuò ſenſu, meam exulcerans animam; quoties eidem, prior innocentiæ forma, fulgor, dignitas, & innumerîs privilegiîs cumulata felicitas, quâ gaudebam, objicitur: quæ nunc, vitiata, contaminata, corrupta, penitúsque, cum omnibûs cœli favoribûs, quos innocentiæ conjunctos, (quia *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*) quaſi fœderatô quôdam jure tenebam, unicô momentô, crudeliſſimè ſunt ablata! Tam enormem autem privationem, tam abominandam corruptionem, tam horrendam inquinationem, tam fœdam immutationem, deturpationem, ac deſolationem innocentis animæ meæ, diviníque Albi, quibûs querelîs, quibûs objurgationibûs, quibûs criminationibûs, pro dignitate, felicitate, ac venuſtate (quam perdidi!) &, pro miſeriâ, calamitate, ac fœditate (quam incurri!) contrà meum hunc, infeſtiſſimum inimicum, ſæviſſimum latronem, &, ipsîs dæmonibûs atrociorem parricidam, accuſabo ſatìs, aut perſequar; atquè, ad promeritas, æquiſſimásquè ſempiterni ſupplicii pœnas, unà mecum ferendas, quibûs dirîs, tuô coràm æquiſſimô tribunalî, juſtiſſime ſcelerum Vindex! poſtulabo, urgebo, extorquebo? Fuit enim, illô cum innocuô meô candorê, quædam impreſſa mihi puriſſimæ Divinitatis imago. Cyprianô quippè teſtê, *ornamentum gratiæ ſpiritualis, DEI imago, eſt innocentia.* Nunc autem proh, dolor! eſt hæc *denigrata ſuper carbonem, facies* mea! *obſcuratum eſt aurum; mutatus eſt color optimus!* Eram, *in deliciis paradiſi DEI*, gaudium Angelorum: nam, *ſpiritualis Paradiſus, mens ſancta, mens munda, atquè ad ſui Conditoris imaginem ſignanter expreſſa.* Fuerat tunc, *omnis lapis pretioſus, operimentum meum*, tanti deco-

Thren. 4. v. 7.

S. Chryſoſt. Tom. 1. Homil. de Joſeph.

Sapient. 7. v. 11.

S. Cyprian. de Diſciplin. & hab. Virg.

Thren. 4. v. 7. & 1.

S. Petr. Dam. l. 2. Epiſt 5. Ezech. 28. v. 13.

decoris; ut, (quod Bernardinus prædicavit) *ſi formarentur tot Empyrei cœli; quot ſunt aquarum guttæ: quot ſunt grana arenæ maris: omnis pulchritudo eorum, ſimul ſumta, non poſſet æquare pulchritudinem animæ meæ*, quæ tum erat; in quam, non Angeli ſoli, ſed ipſe Dominus Angelorum, deſiderans proſpicere, ſuos adeò defixit oculos; ut, eandem, etiam in ſponſam deligere, dedignatus non fuerit, juxta illud: *Concupiſcet Rex decorem tuum - - ipſe Dominus DEUS tuus.* Et, quanta fuerat, iſta gloria mea? *Magna*, inquiebat ille purpuratus Robertus, *gloria, utilitas, ſuavitas, ſervire Regi Regum. Major! inter amicos, & domeſticos ejus connumerari. Maxima! Filium DEI, &, Chriſti Fratrem nominari. Sed, ſponſam dici poſſe; conſortem throni, conſortem thalami*; hoc utiquè, eôdem judicê, non humanum, ſed Angelicum etiam ſuperat intellectum. Et hæc erat, in illâ plenitudinê perfecti decoris, gloria mea! quæ, dæmonum in opprobrium, ignominioſè converſa, turpis, & abominabilis toti cœlo facta, tranſivit in conſortium, proſtibulúmque Diaboli; atquè, ſicut prædixit Chryſoſtomus (*ipſa excellentia dignitatis majoris tibi fiet cauſa ſupplicii*) ſic factum experior.

S. Bernard: ſerm 5. de anim. dignit. Art. 1, cap. 3.

Pſalm. 44. v. 12.

Robert. Bellarminus de æt: ſel. Lib. 5. c. 6.

S. Chryſ. Hom. 28. in Matth.

XI. Fuerat (ah! in quantâ elevata felicitatem!) anima mea, unà cum corpore meo, ſanctum Divinitatis inhabitantis templum, ipsô Servatore ſpondente: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; atquè (quod ſinè crudelî dolore vix effari poſſum) tam arctè mecum, per gratiam ſuam conjuncta, & inhabitans, unitáque fuit mihi ſanctiſſima Trinitas; ut *non ſolùm creata dona* (prouti Theologorum conſenſus docet) *ſed ipſæmet divinæ perſonæ datæ mihi ſint*, per dona gratiæ ſanctificantis; meámque cœperint animam inhabitare: cùm, per eadem, ſe mihi ſanctus ipſe Spiritus, illorum donorum largitor, & mirificus templi ſui ſanctificator, univit: *Sanctæ enim animæ, veriſſima, & ſacratiſſima DEI templa ſunt* (affirmantê Villanovanô Præſulê) *non jam per gratiam viſitationis, & operationis; ſed, per ipſam præſentiam Majeſtatis*; utì magnus, illius Thomæ Pater, Auguſtinus confirmavit. Per hanc autem præſentiam habui (quod ex Baſilio novî) *dignitatem Propheticam, Apoſtolicam, & Angelicam: dum, hujus gratiâ, DEUS eſt, quisquè ſanctorum: nempè, qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* Hæc autem omnia, per illud unicum peccatum, quô violatum DEI templum, quô ruptum cum DEO vinculum, quô rejecta ſuprema Majeſtas, &, ab eâdem averſa fuit anima mea, confuſionê tam terribilî ſunt in me perverſa, confuſa, mu-

Joann 14. v. 23.

Suarez. Lib. 12. de Trinit. cap. 5.

S. Thom. 1. p. quæſt. 43. Art. 3.

S. Thom. de Villanov. Conc. de Dedicat. Eccleſ.

S. Auguſtin. ſerm 185. de Tempore.

S. Baſil. Homil. de ſpirit. ſanct.

1. Corinth. 6. v. 17.

mutata; nihil ut aliud perpetuò nunc audire cogar (increpantê me, averſionê meâ) *quàm: Non populus meus! & : ego, non DEUS eorum!* Non commemoro theſauros, ac divitias immenſas; quas innocens poſſederam: nam ipſa Innocentia, *infinitus eſt theſaurus hominibus*; ſed, eheu! *theſaurus irrecuperabilis* (ùt ait Hieronymus) *poſtquàm amiſſus eſt.* Nihil dico, de libero commeatu; quem habui, cœlorum adyta, pro voluntatis arbitrio, vel ad ipſos uſquè concentus Empyrei, familiarémque divinorum arcanorum notitiam penetrandi. Innocentibus enim *nullus locus in illa cœleſti aula clauditur: ſed cunctaeis divinarum manſionum habitaculæ reſerantur*; â quibus me nunc horrendum Chaos excludit: dum, æternâ ſeparationê decretâ, ſempiternum amor in odium converſus eſt. Fueram deniquè, dum innocuô fulgebam candorê, pretioſa illa margarita; cujus deſideriô negotiator cœleſtis *abijt, & vendidit omnia, quæ habuit*; ut haberet illam. Fuerâ, dum niveô gaudebam vellerê, dilecta illa ovicula; quam, ab errore primô recuperatam, ſuôque dealbatam in cruore, Paſtor bonus, exhilaratus, in humeros extulit, ad communionem gaudij, meâ de ablutionê percepti, cœlites omnes invitans. Sed, proh dolor! tu, meæ corruptor innocentiæ, projeciſti margaritam illam, infinitô pretiô emtam, antè porcos; â quibus fœdè conculcata, protrita, contritáque, in terræ pulverem, cœnúmque converſa fuit. Tu, mei violator candoris, induxiſti ſimplicitatem illam teneram, & fraudis ignaram, in dentes, rictúsque luporum; per quos dirè dilacerata non tantùm omnis lana mea, ſed omnis etiam devorata fuit ſubſtantia mea. Vatis inſtar de me locutus videtur Seraphicus Doctor: *Erat templum DEI, ſponſa Chriſti, ſacrarium Spiritûs ſancti. Quæ eſt iſta ſubita converſio, & repentina mutatio? De DEI virgine, facta eſt corruptio Satanæ! de ſponſâ Chriſti, ſcortum execrabile Diaboli!* de ſancti ſacrariô Spiritûs, immundiſſimorum ſpirituum gehennalis cloaca, ſpelunca, latrina! Ecquis, niſi inimicus, Diabolicus homo, hoc fecit?

XII. Exaggerat fremitum, ac ſtridorem dentium, juſtámque meam criminationem, conſtans illa plurimorum annorum ſolicitudo; quam, integritati meæ ſervandæ, vindicandæquè, diê, noctêque, vigil, ſolers, &, in omne periculum intentâ ſemper acie providæ mentis, impendi. Novit omnituens oculus tuus, &, arcanorum omnium conſcia, Sapientia tua divina: quanto mihi fuerit horrori, tenerîs ab annîs,

Jerem. 2. v. 29. *Oſeæ. 1. v. 9.* *Sapient. 7. v. 14.* *S. Hieronym. ad Demetriad.* *Idem. Epiſt. 22. ad Euſtochium.* *Luc. 16. v. 22.* *Matth. 13. v. 45.* *Lucæ. 15. v. 4.* *S. Bonavent. T. 7. ſoliloq. cap. 1.* *Matth. 13. v. 28.*

annîs, non umbra tantùm, ſed nomen etiam cujuscúnque flagitij? quantâ cor meum induſtriâ, procul adhuc poſitas, cùm primùm animadverſæ fuerant, ſuggeſtiones peccatorũ, ut nè momentaneâ quidem cogitationê pollueretur, excluſerit? quàm obfirmatô palpebrarum rigore, vanos etiam, nè dicam, pellaces, irritantium ſpecierum incurſus, ab oculis, mea prohibuerit, in omni continens occaſionê, modeſtia? quantâ cautelâ non ea tantùm offendicula declinaverim; quæ publica ſunt, &, per audaciam, pudorem offendunt: ſed eas etiam inſidias; quæ ſolitudinem infeſtant, &, per ipſa pietatis officia, pietatem expugnare moliuntur, quantô fervore, ſtudiôque, prævertere laboraverim, & expugnare? Verbum omne, quod minùs caſtigatum, adverſúmque pudori fuerat, velut fœtentem averni ructum, averſabar. Quidquid offenderat honeſtatem; utì verecundiæ, ſic & iracundiæ rubore ſuccenſam, excandeſcere me, pro zelo candoris fecit. Quæcunquè divinæ legi, præceptisque chriſtianis repugnaverant; inſtar mihi damnationis erant, magísque, quàm ipſa dæmonum ſpectra, terrificáque ſupplicia damnatorum, ſemper exhorrui; nunquàm non, ad omnia tormenta ſuſtinenda, potiùs, quàm, ad ullius peccati conſenſũ, inclinatâ voluntate. Erat nimirum in me, de ſententiâ Chryſoſtomi, veraciter: *Innocentia, animæ præſidium, mentis purgatio, morum ſedatio, cogitationum quies, vultûs ſuavitas, oculorum lenitas, amicitiæ dux, charitatis mater, fidei contubernalis, juſtitiæ perfectio, atquè omnis virtutis radix, & omnis bonitatis fundamentum: utpote, quæ inimicitiæ conflationem neſcit, iræ acerbitatem ignorat, improbitatis operationem haud novit: ſed eſt, tanquàm regina, ab omnibus virtutibus ſtipata.* Inde factum; quòd, eô fuerim in ſtatu, parentum conſolatio, moderantium lætitia, virtutis forma, diſciplinæ ſpecimen, exemplar modeſtiæ, ſpeculum verecundiæ, delicium Angelorum, & ſpirans quidam, Paradiſi dulciſſimæ ſuavitatis afflatus: qui non amæniſſimè tantùm homines afficiebat, conſuetudine mecum domeſticâ gaudentes; ſed erat (utì S. Auguſtinus innocuâ de conſcientia pronunciavit) verè mea *mens, Paradiſus; in quâ DEUS ipſe, quaſi in paradiſo voluptatis delectabatur*, tunc ſcilicet: quando meæ fuit animæ, conformis illi, parquè conditio; quam aliquando dilectæ ſuæ ſponſæ, Catharinæ Senenſi ſpectandam, ipſe Servator animarum, Chriſtus objecit, gratiæ ſtolâ veſtitam, ac tantâ, ſuper omnem creatæ cujuscúnque

S. Chryſoſt. in Pſalm. 100. v. 3.

S. Auguſt. de ſpir. & Animâ. cap. 37.

pulchritudinis formam, venustate circumdatam; ut ecstatica, tantúmque non, ob exuberantiam gaudij, viribûs, ac vitâ deficiens, intuitu tam ineffabilis decoris, fassa sit subinde: fieri nequaquàm posse; quin vitam, cum omnibus hujus vitæ delicijs, daturus quilibet esset; cui vel unicam animam, gratiæ divinæ splendoribûs ornatam, intuerî cœlitùs indulgeretur. Quod quidem facilè persuadet Ecclesiastæ Senensis ratiocinatio Theologica. Nam, *Pictor*, ait ille, *atquè Creator animæ, ipsa sapientia est; cujus sapientiæ non est numerus. Mensura pulchritudinem DEI; ad cujus imaginem facta est: mensura & potentiam, quâ potuit; sapientiam, quâ novit;* & *voluntatem, quâ voluit sic eam creare: & intelliges pulchritudinem ejus.*

Surius in Vita S. Cathar. 30. April.

S. Bernard. Senens. de Animæ dignit. Art. 1. cap. 3.

XIII. Talis eram ego! donec Emissarius iste Luciferi, iste incendiarius Inferni, iste, dæmonum conjuratus, turpitudinum negotiator, Veneris conciliator, infestissimus animarum latro, sacrilegus divini thesauri, templíque corporis mei, DEO consecrati spoliator, meam nequiter, per oculos, est aucupatus notitiam; per obsequia, venatus alloquium; per munera, lucratus familiaritatem; per blandimenta, conciliavit propensionem, illexit cupiditatem, irritavit, & irretivit affectus, tandémque meos etiam cœpit, sibíque devinxit amores; mequè sic, miserè, non tam captam, quàm deceptam, ùt amantem, sic amentem, ùt amatam, sic excæcatàm, ùt persuasam, sic infatuatam, calliditatê serpentinâ, malitiâ diabolicâ, fascinationê, quàm vafrâ, tam violentâ, primum in flagitium, illámque turpissimam, & abominabilem sanctissimæ tuæ legis violationem induxit; per quam in æternæ damnationis barathrum, tuâ continuò vindicante justitiâ, dejecta perii, jam æternùm infelix, gratiâ, cœlô, Deô, Tê, summô Bonô, privata! Sed cùm omnia, per hunc innocentiæ meæ latronem, ablata mihi sint; non est, quod ampliùs postulo, vel, desperatîs universîs, porrò spero: nisì, mecum ut sit futurus in pœnîs; per quem in culpam inducta sum. Non permittet justitia tua, quæ summa est: ut hoc in igne, qui nunquàm extinguetur, nequè minuetur, ego permaneam, ac sempiternîs ardoribûs torquear; dum ille, qui mei fuit author interitûs, vivit hilariter, ac deliciîs affluit, gaudétque solatiîs, &, quod me sævissimè pungit, felicitatis adhuc obtinendæ spê (dum pro genio vivit, & vitiis, & flagitiis etiamnum indulget) semetipsum lactat, & oblectat! Hoc enim verò, dum cerno, pœnam aggravat

gravat meam, auget incendium, cumulat miſeriam, exaggerátque, plenam aliunde malorum omnium congeriê, damnationem.

XIV. Non queror injuriam; nec accuſo tuam, ex damnationê, quam patior, divinam Æquitatem! juſtô judiciô damnata ſum! Ego enim (dum contrà Te, Patrem dulciſſimum, inſani mei caloris ferocem impetum ſecuta, Majeſtatem tuam amens, & cæca protrivi) parricidalem atrocitatem Tulliæ longè ſuperavi: quæ, poſtquàm crudeles manus paternô ſanguinê contaminavit, equîs inſuper, ac rotîs inanime ſuper cadaver Patris impiè concitatîs, velut ambitioſi cum triumpho furoris, idem inſuper conculcando, perſecuta fuit. Sed auriga, qui meos in impietatem tam immanem, affectus impulit, &, adeò ſævire truculenter, indomitos fecit, iſte fuit; per quem ſeducta concupiſcentia mea, ſe, quô libuit ipſi, trahi demens, & abripi ſivit. Fuit mea petulantia multùm inhumanior, quàm illa, Epiphaniæ perfrictæ, fanatica vecordia; quâ ſuæmet genitricis funus, pompâ publicâ delatum, ex feneſtra conſpiciens, inauditæ impietatis inſolentiâ, turpiſſimè conſpuit. Sed malèſuadus incentor, qui, tam abòminandam in malitiam, audaciæ meæ ſtimulos addidit, mequè tibi, DEO meo, tam inſultare protervè fecit, iſte fuit; qui tuæ, plùs, quàm paternæ, maternæquè Bonitatis, omnem è mente meâ memoriam profligavit, & in, vecordem adeò, tuæ pietatis contemptum induxit. Ego, jam everſô ſenſu mentis meæ, magis efferata, contrà conditorem, Te, meum, per inſanum concupiſcentiæ furorem deſævii; quàm rebellis, &, ferocior omnî belluâ, Richardus, optimi Parentis violentus interfector. Sed Armiger maledictus, qui lanceam ardori meo ſubminiſtravit, iſte fuit; â quo juventutis meæ calor, partim per illecebras fraudulentas, partim per inſanas perſuaſiones (omnia ſancta reprobum in ſenſum vertentes) illicitas ad cupiditates inflammatus, œſtrô tandem illô correptus exarſit; ut cor tuum ſanctiſſimum, non ampliùs horruerit, auſu ſceleratô, transfigere. Peccavi turpiter! non inficior: ſed iſte, quod nunquam volui, tentator extorſit. Sum lapſa profundè! confiteor: ſed iſte ſuô me impulſu præcipitavit. Rebellis facta ſum, & â te averſa! non abnuo: ſed iſte meum, tibi ſemper devotum, animum depravavit. Combuſſi me, fœdéque denigrata ſum! non repugno: ſed iſte Dæmonis incendiarius naturæ meæ primas in-

Kiſſelius Tom. 2. Nili Myſt. Conc. 19. num. 8.

Marcellinus, Piſe. Tom. 2.

P. Ærodius ex Pompon. Let. Heracl.

ferni flammas injecit; ex quibus dum flagrare cœpi, vix cùm exarsi, simul in rogum ignis inextinguibilis, flammásque sempiternas incidi; quarum ardor, nunquàm frigescit; fumus, nunquàm rarescit; pœna, nunquàm mitescit. O flammas! O ignes! O tormenta! O æternitatem, omnî dolorum, ac suppliciorum horrore, sævitie, cruciatu, totiúsque mali, sinè fine tolerandi, terribilî damnationê cumulatam!

XV. Sed! quî sum ego, per tuam justitiam, perpetuîs jam vinculîs affixa desperatæ miseriarum omnium voragini? Nesciebam; quid esset: concupiscere? nisi, qui me concupivit, imbuisset. Ignorabam; quid Venus? quid Adonis? quid nominis, Cupido? nisi procacitas eadem, quæ me corrupit, hæc infanda monstrâsset. Nihil voluptatis unquàm corde meô conceperam; nisi, qui per insidias primîs incautam occupavit amoribûs, miseram depravâsset. Tuam conscientiam, contrà te, testem hîc appello, maledicte seductor! corruptor! interfector animæ meæ! Nunquid â primis officijs (meorum affectuum irritamentîs) quibûs meos amores irretivisti, & irretitos non ampliùs, proh! dimisisti, divinîs me totam ab obsequiîs, & omnibûs antiquæ pietatis officiîs avertisti, distraxisti, penitùs abstraxisti? Orantem, ingestîs facetiîs, piam esse non permisisti? Severiorem apud judicem, exomologesî constitutâ, conscientiam expiare, nè tibi surriperer, nonnè tu prohibuisti? Panem angelorum, receptô pro more, crebriùs, ad animæ robur, devotè sumere, perversissimîs rationibûs, nè tuus in me tepesceret amor, nonnè tu dissuasisti? Sacros Oratores, cum horrore peccati, zelosô ardore DEI timorem ingerentes, nè adirem, audirémque, nonnè tu obstitisti? Risisti; dum saniora, sanctáque tuis absurdis opponebam axiomatis. Explosisti; cùm de verecundiâ, modestiâ, virgineæquè felicitatis prærogativâ, vel, de quâvis aliâ, christianæ virtutis excellentiâ, vel nomen duntaxat ingeri, cum avitæ meæ, piæ, sanctæquè propensionis indiciô percepisti? Cur meas totiès ædes, etiam invitâ mê, comptus, nitidus, &, ad illicium omne, de Veneris disciplinâ formatus, adiîsti? Cur seram in noctem, infestásque pudori tenebras, meæ tam infestus, quàm otiosus, formæ speculator, â latere meo, contumeliîs etiam, & opprobriîs objurgatus, nunquàm tamen abigi potuisti? Cur, tam blandîs, mollibûs, & illecebrosîs verbîs, pudorem, ac vere-

verecundiam expugnare meam, tam impudenter, quàm insolenter, sæpiùs etiam, non fictè, castigatus, non destitisti? Nonnè tu pœnarum istarum, quibûs nunc, heu! desperatâ remissionê torqueor, horrenda, sacráque vaticinia, fanaticas tantùm, nè timerem, Cucullatorum impostoras esse dixisti? Nonnè divini terrores judicii, sacris de suggestibus ingestos, ùt vana, leviter credulorum terriculamenta, nè percellerer ego, despexisti? Nonnè, momentanea vitæ mortalis pericula, subitanea peccatorum supplicia, profundum divinæ sustinentiæ, peccatoribus conniventis arcanum, & dubia, incerta, periculosáque, cùm pœnitentiæ peragendæ, tum indulgentiæ percipiendæ, decreta temporum spatia, tu, tanquàm affanias, tetricáque claustralis rigoris, fatuè scrupulosi, somnia exsibilâsti, securitate gratiæ divinæ (quâcúnque libuerit opportunitate) sacris etiam scripturarum divinarum Oraculîs, reprobum in sensum depravatîs, tam iniquè, quàm temerariè pœnitentiæ meæ promissâ? Cur autem hæc tantâ tuâ malitiâ (crudelissime parricida animæ meæ!) &, quâ mentê, quô consiliô, quâ intentionê, quô finê, sunt â te cuncta, tam perversè concepta, tam sceleratè tentata, tam diabolicè perpetrata? nisi; ut me flagitiosæ tuæ concupiscentiæ pelliceres in favorem? induceres in consensum? pertraheres in consortium? involveres in piaculum? &, jam non emersuram ampliùs, immergeres in Infernum?

XVI. Et iste tamen erit adhuc particeps vitæ, & compos veniæ? nequè continuò spê salutis omnî privatus, mecúmque, jam, ex hôc momentô damnatus? Qui damnationis illius author est; quæ me tenet, Angelorum omnium, ac beatorum, perpetuâ societatê proscriptam: O triste, dirum, exsors omnis consolationis exilium! quæ me torquet, omnî jure cœlestis hæreditatis, per Christi sanguinem assertæ, destitutam: O lamentabilem ineffabilis jacturæ miseriam! quæ me cæcat, luminê vultûs tui, cujus unicô satiantur omnium beatorum vota conspectu, privatam: O lugubres, æternæ noctis tenebras! quæ me cruciat, omnî solatiô, sperandæ, vel ad momentum, pœnæ remissioris orbatam: O acerbam, &, omnî sæviorem totius inferni tormentô, desperationem! Qui verò tantîs meis deliciîs, tantîs divitiîs, tantâ felicitate privavit, & ità miserrimam æternùm fecit: quô jure vitam, & misericordiam, & gratiam adhuc ei tua suprema, sanctáque

ctáque juſtitia, O DEUS! indulgebit? Incendiariis doloſis rogi ſupplicium legê decretum eſt, & inevitabile quidem; *licèt damnum datum reſarcire velint*: cùm alienas petulanter ædes incenderint. Si quis furtivè proximũ ſpoliaverit, alieni, quôcunquè modô, theſauri prædo, furcâ, reſtîque damnatur. Truculentâ necê quisquis hominem interemiſſe convincitur, membrorum omnium terribilî confractionê contritus, inſuper implexus rotæ, miſeram expirare, tantùm non deſperatè cogitur animam. Qui templum Domini, manibûs humanîs exſtructum, &, externâ ſolùm cæremoniarum ſanctitate, divinis obſequiis conſecratum, ſacrilegâ temeritate profanare, violare, diruere, vel injectîs etiam incendere flammîs attentaverit, extremas meritò tractus in pœnas, ultrices habebit, ac ſentiet flammas, quas intulit. Quid autem in mê, niſi templum DEI, per ſuam in mê gratiam habitantis, violatum, devaſtatum, &, venereîs incendiîs, in abominabile buſtum redactum eſt? Quis illud in deſolationem adeò fœdam, ſacrilegámque redegit? Ego tua fueram, per gratiam filia, per electionem ſoror, per pietatem ſponſa. Quis verò, latronum omnium crudelitate ſævior, vitam adeò pretioſam, & irreparabilem, ictu quidem unô, ſed, cùm vulnere, tum internecionê triplicî ſuſtulit? Quantô dives theſaurô fueram, cùm innocentiâ gaudebam; *quæ omnium bonorum fons, & origo*, totum poſſidet, ex quo, per quem, &, in quo ſunt omnia, Deum? Quis verò, barbarorum omnium rapaciſſimô furore truculentior, adeò deprædatus eſt animam meam; ut, quidquid annîs plurimîs per commercium gratiæ, cumulo meritorum adjectum, divitias meas in immenſum adauxerat, unicâ rapuerit infeſtationê furtivâ?

XVII. Et ego, tantîs privata divitiîs, tantîs hæreditatis æternæ prærogativîs orbata, tam crudelî funere interemta, tam impiô incendiô turpiſſimum in buſtum redacta, non clamem, non exigam, non extorqueam juſtam vindictam, de prædone, de hoſte, de corruptore, de parricidâ meô ſacrilegô, immanî, atrociſſimô? Sanguis Abel clamavit in cœlum, adversùs fratrem crudelem: fuſiqúe cruoris innocui vox exaudita, continuò vindicem excitavit juſtitiam, in petitam ultionem, latâmque ſententiam: *Maledictus eris ſuper terram; quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui!* quamvis corporê ſolô, non autem animâ pariter interfectus, ille perierit innocens; ùt ego. Sanguis Uriæ, per nequiſſimam

Ex Ordin: Crim. Carolin: Ziegler. Jus Can. P. 962.

S. Chryſoſt. Homil. 39. ſuper Matth.

2. Corinth. 3. v. 16.

Geneſ. 4. v. 11.

mam ſævitiem primis hoſtium telis objectus, clamavit incuſatione terribili contrà Regis adulteri ſævam nequitiam: atquè â tuo ſanctiſſimo tribunali ſententiam juſtam, & ultionis perpetuæ
2. Reg. 12. v. 10. diſtrictum gladium extorſit; qui Davidé ipſum, niſi maturè pœnituiſſet, juſtô judiciô ſuſtuliſſet: etſi juſtus Urias, cum vitâ ſuâ, ſpoliatus quidem conjuge, non autem æternâ pariter felicitate deſtitutus fuerit. Temporaneæ tantùm vitæ, fortunæ, gloriæquè Jeſſæi victoris, inſidiator invidus erat Saul, voluntate duntaxat, hoſtilîque conatu, ſed non, ejuſdem etiam cruore pollutus occiſor: Innocentis tamen Davidis injuria, grandî você, nubes perrupit; & ab Æquitate tuâ diviná totam, æmuli tam infeſti, regnô, vitâ, ipsâque, per deſperationem, animâ deſtituti, perditionem exe-
1. Reg. 31. v. 4. git. Ambitionê crudelis Herodes, per ſatellites, impietati ſuæ tam pares, quàm obtemperantes, puerorum Hebræorum ſanguinem, atrociſſimô quidem Bethleemiticæ ſtirpis excidiô, totum, inauditâ perſecutionê deſæviens, exhauſit: &, licèt omnes illos flores Martyrum, Paradiſi fecerit æternæ transplantationis participes, clamantes tamen *animæ interfectorum voce magnâ*: *uſquequô Domine* (*ſanctus, & verus*) *non judicas, & non vindicas*
Apocal. 6. v. 10.

ſanguinem noſtrum? vindicem ictū è cœlo percutientis Angeli ſceleſtum ſuper caput accivêre, vermésque rodentes; quibûs, putreſcens ejus corpus, exeſum periit; infelix autem ſpiritus, etiamnum corroſus, morſibûs nunquàm emoriturîs torque-
Actor. 12. v. 24. tur. Si, dum vixit, infeſtatio-
Iſaiæ. 66. v. 24. nê perpetuâ, quôcunquè ſe verterat, non cernere ſolùm, puerum, cui barbarâ crudelitate vitam innocentem ademerat, inhumanus latro, ſed diê, noctêque, jugiter etiam audire coactus eſt objurgantem: *Cur me oc-*
Moſchus in Prat. ſpirit. cap. 166. *cidiſti?* donec ipſe, meritas pro ſcelere pœnas, vindicis juſtitiæ gladiô, ſublatus accepit? Imò, ſi placidiſſimum etiam delatus in
Lucæ. 16. v. 24. Abrahæ ſinum, qui deſertus tantùm, in famê, lethiferâque neceſſitate fuerat, Lazarus, ad Inferni tamen profunda, divitem, & immitem Epulonem, vix cùm ſuo de corpore migravit, poſt ſe continuò dejectum vidit, indequè, ſuis ex tormentis, ejulatu terribilî clamantem percepit? Si demùm, ipſius Servatoris pietas, ùtùt humanîs incluſa viſceribûs, & æterna ſupplicia miſerans, judicium tamen inevitabilî ſeveritate decretum promulgavit; quô *Maledicti* pro-
Matth. 25. v. 41. & ſeqq. ſcribuntur *in ignem æternum*, Diabolo paratum, & Angelis ejus; qui, minimis in fratribus, Eidem, nec eſurienti cibum, nec ſitienti

ti potum, nec hoſpiti diverſorium, nec operimentum nudo, nequè ſolatium, aut viſitationem infirmo, captivóque, pro chriſtianæ charitatis officiô præbuerunt? Non poterit ab his, quas patior, flammîs, ab hac ſitî, famê, nuditate, calamitate, deſperatâque jam captivitate meâ, per ullũ favoré vindicari; qui meâ animam, divinæ gratiæ vitâ, ipſôque DEI Spiritu extinctô, privatam, in famem, *abſynthiô cibandam*; in ſitim, *aquâ fellis potandam*; in carcerem deniquè, vectibûs ferreîs æternitatis, nullâ mobilitate mutabilis concluſum, & obfirmatum præcipitavit. Et hic tamen adhuc auram trahit; nec venenum attrahit? adhuc terram pedibûs calcat; nec ab ea ſorbetur? adhuc lucem intuetur; nec in tenebras extremas abjicitur? adhuc cœli, ſiderûmque potitur influxibûs; nec fulmine quàm primùm eliſus, & accenſus, ardet mecum, & abſumitur jam ab igne devorante? Cum Auxentio cœlum, terrámque, teſtes poſtulo: *Non eſt par peccatum: tunicam frangere; & purpuram: Imperatoris imaginem rumpere; & privati.* DEI *enim imagines ſunt Virgines*, &, expertes criminis animæ. *In has audere aliquid admittere, eſt facinus tyrannicæ dementiæ.* Non vindicabit juſtitia tua, quod per humanam æquitatem ſeveriſſimè plectitur?

1. Theſſal. 5. v. 19. Jerem. 24. v. 15. Jerem. 9. v. 15.

Bolland. cap. 10. in vit. S. Auxentij.

XVIII. Jam eſt ab Apoſtolo lata ſententia: *ſi quis templum DEI violaverit, diſperdet illum DEUS: Templum enim DEI ſanctum eſt; quod eſtis vos.* Violavit iſte: pereat igitur! Jam â Theologo Diſcipulo manifeſtatum judicium eſt: *Quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.* Occidit iſte me, crudeliſſimus homicida: parî mecum igitur, mortê moriatur; quæ nunquàm emorietur! Promulgata per Zachariam eſt Indictio tui divini tribunalis: *Omnis fur judicabitur*; præſertim verò, *qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum*: nam, adverſûs hunc, Hebræorum ille legislator poteſtate tuâ ſanxit: *convictus noxæ mortê moriatur.* Iſte verò prædo meam innocentiam, tuam gratiam, omnia mea merita, totum Servatoris, pro me ſolutum, pretium, cœlum, Téque mihi, ſummum, & omne bonum, & me tibi, furtivè ſubtraxit, rapuit, ac turpiſſimè Diabolo, pro momentaneâ vendidit voluptate: judicetur igitur, & condemnetur! Servator ipſe ſic ſtatuit: *qui dixerit fratri ſuo: Fatue! reus erit gehennæ.* Iſte verò me, non ſolô fatuam nominê, ſed, ſcelere fecit; cùm me per ſuos inſanos amores inſatuavit: Jam ergo, profundioris etiam, reus eſt gehennæ! Si *Detractores, DEO odibiles, & contumelioſi, & inventores ma-*

1. Corinth. 3. v. 17. & 18.

1. Joann. 3. v. 15.

Apocal. 20. v. 14.

Zachar. 5. v. 3.

Exod. 21. v. 16.

Matth. 5. v. 22.

Roman. 1. v. 30. & 32.

malorum digni ſunt morte? Quid urgebo? quid poſtulabo? quid exigam porrò, contrà detractorem hunc, &, Albi mei, candoríſque, ſemper innocui, corruptorem pernicioſiſſimum; per quem Angelis & hominibus abominabilis facta ſum: contumeliæ charactere, nunquàm ampliùs, etiam perpetuâ flammarum exuſtionê, liberanda?

XIX. O DEUS juſte! *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis!* *Dextera tua inveniat omnes, qui te odérunt!* Quî videre poteris: me, propter unicum, ad quod inducta ſum, peccatum, ardere jam in igne; qui nullis piorum, oblatîs pro me, ſuffragiis extingui poteſt? dum ille, qui meum â te cor avertit, & innocentiam corrupit, aliîs inſuper ſceleribûs, graviorem indiès, adhuc exaggerat reatum ſuum; & extrà pœnam eſt! Quî tolerare valebis: me, pro unicâ voluptate, jam ſulphure, picêque, de calice iræ tuæ potari? dum ille, qui mellitô me venenô deceptam interêmit, quotidianîs adhuc ſaginatur deliciîs hilaris vitæ, torrentê forſan etiam æternæ voluptatis inſuper potandus! Qui ſuſtinebit æquitas tua: me, pedibûs, manibûsque conſtrictam, implacabili flammarum tormento, ſinê ſpe leviſſimæ mitigationis, affixam, pro momentô; quô ſum inſtabilis facta? dum ille, qui me pervertit, neçdum converſus, ipſâ, quâ gaudet, impunitate, ſuam alit, & auget impœnitentiam, per inſolentiam! Ergo mihi, nulla; illi, ampla ſpes? mihi, cœlum occluſum; illi, patens, & pervium? ego, dæmones inter, æternùm hærebo? ille beatorum ſocietatê fruetur? Juſtiſſime DEUS! nonnè tuô numine, inter homines, *cauſæ, & cauſati, idem eſt judicium?* *L. quò minùs 2. ff. de flumin.*

Pſalm. 20. v. 9.

XX. Quis, perceptâ tam horrendâ criminationê, reatûs inſimulati conſcius, non ſpiritu propè jam exanimatus, de ſuâ quoquè conclamatum, actum, judicatúmque ſalute, deſperatô omnî auxiliô, cogitavit? Abſit! animô tam dejectô, proſtratô, & infidelî, quemquam veſtrûm inveniri. Nemo perditam ſuam, etſi afflictiſſimam, cauſam deſpondeat. Illud imbecillo ſuggerite, ne deficiat, animo veſtro, converſo ad illuſum albâ veſte Servatorem: *Niſi, quia Dominus adjuvit me, paulô minùs habitâſſet in Inferno anima mea. Dominus hæreditatem ſuam non derelinquet: quoadusquè juſtitia vertatur in judicium.* Grande piaculum! æternùm perdidiſſe, vel unicam animam! ſed; quot publico ludens in theatro Geneſius, per jocum, turpésque ſcenas incendit, incenſásque Diabolo tradidit? veniam tamen, & gloriam inſuper, eſt conſecutus æternam? Nonne *Pſalm. 93. v. 17. & v. 15.* *Martyrol. Rom. 25. Aug.*

Nadaſi. in Annô cœl. 28. Januarij.

Jacobus anachoreta, &, peccator fuit idem enormis, &, pœnitens admirandus: qui, quam violavit, innocentiam, ſimul & vitâ privavit, animæ pariter, & corporis, homicida crudelis? Quônam adjutore terribili judicio ſubtracta fuit, quæ laqueus innocuæ fuerat Jeroſolymæ, Magdalena? Nimirum, quod, quàm ſuâ de ſalute gaudens, tam ſuâ de perverſitate compunctus, faſſus eſt pœnitens Auguſtinus; hoc & experti ſunt, cum eodem, plures, alienæ ſalutis, &, cum hâc, divini Albi corruptores, in maleficorum omnium efficaciſſimo Advocato, Chriſto JESU.

S. Auguſt. in ſoliloq. cap. 18. *Ego te offendebam: & tu me defendebas!* Nôſſe vultis: quæ pro Cauſa veſtra fuerit ejus allegatio, tam potens, tam efficax ad veniam, & indulgentiam obtinendam? Albam ejus veſtem, cum qua, ſententiam ab Herode mortis accepit, &, ad Pilati judicium reverſus, attulit, inſpicite. Quid in hoc DEI albo legitis? *Converſ. 33. v. 11. 12.* *timini! convertimini, â viis veſtris peſſimis! Impietas impii non nocebit ei; in quâcunquè diê converſus fuerit ab impietate ſuâ. Nolo mortem impii: ſed, ut convertatur â via ſua, & vivat!* Ite ergo, & ex hoc, quid ſit agendum, concludite! ſed, nisi, clauſô ſuper vos oſtiô, rationem de vobîs, quàm ſeriò, tam ſeverè, rigidiſſimam exegeritis, iniquâ de vî, nequiſſimâ de fraudê, perniciosîs de blandimentîs, & captiosîs illecebrîs; quibûs innocentia corrupta, ſuô non tantùm, per vos, albô decore ſpoliata, ſed illatîs prætereà damnîs innumerîs, etiam ſtolâ gloriæ cœleſtis albâ privata fuit: ità, ut ſubinde vires omnes in id intendere, conſtringeréque concluſeritis; quô Servatori, pro damnîs Albi corrupti, veſtrô de rubore ſatisfiat; in cæteris verò, qui veſtræ ſunt curæ, tutelæquè commiſſi, candor, integritas, & innocentia propugnata, ab omnî perſecutionê, læſionê, atque corruptionê, ſervetur indemnis: nihil eſt adhuc pro veſtrâ ſalute, ſicut, nihil pro ſeriâ, ſyncerâque veſtrâ converſionê, concluſum.

FERIA

F E R I A VI.

POST DOMINICAM II. QUADRAGESIMÆ.

SERMO DECIMUS TERTIUS.

Proponitur, clauſô Forô II. Juſtitiæ Divinæ, ſeu, Tribunalibûs iniquîs Jeroſolymæ,

JUSTITIUM SECUNDUM.

In quo, Patronus Maleficorum, ipſe vocatus in Crimen,
Et, ad mortem iniquiſſimè poſtulatus,
Prævalente, adversùs Ejus innocentiam, vulgi clamore,
Deſtitutus omnî patrociniô Defenſionis,
Et ipſe, tam pro Cauſa ſua, quàm, in Damnationê ſui ſilens,
Juſſu Pietatis compatientis,
Ex officio, defenditur ab Eccleſiaſte Delegatô.

Commemoratio II. Dolorum omnium Summaria;

Quos, in Tribunalibus iniquis Jeroſolymæ,
Sed, vel maximè, præoptatô in eliberationem Barabbâ,
Iniquiſſimè poſtulatus ad mortem, in Prætorio,
Advocatus Peccatorum omnium, mirabilî ſilentiô toleravit.

Teſſera. Exclamavit autem ſimul univerſa turba, dicens: Tolle hunc! & , dimitte nobis Barabbam. *Lucæ 23. v. 18.*

I. QUòd diebûs præterlapsîs, auditor magis eſſe delegerim; quàm, Actor, ſeu, criminum, & maleficorum accuſator; hâc provinciâ, cauſarum, pro divino tribunali, cum ipſis reis, non ſolùm accuſandarum, ſed, ad juſta quoquè ſupplicia poſtulandarum, aliorum partim Zelo, partim etiam ultioni permiſsâ, duplicî rationê perſuaſus decrevi. Primò quidem id, ex eo placuit; ut odium, quod criminoſarũ Actionũ ſolet eſſe plerunquè ſtipendium, cum, eidem juncto, Boni majoris impedimento, cautus effugerem: cùm ea ſit vitii, per invaleſcentes jam vires malignantis, conditio;

quâ rationis inopes ægri laborant, bis miſeri: tum ex morbo, cui remedium adhiberi medicus parat; tum ex furore, quô medicæ manûs auxilium inſanè, cum ſua ſimul ſalute perſequuntur, & excludunt. In multis enim (quod, expertus ipſe, Doctor aureus faſſus eſt) peccatoribus, *& peccatis, id efficiunt reprehenſiones; quod in vulneribus remedia: idcircò, ſicut inſipiens eſt, qui pharmaca rejicit; ità & ſtultus eſt, qui non recipit*, ſed, odit inſuper, & malignô dente ſalubres perſequitur *reprehenſiones.* Novî quidé Theolgicâ adhortationem Angelici Thomæ; quòd, *ſi ad odium provocetur, ex quo deberet ad dilectionem incitari, non eſt curandum; præcipuè, quando peccatum in damnum aliorum vergit*: tum enim, eô judicê, *prætermittitur fraterna correctio cum peccato mortali: quando quis probabiliter ſperat*, utì locutus eſt ad ſuos Senenſes D. Bernardinus, *& credit: quòd poſſet fratrem ſuum detrahere á peccato, & hoc omittit; quia timet judicium vulgi*; vel, quodvis aliud incommodum grave. Verùm, ab hac cenſura multùm abeſt mea, vitiorum objurgandorum, ſtudioſa prætermiſſio; quâ, licèt nihil criminatus ipſe fuiſſe videar, nequè divino pro tribunali, partes aliquas Actoris, in delatis, objurgatísque maleficîs habuiſſe: ne phreneticam in me rabiem, pro ſalute peccatorum, tam optatâ, quàm intentâ, concitarem: eorum tamen nequicquam diſſimulatum, in hac ipsâ declinatione, per alios Actores, â me delegatos, fuit; quæ, cùm perſtringendis, damnandísque ſceleribus opportuna fuerunt, ac neceſſaria; tum ſecuriùs, & forſan etiam efficaciùs, eorum prolata ſunt nominê, zelôque, pro perſonarum varietate diversô; qui, nec humanæ ſubſunt ampliùs cenſuræ; nec quidquam funeſtum, aut, ſuis infeſtum progreſſibus, tam in propriâ perſonâ, quàm, in munerum ſuorum prærogativâ pati poſſunt. Quô quidem ingeniô, non ſolùm Divi Gregorii liberum â culpa me feci: *quá, qui emendare poteſt, & negligit, participem ſe procul dubiô delicti conſtituit*; ſed, illud etiam arbitror adimpletum â me fuiſſe; quod in Felice Præſide Tertullus Orator optavit: *Multa corriganter per tuam providentiam.* Ipſe quippè ſanctus Doctor-Papa monuit: *Magnâ prædicationis arte agendum eſt: ut, qui ex apertâ correptionê deteriores fiunt, quôdam temperamentô correptionis ad ſalutem redeant.*

II. Placuit autem, ex aliô etiam capitê, hôc uti conſiliô; maleficorum objurgationes, ad apertum DEI tribunal, auditore Mundô universô, non ex meo, ſed aliorum ſermone, ſtylô, zelôque deferendi: ſic enim actũ â diſertiſſimo Græciæ totius Oratore

S. Chryſoſt. Homil. 9. de ferend. reprehenſ. Tom. 3.

S. Thom. in 4. Diſt. 19. Quæſt. 1. ad 5.

S. Bernard. Senenſ. T. 2. Serm. 28. Art. 1. c. 3.

S. Gregor. in Regiſtr. l. 9. Indict. 4. Epiſt. 64.

Actor. 24. v. 2.

S. Gregor. Lib. 13. Moral. c. 51.

tore deprehendi. Quamvis huic in proverbiis fuerit: *Ad argumentum magnô pectore indiget Orator*; ut, ſcilicèt, pro communi ſalute conſtitutus, nullô terrore ſe patiatur, vel â perſtringendîs abſterreri flagitiis, vel â veritatis prohiberi tutelâ; magnificîs tamen laudibûs idem eſt â Plutarcho commendatus: quòd facinoroſum, & univerſæ Reipublicæ proclamatum adverſarium, in judicio reum agere, criminisque capitalis convictum damnare, conſtanter obnixus recuſaverit. Cùm verò, populi conclamantis, importuna poſtulatio non deſiſteret urgere: nè tam proficuum obſequium publicæ ſaluti detrectaret impendere; tandem è ſuâ ſedê conſurgens, ab officio, tam difficilis, & ſibi ſemper ingrati ſermonis, hiſcè ſe verbîs excuſavit: *Vos me, viri Athenienſes, fidiſſimum omnî tempore conſultorem habebitis, etiam inviti: accuſatorem verò, etiam nocentium, ac reorum, nunquàm: &, nè quidem, ſi vî agatis.* Habet in hôc, Oratoris magni, magnæ mentis decretô, Charitas veſtra cauſam alteram fixi propoſiti mei; quô, criminationes omnes, graviſſimarum etiam noxarum, atquè reatuum, in eorum æquè, atquè reorum condemnationem, declinare conſtitui; vel eâ maximè conſiderationê deterritus: quòd, & coràm Deô judice ſtet cauſa; &, non excuſanda, per humanæ conditionis infirmitatem; ſed, exaggeranda, damnandâque ſint, accuſatîs cum peccatoribus, crimina. Ab hôc enim, non ſolùm paterna Divi Bernardi monitio me revocat, retinétque, ſuadens: *Magis excuſa, nunquàm autem accuſa: ubi periculum ei, contrà quem agitur, poſſit creari. Hoc enim lex naturæ unicuiquè dictat*: ſed fortiùs ligat, vetátque loqui, ſacris pro roſtris, quàm facundus, tàm fervens, utrôque verè aureus, Orator eloquiô: *Accuſare alium non debet*, inquit ille, *qui ipſemet eſt accuſandus.* Cujus, cùm non ego tantùm, ſed, nemo ſit expers viventium; ſuccenſere jam nullus mihi poterit: quòd Actiones, quibûs hôc tempore damnabiles convincuntur malefici peccatores, æternîsque redarguuntur digni ſuppliciîs, ad eos potiſſimùm devolvere contenderim; qui nulli jam ampliùs obnoxii judicio, vel, ſuîs jam ſunt pro culpîs damnati; vel, abſoluti vinculîs, in gloriæ divinæ conſortium evocati.

III. Aliud autem hodiè conſilium; alia, quàm hâctenùs, mihi mens eſt: cùm, & alia ſit cauſa; nequè tribunal, ac reus idem; ſed ea viciſſitudo rerum occurrat; in quâ, tacere, non tam religio, quàm piaculum foret: utì Cato quondâ, de pertinacî taciturnitate rogatus, opportunè,

Demoſthen. cit. à Manſi. Tom. 1. Bibliotb. Tract. 18. Diſc. 3. num. 7.

Bruſon. Lib. 1. cap. 16.

Plutarch. In Apophthegmat.

S. Bernardus. Libr. de grad. humil.

S. Chryſoſtom. homil. 52. in Matth. oper. imperfect.

Plutarch. in Apophthegm.

nè, cautiſſiméque repoſuit: *Tum demùm hoc meum abrumpam ſilentium: cùm ea loqui potero; quæ ſilentiô non debent involvi.* Quid enim ſilentiô minùs involvendum? aut, ut involvatur, ſuſtinendum? aut, ut maneat involutum, ferendum eſt? quàm, innocentia, calumniîs oppreſſa; quàm, Veritas, *Rom. 1. v. 18.* in injuſtitiâ detenta; quàm, juſtitia, per ſummam iniquitatem damnata? Nec eſt animo meo poſſibilis hæc, violentia magìs, quàm continentiæ moderatio; quæ verbîs, & argumentîs accumulatîs abundantem orationem, &, bullientem quaſi, contentionem loquendi, ſinè cordis dirumpendi metu, quod effundi geſtit, ederéque concepta, ſupprimat, ſuppreſſámque coarctet, atquè conſtringat. Illud enim crimen, ex neglectîs, innocentiæ, veritatis, juſtitiæquè, per injuriam oppreſſæ, vindiciîs, admiſsâque taciturnitate contrahitur; quod Origenes, incuſando, vocavit in pœnam: *peccatum, quod criminis patrator admiſit, ille, qui celat, ipſe ſuſcipit: &, pœna commiſſi revertitur in conſcium delicti; qui Veritatem perfidè occultat.* Non poſſum igitur, ùtùt hucuſquè ſilens, porrò tacere: quia non poteſt, ſinè reatu, deſtitui debitâ ſublevationê, quam, fremitu prævalente, vis adverſa proſtravit, Innocentia. Debeo loqui: *quia tacitur-*

Origenes. homil. 5. in Levit.

Canon. quis-

nitas mala eſt, & criminoſa, *in defenſionê Veritatis.* Non eſt mei jam ampliùs arbitrii, deliberatio Actionis: dum, qui miſer eſt, & omnî patrocinîô deſtitutus, &, vitâ non minùs, quàm famâ, per iniquiſſimas, falſas, violentérque congeſtas criminationes periclitatur, juvari debet: neque poteſt, ſinè mentis obduratæ, totiúsque protritæ pietatis, manifeſtô crimine, non defenſus, non adjutus, non ab interitu pro viribûs vindicatus, in contemtum æquitatis, in triumphum impietatis, in plauſum invidiæ derelinqui. Peregrinus adeò non ſum utriúsque, tam humani, quàm divini juris; ut ignorem illud, apud Gaillium, ſacrum æquitatis decretum: *Graviter peccat Advocatus; qui pauperi patrocinium ſuum denegat.* Novî, legum ſeveritate ſanctâ ſancitum: *ſi quis, monitus â Judice, eâ excuſationê, quæ nequeat comprobari, cuicunquè parti patrocinium denegaverit, careat forô*; munerê ſcilicèt, & omnî deinceps loquendi, causásque tractandi, cùm authoritate, tum facultate privatus. Et, quamvìs ad Actionem, animô jam conceptam, decretámque, nulla me judicis externi poteſtas, vel poſtulet invitum, vel compellat repugnantem, ſufficiens eſt mihi ſtimulus, eandem ultrò ſuſcipiendi, proſequendíque, Judex ille

quis. Can. nolite 11. quæſt. 3.

Gaillius. 1. obſer. 43. n. 10. & ſeqq.

Ayrer. Tract. de peccatis Advocat.

L. nec quicquam. 9. §. Advocat. ff. de offic. Proconſ. & leg. &c.

ſu-

ſupremus; qui motibûs internîs animum pulſat, conſcientiam urget, & imperat, obligátque, cauſam extremæ neceſſitatis, per ignavum, aut meticuloſum ſilentium, non deſtituere; nequè permittere, faucibûs adverſæ poteſtatis, in quibûs jam hæret, penitùs abſorbendam. Accedit, ex Delegatione chriſtianæ Pietatis, omnî judicis poſtulationê, vel poteſtate, major apud me, quia, *ſacrá juſſionê*, facta vis. Hujus enim nomine, dum communis eſt omnium, ergà Servatorem ſuum, invidioſiſſimè delatum, injurioſiſſimè judicatum, iniquiſſimè condemnatum, devota compaſſio, commiſſa mihi cauſa, delegatúmque munus eſt Advocati, pro maleficorum omnium Advocato, redactô jam ad extremam injuriam, &, pro ſuæ ſanctitatis integerrimâ cauſâ, nequè verbum allegantê, ſed, mirabiliter tacentê, quantâ poſſum, animi, pariter compatientis, contentionê loquendi.

V. Cantuncul: c. 2 de Offic. jud. lib. 2. Pratejus. V. Delegatus in fine.

IV. Quis verò non omnem dicendi facultatem excitet; impendátque totam facundiam, in hoc officium, verba, pro tacente Verbô, faciendi; de quo fons omnis eloquii, cum ſui vigoris, & efficaciæ felicitate promanat? cùm, non jam coràm divino tribunalî perſtringendus, atquè damnandus objicitur homo maleficus; ſed, Filius hominis, DEUS-homo, coràm tribunali perverſæ juſtitiæ, vindicandus ab immanî, crudelíque calumniâ, & iniquiſſimâ, cùm repudiationê, tum condemnationê, ſtat reus innocens, prævalentibûs populi, majorum invidâ ſuggeſtionê præſtricti, furoribûs, atquè clamoribûs, tantùm non jam crucifixus. Quid enim hoc inauditæ perverſitatis? & (ùt verbô Chryſoſtomi notô loquar, in cauſâ ſimilî) *quis hoc Diabolicum monſtrum non obſtupeſcat?* *S. Chryſoſt. aliàs citat.* *Exclamavit ſimul univerſa turba, dicens: Tolle hunc! &, dimitte nobis Barabbam!* Omnes, unô velut ore, morte volunt ſublatum; â quo ſubtractus morti Lazarus, & viduæ filius, cum Jairi filiâ fuerant: &, nè Præſidis favor, per diſſidium ſententiarum, indulgeret, quod Principum diſpliceret invidiæ, communis omnium, & univerſæ ſimul, unanimis eſt obtenſa poſtulatio turbæ: Barabbam ut peterent, vivum; JEſum verò, poſtularent occidi. Qualis iſta conſpiratio Principum? quanta malignitas obſtinatæ, conjuratæquè, Præſidem ad expugnandum, popularis, per majores efferatæ, ferociæ? Quàm ex vero locutus, cum Tullio, Plato pronunciavit: *Populus ingratus, eſt, leviter alicujus rei ſatur, mutabilis, crudelis, invidus.* * *Nullum fretum, nullus Euripus, tot motus,*

Luc. 23. v. 18.

Matth. 27. v. 20.

Plato in Axiocho.

* *Cicero, pro Muræna.*

santas, tam varias habet agitationes fluctuum; quantas perturbationes, & quantos æstus habet populi sensus. *Nox interposita sæpè perturbat omnia; &, totam opinionem, parva nonnunquàm commutat aura rumoris.* Ità prorsus judæi, quem paucîs antè diebûs cernui, substratîs etiam, advenienti, vestimentîs, unanimî jubilô, tanquàm Domini Benedictum adoraverant; illum ipsum, per impios Pontifices, in contrarium concitati jam sensum, unô simul impetu (prout gemens D. Leo Pontifex insimulavit) *offerebant JEsum judici, clamoribûs, non rationibûs prædamnatum: ut, inter tot præjudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus absolvere.*

S. Leo serm. 8. de Passione Dom.

V. Itanè? jam occupatus, jam inclinatus, & â sua conscientia distortus, planéque fractus est, Romani Prætoris animus? Quid audio? Barabbas præoptatus, dimittetur populari favori, carcere liber, & absolutus â morte? JESUS meus, universo desertus â populo, damnabitur populi votô, dabiturque plebejo furori, ducendus ad mortem? Et hoc, per judicium, violentiâ popularî depravatum, intortum, præcipitatum? Hoc, ad instantiam plebis; quæ jam frontem perfricuit, &, per Pharisaicam impietatem, in rabiem acta, caligans, nullam ampliùs virtutis, ac divinitatis, in Christo priùs adoratæ, speciem, venenô jam, cum animis, oculos confundente, dignoscit? Ergo conclamantibûs universîs pro sententiâ, tam iniquâ (dum nullus adest Causidicus, qui partes innocentiæ sustineat; qui pro veritatis integritate loquatur; qui causam virtutis, innumera per miracula manifestatam, notámque tueatur; qui generis humani Servatorem, & omnium criminosorum eloquentissimum Advocatum, in suâ tacentem causâ, vindicet ab insania populi, ab iniquitate judicii, â pravitate sententiæ, ab infamia turpissimæ mortis) èritne Pietati christianæ, justitiæ zelo, virtutis, & innocentiæ amori possibile, continere linguam; nec absterrere Præsidem, â consensu ferociæ popularis; nec avertere populum, ab audiendis ultrô suggestionibûs malitiæ sacerdotalis? Heus tu! Pilate! linguam contine! calamum retine! mentem compone! suspende judicium! cave, sententiam accomodare populi fluctibus, & concedere tempestati vela: nè, præcipitatô, per impetum, judicii decretô, præceps abeas; unde non es reversurus, æternùm! Da muneri tuo, da innocentiæ, da conscientiæ tuæ; quod juramenti fides, quod agnitio Causæ, quod æquitas, &, nè tota gens pe-

Joann. 11. v. 50.

pereat, per innocentis necem, rei quoque publicæ commissa. tibi salus, & incolumitas exigit. Nè cede furori; nisì velis excidere munerê, vitâ, perpetuâque felicitate! Nè crede clamori; qui plenus hostilitate, vacuus rationê, concitatus odiô, nullâ deliberationê, nullâ consultationê, solâ malevolorum persuasionê cumulatus in unanime votum, suis te fluctibus involvere quærit: ut authoritatem suæ malitiæ, de Prætorii sententiâ, violenter etiam extortâ, prætexere valeat. *Conspirabant* (ità me pravarum intentionum conscii docent) *in Christum*: *ut, quem ratione superare non poterant, saltem obruerent multitudine.* Non animadvertis vafra Scribarum ingenia? quæ, judicio tuo subjectæ, non Judicem te, Causæ poscunt; sed, judicii sui, decretæquè jam in synedrio suo damnationis, carnificem potiùs, & executorem esse, te volunt. Id confidenter insinuo; velimque, Leonis ut persuasum è sagacitate recipias: *Ad examen Pilati, Pontificum delegationê, transfertur Dominus: ut, in hoc judicio, magis executorem sævitiæ, quàm, arbitrum Causæ haberent.* In hoc tota consultatio malignantium per coactam populi conspirationem collimat: ut, cum executionê pœnæ postulatæ, totius, in te solô, damnatio culpæ subsisteret. Agnosce nequitiam; exerce justitiam; & confunde malitiam. Non enim tuo sub arbitrio, stat, unicô subvertenda verbô, res modica; sed, hominis vita: nec, hominis rei; sed, manifestati per innumera miracula, (confirmatique, tuâmetipsius confessionê, innocui) hominis DEI. Vide; quid agas: nè de te sit actum!

VI. Non es ignarus (quid enim, ignorari, præsumendum de judice; quem sapientia Romana Præsidem, pro se, toti jussit esse Judææ?) non te latet, ad communis regulas juris restricta Præfecturæ, ligatáque, cùm judicandi, tum condemnandi potestas. Nôsti: *quotiès de vita hominis agitur; diligentiùs agendum est.* Nôsti: * *Crimina probantur per testes, omni exceptionê majores:* id est, ex interpretationê receptâ legis; *quibus nulla fieri potest imputatio, nihilque penitùs opponi.* Quid autem? &, per quos, testimonii quicquam eâ solennitate prolatum fuit; quâ capitis crimen judicari, necisque pœna decerni, citrà suspicionem iniquitatis, ex agnitâ jam, convictâque deferentium invidiâ queat? Cedò, (judex enim es) nunquid ipsa testimonia, nisì jurata, sunt nulla? &, si jurata, nequè tamen vel sic, adhuc omnia conficiunt? ** *Testis juratus plenam fidem non facit: & injuratus testis, nihil probat.* Videtur

S. Bonav. cit. à Sylveira. Tom. 5. in Evang. lib. 8. c. 7. §. 2. n. 11.

S. Leo, loco cit.

Text. in C. ubi periculum de elect. in 6. Cap. in C. per vestras.

* *L. fin. c. de prob. sel. in c. cùm in Eccles. n. 2. L. Optimam. ibi. Baldus C. de contra: & comm. stip. L. injurium. 9. de Testib.*

** *L. Jurisjur. 9. C. de test. L. 9. L. testium. 18. Cod. de test. c. si testes in fine.*

detur quidem etiam naturæ juri fatìs fieri, per teſtimonium, duobûs, aut tribûs firmatum teſtibûs: ſed illîs; *qui antè diem heſternum, aut nudiùs tertiùs* (nota, quod ajo, non meâ, ſed, majorum indaginê) *non fuerunt inimici: nè irati nocere cupiant: nè, læſi, ulciſci ſe velint. Inoffenſus teſtium affectus quæritur; nè reus innocens oneretur.* Quodſi ſecurus aliquid, ex auctîs univerſim clamoribûs, exploratum habere, teneréque velis; accipe ſeorſûm è ſingulis. Nam: *Teſtibûs falsîs conjunctis tardè veritas reperitur: quòdſi ſeparati fuerint examinè judicis, citò manifeſtantur: &, non rarò evenit, ut unus alteri contradicat, ſublatentémque improbitatem manifeſtè prodat.* Cæterùm, ſi ſecùs egeris; &, nequè per fidem teſtium; nequè, *per evidentiam facti; nequè per confeſſionem ſpontaneam Partis, &, in judicio factam*, judicare, decernere, condemnare JEſum præſumferis: reus eris judicii, reus offenſæ juſtitiæ, reus læſi tribunalis, reus oppreſſæ conſcientiæ, reus interfectæ, per crudelem iniquitatem, innocentiæ: quia, *Accuſatore non probante, reus abſolvitur; etiam, quòd pro ſuâ innocentiâ nihil deduxerit, aut probaverit.*

S. Ambroſ. Epiſt. 66.

S. Iſidorus. Lib. 3. de ſum. Bono.

Bartol. in lib. 1. §. Divus ff. de quæſt.

L. 1. ff. ad Senat. Turp. l. qui accuſare 4. C. de edendo.

VII. Exigua quidem, hujus abſolutionis impetrandæ, ſpes affulget; cùm perſpectum ſit mihi: quòd potior in animo tuo Cæſareæ ſit gratiæ, quàm, juſtitiæ cura: vehementior, ex popularis metu ſeditionis, quàm, privatæ conſcientiæ ſyntereſi, trepidatio: ſolicitudo deniquè major; nè, quod æquum eſt, pronunciando, conjuratæ diſpliceas iniquitati; quàm, nè, quod eſt iniquum, decernendo, juſtitiam, terrenam ſimul, ac cœleſtem offendas. Nequè fugit me furor plebis, in rabiem inimicam, & extorquendæ mortis cupiditatem, invidô Sacerdotum ardore, tam potenter accenſus; ut, nisì tuus ejuſdem poſtulatis conſenſus acceſſerit, vix aliud expectandum porrò ſit; quàm, ut arrogatâ necis poteſtate, violenter ipſa turba tuo judicio ſubtractum extollat in Crucem, tollátque; quem, vivum, videre nolunt ampliùs indigni vitâ Pontifices. Hæc tamen omnia, ſi quis muneris, & æquitatis in te zelus eſt, adeò prævalere tuæ non deberent obligationi; latum ut unguem ſolùm te poſſent, ſicut â rectitudine dimovere judicii, ſic â ſervandâ, pro viribûs, innocentiæ causâ deterrere. Sed, etſi nihil minùs quàm hujus aliquid, ſeu conſtantiæ, ſeu fortitudinis, abstê, jam perversô, jam inclinatô, jam corruptô, mihi pollicear impetratum iri; non ideò tamen innocentiam patiar â criminantium injuriis non vindicatam: imò, totus ut agnoſcat Orbis; quàm

quàm immanî crimine popularis ingratitudo Benefactorem ſuum, ùt malefactorem, homicidæ publico poſthabitum, ſubjecerit Prætoris judicio : quàm crudelî pertinaciâ, Scribarum, & Sacerdotum, in propriam conſcientiam ferox invidia, palmariam innocentiam, Præſidis coactâ ſententiâ, fecerit patibuli ream: quàm inexcuſabilî demùm perverſitate mutati judicij ſui, Pilatus, cum Barabba ſeditioſô, JEſum, pacis authorem, plebis expoſuerit arbitrio, reliquerit voto, dederit optioni; tacentis ipſius Verbi virtute, in patrocinium, ac defenſionem veritatis, ac innocentiæ ſuæ, verba mea roborante demonſtrabo: quamvis aliunde jam, publicô jure mundi totius, *ubi accuſator nihil probavit, reus, præſumtivè, dicatur, docuiſſe de ſuâ innocentiâ.*

Maſcard. d. Concluſ. 1224. n. 29.

VIII. Primùm igitur, ex ipſo frementis populi tumultu poſtulo: *Quam accuſationem adfertis adverſùs hominem hunc?* Quid criminis admiſit; ex quo, damnationê crucis tollendus, â Prætore decernatur? quem veſtrûm, vel in fama, vel in vita læſit? cujus opibus, aut fortunis, detrimenti, vel incommodi tantùm, quicquam intulit? cujus jura, vel publicam in vulgus poteſtatem, authoritatémq; diminuit? Num actu quôdam, â ſanctitate legum aberrante; ſeu verbô, ſeditionis tenuem etiam ſuſpicionem ingerente; ſeu cujusvis alterius piaculi minimâ tantùm umbrâ, vel offenſi Numinis, vel deſpecti Cæſaris, vel Pontificalis, aut Principum læſæ poteſtatis, ac dignitatis, reus factus eſt? Quando ſe Moſaicis oppoſuit, quorum ipſe fuit author, inſtitutis? Quid, ſuæ non debitum perſonæ, poſtulavit; aut, ab ullo ſibi deferri, conceſſit? Quid ulli Sacerdotum, Optimatum, atquè Pontificum, pro communi reverentiâ, vel ſubmiſſionê, diſſimulatâ ſupremæ ſuæ Majeſtatis altiſſimâ prærogativâ, denegavit; vel exhiberi prohibuit; vel præſtari non approbavit? An ſeditionem excitavit in populo? ſed ubi, quando? quâ cauſâ? quibûs verbîs, aut incentivîs? &, in quem? An aliquid in ſuâ doctrinâ, non conveniens rationi, non conſentiens Prophetarum oraculis, repugnans legibus, inimicum reipublicæ, alienum â veritate, contrarium ſanctitati propoſuit unquam? ſed, quid illud? &, qualem legem impugnat? &, cuinam Vatum antiquorum adverſatur? &, quibus â teſtibus eorum aliquid, adverſùs Innocentiam divinam, prolatum, probatúmque fuit? Quæ coactis â teſtibus in Concilio fuêre producta; *convenientia teſtimonia non erant*: erant enim Principum ex malitiâ

Joann. 18. v. 29.

Marci. 14. v. 56.

ſuggeſta, pecuniîs emta, forſan adhæc, promiſsîs etiam ampliorîbûs, aut injectîs minîs expreſſa? Num autem quicquam eorum, quæ perjurâ temeritate dicta, firmatáque contrà ſuam præſens ipſe percepit innocentiam, âmitratis judicibûs inſtanter etiam rogatus, & poſtulatus, confeſſus eſt? Quæſivit ex illo de Diſcipulis, Annas, *redarguens; quaſi conciliabula facientem*: ſed altô ſilentiô, nequè verbô de Diſcipulis quidpiam, quod vocari poſſet in crimen, repoſuit. Nam, *ſanctitas, & puritas vitæ Diſcipulorum, hoſtium calumnias refellebat: & inde vox pro eis tuendis neceſſaria non erat.* Indignatus divini ſilentij prodigium Caiphas, inſtitit, quærendo: *Nihil reſpondes ad ea; quæ iſti adverſùm te teſtificantur? JESUS autem tacebat. Sciebat enim, ùt DEUS, quidquid reſpondiſſet, torquendum ad calumniam.* Admirabundus etiam Præſes, adverſùs criminantium violentiam, extorquere reſponſum aliquod, innocentis cauſæ miſerationê, tentavit inſtans, & urgens: *Non reſpondes quicquam? Vide: in quantis te accuſent? Et non reſpondit ullam verbum: ita, ut miraretur Præſes vehementer. Quoniam dignum ei videbatur, pro magno miraculo, admirari valdè: ut, exhibitus homo ad criminale judicium, &, adjudicatus morti, imperturbabilis maneret, & imperterritus. Ut ſtaret ante mortem, quæ omnibus terribilis eſt, ſinè ullo pavore mortis; & taceret, ſinè ullâ defenſionê ſui; &, cùm poſſet ſe, ſi vellet, in judicio defendere.* Quot interrogationibûs conatus fuit, arcanum hoc, Herodes expugnare ſilentium; *qui interrogavit multîs ſermonibûs?* Luc. 23. *At ipſe nihil illi reſpondebat.* Denique, cùm ſimul omnes, invaleſcentibûs vocibûs, auctîsque clamoribûs urgeretis judicé, ad ferendam ſententiam; & peteretis, liberum vobis dimitti Barabbam; &, Crucis morte damnari, pro votô, JEſum obſtinatè depoſceretis: nullum tamen ille verbum obtendit; quô, vel reus coargui; vel, ſuam innocentiam â morte vindicare, velle, convinci poſſet, illud adimplens; quod vatis jam prædixerat ore: *Ego autem, tanquàm ſurdus, non audiebam: &, ſicut mutus, non aperiens os ſuum. Poſui ori meo cuſtodiam; cùm conſiſteret peccator adverſùm me. Obmutui, & non aperui os meum*: quô firmarentur, & Evangelici Prophetæ verba: *Oblatus eſt; quia ipſe voluit; & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur, &, quaſi agnus, coràm tondente ſe, obmuteſcet; & non aperiet os ſuum.* Hujus ergo ſacratiſſimi, prodigioſique ſilentii tot eſſe coguntur teſtes; quot unquam, & uſpiam, fuerunt accuſatores.

IX. Nunc tuam velim, non ſolùm ut conſcientiam, ſed, notam orbi, legem Prætorianam requi-

Joann. 18. v. 20.

Euthymius. cit. à Sylveira. Tom. 5. Libr. 8. Cap. 4. Q. 1. n. 13.

Idem Sylve: locô cit. ex Origine Hom. 35.

Matth. 26. v. 62. 63.

S. Hieron. cit. apud Sylveir. locô cit. Quæſt. 12. n. 94.

Marc. 15. v. 4. 5.

Matth. 27. v. 14.

S. Paſchaſ. Lib. 12. in Matth.

Pſalm. 37. v. 14.

Pſalm. 38. v. 2. & 10

Iſaiæ 53. v. 7. & ſeqq.

requiras, anxie, trepide, perverſe jam, &, non poteſtate tantùm, ſed, mentê quoquè tuâ, ſedêque, tam rationis, quàm æquitatis dejecte Judex! Unde, cedò, damnabis morte, tradésque crucis infamiâ tollendam, quam noſcis, miraris, promulgas, & commendas, omníque conatu ſervandam ipſe profiteris, Innocentiam? Accuſationem nulla confirmat probatio. Tu verò nôſti: quòd, *Probationê deficientê, deficit ſubſtantia cauſæ.* Teſtimonia, ſunt cum ipsô reprobata conciliô; quod, ea nequiter ſubornâſſe, convictum eſt. Te quoquè non latet, juris Præſidem: quòd *Teſtimonium venale, non eſt veritatis teſtimonium.* Adhæc nulla ſuppetit evidentia facti; ſed, eſt in confeſſo contrarium: *Omnia benè fecit.* Ex hoc autem liquet: quòd, *evidentia facti, convincit teſtes de falſo.* Poſtremò, nullius admiſſi reum ſe, poſtulatus fatetur; *quia inter inconditas voces, & diſſonas, hoc mirabiliter JESUS elegit; ut taceret:* Adjuratus autem, cùm de veritate divinæ ſubſtantiæ, tum de qualitate regalis potentiæ, neutrũ diſſimulans, utrúmque, cum prærogativis eminentiſſimæ ſuæ Majeſtatis confeſſus eſt. Nunc, ſi judex es, ignorare, ſicut non potes, nec debes: quòd *Confeſſio partis, eſt principaliſſima omnium probationum*; &, utì noſtri quidem J. Cti loquuntur, *Regina probationum.*

Paciamus. lib. 1. de Probat. cap. 5. num. 5.

Cap. 36. 11. quæſt. 3. cap. 14. 15. quæſt. 4. cap. 18. de Teſt.

Marci. 7. v. 37. Baldus in l. ſi quis teſt. in fine. S. Leo. ſerm. 6. de Paſſ. Marci. 14. v. 62. Joann. 18. v. 37. Baldus. Conſ. 353. col. 1. lib. 3. Rim. jun. Conſ. 303. num. 3. Cravett. Conſ. 380. n. 11.

X. Forſan autem hoc ipſum, in tuæ patrocinium cauſæ, detorquebit iniquitas tua; quod, ejuſdem aggravandæ condemnationi, de communi naturæ jure congeſſimus. Eſt vulgatum axioma: quòd, *tacens, conſentire videtur.* Aſſentior; ità legê receptum: adeóne verò de tua jam ipſe cauſa deſperas; ut, primîs obviæ legis elementîs, nullô libramine rationis abreptîs, jam hôc ipsô ſecura tibi videantur omnia? quòd vulgarî quâdam, & imbecillâ valdè præſumtionê ſint munita; quam tamen adjecta limitatio, tribunalium omnium arbitriô ſuffulta, continuò moderatur, & nullâtenus tolerat, adverſûs accuſatum quemlibet, ſilentem, præjudicii legalis inſtar admitti; tunc præſertim: *quando tacens, contradicendo, actum impedire non potuiſſet: quia tunc, conſentire non cenſetur.* Talis autem eſt, cùm populi, jam efferati, tum Principum ſynagogæ conditio; quæ nihil ampliùs in animum admittit, odiô ſcilicèt, cum invidiâ, limites omnes moderationis egreſsô, ductúmque rationis nullum, quô ſuâ poſſet ab immanitate retrahi, tolerante. Tacuit hac ex cauſa Verbum divinum, *tanquàm agnus*, prouti vatis erat ore, ſed arcanô, prædictum: *ut non credatur; quòd tacuerit, ſicut ſibi malè conſcius, qui de peccatis ſuis convincebatur*; ſed, *ſicut man-nem.*

L. 2. §. voluntatem. 2. ff. ſolut. matrim. l. qui tacet. 142.

L. Gajus. 39. ff. de pigner. act. Gratian. cap. 730. n. 41. Pacific. d. locb. num. 73.

Iſaiæ. 53. v. 7. S. Thomas. in. Joan-

manſuetus; ſicut, qui pro peccatîs alienîs moriebatur. Nam, *in hoc*, ùt noſtrûm quidam ait, *data eſt agni ſimilitudo: ut in ſuo ſilentio, non reus, ſed innocens haberetur.* Ità nos, admirabile tibimet ipſi viſum, Servatoris noſtri, tantas inter calumnias, tam enormes ad injurias, tam iniquam poſt ſententiam, patientiſſimè tamen tacentis divinum ſilentium, ùt grande myſterium, ac, par innocentiæ, ſicutì manifeſtæ Divinitatis teſtimonium ſuſpicimus, veneramur, & adoramus.

V. Beda. in locum citat. ſuper Luc.

XI. Ecquid enim, amabo, tam *vehementer* admiratus es ipſe? cùm nullum ad objecta verbum obtinere potuiſti; quô, vel criminatio falſa, negata, vel perjuria blaſphema, detecta, vel calumniæ, per contradictionem exploſæ, vel injuriæ, per juſtam querelam averſæ, cum aſſertionê tantùm, nè dicam, demonſtrationê ſanctitatis, & innocentiæ fuiſſent? Nunquid ideò miratus es vehementer ſilentium Chriſti? quia vidiſti *Eum, tam tranquillum adſtare, tam mitem, & quietum, cum omni gravitate imperterritum; qui petebatur ad mortem, & nullô movebatur affectu.* Ità tuum rimatus eſt animum Paſchaſius. Nunquid ſummâ dignum admirationê viſum tibi? quòd, *tam eloquens, & multa habens, quæ reſponderet, accuſatores contemneret,* Ità ſenſum tuum. Theophylactus exploravit. Nullum igitur, ex taciturnitate Servatoris mei, clamoribûs perfrictæ plebis inſimulati, & Barabbæ poſthabiti, & ad crucem poſtulati, & populari jam furori, Pontificúmque votis invidis relicti præjudicium, adverſùs innocentiam ejus, tibi tuámet indulget conſcientia. In hac enim, ſi fateri velis, quod ſentis, ipſe jam confirmas, quod judicavit Auguſtinus: *Accuſationem ſuam Dominus, tacendo, non firmat; ſed, deſpicit, non repellendo. Melior eſt cauſa; quæ non defenditur, & probatur: plenior juſtitia; quæ non verbîs adſtruitur, ſed veritate fulcitur.* Et alibi: *Quid opus erat ei, loqui ante judicium; cui ipſum judicium erat plena victoria? Vincit ergo, cùm judicatur Chriſtus: quia, ſic, innocens approbatur.* Non videtur indigere pluribûs, hoc triumphale tacentis Verbi ſilentiû, apologiîs, ad expugnandum, quod iniquiſſimè conceptum, objectúmque fuit innocentiæ, pro ſe nihil allegenti, præjudicium. Applauſerunt illi, cum Origene, ſimul Hieronymus, & Athanaſius: *Majus eſt, ei; liberè, & fortiter ſilere; quàm defendere ſe, ſinè ullo profectu;* Ideò, quod noverat, ipſe prædixit: *ſi dixero vobis, non creditis mihi: ſi autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi; nequè dimittetis.* Nequè verò dimitti, vel, effugere mor-

Theophylact. in Matth.

S. Auguſt. ſerm. 118. de Tempore.

Idem. in Pſalm. 50.

S. Paſchaſ. lib. 12. in Matth.

Origenes. Homil. 35. in Matth.

Lucæ. 22. v. 67. 68.

mortis judicium, unquàm ejus erat in animo; ut, qui propter hoc ipsum *nihil respondere voluit*; *nè, crimen diluens, á Præside dimitteretur; & Crucis utilitas differretur.* Deniquè convincit omnem secùs arbitrandi temeritatem Athanasius, tuîs te, Præses iniquissime, verbîs, tuôque, quod confessus ipse fuisti, judiciô constringens: *Magnum* scilicèt, *& mirificum id certè in Servatore! qui tacendo, & non respondendo, tam efficax erat in persuadendo; ut judex ultrò factiones, & conspirationes, adversùs eum initas, agnosceret, & confiteretur.*

S. Hieronymus in Matth.

S. Athanasius. serm. de Pass. & Cruce.

XII. Ne verò videatur in hac divini silentij gloriosâ defensionê, cum injuria, tam Innocentiæ, quàm Divinitatis, accusati, judicatique Servatoris, illud assertum â me fuisse (responsô nullô quicquam objectorum, vel dilutum ab ipso, vel explosum, aut excussum esse, tacentê; non, quòd, sic tacens, in reatum aliquem consensisset; sed, quòd *actum impedire non potuisset*) Non enim hæc sic asserta impotentia, potestatis infirmitatem aliquâ, ut arguatur, admittit; sed, liberè jam obligatæ, pro peccatoribus moriendi, voluntatis immobile decretum insinuat. Potuisset enim unicô verbô, quô *omnia, quæcúnque voluit, fecit*, omnes, totius populi sedare motus, compescere tumultus, mitigare fremitus, animósque suggestionibûs Principum in transversum actos, in officium rationis, & antiquæ devotionis reducere; nisi verbum obstitisset illud, quô pridem æterno Patri dixerat: *Ecce venio! In capite libri scriptum est de me: ut facerem voluntatem tuam. DEUS meus volui!* Hâc suâ ligatus æternâ voluntate, tacuit, non reatui, sed morti consentiens. Nisi, de communi, quam assumsit, arbitrari culpâ velis, non tuâ, sed acceptâ *desuper*, potestate judex: hâc enim alienâ culpâ, quam negare non potuit, oneratus, omninò se, non suô, sed, humani totius generis criminê, mortis reum, tacens, quia peccatorum omnium, quæ per mortem fuerant expianda, conscius, confitetur. Nobis ista taciti consensûs revelata mysteria sunt; quibus constat ex Petro Chrysologo: *Suscepit ipse peccatum; nè perderet peccatores: in se sententiam suam judex retorsit; ut, amâsse se peccatores, proderet magìs, solvendo debitum; quàm, donando.*

Psalm. 39. v. 8. & 9.

Joann. 19. v. 11.

S. Petr. Chrysol. serm. 29.

XIII. Hæc autem etsi tibi, Præsidi gentili, nullâ fuerint revelationê, nequè Prophetarum ex oraculis perspecta; non tamen adeò tuo fuerunt ab intellectu remota; nec tam â sagacis naturæ viribûs aliena; quìn, exploratô silentis innocentiæ miraculô, quod palàm confessus jam fueras, aliquid sub eodem, etiam inter Ethnicos ama-

L. Gajus. 39. ff. de pigner. act. l. sæpè 63. vers. cur. autem. ff. de re jud.

Psalm. 113. v. 3.

amatæ, ſuſceptæquè virtutis latêre, pro tuâ potuiſſes perſpicaciâ, vel, de conjecturîs jam acceptîs agnoſcere, vel, jam aliundè ſatìs exploratum, judicare. Quis enim erat Seneca? vel, quâ prædítus virtute? qui tamen dixiſſe fertur: *Sic latronibûs circumventum defendo; ut tutò tranſire permittatur. Reum, gratiâ laborantem tueor; & hominum potentium actionem in me converto: quas illi detraxero ſordes, ſub iîsdem accuſatoribûs fortaſſe ſumturus.* Habes hîs expreſſum verbîs, animum hujus, quem iniquè furori plebis indulſiſti, peccatorum omnium (ſuſceptîs eorum in ſe causîs, non tam diluendîs, quàm expiandîs) beneficentiſſimum Advocatum; cujus ipſum quoquè ſilentium, utì miratus es vehementer, ſic debuiſſes agnoſcere: merũ ejus patrociniũ eſſe, tacendo perorantis pro reîs; atquè, hôc mirabilî ſilentiô, *quas reis detraxerit ſordes, ſub accuſatoribûs iîsdem ſumturi.* Quid aliud enim ea taciturnitas tuo poterat (vel, debebat etiam) ingenio ſuggerere; quàm illud amoris, ab ſenſu gentilis ingenii, non alienum arcanum? *Cùm abire in partem alteram poſſim, &, ſecurus ſpectare aliena certamina; ſpondeo pro judicato; &, ſuſpenſum amici bonis libellum dejicio, creditoribus ejus me obligaturus: ut poſſim ſervare proſcriptum, ipſe proſcriptionis periculum adeo.* Non te nunc redarguis, de malè judicatô, ſeu, damnabilî, (quia, contrà tuam ipſius conſcientiam, contrà præjudicium ipſum innocentiæ promulgatæ, contrà magnæ virtutis indolem, excelſis animis congenitam) factô tamen, ex taciturnitate tam ſanctâ, tam admirandâ, tam divinâ, præjudiciô crudô, craſſô, crudelî?

Seneca. lib. 4. de Benefic. cap. 11.

Seneca. loco cit.

XIV. Jam de ipſius innocentiæ, quam non ſolùm non vindicâſti pro debito, ſed adjudicâſti pro invidiæ votô, manifeſtatâ palàm integritate, tuam iniquitatem perſtringam, judicum onium, quos unquàm deteſtatus eſt Mundus, iniquiſſime! Quid enim ità fuit aliquando ſanctum, innocens, &, omnem ſuprà cenſuram, ulli tribunali ſubjectum; utì, tuo pendens ex arbitrio, cauſa Chriſti? Memineris, obſecro, quod es ipſe confeſſus: *Nihil invenio cauſæ, in hôc hominê.* Recordare repetitæ ſententiæ: nè, per imprudentiam (quod ipſum quidem abſquè crimine non foret, in Præſide criminaliũ actionum) locutum te fuiſſe cauſeris: *Obtuliſtis mihi hunc hominem, quaſi avertentem populum: & ecce, ego, coràm vobis interrogans, nullam cauſam invenio in homine iſto, ex his, in quibûs eum accuſatis.* Nec iſtîs verbîs concluſa fuit omnis arbitrii tui declaratio, pro cauſæ, quam obruere clamoribûs impietas adverſa contendit, integritate: ter-

Luc. 23. v. 5.

Ibidem. v. 14.

tertium acceſſit authoritatis tuæ Prætorianæ ſuffragium: *Nullam cauſam mortis invenio in eo.* Quid, adhæc, miſſus â piâ conjuge judicii dehortator ingeſſit? *Nihil tibi, & juſto illi!* Quid, abluendo manus, & ſubtractô, per hoc ſignum, judicii tui aſſenſu proteſtatus publicè fuiſti; cùm diceres: *Innocens ego ſum á ſanguine juſti hujas?* nisì, quòd juſtus, quòd innocens, quòd per invidiam delatus, quòd iniquiſſimè poſtulatus ad necem, &, per extremam injuriam, ac iniquitatem judicandus eſſet? An hæc tua, judicis, an hominis eſt privati confeſſio? Si, tanquàm privatus, iſta dixiſti? quidnî teſtimonium etiam in illis dediſti? Si Prætoris es officiô, nominêque locutus? jam accuſatum, â criminationum injuriâ non ſolâ, ſed etiam, poſtulatâ per eam nece, liberum, abſolutúmque declarâſti. Cuinam igitur fulmini ſententiæ judicialis obnoxium feciſti tuum, infame, varium, & indigniſſimum caput; quod in aſſenſum iniquitatis, ùt pronunciatæ, ſic manifeſtæ, non inclinari tantùm, ſed etiam pertrahi, implectíque permiſiſti?

Ibidem. v. 22.

Matth. 27. v. 19.

Ibidem. v. 24.

XV. Neque verò tuo duntaxat in Prætorio palàm eluxit mei Servatoris innocentia. Pontifices ipſi, totúmque, quod in aula Caiphæ conſederat, malignantium concilium, aliud in ejus condemnationem, ut unanimî decerneretur conſenſu, non adduxerunt; quàm: *Hic homo multa ſigna facit: ſi dimittimus eum ſic; omnes credent in eum.* Quid autem erant ea ſigna; quibûs fides omnium excitata trahebatur in doctrinæ, veritatis, virtutis, atquè, palàm factæ jam, divinitatis agnitionem, admirationem, venerationem, & adorationem? quid, inquam, erant ea ſigna; nisì revelatæ jam, & incarnatæ, ſanctiſſimæ Deitatis manifeſta teſtimonia? quid; niſi divinæ pariter, cùm innocentiæ, tum ſanctitatis argumenta? Quid igitur criminis in eo; quem prodigia, ſignáque, populo jam omni ſanctum eſſe perſuaſerunt? An crimini datur: viſum indulſiſſe cæcis? mutis uſum linguæ, ſurdis auditum, claudis progreſſum, languentibus robur, paralyticis membrorum officium, leproſis mundum corpus tribuiſſe? vel, abundante famentes, in omniũ rerũ defectu, paviſſe cibô? vel, diuturnâ proſtratos liberâſſe febrî? vel, vindicâſſe vexatos â moleſtis dæmoniis? An crimen eſt: DEI viam in veritate docere? vitam æternam hominibus annunciare? peccatores ad pœnitentiam inducere? pœnitentes â reatibus commiſſis abſolvere? mortuos demùm, non tam è ſepulchro,

Joann. 11. v. 47. & 48.

quàm ab ipſis inferni faucibûs, in utrámque, corporis, & animæ vitam, ſalutémque revocare? Si criminis quicqam, in his omnibus, arguitur; maximi ſanè criminis, cùm populus, tum univerſa Synagoga, Phariſæi quoquè, Scribæque, legisque Doctores inſimulandi ſunt: quòd eum, qui ſigna talia patravit, rapere, Regémque totius Judææ, repudiatâ Cæſaris poteſtate, facere conſtituerint: quòd eundem, velut è cœlo miſſum, paucîs antè diebûs, inter publicas confeſſæ divinitatis acclamationes, unanimî ſubmiſſionê receptum adoraverint, geſtientes, & exſultantes: *Hoſanna, filio David! Benedictus, qui venit in nomine Domini! Hoſanna in altiſſimis!*

Joann. 6. v. 15.

Matth. 21. v. 9.

XVI. Quòdſi verò, ſanctum, juſtum, & virtute divinâ coruſcantem, atquè, tam per miracula, quàm, per ſanctiſſimæ converſationis iñocentiam (quæ nullius unquàm, etiam tenuiſſimæ labis, ab ullo, licèt malevolô, nequiſſimôque cenſore culpari potuit) humanâ conditionê majus aliquid, omnium oculis, & animis ingerentem, venerati ſemper omnes fuêre Chriſtum? qualis eſt iſta mentium, & judiciorum perverſitas? quàm ſcelerata recantatio pronunciatæ juſtitiæ? quâ mox, latronibûs inferiorem, deteriorem, pejorem etiam, atque morte turpiſſimâ digniorem cenſent, execrantur, & ſublatum volunt; quem divinâ majeſtatê, ſanctitatêque refulgentem herì ſuſpexerunt, & ſuſceperunt, & tantùm non, ùt Regem, atquè Meſſiam, ſuos in humeros devotionê publicâ ſuſtulerunt. Quis enim unquàm, repentè, factus eſt peſſimus? Nimirum, hæc â Patribus in poſteros transfuſa perverſitas, & vetus, non tantùm inconſtantia, ſed hoſtilitas animorum eſt; quæ doctrinâ omnem, quâ deſuper illuſtrabatur, exoſatum, & in virtutis perſecutionem, virulentâ quâdam odii malignitate, velut innatâ, per hæreditariam corruptionem, propenſionê conjuravit. Quem Prophetarum non odêrunt, non occiderunt majores eorum? Odium inveteratum, antiqui venenum ſerpentis, quod inimica concitatio ſacerdotum popularibus animis inſpiravit, hoc, nodum exhibuit in ſcirpo, maculam in cryſtallo, labem in lilio, fœtorem in roſa, nubem in ſole, vitium in virtute, noxam in innocentiâ, mortisque reatum in Exterminatore mortis, & Largitore vitæ concepit, incuſavit, judicavit, condemnavit. Agnovit (at, quantô ſuô dolore?) depravatum adeò ſuæ gentis ingenium olim futurum; qui, veluti ſi præſens omnia jam facta ſpectâſ-

Rom. 11. v. 3.

ctâſſet, futura, tanquàm præterita, decantavit iſta: *Principes convenerunt in unum, adverſùs Dominum, & adverſùs Chriſtum ejus.* Ingemuit etiam, velut in perſona mei Servatoris exclamans: *Circumdederunt me canes multi! Concilium malignantium obſedit me!* Nec aliud, ab eodem, auditum â ſe fuiſſe lamentans vates fatetur; *Venite! Percutiamus eum linguâ; & non attendamus ad omnes ſermones ejus.* Quorum verò dicitur iſta fuiſſe conſpiratio? Quem, ità perditum, percuſſum, è medio ſublatum, aut, ſub alienâ figuratum, aut propriâ deſignatum in perſonâ voluerunt, ac decreverunt? Si concilium illud, *malignantium* fuit? ſi conſpiratio, contrà *Dominum, & adverſùs Chriſtum ejus*? ſi, non convincere, quod impoſſibile videbatur, ſed, *circumvenire juſtum*, adverſariæ fuit intentionis decretum? & hæc tamen omnia, admirabilî ſunt, atque triumphalî ſilentiô tolerata? proh! quid manifeſtiùs, vel optari poteſt, vel excogitari, vel pronunciari, tum ad odium populi, ſeditioſè perverſi palpandum; tum, ad innocentiam JESU, malignè, per invidiam, & extremam iniquitatem condemnati judicandum?

Pſalm. 2. v. 2.

Pſalm. 21. v. 17.

Jerem. 18. v. 18.

Sapient. 2. v. 12.

XVII. At tamen audio clamores inſanos, voces inconditas, perfida vota, diram execrationem: *Tolle hunc!* &, *dimitte nobis Barabbam!* O diabolicam perverſitatem! O rabiem, non belluinam, aut ſylveſtrem; ſed ſtygiam! Non aliud hôc poſtulatô depoſcitur, quàm: *Occidatur Chriſtus, Salvator; quia ſuſcitavit mortuum: dimittatur latro; ut iterum perpetret homicidium.* Adeonè tota populi pietas, unô fuit excæcata momentô; ſceleris ut inſtar ſummi, ſummæ ſanctitatis viſa ſit innocentia? morte verò, non unâ, digniſſimus latro, velut innocentior, promeritæ mortis abſolutionê donandus? Quis tam horrendîs tenebrîs infeſtus Princeps tenebrarum plebem univerſam involvit; ut vitri pernicioſum fragmen, fulgidiſſimæ gemmæ; lapidem vilem, pretioſiſſimæ magaritæ; glebam luteam, auro puriſſimo; lacunam fœtentem, fonti mundiſſimo; tenebras nocturnas, meridiano ſoli; magiſtro cœleſtis doctrinæ, corruptorem popularis diſciplinæ; latronem publicum, thaumaturgo vulgato; Principi pacis, reipublicæ perturbatorem; homicidam, authori vitæ; Bonorum omnium liberaliſſimo largitori, publicæ ſalutis, quietis, incolumitatis, & ſalutis hoſtem præferrent arbitriô, præoptarent votô, præponerent inſanô delectu? Non eſt, quod inquiram in tantæ perverſitatis prin-

Luc. 23. v. 18.

S. Auguſt. lib. 3. de ſymbol. ad Catechum. Cap. 5.

cipium, tantæ perturbationis impulſum, tam diabolici, cæcíque furoris fumoſum incentivum. Audiviſtin', Pilate! tumultum perſuadentium populo ſacerdotum: *Ut peterent Barabbam; JESUM verò perderent?* qui jam per Iſaiam hâc de fraude queſtus erat: *Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me!* qui per Jeremiam, cœlo, terræquè tam atrocem accuſavit injuriam: *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt, fontem aquæ vivæ; &, foderunt ſibi ciſternas!* Hoc vidit, quando prædixit vates ingemiſcens: *Eligent magìs mortem, quàm vitam, omnes, qui reſidui fuerint, de cognationè hâc peſſimâ.* Sic nimirum (proutì, cœlô revelante, dudum antè prodiderat idé) Præſidêtê, judicũ inquinatiſſime! *Inventa eſt conjuratio in viris Juda, & in habitatoribus Jeruſalem. Reverſi ſunt ad iniquitates Patrum ſuorum priores.* Facti ſcilicèt, prioribûs ingratiores, & atrociores.

Matth. 27. v. 20.

Iſaiæ. 1. v. 2.

Jerem. 2. v. 13.

Jerem. 8. v. 3.

Jerem. 11. v. 9.

XVIII. Quid igitur? nullánе ſpes, innocentiæ, ferali ſententiæ ſubtrahendæ? Dabísne, Præſes demens, plebis inſolentiæ, cum injuriá tuæmet conſcientiæ, quam decernere te non poſſe ſcis, cauſam integram, ultimâ tamen morte configendam? Itanè (vel, ut Herodi faveas; vel, ut cæſari placeas; vel, nè Synagogæ diſpliceas; vel, nè populi poſtulationem offendas) inclinari, flecti, rapi, præcipitari te miſerrimè patieris in id; â quo te conjugis monitoria deprecatio, cognitæ cauſæ matura deliberatio, conſcientiæ protritæ inevitabilis occlamatio, innocentiæ oppreſſæ terribilis accuſatio, offenſæq; totius legis, è veſtigio metuenda, vindicatio deterret? &, niſi rationê ſis, & hominis omnî ſenſu deſtitutus, rationibûs infinitîs, abſterritum ipſe te perſentiſcis? Indulgebis tamen; quod invidia poſtulat, odium urget, perſuaſa fatuè ſuadet utilitas, ignarus damni ſui Diabolus extorquere non deſinit? unde perpetuũ, tuo quidé adhærebit opprobrium Prætorio; nomini verò tuo, cum infamiâ, crimen æternum; iniquitati autem judicii, ſempiternum, ab æquitate divinâ jam decretum ſupplicium; univerſæ demùm Judææ gentis excidium ſupremum, ac deſolatio Jeroſolymæ, cum anathemate perpetuô, deſperatæquè ſalutis æternô maledictô conſequetur? Audin', Pilate! DEUS ipſe, quod legê quidem ſcriptâ præcepit, inſtinctu tamen ipſius naturæ te monet: *Non ſequéris turbam ad faciendum malum; nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ; ut â vero devies. Inſontem, & juſtum non occides: quia averſor impium.* Univerſa jura conclamant: audin'? * *Innocentia nullô mo-*

Exod. 23. v. 27.

* *L. abſentem. 5. in prim. ff. de pœn.*

modô puniendа. Nota, quæſo, nota benè: * *Publici intereſt, innocentes defendi, non detrimentîs affici.* Nè demùm, adeò jam eruditus, & integrâ de ſanctitate malè poſtulati perſuaſus, illud, obſecro, quô tui, ſi, quod eſt æquum, decreveris, integra quoquè coram Cæſare ſtet cauſa judicii, contemnas rogo: * *Pro Rei innocentiâ, & defenſioné, unico teſti, etiam ſingulari, plena fides adhibetur.* Sufficiat ergo (ſi necdum pronunciâſti, quod invidia voluit) ut JESUM dimittas: aut (ſi præcipitata, quæ defendi nequit, ſententia jam eſt) ut revoces obnoxium æternæ damnationi judicium tuum; hoc inquam tibi ſufficiat: quòd eundem, quem, in ſua cauſa mirabiliter tacentem, crudelî præſumtionê damnâſti, legum omnium jurê fateri debeas, prout nimirum, innocentem dixi.

* *L. ſervum. 33. §. publicè. 2. ff. de procur. L. 2. §. fratris, ne quis aliqu. teſt.*

* *Jaſon. in rubr. de jurejur. num. 8.*

XIX. Vis, ut eundem exigam ab universâ plebe conſenſum? non id aliîs, quàm tuîs continuò verbîs exequar: *Quid enim mali fecit?* Si poteſtis; arguite vel minimo de peccato. Quid enim contra legem? quid in publicam, privatámq; juſtitiam? quid moſaicis adverſum inſtitutis admiſit? Octavô circumciſus die, fæderis antiqui ſacramentum implevit: oblatus in templo, cæremoniarum inſtituta ſacra ſervavit: ſubditus parentibus, ex naturæ præcepto vixit. Pauperum fuit, afflictorúmque, non refugium commune duntaxat, ſed opitulator mirificus, mitis, &, etiam ergà malè meritos, beneficus retributor: quid ampliùs ab ullo lex moralis obtinuit? Cenſum Cæſari dari non tantùm decrevit, ſed & ipſe pendit: quid obſervantiæ porrò, lex potuit imperialis exigere? Mundatos, ut ſe ſiſterent ſacerdotibus, leproſos dimiſit: ergo nihil etiam in illorum jura deliquit? Quid igitur mali fecit, omnium accuratiſſimus legum, tam factor, quàm exactor? Pacis fuit amicus; quam, Orbi natus, indixit, & intulit. Modeſtiæ fuit ſtudioſus; quâ, regios honores, fugiendo declinavit. Temperantiam quadraginta dierum pertinacî ſanctificavit jejuniô. Sanctitatem, in ſuſceptâ peccatoris formâ, per baptiſmum in Jordane poſtulatum, inauditâ demiſſionê confirmavit. Dæmonum familiare commercium, â ſê prorſus alienum, ampliori, quàm eſſet ſolet hominum, in eos poteſtate probavit, eorundem profligatâ, de corporibûs humanîs, per ipſos afflictîs, infernalî tyrannide. Quid igitur mali fecit? An, ſi Talio de veſtra poſtuletur accuſationê falſiſſimâ, non integrô vobiſcũ jure, vel agitur, vel decernitur? cùm ſancitũ orbẽ totô ſit: *Prabare qui non poteſt, quod* [cap. Paulum. in fin.]

Marc. 15. v. 14.

6. 2. quæſt. 3.

objecit; pœnam, quam intulit, ipſe patiatur.

XX. Nec, etſi tacuero, Talionem vos effugietis. Author enim ſum vobis, ac vates; dehortator eſſe dum nequeo: ſi dimiſſus, Barabbas reus, è carcere, JESUS autem, innocens, fuerit actus in crucem, extrema vos crux manet: eritis mancipia Romanorum; peripſemata Mundi; regnîs omnibûs extorres; æternùm omnî poteſtate privati. Diruetur, in lapidum acervum, urbs veſtra: quicúnque nomen veſtrum audierint, execrati ſcelus antiquum, omnî dignos odiô, maledictôque, conſpuent vos; &, ùt hominum indignis conſortiô, nuſquàm ſtabilem vobis locum, proprium nullibi domicilium, orbê totô diſperſis, indulgebunt. Tu verò, Præſes iniquiſſime! vocaberis in crimen â Cæſare: præcipitati, turpiſſimíque judicii causâ damnaberis: exutus poteſtate Prætorii, cogêris exul agere miſerrimam in Gallia vitam; quam, tædii, mœroris, & arcanæ reprehenſionis, vermísque, de ſceleris conſcientiâ nati, tacitæ corroſionis impatiens, ipſe tandem violentus ultor, enſe, propriis incuſsô viſceribus, elides.

Joſeph. lib. 7. de bell. Jud.

Idem. lib. 18. antiquit. cap. 5.

Baron. annal. Tom. 1. ann. chr. 41.

XXI. Heu me! tantîs terroribûs, poſt manifeſtas demonſtrationes innocentiæ divinæ, nihil tamen omnibûs actum eſt! Ità eſt: proh! nihil evici; nec apud judicê; nec in actoribus! Perditam tamen, nullámque, meam hanc actionem, nequaquàm reor. Cùm enim æterni Patris Filium unigenitum, tam pro voto, quàm ex officio, Advocatus ejusdem innocentiæ delegatus defendi: meruiſſe me, de Patris beneplacito, miſericordiâ, ùtùt reus noxarum plurimarum, confido. Cùm verò, deſerti, peccatorum omnium Advocati, juſtiſſimam cauſam, unus omnium, adverſùs omnes ejus in mortem conjuratos, defenſionê debitâ non deſtitui: quid aliud mihi polliceri poſſum? quàm; ipſum quoquè, cùm defecerit virtus mea, nequè jam erit ampliùs, aut facultas, aut poteſtas, in meâ miſerâ, conclamatâque causâ loquendi, ſuô me verbô, Servatorem fidelem, ſervaturum; qui, minimis etiam præſtita patrocinia fratribus, non ſinè retributionê, ſe recepturum recepit. Deniquè, nequè vanô conſumtum apud vos labore tempus iſtud mihi perſuadeo. Quis enim, tam ſanctum, tam innocentem agnoſcens, pro ſê, ſuâque causâ, Barabbæ poſtpoſitum, & impio furori datum, unquàm ampliùs committet; ut, impietate magìs barbarâ, multúmque immaniorî, frementibus animi commotionibus, adverſùs juſtitiam, & legem conclamantibus

Matth. 25. v. 40.

bus, infandáque turpiter appetentibus indulgeat unquàm, quod concupiſcunt? JESUM verò, tolli patiatur, & crucifigi? Quodſi ſcirem, hoc vel ab eorum unicô, qui coràm ſunt, aut etiamnùm animô volvi, aut aliquando indultũ iri: nunc ego, & ex hoc momentô, tã diro, tã crudeli, tam cæco, flagitioſóque me tribunali promtus ingererem, & extorquerem; in me flagella, crucem, omnémque necem converti, pro JESU meo; quem omnî ſemper aſſertum ab injuria volo; dum innocentem

D I X I.

F E R I A II.

POST DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ.

SERMO DECIMUS QUARTUS.

In Foro III. Juſtitiæ Divinæ; ſeu Prætoriô crudeli fundendi ſanguinis judicio præfecti Pilati.

Pratejus. v. Forenſes. Act. L. 1. D. de iucend. &c.

Actio IX. Forenſis, ſcripta, de Inſolentiâ.

Contrà eos;
Qui, graviſſimorum ſcelerum, inde verò Debitorum enormium rei,
Pro quibus, obligati Divinæ ſatisfacere Juſtitiæ,
Adeò tamen debitæ ſunt ſolutionis immemores;
Ut non tantùm in poſtremis curent, ſatisfacere de præteritis;
Sed, exſultantes, &, malè facta jactantes,
Per Inſolentiam, in ipſa Pœnitentia commiſſam,
Nomine novô graviorem reatum, debitúmque contrahunt majus.

Actor IX. Achatholicus ſcandalô offenſus,

Catholicos illos coràm Divino Tribunali reos arguit;
Qui Pœnitentiæ Sacramentum frequentant cum ſcandalo:
Dum pro notis flagitijs non ſolùm nullam teſtantur,
Quam tamen tuentur, neceſſariam, ſatisfactionem;
Sed, vix dum confeſſi, de malè factis, confeſsísque ſe jactant,
Lætantes Inſolenter, cùm malè fecerint.

Myſterium IX. Actionis hujus Argumentum.

S. Laurent. Juſtinian. de triumph. Chr. agon. cap. 10.

Plauſus inſolens immanium Flagellationis Chriſti crudeliſſimæ Miniſtrorum;
Qui, pro pœnitentiâ vulnerum inflictorum,
Feruntur inſuper, cùm, de robore verberum prævalente certâſſe;
Tum, inſolenter, etiam ſe de prævalentiâ ſuæ crudelitatis jactáſſe. Teſ-

6. 2. quæſt. 3. *objecit; pœnam, quam intulit, ipſe patiatur.*

XX. Nec, etſi tacuero, Talionem vos effugietis. Author enim ſum vobis, ac vates; dehortator eſſe dum nequeo: ſi dimiſſus, Barabbas reus, è carcere, JESUS autem, innocens, fuerit actus in crucem, extrema vos crux manet: eritis mancipia Romanorum; peripſemata Mundi; regnîs omnibûs extorres; *Joſeph. lib. 7. de bell. Jud.* æternùm omnî poteſtate privati. Diruetur, in lapidum acervum, urbs veſtra: quicúnque nomen veſtrum audierint, execrati ſcelus antiquum, omnî dignos odiô, maledictôque, conſpuent vos; & *Idem. lib. 18. antiquit. cap. 5.* ùt hominum indignis conſortiô, nuſquàm ſtabilem vobis locum, proprium nullibi domicilium, orbê totô diſperſis, indulgebunt. Tu verò, Præſes iniquiſſime! vocaberis in crimen â Cæſare: præcipitati, turpiſſimíque judicii causâ damnaberis: exutus poteſtate Prætorii, cogêris exul agere miſerrimam in Gallia vitam; quam, tædii, mœroris, & arcanæ reprehenſionis, vermísque, de ſceleris conſcientiâ nati, tacitæ corroſionis impatiens, ipſe tandem violentus ultor, enſe, propriis incuſsô viſceribus, elides.

Baron. annal. Tom. 1. ann. chr. 41.

XXI. Heu me! tantîs terroribûs, poſt manifeſtas demonſtrationes innocentiæ divinæ, nihil tamen omnibûs actum eſt! Ità eſt: proh! nihil evici; nec apud judicê; nec in actoribus! Perditam tamen, nullámque, meam hanc actionem, nequaquàm reor. Cùm enim æterni Patris Filium unigenitum, tam pro voto, quàm ex officio, Advocatus ejusdem innocentiæ delegatus defendi: meruiſſe me, de Patris beneplacito, miſericordiâ, ùtùt reus noxarum plurimarum, confido. Cùm verò, deſerti, peccatorum omnium Advocati, juſtiſſimam cauſam, unus omnium, adverſùs omnes ejus in mortem conjuratos, defenſionê debitâ non deſtitui: quid aliud mihi polliceri poſſum? quàm; ipſum quoquè, cùm defecerit virtus mea, nequè jam erit ampliùs, aut facultas, aut poteſtas, in meâ miſerâ, conclamatâque causâ loquendi, ſuô me verbô, Servatorem fidelem, ſervaturum; *Matth. 25. v. 40.* qui, minimis etiam præſtita patrocinia fratribus, non ſinè retributionê, ſe recepturum recepit. Deniquè, nequè vanô conſumtum apud vos labore tempus iſtud mihi perſuadeo. Quis enim, tam ſanctum, tam innocentem agnoſcens, pro ſê, ſuâque causâ, Barabbæ poſtpoſitum, & impio furori datum, unquàm ampliùs committet; ut, impietate magìs barbarâ, multúmque immaniorî, frementibus animi commotionibus, adverſùs juſticiam, & legem conclamantibus

bus, infandáque turpiter appetentibus indulgeat unquàm, quod concupiſcunt? JESUM verò, tolli patiatur, & crucifigi? Quodſi ſcirem, hoc vel ab eorum unicô, qui coràm ſunt, aut etiamnùm animô volvi, aut aliquando indultũ iri: nunc ego, & ex hoc momentô, tã diro, tã crudeli, tam cæco, flagitioſóque me tribunali promtus ingererem, & extorquerem; in me flagella, crucem, omnémque necem converti, pro JESU meo; quem omnî ſemper aſſertum ab injuria volo; dum innocentem

D I X I.

F E R I A II.

POST DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ.

SERMO DECIMUS QUARTUS.

In Foro III. Juſtitiæ Divinæ; ſeu Prætoriô crudelî fundendi ſanguinis judicio præfecti Pilati.

Pratejus. v. Forenſes. Act. L. 1. D. de iucend. &c.

Actio IX. Forenſis, ſcripta, de Inſolentiâ.

Contrà eos;
Qui, graviſſimorum ſcelerum, inde verò Debitorum enormium rei,
Pro quibus, obligati Divinæ ſatisfacere Juſtitiæ,
Adeò tamen debitæ ſunt ſolutionis immemores;
Ut non tantùm in poſtremis curent, ſatisfacere de præteritis;
Sed, exſultantes, &, malè facta jactantes,
Per Inſolentiam, in ipſa Pœnitentia commiſſam,
Nomine novô graviorem reatum, debitúmque contrahunt majus.

Actor IX. Achatholicus ſcandalô offenſus,

Catholicos illos coràm Divino Tribunali reos arguit;
Qui Pœnitentiæ Sacramentum frequentant cum ſcandalo:
Dum pro notis flagitijs non ſolùm nullam teſtantur,
Quam tamen tuentur, neceſſariam, ſatisfactionem;
Sed, vix dum confeſſi, de malè factis, confeſsísque ſe jactant,
Lætantes Inſolenter, cùm malè fecerint.

Myſterium IX. Actionis hujus Argumentum.

S. Laurent. Juſtinian. de triumph. Chr. agon. cap. 10.

Plauſus inſolens immanium Flagellationis Chriſti crudeliſſimæ Miniſtrorum;
Qui, pro pœnitentiâ vulnerum inflictorum,
Feruntur inſuper, cùm, de robore verberum prævalente certâſſe;
Tum, inſolenter, etiam ſe de prævalentiâ ſuæ crudelitatis jactâſſe. Teſ-

Teſſera. Apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit. *Joann. 19. v. 1.*

1. VIdeo quidem in ſanguinario Prætorio Romani Præſidis, &, nomine judicis, indigni (quia totius juſtitiæ corruptoris) Pilati, rurſus apertum juſtitiæ divinæ Tribunal: quò tamen me vertam, in causâ, quàm perversâ, tam crudelî, neſcio. Memor, unius tantùm alapæ, vultui divino, glorioſiſſimi Servatoris petulanter inflictæ, Divus Chryſoſtomus, velut extra ſe raptus, & in ambiguo, cœlum inter, terrámque medius, cuinam queri, vel accuſare deberet immanitatem contumeliæ tam palmaris, prout jam aliàs audîſtis, exclamavit: *Exhorreſcat cœlum! contremiſcat terra! Alapa DEUS percutitur! O Angeli! quomodò manus continere poteſtis?* Et Seneca, ſuper unicô tantùm ſputô, quod in Ariſtidem protervus quidam auſus erat conjicere, quaſi mentis inops, quibûs exaggerare verbîs opprobrii tanti deberet audaciam, ignarus hæſit, eâ de causâ; *quòd, non tanquàm in hominem juſtum, ſed, tanquàm in ipſam juſtitiam*, eâ procacitate peccatum, exiſtimâſſet. Quis igitur doloris mei ſenſum aſſequi poterit? quem nullîs explicare verbîs ipſe ſufficio: dum queror, & ingemiſco; non, quòd *Unus miniſtrorum dedit alapam JESU!* nequè: quia *cæperunt quidam conſpuere in eum!* ſed (quod cum horrore recogito; nec, niſi rigeſcens, tremensque commemorare, vel pronunciare valeo) *Tunc ergo*, proh! quæ connexio? poſtquàm exploratam omnibûs numerîs innocentiam deprehendit: *tunc ergo* (quia morte dignum cenſere non potuit) corripiendum apprehendit: *Corripiam illum.* Sed, quô jure? quod ob crimen, *non, tanquàm in hominem juſtum, ſed, tanquàm in ipſam juſtitiam* animadvertere, ſibi licitum; &, eandem corripere, cæderéque flagellîs, integrum eſſe ſibi Præſes corruptiſſimus arbitratur? *Tunc ergo apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit.* Heu! quò me vertam? Ad quem ea, quæ per crudeliſſimam iniquitatem, & iniquiſſimam crudelitatem, in ſanguinario Præſidis hujus Prætorio ſunt acta, non querulâ ſolùm, ſed lamentabilî deferam actionê? Num Patris æterni pietati ſententiam perverſi judicii, corruptique judicis, &, atrocem exceſſum ſupplicii, adverſûs innocentiam, *ipſámque juſtitiam* ſuſcepti, reum ſiſtam; &, ſempiternîs Dæmonum flagellîs addicendum per nuncios urgebo? Non mul-

Joann. 18. v. 22. *Marci. 14. v. 65.* *Lucæ. 23. v. 22.* *Joann. 19. v. 1.*

S. Chryſoſt. homil. 80. in Joann.

Seneca Conſolat. ad Helvid. cap. 12.

multîs foret hoc in foro verbîs agendum: ſicut enim, paterna viſcera Jacob, primô ſtatim intuitu, lethiferô propè luctu commota ſunt; cùm fratres Joſeph, ſubtractam innocenti fratri polymitam tunicam, hœdinô ſanguine tinctam, & undiquè cruentatâ, amantiſſimo Patri ſubmiſerunt per nuncios, *qui dicerent: vide; utrum tunica filij tui ſit, an non?* Gen. 37. v. 32. Ità ſatis foret: Patri miſericordiarum, innumerîs vulneribûs dilaceratam, & innocentiſſimô cruore manantem, unigeniti dilectiſſimi virgineam, omnîque florum gratiâ venuſtiorem, incorporatæ divinitatis polymitam exhibere; &, ad excitandam in carnifices, ferîs peſſimîs immaniores, vindicem iram, ſupplicî ſolùm ſuſpirare cum dolore: Viden'? Filij tui Nazareni divinitatis conſpicuam floribûs humanitatem, inhumanâ barbarie crudeliſſimè conciſam! An cœleſtes Hierarchias ad ulciſcendam criminis deprehenſi ferociam, lugens, & gemens actor, querulâ quæſtione rogabo: Nôſtisne? magni DEI miniſtri: *Quis eſt iſte; qui venit de Edom, tinctis veſtibûs de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ?* Iſaiæ. 53. v. 2. Joh. 16. v. 15. Iſaiæ. 63. v. 1. 2. En! *non eſt ſpecies ei, neque decor!* conciſus eſt *vulnere, ſuper vulnus*; & ſanguis ejus, de membris defluens, ipſe, *rubrum* eſt *indumentum ejus.* Nullus dubito; quin, cœleſtium ſpirituum chori, ſuper horrore ſpectaculi tam cruenti, non amarîs tantùm lacrymîs luctum ſuum teſtarentur; ſed invicem, etiam ipſi plorantes, quererentur: *Vidimus eum; & non erat aſpectus; & deſideravimus eum: quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus: unde nec reputavimus eum!* Idem. 33. v. 7. Idem 53. v. 3. Quidſi, levando, qui me tantùm non opprimit, mœrori, cor meum ſic afflictum, dulciſſimæ Matris virgineum in ſinum exonerarem? &, qualî viderim in ſtatu dilectum ejus, candidum, & rubicundum, ſpecioſum, præ filiîs hominum, poſtquàm *apprehendit eum Pilatus*, traditîtque tortorum lanienæ, ſinè legê, pro furoris, & ôdii libitu, flagellîs dilacerandum, & excarnificandum, gemebundus exponerem? Vereor, nè ſingultibûs intercluſa vox deficiat, &, cum hâc, tota me loquendi facultas deſtituat. Quis enim, quæ filius, DEUS, ab hoſtibus, in ejus interitum conjuratîs, corpore tenerrimô vulnera ſuſcepit, ac pertulit; &, quàm omnia ejus virginea membra, non deformata ſolùm, ſed, venîs diruptîs, omni fuerint etiam exhauſta ſanguine, Matri dilectiſſimæ, non exhorreſcat, vel nominare tantùm, aut memorare? cùm Julia, ſolius intuitu, conciſi, cruentiquè ſagi, quô Pompejus dilectus, cum hoſte

Ludovic. de vives. in Inſtruct. fœm. Chriſt.

confligens, indutus erat, ægrè vitam, reſpirationê continuò deficiente, retinuerit.

II. An igitur veſtra tandem Devotio, quam ergà dolores, & vulnera Servatoris tenerrimam eſſe, piiſſimámque novî, ſenſa mei luctûs, cum enormitate ſupplicii, quô Prætorium Pilati cœlum univerſum in vindicem juſtitiam excitavit, ut aperiam, ſuſtinebit? & indulgebit: ut queſtibûs & lacrymîs accuſem ea; quæ crudelitas, ab infernalibûs, non ingeſta modò, ſed, etiam roborata ſpiritibûs, in illo theatro ſævitiæ, quæ nec infinito quidem ſanguine potuit exſatiari, tranſegit? Sed, & hîc refugit animus in verba ſolvi. Cùm enim, Evangeliſtæ fideliſſimi, flagellati tamen Servatoris terribilé lanienam, ût atrox, immanis, &, omnem ſupra, quam humana concipere poteſt opinio, carnificinam fuerat, noluerint ipſi deſcribere verbîs: nè calamus impar detraheret quicquam illi ſupplicio; cujus tormenta nullîs aſſequi conjecturîs humana mens ulla poteſt: quid ego, de tam ineffabilî perſecutionê, conciſæ flagrîs innocentiſſimæ carnis Domini mei, vel, non infrà dolorum ejus immanitatem proferam? vel hoc ipſum, ùtût minus eô, quod pertulit, adeô tamen atrox, atquè terrificum proferendo, periculum adducam? ut, ſolâ ſpeciê crudelitatis objectâ, deficiant corda veſtra, peracerbæ compaſſionis intolerabilî ſenſu forſan penitùs exanimanda. Nè tamen omninò, cùm officio meo, tum pietati veſtræ, tacendo deſim; velut in umbra, Prætoriæ crudelitatis acta, non tam oculis, quàm animis veſtris contemplanda, ſimul autem etiam dijudicanda ſubjiciam: illud autê, ut in omnibus, quæcunque ſum dicturus, nunquàm non animô repetatis, obteſtor; quod ſanctus Theologorum Doctor, & Patriarcha, de cunctîs JESU patientis doloribûs, cùm internîs, quibûs animus, tum externîs, quibûs innocens ejus caro torquebatur, angelicâ trutinâ libratum pronunciavit:

Utérque dolor in Chriſto, fuit maximus, inter dolores præſentis vitæ: quod quidem contigit propter quatuor. Primò quidem propter cauſas doloris. Nam doloris ſenſibilis cauſa, fuit læſio corporalis, quæ acerbitatem habuit, tum propter generalitatem paſſionis &c. Secundò, ex perceptibilitate patientis, & ſecundùm animam, & ſecundùm corpus. Nam, quod plures urgent, *& ſecundùm Corpus erat optimè complexionatus; cùm Corpus ejus fuerit formatum miraculoſè &c. Et ideò in eo maximè viguit ſenſus tactûs. Anima etiam ſecundùm vires interiores efficaciſſimè apprehendit omnes cauſas triſtitiæ. Tertiò, magnitudo doloris Chriſti patientis poteſt conſiderari ex doloris, & triſtitiæ* S. Thom. 3. P. quæſt. 46. art. 6.

pu-

puritate. Nam, in aliîs patientibûs, mitigatur triſtitia interior, & etiam dolor exterior, ex aliqua conſiderationê rationis, per quandam derivationem, & redundantiam â ſuperioribûs viribûs, ad inferiores: quod in Chriſto patiente non fuit: quia unicuiquè virium permiſit agere, quod eſt ſibi proprium. Quartò, ex hoc; quòd paſſio illa, & dolor, â Chriſto fuerunt aſſumta voluntariè, propter finem liberationis hominum â peccato. Et ideò tantam quantitatem doloris aſſumſit; quæ eſſet proportionata magnitudini fructûs. Hinc, quod effari nulla poteſt lingua, de quôlibet flagellati Servatoris tormentô, quamvìs per umbram ſolùm, &, inſinuatô magìs, quàm expreſsô, chriſtianæ tamen pietati major ſemper, quàm omnium eſſe poteſt hominum, ſupplicii ſenſus in eô fuiſſe, judicandus eſt.

III. Nihil autê inter ſæviſſima tormenta, minùs tolerabile, pœnale verò magìs nihil virgineo pudori, quàm, denudati corporis, injuriam eſſe, propheticâ comminationê pateſcit; quâ per Iſaiam territa fuit virgo Iſraël, cui dictum erat: *nudabit eam, & affliget faciem ejus.* Quaſi major honeſti vultûs eſſe non poſſet afflictio; quàm, in conſpectu multitudinis, ipsâ terribilior morte, nudi corporis proſtitutio: cujus unius indicta pœna Mileſias virgines â violentâ, quam inferre ſibi ſatuè perſuaſæ ſolebant, corporum ſuorum interemtionê cohibuit. Videtur idem, quod ex hoc tormento de Servatoris noſtri dolore cogitandum eſt, regius prænotâſſe vates, ejus in perſona confeſſus: *Quoniam in flagella paratus ſum; & dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Quid enim eſt, ad flagella paratum eſſe; nisì, nudatum eſſe? huic autem, quod, verecundè tacendo, prætermiſſum innuit, cùm paratum ad flagella ſe dixit, perpetuus, exinde ſecutus dolor, continuò ſubjunctus eſt, cùm ait: *dolor meus in conſpectu meo ſemper*: quaſi cunctos inter dolores, & inter omnia ſæviſſima tormenta, non alius, vel dolor fuiſſet ipſius, vel ſenſus doloris ullius major, ab ipſo ſtatim ſuſceptæ carnis exordio, menti ſemper obverſans; atquè, dolor ille; quòd paratus, id eſt, nudatus, ad flagella conſtiterit. Hoc autem in umbrâ (doloris quidem tunc, atquè ſenſûs expers, quia ſopitus, & ebrius) propaginis humanæ per arcam ſalvator, *inebriatus, & nudatus in tabernaculo ſuo*, Noë paſſus eſt; etſi non æquè patienter, uti, qui nos per Crucem ſalvavit. Nam irriſor paternæ nuditatis, Chanaan, maledictum pro riſu tulit: divinus autem Servator *Chriſtus, amore ebrius*, (quæ enim, nisi vis amoris, virgineo ſubtrahere pudori veſtimenta valuiſſet?) *ſuam coràm omnibus exhibuit nuditatem, agone c. 7.*

Iſaiæ 24. v. 1.

Pſalm. 37. v. 18.

Geneſ. 9. v. 21.

Ibidem. v. 25.

S. Laurent. Juſtin. de triumph. Chriſt.

tem, ùt injuriâ, ſic patientiâ non eſtabilî, Divo Patriarchæ Venetorum admirandus.

IV. Jam ad alias umbras, &, antiqui fœderis figuras', memores animos reflectamus. Olim benevola pietas Numinis, populum ſuum in Ægypto miſerantis, duabûs in columnîs, jam nubis, per diem, jam ignis inſtar, per noctem apparuit; *ut Dux eſſet itineris, utrôque tempore*: ſed, utì nubes, & ignis evaneſcunt, facilique, ſeu motu, ſeu flatu pertranſeunt; ità, tranſituræ legis indicia, mobiles illæ columnæ fuerunt; figuræ tamen ſimul, Eccleſiæ quoquè non mobilis, & in ſæculi finem duraturæ; *cujus tabernaculum nequaquàm transferri poteſt.* Hujus enim gratiâ paſſus eſt alligari ſe *marmoreæ columnæ JEſus, legem Evangelicam condens, Eccleſiámque perpetuò duraturam ædificans* (prout loquitur, â Carmelo fulgens, Evangeliorum interpres) *ut, à firmitate columnæ, firmitas, ac fortitudo ejus ædificii, ac Eccleſiæ cognoſcatur.* Nequè ſinè myſterio doloroſi, quod recogitamus, myſterii, filium ſuum, ſacrificaturus Abraham, durîs priùs nexibûs colligavit. Hæc enim vincula ligatum ab amantiſſimo Patre, quem tenere nulla vincula potuiſſent, &, alligatum Columnæ DEI Filium præfigurabant Abbati Ruperto. Ille enim ait: *Colligavit planè DEus Pater Filium ſuum, non imbecillitatis vinculô, ſed magnæ charitatis imperiô: nè oblatum Calicem Paſſionis abigeret.*

Exod. 13. v. 21.

Iſaiæ 33. v. 20.

Sylveira. Tom. 5. in Evang. l. 8. cap. 10. Quæſt. 5. num. 26.

Geneſ. 22. v. 9.

Rupertus Lib. 6. in Geneſin. cap. 31.

Progrediamur ſacris his in umbris. Nôſtis quippè, quòd, & quid, ore propheticô, queſtus fuerit vates coronatus; etſi ſuîs nunquàm id paſſus fuerit in membrîs. *Congregata ſunt*, inquit, *ſuper me flagella; & ignoravi!* &, *multa flagella peccatoris!* nec latet, jam vulgatus per S. Hieronymum verborum ſenſus, ſcilicet: *collecti ſunt, adverſùm me, multi percutientes*: multi ſanè percutientes collecti ſunt: nam *congregaverunt ad eum universam cohortem.* Hinc credendum; quòd tota quidem, ſexcentîs conſtans virîs, cohors, ictibûs, fremitu militari petulanter inflictîs, deſævierit; ſex tamen, ex omnibus validiores, alternâ ſucceſſionê viribûs recollectîs, crudelem carnificinam, proh! quàm inhumanâ, quàm diabolicâ feritate? peregerint. Non temerè vates, *congregata flagella* meminit: per hæc enim S. Bruno voluit, *multitudinem, ac diverſitatem innui flagellorum*: *multimodè namquè flagellatus eſt*: id eſt, utì S. Vincentius Ferrerius tradidit: *Spinîs durè, flagellîs duriùs, catenîs duriſſimè*: vel, quod ex aliis Conſalvus Durantus accepit: *primùm, craſſioribûs funibûs; poſtmodùm, ferreîs ſcorpionibûs; tertiò, catenîs; poſtremò, virgîs ſpinarum.* Non poteſt, niſi terribilis exceſſus crudelitatis omnis, etiam ex umbrâ tantùm illâ

Pſalm. 34. v. 15. *Pſalm. 31. v. 10.* *S. Hieron. in loc. cit.* *Matth. 27. v. 27.* *Carthagen: lib. 10. Homil. 12.* *Jacobus Tirinus. in Evangel.* *Lobbet. Tract. de Paſſ. Chriſt.* *S. Bruno cit. à Sylveira. locò cit. quæſt. 8. num. 41.* *S. Vincent. Ferrer. cit. à Durant. in notis ad Revel. S. Birg. lib. 1. c. 10.*

illâ cogitari, quam David objecit: qui ſanè, ſicut myſticè *congregata* faſſus fuit *flagella*; ſic, & eorundem productam ſævitiem, & prolongatam immanitatem, arcanâ prorsùs exaggerationê queſtus, teſtatúsque fuit; quando fabricantium peccatorum labores prolongatos indicavit: *ſuprà dorſum meum fabricaverunt peccatores; prolongaverunt iniquitatem ſuam*: partim verò etiam; cùm prolongationis iſtius tempus determinatum adjunxit: *Fui flagellatus totâ diê*! Nihil aliud, utrôque gemitu, quàm ſupplicii non explicabilis inſinuatur atrocitas; quæ, non integrô quidem continuata diê, tam verò, verberum, utì frequentiâ, ſic, & vehementiâ fuit exaggerata; *quaſi totâ diê fuiſſet flagellatus*: &, quamvìs nulli fabrorum adhibiti ſint, oſſibus confringendis, *vel ictus, vel, mallei*; *dorſum* tamen, ùt ex Hebræo legimus, *araverunt peccatores*, & *produxerunt ſulcum ſuum*: dum (quòd ipſa, tum præſens, Mater Virgo revelavit ſuæ dilectæ Birgittæ (*corpus ejus fuit verberatum, & flagellatum usquè ad coſtas; ità, ut coſtæ ejus viderentur: & , cùm retraherentur flagella, carnes flagellis ſulcabantur.*

Pſalm. 129. v. 3.

Pſalm. 72. v. 14.

Durandus. ſuprà cit.

Hebr. Lect. Pſalm. 129. v. 3.

Revelat. S. Birgittæ. Lib. 1. cap. 10.

V. Exhorreſcit ſenſus humanus; dum hæc, etiam per umbras veterum figurarum objecta, ſolâ tantùm imaginationê perſentiſcit. Quis verò figuræ, per Iſaiæ torcular expreſſæ, non obrigeſcet horrôre perceptô? cùm audit: *aſperſus eſt ſanguis ſuper veſtimenta; & omnia indumenta inquinata ſunt.* Vidit hoc in Prætorio Pilati melliſluus Pater: adeò dirè videlicet Botrum Cypri ſub flagrorum torculari diſcerptum, ac dilaceratum; *ut ſanguis ejus ſurſum in aëra reſultaret*; quô membra univerſa (divinitatis occultatæ veſtimenta) non tantùm rubuerunt, ſed ipſa quoquè manârunt. Hinc, ſi vetus pietas depluum cœli rorem, in quo ſuavitatis omnis alimentum fuerat, non ſolô nauſeantis populi faſtidiô neglectum, ſed ingratîs inſuper pedibûs conculcatum in deſertô doluit: quô dolore, Præſidis in atrio deprehenſa, plorabimus cum Mancino? *Humus enim ibi natabat ſanguinê*, non hœdi, non vituli, non agni, ſed, laniati flagrîs Filii DEI, tantô profluviô; *at fuſum humî, nunc hi, nunc illi, ad flagellandum ſuccedentes proculcârint.* Quodſi jam, & virgam Jeſſe, corticę ſubtractô, non denudatam tantùm, ſed, etiam exhauſtam ſuccô, atquè ità penitùs arefactam, novimus inter arcana ſacra repoſitam, ſervatámque fuiſſe; quid in eâdem ipſâ, niſi ſpecies quædam, crudeliſſimi Prætorii carnificinâ adumbrans, agnoſcitur? *ubi* (prout S. Laurentius Juſtinianus fidê Pontificalî retulit) *ſacroſanctum, & virgineum Chriſti corpus, ità crudeliter laniatum*

Iſaiæ 63. v. 3.

S. Bernard. ſerm. de Paſſione. cap. 4.

Numer. 21. v. 5. Forner. in parad. mal. Punicor. Conc. 103. Tom. 2. n. 3. Mancinus de Paſſ. l. 4. Diſſert. 8. punct. 6.

S. Laurent. Juſtin. de triumph. agone. cap. 14.

niatum est; ut ossa etiam, in variis membris, nudata carnê, ac cutê apparuerint. Impletum scilicèt in hac immanissimâ flagellationê videmus; non tantùm, quod in semetipso, velut adumbratum, & agnovit, & accusavit patientissimus ille Chananæus: *Convulneravit lumbos meos; non pepercit, & effudit in terra viscera mea: concîdit me vulnere, super vulnus*: verùm, & illud, quod sibi, vates Evangelicus vidit, & prædixit objectum, in illa Prætorii Romani lanienâ consummatum patuit: *A planta pedis, usquè ad verticem, non est in eo sanitas. Vulnus, & livor, & plaga tumens non est circumligata*: quia nè minimô quidem sævissimi doloris lenimine mitigata. *Dolores nostros ipse portavit: ipse vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est, propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum!*

Job. 16. v. 14. 15.

Isaiæ 1. v. 6.

Isaiæ 53. v. 4. & 5.

VI. Dum hæc intelligimus, non est, quod, vel de crudelium tortorum, vel de verberum inflictorum, vel de vulnerum apertorum, innumerabilî multitudinê calculum certum, definitúmque numerum inquiramus. Cùm enim *disciplina pacis nostræ super eum*; seu, *Castigatio pro pace nostra super eum*, utì legit Pagninus; vel, quod Vatablus eruit: *Mulcta correctionis nostræ ei imposita est*, ea scilicèt; quæ peccatoribus omnibus, etiam in hâc vitâ, pœnaliter expiandis, toleranda fuisset: quid mirum? si vulnera sunt vulneribûs exasperata? si nullus, nequè plagarum, nequè verberum, utì nostrorum nullus fuerat scelerum, iniquitatúmque modus? si nulla sanitas, â plantâ pedis, ad usquè verticem; utì non fuit, â minimo, usquè ad maximum, vel ullus, absquè peccato? dum, *omnes erravimus. Hoc enim factum est*, Hieronymô Definitore; *ut (quia scriptum erat: multa flagella peccatoris) illô flagellatô nos à verberibûs liberaremur.* Cùm igitur æternâ jam fuerit legê præscriptum: *Pro mensura delicti, erit & plagarum modus*: quia maxima fuit mensura delictorum, quorum expiationem in se miseratio Redemtoris assumserat; maximam quoquè, sinè legis uliius modô (cùm nulla non lex, omnî violata fuerit modô) mensuram oportuit esse plagarum; dum *pro impio Pietas flagellabatur.*

Pagninus. & Vatablus in loc. cit.

Isaiæ 53. v. 6.

S. Hieron: in cat. D. Thoma super Matth.

Psalm. 31. v. 10.

Deuteron. 25. v. 3.

S. August. serm. 114. de tempore.

VII. Fuerit hoc divinæ charitatis, & infinitæ pietatis ingenium, ac liberalissima voluntas Domini nostri, flagellum omne ab Ecclesiæ suæ tabernaculô volentis avertere: nihilô minùs peccatum grande peccavit Pilatus; cujus iniquitati ex æquô tribuitur, etsi manum ipse non extenderit; quidquid, eô præcipiente, vel, non prohibente, vel, non moderante, sævitia furoris militaris deliquit. Nec inde tamen (proh cæcitatem! ac duritiem

Psalm. 90. v. 10.

tiem

tiem animi) quicquam occultæ, vel reprehensionis, vel compunctionis Pilatus persentiscit? Heùs, impie, crudelis, & iniquissime Prætor! quid feciſti? tuîs te verbîs redarguo: nec mihi piæ voluntatis arcanum obtendat ullus pro te Causidicus: *Hoc Pilatus non ob aliud feciſſe credendus eſt; nisi, ut injuriîs Judæi ſatiati ſufficere ſibi existimarent; & usquè ad mortem sævire desisterent.* Quis enim id excusationis admittet in tam enormî castigationê; quam nullæ, robustissimæ quamvis, ullius hominis vires perferre potuissent? Nam, teste D. Laurentiô Justinianô, *debuit planè mori, tantô dolore transfixus: se tamen reservavit ad vitam; ut his graviora*, decretam scilicèt â Patre Crucem, *perferret.* Cæterùm, elephantos objectîs novimus agnîs mitigari, dum ferociâ bestialî furunt. Aſt, tu belluîs ferociores expertus es Judæos ipse: nec Agni divini mundissimô sanguine mitescet, sed auctior eorum rabies invalescet. Audivimus, compescendo Syracusanorum furori, datam â Patre Dionysio, filiam innocentem, popularibûs unguibûs dilacerandam. Aſt, factum hoc non Patris fuit, sed sævioris omnî ferâ, &, propriam in filiam ferocis Tyranni. Tu judex, tu innocentiæ juratus ex officio vindex es; quâ causâ Dei Filiũ, nullô jure postulatum, plebi seditiosæ concessisti?

S. Cyrill. & S. Chrysost. cit. â Sylveira. locô cit. quæst. 3. num. 11.

S. Laurent. Justin de triumph. agone Christi cap. 24.

Plutarch. de natur. Elephant:

Ovid. citat. à Camusio. Homil. 25. de Pass.

VIII. Et hujus, tam crudelis indulgentiæ, tam direè laniatæ innocentiæ nullus ultor, nullus eſt vindex? Curioſô tantùm obtutu temerarii Bethsamites Arcam fœderis offenderunt; *& percussit Dominus de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Nihil violentæ læsionis, minùs tantùm reverentiæ præstitum ab Azotiîs, cæterîsque Philisthæîs eidem reconditorum Dei munerum sacrario fuit: *illîs autem circumducentibûs eam* (Arcam scilicèt) *fiebat manus Domini per singulas Civitates, interfectionis magnæ nimis.* Oblata solùm vasa, sacrilegâ Patris manu Templo sublata, profanô contaminavit abusu, nihil in illis deformando, vel corrumpendo, temulentus Baltasar, Babyloniæ Rex: &, *in eâdem horâ apparuerunt digiti, quasi manûs scribentis contrà candelabrum*, judicium Regis, & excidiũ Regni. Non ipsum Sanctum, sed S. Martyris, & Abbatis Ermenoldi sepulchrũ, impiâ manu flagellare qui præsumsit, è vestigio vindicem DEI manum sensit, ardore, qui primùm in vultu conspicuus factus eſt, in omne corpus, arcanâ depastionê, continuò sæviente, desperatéque miserum absumente. Quantùm superat has omnes, tam severè vindicatas injurias, innocentissimis Christi membris, &, Sacrario reconditæ Divinitatis, Corpori sacro-sancto, per flagellationis atrocitatem

1. Regum. 6. v. 19.

1. Regum 5. v. 9.

Daniel. 5. v. 5.

Surius. Tom. 5. in vit. S. Eremoldi M. & Abb.

illata

illata vis, offenſio crudelis, & ſacrilega læſio? quâ, non lignea fœderis arca, non oblata templo vaſa, non ſepulchrum ſacri corporis; ſed, ſanctus ipſe ſanctorum omnium, & vivum incarnati DEI templum, ipſumquè ſanctiſſimum, non ſolùm inhabitantis, verùm, perſonaliter uniti DEI, corporeum, vivum, ac ſenſibile tabernaculum, impudentiſſimâ petulantiâ, crudeliſſimâque ſævitiâ ſpoliatum, denudatum, profanatum, violatum, flagellatúmque fuit: nec tamen, adverſùs ullum tortorum, vindicatum eſt ab ullo! nullius vel manus obriguit, vel brachium contabuit, vel nervi laxati, vel artus conſtricti, vel corpus exaruit, vel anima, totum jam hominem exuta defecit! Quin etiam, ex ipsâ patientiæ divinæ ſuſtinentiâ, crevit audacior, & auctior eſt facta miniſtrorum ſæviſſimorum inſolentia. Quæſitus fit plauſus ad ictus; &, quantò quisquè, vel, in percutiendo robuſtior, vel, in dilacerandæ carnis perſecutionê crudelior, vel, in verberum fuit immanitate continuandâ pertinacior; tantò, præ cæteris, & majorî ſe dignum laude jactavit, & ſuæ plùs addidiſſe gloriæ, de crimine ſummô, ſceleratiſſimè gaviſus eſt. Ità carnifices Prætorianos Venetorum Patriarcha Juſtinianus accuſavit, lætantes; quòd malè fecerint; &, exſultantes in rebus peſſimis. *Ille, ipſos inter, beatior, illéque præſtantior credebatur; qui in infligendis verberibûs crudelior extitiſſet.* Et iſta non accuſabimus? *Prov. 2. v. 13. S. Laurent. Juſtinian. de triumph. agone. Chr. cap. 10.*

IX. Imponere digitum ori jubeor, & Judaicam nec exaggerare pluribûs, nec accuſare permittor, ex ipſa jactantiâ, tam enormiter offenſi Numinis, auctam, exaggeratámque malitiam: dum ſuâ Forenſi cum Actinê, neſcio quis Heterodoxus, ad ſupremum divinæ juſtitiæ tribunal jam admiſſus, aliam inſolentiam, quam ægerimè tulit hâc tenùs, atque ſubticuit, ulteriùs verò diſſimulandâ, citra criminis contagiũ non eſſe cenſet, accuſare contendit. Et hic, apage ſis, inquit mihi, cum tuîs querelîs de tortorũ inſolentiâ, jubilôque, ſuper immaniſſimô ſcelere flagellati Numinis! Idem eſt, non adverſùs eoſdem, ſed, fidei tuæ ſocios, & ejuſdem, quam ſolam jactatis veram, & ſanctam, Eccleſiæ ſectatores, argumentum Actionis meæ; quam, Forenſem dico, de causâ: cùm eos, agere reos, &, æternâ reprobationê dignos redarguere, fixum animô, decretúmque ſit; qui, poſtquàm ex infamiâ turpiſſimorum ſcelerum, ingentium debitorum nomina contraxerunt, ad pœnitentiam, pro reatu, nè ſæculô quidem integrô ſatis exigendam,

dam (ſi par eſſe veterũ inſtituto deberet) obligati, adeò tamen obligatæ ſatisfactionis imemores, imò, pietati divinæ per inſolentiam ſunt contumaces; ut non tantùm vetera novîs accumulent fœdè facta flagitiîs; ſed augeant etiam vecordiam ſuam: dum inſuper *lætantur, cùm malè fecerint; & exſultant in malîs peſſimîs.* Non eſt hæc, vel unius diei, vel unici tantùm, inter vos, filii Belial iniquitas deteſtanda. Multô jam tempore, multos, hæc abominatio, non mihi ſoli, ſed pluribus mecum, alienis ab Eccleſia veſtra, tam odioſos reddidit, ac execrabiles; ut non pauci noſtrûm per inſolentiam hanc â veſtræ religionis profeſſionê ſint abſterriti; quam de moribûs, quos obſervamus, cenſentes, nequè ſalutarem poſſumus, nequè veram, ſanctámque judicare: dum, neglectâ non tantùm ſatisfactionê, quam neceſſariam tamen prædicatis, omnem in eâ pœnitentiam evacuatam offendimus; verùm, etiam poſt enormia perpetrata, gaudentes, ridentes, exſultantes, & flagitia jactitantes, ipsâque ſuâ de malitiâ, quam DEI diſſimulat offenſa benignitas, gloriantes, audimus indiès, ac cernimus, & gementes indignamur.

X. Itáne verò vos, recta credere, juſta docere, divinique codicis integrâ ſolos gaudere veritate, perſuadebitis ulli noſtrûm, ex catholici nominis, quod jactatis, avitâ felicitate? Monſtrum foret nobis iſta profeſſio; niſi ſecùs, vos quidem ipſos, cum inſolentiâ veſtrâ, feriret, nos autem erudiret antiqua Patrum ſanctitas, & ſevera cenſura. Nam boni *Catholici ſunt*, Auguſtinô docentê; *qui, & fidem integram ſequuntur, & mores bonos*: unde, Leonis ter-mitrati ſententiâ, *fruſtrà utuntur Catholicô nominê; qui impietatibus non reſiſtunt.* Tantùm igitur abeſt; ut, quos præſentî criminationê perſtrictum vêni, catholicos eſſe rear: ut nè chriſtianorum de cœtu cenſeam: cùm eos, timoris divini vacuos, amoris verò prorſùs expertes, â fidei ductu procul errantes, rationis ipſius uſu deſtitutos, &, ab humanitate totâ penitùs alienos, verbô, ſi non atheos, certè mentê captos, inſaniámque cerebri perturbati per jactantiam crepitantem prodentes animadvertam. Sic ipſe judicavit olim Orator aureus: *Grave eſt, & malum, turpia perpetrare: quòd ſi verò quisquam, malè agens, gloriatur, etiam excellens eſt ſtupiditas.* Non qualiscunquè ſtupiditas appellatur, inſolens de commiſſis peccatis gloriatio; ſed, *excellens*: cùm enim omnis peccator, non â legê tantùm, ſed â ſuâ delirare rationê convincatur;

S. Auguſtin. Lib. quæſt. Evang. ſuper Matth. quæſt. 11. Tom 4. pag. 259 A.

S. Leo I. Epiſt. 53. ad Anatol. fol. 114. 2.

S. Chryſoſt. Homil. 18.

tur (cui magìs nihil repugnat; quàm, in exitium laborare proprium; &, adversùs eum hostilî temeritate consurgere; cujus â potestate sic, ùt â voluntate, stat omnis hominum, pendétque, solô nutu, lapsura felicitas) omnem sanè in se rationem prostratam, & protritam esse cum excellentiâ fatuitatis manifestat; qui tantæ potestati, non solùm, per audacem ejus agnitæ voluntatis prævaricationem resistit; sed etiam hanc suam perversitatem, dum super eâ petulanter exsultat, & gloriatur, eidem insultans, exaggerat. Hæc omnia, scriptô præsentî complexus, divino tribunali, dum ferre diutiùs enorme scandalum non potui, pro debitô, cùm honoris divini zelô, tum ipsius hujus, communi bono pernicioſissimæ pestis, & corruptionis excidiô, deferenda censui.

XI. Nequè verò satis est mihi, quæ sunt singulatim per hanc insolentiam admissa, calamô querulô, tanquàm explorata, judicio tuo divino descripsisse. Dum enim loqui fas est, indulgebit etiam æquitas tua, susceptam actionem, ad majorem eorum, quos incuso, confusionem, &, ùt inexcusabilem, sic, & inevitabilem condemnationem, verbîs efficacibûs confirmare. Quis unquàm, non indignatus, audivit: â Salomone, sanum Chamos, idolo Moab, & Moloc, idolo filiorum Ammon, non in urbis angulo, sed editô, excelsôque fuisse structum *in monte*; *qui est contrà Jerusalem*? ut nimirum idololatriam, quam, per mulieres infatuatus, itáque, turpiter aversus â DEO susceperat, per *excellentem stupiditatem*, totius Jerosolymæ conspectui, veluti de Numinê supremô despectô, negatôque triumphans objiceret, &, exsultans insultaret. Meritò vapulavit adeò dementata sapientia, Padillæ stylô subsannantê percussa. *Non frustrà scriptura montis meminit, qui erat contra Jerusalem: ut exinde, omnibus habitantibus civitatem notum esset flagitium, in publicô, & eminentî locô, ubi ab omnibus prospiceretur, & absquè ullâ verecundiâ, perpetratum. Non tam se DEUS infestum manifestat Salomoni, propter execrandum idololatriæ delictum; quàm, propter circumstantiam impudentiæ; quâ, in suâ malitiâ, gloriabatur.* Hæc enim utì fuit extrema, quia per jactantiam elata, cumulatáque velut in montem, & exurgens divinæ Bonitatis offensa; sic fuit etiam dementati regis excellens stupiditas; quam nemo non, etiam non probus, nisì pariter summam per insolentiam improbus, execratus est semper. Nec offendit minùs, majoris insania filiæ Loth, minoris cum delicto sororis, in judicium vocata. Cùm enim utra-

3. Reg. 11. v. 7.

Ildephons. de Padilla, in Habacuc Annot. 10. c. 3. v. 14 Disc. 5. Morall. n. 558.

utraquè ſe patri ſceleratè conjunxerit; utraquè de Patre temulentô conceperit; utraquè partum enixa fuerit inceſtum; majoris quidem culpæ rea, minor videtur: quòd Patrem, ſuâ jam cum ſorore pollutum, non modò non abhorruerit; ſed, jam inceſto, ſeſe ſuper-inceſta miſcuerit. Ità quidem arbitrandum videtur de geminîs, prout adhuc latebant, admiſsîs: expensîs tamen hiſtoriæ ſacræ verbîs, interpretes unanimî ſententiâ majorem filiam, peccatricem etiam judicârunt majorem. *Genſ. 19. v. 37.* *Peperit major filium, & vocavit nomen ejus, Moab*; ſic refert Moyſes: *minórque peperit filium; & vocavit nomen ejus, Ammon.* Qanta nominum diſcrimina ſunt in filiîs? non mirum; quòd ſignanter, mater Moab, *major*; &, mater Amon, appellata ſit *minor*: hæc enim ipſa differentia videtur inter delicta diſcernere; matrémque Moab, ex majorî culpâ, *majorem*; &, Ammon matrem, ex minorî, minorem nominare delictô. *Moab*, idem ſonat, ac, *ex Patre*: quid hoc? ex Patre conceptum, Orbi jactat univerſo filia partum? proh! delicti monſtrum! *Ammon*, quid ſonat? *Populus ejus.* Ità, quæ multiplicavit inceſtum, per ſubjectionis popularis módeſtiam, fit, ac dicitur, *minor*, in delicto: cùm ſoror major, quia ſinè pudore de crimine gloriabatur, minorî ſorore *major* peccatrix, ùt eſt facta, ſic etiam eſt nominata. Nam, ùt antiquâ fidê Rupertus Abbas inquit, *peccatum omnium peccatorum deterrimum eſt: impios lætari, cùm malè fecerint. Et meritò talibus, multus, & inexhauſtus theſaurus repoſitus eſt, iræ DEI viventis.* Meritò, ait: nam exacerbat pietatem divinam, exacuítque juſtitiæ ſeveritatem, inſoleſcens de crimine commiſſô lætitia: totum ut iræ ſuæ theſaurum in eandem exhaurire velle, vel debere videatur; quæ nimirum non reputat, admiſſum fuiſſe delictum; niſi notum inſuper faciat cæteris: quàm parvî DEUS, cùm delinquebat, ab ipſâ fuerit æſtimatus; &, poſtquàm etiam offenſus jam eſt, adhuc æſtimetur. *Rupertus Abbas l. 6. in Apocal.*

XII. Tantâ quid in perverſitate magìs accuſem, non ſatìs habeo deliberatum: an, quòd, obligati debitô gravis piaculi, lætari tamen poſſint chriſtiani? an, quòd, obnoxii tanto debito, noxæquè tam damnabili, gaviſi nihilô minùs fuerint, atquè lætati? Quòdſi conſcii, ſe, Numinis inimicos, odio divino ſubjectos, Diaboli ſervos, & æternîs, eô ſi deceſſerint in ſtatu, ſuppliciîs continuò fore mancipatos: adhæc, ſi ſubitaneam per mortem in barathrum, non ampliùs eluctabile, momentô quôvìs abripi ſe poſſe, detrudíque non ignari,

geſtire tamen poſt peccata nec veriti ſint, nec vereantur: quidnì ſtupiditas in hoc excellens, & extrema malitia, non rudentibûs tantùm, ſed catenîs, &, ferreîs inferni vinculîs conſtringenda, puniendáque ſine finè cenſebitur? Illud autem, quod nos quidem potiſſimùm offendit, Catholicæ verò religionis, in hac inſolentiâ, labes eſt, & injuria maxima, præſens mea criminatio, miſsîs cæterîs, inſenſiſſimè perſequitur; nec, ut prætereundo diſſimulem Actionê ſcriptâ contentus, â me poſſum impetrare. Quod enim in principio Sermonis obiter improperavi, perſuaſum eſt mihi firmiter (cùm de præteritîs reatibûs exſultantes audio) nullum videlicet, apud eos, vel agnoſci pœnitentiæ ſacramentum; vel certè, nullam ejuſdem, inſuper habiti, ſacrilegéque, per abuſum, & injuriam conculcati, qualem prædicant, æſtimationẽ congruam eſſe. Videntur quippè non pauci, vix, cùm ſe de ſuîs reatibûs, & enormibûs etiá, vulgô notîs, criminibûs, pro ſacro tribunali reos accusârunt (ſi tamen accuſationis inſtar eſt judicanda, peccatorum obiter facta narratio; quæ ſinceri vacua doloris, & ſerii nihil habuiſſe propoſiti, multis ex cauſis præſumitur) non magìs inde prodire compuncti; quàm de flumine, cui ſe pro baculo recipiendo commiſerant, egredi ſolent canes, excuſsô ſcilicet humore, vehementiùs latrantes, & avidiùs in ſubtractum ſibi lignum inſilientes; quàm unquàm anteà conſueverant. Eadem etiam apparet illorum, quæ, muralibus in machinis, ſeu, bellicîs in tormentîs abditorũ globorũ eſt, conditio. Nam iſti quoquè, cùm in anguſtias arctari ſeſe ſuſtinuerunt, quaſi ſepulti cenſebantur: ubi verò vel minimam ab igne ſcintillam acceperint, fragore tantô proſiliunt; ut, longiùs etiam remotos, boatu ſuô fulminante perterritos, contremiſcere faciant. Cicadarum, ac iſtorum, viſæ ſunt, ſimiles planè, proprietates Mediolanenſium Doctori. Nam & illæ, cùm æſtus urget, volatum contrahunt, & arborum ſub umbrâ quietæ ſilent: receptô, poſt modicam refrigerationem, priorî vigore, tota rursùs eſt canora cicada. Nihil minùs agit impœnitens inſolentium iſtorum pœnitentia. Dum urgentur præceptô, vel, incuſſô forſan gehennalis incendii metu; ſub Crucis umbram confugiunt; cujus virtute pœnitentes ab infernalis æſtûs periculô ſacerdos abſolvit: ubi dimiſſi reatûs confidentiâ refrigerari cœperunt, eadem, citò cadens, cicada, cùm ſaltitare, tum cantillare, verbô, jubilare de priùs actîs per-

S. Ambroſ. Lib. 1. Epiſt. 6.

percipitur. Quin & iidem, qui per arcanam confeſſionem ægrè ſua flagitia ſacerdotalium aurium anguſtîs quaſi canalibûs abdiderunt, inſtar globorum, tormentîs bellicîs abditorum, eadem paulô poſt, menſas inter, & pocula, dum exiguæ tantùm occaſionis modicam perſenſêre ſcintillam, ſuæmet quaſi, quam egerant, explosores pœnitentiæ, non ſinè præſentium horrore, graviorîque Numinis irritationê, plaudentes ejectant: prout audiviſſe ſe, faſſus eſt S. Auguſtinus: *Audiebam eos, jactantes flagitia ſua; &, tantò gloriantes magis; quantò magis turpes erant.* Nec temerè canibus, ex aqua progreſſis, iſtos, ex ipſo pœnitentiæ lavacro vix digreſſos, magísque ſubinde, quàm priùs, latrantes, & exſultantes, aſſimilavi. Dum enim objectum ſibi ſalutaris Crucis baculum, in illô Natatoriô, ſanguinis divini meritîs plenô, cum perſuaſæ ſalutis, præfidentiâ magis, quàm verâ confidentiâ, raptim cœperunt, continuò ſe notis iterum circulis ingerunt, excuſſóque madore, quem anguſtia potiùs, quàm pietas, ac devotio ſincera cauſavit, id ipſum, de quo pœnituiſſe credebantur, ridentes enarrant, jocantes extenuant, &, quaſi pœnituiſſe pœniteret, adeò non deteſtantur, quæ ſibi remitti poſtulârunt: ut & ipſam ſui, quam fecerant, accuſationem incuſent; & conſcientiæ ſuæ per jactantiam inſolentem oblatrent, non ſinè pudore præſentium; utì teſtatus eſt ipſe S. Bernardus:

S. Auguſt. Lib. 2. Confeſſ. cap. 3.

Pudet reminiſci quorundam tantam proterviam: ut non pudeat eos, cum exſultationê, lugenda jactitare. *S. Bernard. ſerm. 16. in Cant.*

XIII. An autem hæc impietas, hæc inſultatio, petulánsque protervia, Pœnitentiæ nomen, vel judicium promêretur? An talî ſcelerum confeſſionê, tam ſacrilegâ ſalutaris remedii corruptionê, tam ſcandalosâ myſterii ſacro-ſancti profanationê, debitorum veterum expunctum eſſe nomen, ſatísque Divinæ factum juſtitiæ, pro ſcelerum antiquorum obligatîs reatibûs exiſtimandum eſt? Unde quicquam horum exploratum, vel tenuî ſolùm de conjecturâ, credibile nobis reddetur? An doluiſſe, cordêque fuiſſe contritô cenſendi ſunt; vel, ob illatas Bonitati divinæ, tam enormes injurias? vel, ob amiſſum, cum gratiâ, pignus hæreditatis æternæ? vel, de divini ſanguinis evacuatâ virtute, fruſtratôque totô pretiô redemtionis infinitæ? vel, ob fœdiſſimam, quam ex flagitiis contraxerunt, animæ turpitudinê, ipſámque, quæ malitiæ peccatorum ineſt, abominationem? Quis perſuadere ſibi, ſincerum dolorem, & compunctionem veram illis in cordibus fuiſſe, poterit?

terit? quæ continuò, quod abjeciſſe cum execrationê putabantur, cum exſultationê recogitant; &, factum â ſe fuiſſe non tantùm non erubeſcunt, nec dolent; ſed, â cæteris etiam, probari volunt, cùm jactant? Quis voluntatem integram, non iterandi malè facta, præſumet illos habuiſſe, cum decreto mentis, ad ſeriam vitæ prioris emendationem obligatæ; qui veterem ad conſuetudinem â ſacro reverſi judicio, continuò, non ipſi tantùm animô verſant complacentê præterita (rei rurſùs eorundem ſpeciê criminum, quorum veniam poſtulârunt) ſed etiam, aliis decantando, quæ deplorata debuiſſent eſſe, recantant omnem, quam cenſebantur habuiſſe, pœnitentiam? Et hoc, pro debitîs feciſſe ſatis, exiſtimandum ſit? hoc, pœnitentiam egiſſe, credendum ſit? in quo defuiſſe, cum dolore debitô, propoſitum non peccandi de cætero, convincitur adeò manifeſtè: de præſtitîs autem, dignîs pœnitentiæ fructibûs, & obligatis temporaneæ ſatisfactionis operibûs, quæ neceſſariò præſtanda ſciunt, credunt, prædicant, nè minimum quidem ſignum, vel ſtudium, vel conatus apparet? Ipſi vos, Patres veſtri, Doctorésque ſacri criminantur: non tantùm nihil, in his inſolentiis, ineſſe veræ pœnitentiæ cenſentes; ſed eas inſuper, & accuſantes, & graviſſimè condemnantes.

XIV. Nôſtisnè; quid Patavinus ille Thaumaturgus decreverit pro ſuggeſtu? *Non fugitur ira, ſatisfactionê contemtâ; quam, qui non habet, perfectionê pœnitentiæ caret.* S. Anton. Patav. Dom. 4. poſt Trinit. Noviſtis; quid Villanovanus Præſul, pro concione, docuerit? *Pœnitentiæ fructum non percipiunt; qui indignè, & tepidè, ſinè dolore, & compunctionê accedunt.* S. Thom. de Villanova. Dom. 4. Quadrag. Abſalonis Abbatis non eſt ignotum dogma: *Fruſtratoria eſt illorum pœnitentia; qui, quâdam conſuetudinè temporis tracti, ad horam dicunt, ſed non deflent, peccata ſua: quippè ſtatim deponunt onus ſatisfactionis, reverruntur ad vitia, bibunt calicem confuſionis, uſquè ad fœcem; & fiunt noviſſima talium pejora prioribûs.* Abſalom. Abbas. ſerm. 17. de Quadr. Nec Hilarii vos latet effatum: *Vera peccati confeſſio eſt; ſinè intermiſſionê temporis pœnitere: peccati verò pœnitentia eſt; ab eo, quod pœnitendum eſt, deſtitiſſe: nec priores,* quod S. ajebat Auguſtinus, *vulnerum cicatrices reſauciare.* S. Hilar. in Pſalm. 118. v. 136. S. Auguſt. ſerm. 66. de temp. Quod quidem, per jactantiam fieri, jam ſatis luculenter accuſavi; dignum verò damnationê divinâ, quia commiſsîs prioribûs peccatîs deterius, ipſe Pater Africanus ità diſertè pronunciavit: *Nullum ſcelus coràm DEO tam abominabile fit; quàm, præterita peccata reminiſcendo, gaudere; & indè exſultare.* S. Auguſt. de ſalutar. Hoc enim eſt (ſed alienô prorſùs, ab

animo

animo pœnitentis Regis, ingeniô) *cinerem, tanquàm panem manducare; potúmque, cum fletu, miſcere*, non cum ſolius catholicæ, ſed univerſæ fidei chriſtianæ calumniâ; quam exinde, Gentes (cùm audiunt, in conviviis, & inter ſympoſia, nefanda quæquè, quæ manè forſan, per coactam frigidè defleta fuêre pœnitentiam, jactanter prolata) chriſtianis improperare conſuevêre; prout idem ſanctus Pater ingemuit: *Hodiè Paganorum opprobrium*, ait, *quale in nos eſt? Quid eos putatis dicere? Vos corrumpitis diſciplinam, morésque generis humani pervertitis: dando hominibus pœnitentiæ locum, &c. Hinc ergo opprobrium: quoniam cinerem, ſicut panem manducavi; & potum meum cum fletu miſcebam.* Nec ethnicorum tantùm eſt hoc opprobrium: ſed nos ipſi, quot jam ſuſpiriîs, adverſùm tantam iniquitatem, nobis, ùt ſcandaloſam, ſic & intolerabilem, excitare tribunal juſtitiæ divinæ contendimus in vindictam? Ore vatis clamavimus: *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum! tranſierunt in affectum cordis! Cogitaverunt, & locuti ſunt nequitiam: iniquitatem in excelſo locuti ſunt! Poſuerunt in cœlum os ſuum, & dixerunt: quomodo ſcit DEUS? &, ſi eſt ſcientia in excelſo?* Et hoc illi chriſtiani, qui verâ fidê, ſolâque ſuâ, quam catholicam prædicant, Eccleſiâ gloriantur? hoc iſti, poſt horrenda flagitia, poſt criminum ſuorum accuſationem voluntariam, & rationes, cum offensâ DEI Majeſtate confectas, &, poſt publicam pœnitentiæ profeſſionem, inſolentiſſimam per jactantiam effutire ſunt auditi? ſcilicèt, in omnium ſuorum exaggerationem delictorum, *cooperti iniquitate, & impietate ſuâ!*

Docum. cap. 11. poſt. med. Tom. 4. pag. 752. D.

Pſalm. 101. v. 10.

S. Auguſt. in. Pſalm. 101. v. 10.

Pſalm. 72. v. 7. & ſeqq.

Pſalm. 72. v. 6.

XV. Quid verò mitiùs, in hac iniquitate tantâ, vel cogitandum, vel accuſandum eſt; atquè, crudeliſſimorum Chriſti tortorum, & carnificum in immanitate fuit? quam, ùt rationis omnis expertem, alienam ab omni prorsùs humanitate, diabolicam prorsùs, nominatam, &, extremas in pœnas vocatam audivi: quòd, poſt iteratæ flagellationis tormenta, vulneráque vulneribûs exaſperata, veluti rê præclarè geſtâ, non ſolùm pœnitentiæ ſignum nullum, nullúmque dolorem teſtati, ſed, gloriati fuerint potiùs, de ſanguinis divini copioſâ profuſionê, de verberum inflictorum indefeſſâ multiplicationê, de corporis innocui per exaggerata vulnera crudelî dilaceratione, concertantes, & exſultantes? Minùsnè rei Chriſtiani? quos inter, *vitium*, utì Divus Chryſoſtomus accuſavit, *in tantum invaluit; ut ſibi placeat? &, quod eſt gravius; ut non erubeſcant?* &, quod eſt graviſſimum, accuſante Doctore gentium; ut ſit,

S. Chryſoſt. in Pſalm. 9.

etiam

Philipp. 3. v. 19. etiam *gloria in confusione eorum?* ac, de eô glorientur, & lætentur; quod erubescere deberent, ac deplorare, cum perpetuâ solicitudinê satisfactionis, pro debitorum enormitate pendendæ? Nam, utì nôrunt, ex Eusebii præscripto, *non levi agendum contritionê; ut debita illa redimantur; quibus mors æterna debetur: nec transitoriâ opûs est satisfactionê pro malis illis; propter quæ paratus est ignis æternus.*

Euseb. Emissen. Homil. ad Monach.

XVI. Vultis, ut meũ de vobis judicium aperiam? non ex eô tantùm; quòd (utì regius vates, cum Jeremia, deprehendit, ac reprehendit) facti estis, sicut *equus, & mulus*: sed, quòd hæc protervia, sicut rationem evertit, sic, in similem vos, cum brutis illis, jactantiam brutalem convertat. *Pleríque enim equorum*, (Ambrosiô magnô Patre sic obsservantê, & arguentê) *cùm ceciderint, se jactare consueverunt; &, quos casus non læserit, se jactando debilitant, & frangunt.* Intelligitis jam apodosin ipsi; quibus peregrinum non est: periîsse jam plures, ob jactantiam, in ipso scelerum plausu correptos, & fractos ab ultrice justitiâ divinâ; quibus, de casu præteritô, nisi malitiã pejor adhuc insolentia superâsset, indulta pœnitentibus venia fuisset. Sed qualis est vestra, *talis* visa fuit quondã, in vobis, ipsi Salomoni, *via mulieris adulteræ; quæ comedit, &, tergens os suum, dicit: non sum operata malum*: scilicèt, nequè pœnitentiâ dignum id existimans; quod, fecisse gaudet, & gloriatur. Videtur in vobis, *frons meretricis facta*; quæ cum illo monstro, non Cæsarum solùm, sed hominum, Caligulâ, etsi non disertè, verbîs tamen, ex iniquitate plaudentibûs, fatetur: *Ego nihil magis in naturâ meâ probo; quàm, inverecundiam.* Eôdem, contrà DEI benignitatem, vitiô vos perversos invenio; quô Vatinius, in Cæsare, factus est offensæ reus humanitatis universæ: dum, bis ab eodem in capitali crimine vindicatus, &, assertus â morte, non tamen eidem desiit insultare, convitiator pro beneficio factus. Similis est, ex ingenio, malitia vestra turpissimo Romanorum, &, nominari vix digno, Fimbriæ; quem, post lethale vulnus Q. Scævolæ, viro, prout ipse locutus est Cicero, sanctissimo, crudeliter inflictum, adeò non pœnituit; ut coràm judicibus ipsis conqueri sit ausus: quòd non penitùs interfeciisset. Quid enim huic immanitati par non habet vestra jactantia, de Servatoris vulneribûs renovatîs, & sanguinê conculcatô; &, (quantùm quidem in affectu, conatúque, perversæ fuerat voluntatis) de, rursùs in crucẽ acti Domini, truculentâ persecutionê, vestra, quàm insana, tam inhumanâ gloriatio?

Psalm. 21. v. 9. Jerem. 5. v. 8.

S. Ambros. Apologo 1. de David. cap. 9.

Proverb. 30. v. 20.

Jerem. 3. v. 3.

Cornel. à Lapide in loc. cit. Jerem.

Cicero. pro Roscio.

XVII. Nec

XVII. Nec adhuc, etiam tantæ veſaniæ, pudor ullus, aut pœnitentia, vel erubeſcere vos facit, vel contremiſcere, vel ingemiſcere? Quid hoc, nìsì veſtræ perditionis, atquè damnationis indicium non ſolùm, ſed judicium eſt, ipſis â gentilibûs in vobis animadverſum, & adverſùm vos pronunciatum? Ità Plautus judicavit: *Ego illum periiſſe dico; cui quidem perijt pudor.* Nec aliter Seneca cenſuit, inquiens: *Tunc eſt conſummata infelicitas: ubi turpia non ſolùm delectant; ſed etiam placent.* Quid mirum jam? ſi Cornelius, divinorum oraculorum interpres, non abhorruit, quaſi de ſalute veſtrâ deſperatum, aſſerere: *Magnum prognoſticum ſuæ damnationis habet; qui in ſcelere gaudet.* Tamen ex magni Doctoris, & S. Papæ veſtri, Gregorii ſententiâ, *certum eſt apertæ deſperationis indicium; ſi verecundia non ſequatur peccatum*: quod, Claræ vallis Abbas, planè dixit, *mortis ſignum, & damnationis indicium.* Nequè tamen ad hæc omnia trepidatis, nequè perſentiſcitis quicquam formidinis, ex hoc adeò terribili perditionis agnitæ præjudicio? quod veſtro de riſu, veſtris ex jocis, eâque de veſtrâ, quam nec in graviſſimis flagitiis diſſimulare poteſtis, imò palàm jactatis, cùm impudentiá, tum inſolentiâ, Patrum authoritas gravis, & ſacra, nullâ dubitationê, ſed, velut acceptâ de cœlô, vel inſpectâ, cœleſtis juſtitiæ ſententiâ pronunciavit.

Plautus. in Bacchid.

Seneca. Epiſt. 39.

Cornel. à Lapide in cap. 19. Eccli. v. 6.

S. Gregor. in Pſal. 1. Pœnit.

S. Bernard. in medit. cap. 12.

XVIII. Ego tam exaggeratæ malitiæ jam nihil aliud addendum porrò cenſeo: dum, quæ ſingulorum ſunt, hujus criminoſæ jactantiæ delicta, præſentî ſcriptô complexus, divino tribunali cuncta ſubjicio; non, odiô religionis, aut, privatô quôdam vindictæ zelô, præpoſterè concitatus; aut ſtudiô partium noſtrarum in transverſum abreptus: ſed, quia tantam injuriam, cum contemptu divinæ Majeſtatis, nec ampliùs audire potui; nec animô, toties audita, premenda diutiùs, in poteſtate meâ ſenſi. Adhæc & noſtram plurimorum cunctationem, quæ nos ab Eccleſiæ Catholicæ communionê, tam diù, cæteroquin vehementer ad unionem inclinatos, retinuit, hâc potiſſimùm ex causâ firmatam, ejuſdem accuſationê ſimul excuſandam duxi. Pridem enim eſſet eadem vobiſcum, & una, fidei noſtræ confeſſio; nec divideret inter nos ulla judiciorum diſſenſio: ſi ſanctior in vobis fuiſſet myſteriorum divinorum uſus; & pœnitentiæ frequentatio religioſior; &, ùt modeſtior poſt commiſſa peccata compunctio; ſic, & ſtudioſior, poſt accuſata, cùm ſatisfactio, tum emendatio.

XIX. Novimus ab ipſo Me-

diolanenſium Antiſtite, Doctore, non ſinè gravî querelâ, parîque dolore, perverſitatem iſtam, tam â fidei Chriſtianæ puritate, quàm ab hominum, rationê pollentium felicitate prorsùs alienam, imò multîs brutîs animantibûs (quibus, poſt naturæ conſueta, pudor quidam ingenitus tenebras, latebrásque perſuadet, aut imperat) inferiorem judicatam, accuſatámque fuiſſe. Non poſſum ejus verba, quæ ponderis multum continent, actionis hujus meæ confirmationi poſtremæ denegare. Sic enim ipſe cenſuit: *Multîs animalibûs deteriores æſtimandi, qui ſe in flagitiis ſuis jactant; & putant, inſigne eſſe virtutis; ubi lapſus eſt criminis. Sed, pleriquè in ſuîs lapſibûs gloriantur, & putant, ea laudi eſſe; quæ criminis ſunt: ſi alienum coinquinavit torum; & pudicæ fœminæ expugnavit affectum: ſi viduæ propoſitum aliquâ fraude mutavit. Alius, necem hominis, latrocinii inſidias, &, raptê vivere, putat eſſe virtutis. Nonnulli, circumvenire, & fallere, arbitrantur eſſe virtutis.* Hæc enim, & ejuſdem, atquè turpioris adhuc malitiæ plura, cum riſu, cum plauſu, cum exſultationê narrantur facta, jactantur impleta, triumphos inter, & victoriarũ inſtar; &, acſi reſtrenuè geſtæ, laudêque dignæ forent; vellémtque gratulationem extorquere de Numine offenſo, de naturâ violatâ, de honeſtate expugnatâ, de virtute demùm universâ profligatâ, cum ingentî jubilô memorantur.

S. Ambroſ. Apol. 1. de David. cap. 9.

XX. Et hæc, inulta, tam inſolens erit impietas? juſtiſſime DEUS! Non illa, quod Apoſtolus tuus minatus fuit, experietur? *Riſus veſter in luctum converatur; & gaudium in mœrorem!* Eſt peccantibus nobis de tuâ pietate certum ſolatium; cùm pro malè factîs pudor, & confuſio contritos, & humiliatos, pro veniâ ſupplices facit: quia *Cor contritum, & humiliatum DEUS non deſpicies.* Aſt, ubi, poſt commiſſa flagitia, *tenuit eos ſuperbia*; ſeu, quod ex Chaldæo legimus, *coronavit eos ſuperbia, coroná, quam imponunt capitibus ſuis, è rapina ſua,* gloriantes inſuper, &, velut in triumphum extollentes flagitia ſua, coronam inde, gloriámque jactantes: nunquid, per eundem regium Vatem, tua jam decrevit juſtitia, ruinam, & interitum huic iniquitati, ſubjunctâ ſententiá: *Operti ſunt iniquitate, & impietate ſuâ?* Operiri igitur ab eâdem, quam ſic efferunt inſolenter, impietate ſuâ, & obrui, ac, velut pondere ſuum in caput accitô detrudi, deprimíque merentur in damnationem? Æquiſſime DEUS! audin' cùm Iſaia clamantem? *Peccatum ſuum, quaſi Sodoma, prædicaverunt, nec abſconderunt!* audies igitur etiam, cum eodem, exclama-

Jacob 4. v. 9.

Pſalm. 50. v. 19.

Pſalm. 72. v. 6.

Chald: Panrapbraſt.

Iſaiæ 3. v. 9.

clamantem? *Væ animæ eorum! quoniam reddita ſunt eis mala.* Non ſtatuet id æquitas tua; quod humana pietas eidem, & proprium, & omninò conveniens, & æquiſſimum eſſe judicavit? *Peccator, qui non ſolùm peccata commiſerit* (ità tui ſcripſit interpres Apoſtoli) *ſed ſibi de ſuo peccato blandiatur, ſe laudans ex eô, de quo juſtiſſimè erubeſceret, ità DEUM irritat; ut reus omnium maledictionum judicetur: &, ut nomen ejus, tanquàm execrandum, de memoriá hominum deleatur; ultimæquè perditionis ruinæ addicatur. Et jure meritò quidem. Qui enim ità peccat, omnî veniâ oſtenditur indignus. Cùm enim venia exigat ſupplices; & ille tantùm abſit â ſupplicis humilitate; ut potiùs de ſuo peccato gaudeat, & ſuperbiat; non, quaſi pœnitens, eſt admittendus ad veniam; ſed, quaſi contumax, & obſtinatus, ultimæ pœnæ addicendus.* Id criminis fuit in primâ malitiâ mundi totius corrupti: non enim peccatores erant ſolùm; ſed, inſuper impudentes, qui graviſſimîs in delictîs animum non contraxerunt, ſed extulerunt. *Erant* enim *in diebus, antè diluvium, comedentes, & bibentes; nubentes, & nuptui tradentes, usquè ad eum diem; quô intravit Noë in arcam:* ac ſi nullum ſcelus perpetrâſſent, nullâque delicti gravitate tenerentur obnoxii divinæ juſtitiæ debitores. Unde æquitas tua, non tam peccatîs, quàm, peccatorum inſolentiîs excitata, pœnas indictas vicenîs annîs priùs inflixit; quàm infligendas prædixit. Sic docuit nos Chryſoſtomus: *viginti annorum ſpatiis computatîs induxit diluvium: quia pœnitentiam agere contempſerunt*; & etſi peccatores, de ſuîs tamen peccatîs, quaſi complacere ſibi, ſuarum actionum hilaritate teſtabantur. Tales ſunt, iſti omnes. Idcircò cum ſervo tuo, mitiſſimô Moyſe, vocem deniquè extollo, contrà furorem hujus inſolentiæ: *Dominus non ignoſcat ei! ſedeant ſuper eum omnia maledicta, quæ ſcripta ſunt in hoc volumine! & deleat nomen ejus ſub cœlo; & conſumat eum in perditionem!*

S. Chryſoſt. citatus & Zuleta. locô cit. §. 28. n. 3.

Deuteron. 29. v. 20.

XXI. Fateor! ſum ipſe perterritus, & exaggerationê tantâ perverſitatis incuſatæ perculſus intimè. Non eſt enim exiguus eorum numerus; quos hæc actio criminoſa perſtringit, & energiâ terribilî, manifeſtâque veritate, cujus nè quidem apex vel in dubium revocari poteſt, vel abnui, convictos tenet, atque damnabiles. Nisì prævalens, infinitâ quâdam authoritate, partes accuſatorum tueatur Advocatus; non eſt, qui cauſam vindicet conclamatam, ſcriptîs inſuper innumerîs, divinorum oraculorum præjudiciîs, confirmatam. Aliquid video, vobis in ſpem erigendis; nè deſpondeat omninò rea confeſſio. Scribit enim, & quidem, parî tortorum ſuo-

Zuleta in Epiſt. S. Jacobi. cap. 4. §. 40. n. 3.

Matth. 24. v. 38.

rum insolentiâ merum in vulnus dilaceratus, ex ipsô, qui de vulneribûs ruptîs fluxit abundanter, sanguine suô, pro causâ vestrâ tot allegans leges; quot guttas cruoris profudit: tot opponens indulgentiæ argumenta; quot vulnera sauciatus admisit: tot patrociniîs deniquè vestram sublevans, & erigens causam; quot ictibûs, per insolentiam concertantem inflictîs, prostratus ipse tantùm non totus interiit. Hoc certum habetote: *Totum, quidquid egit in carne, preces sunt, & supplicationes, pro peccatis humani generis: sacra verò sanguinis ejus fusio, clamor fuit validus.* Quisquis hujus particeps esse vult efficaciæ, subscribat continuò: Volo me seriò emendare. *S. Ambros. & Remig. in Epist. ad Hebr.*

FERIA III.

POST DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ.

SERMO DECIMUS QUINTUS.

In Foro III. Justitiæ Divinæ; seu Prætoriô Pilati,

Fundendi sanguinis judicio Præfecti.

Actio X. Legis Agrariæ:

L. Agr. ff. de Term. moto.

Contrà eos parata;
Qui terminum locô moverunt, vel ejecerunt,
Per Libidinem videlicet, cùm naturæ, tum honestati violentam,
Terminos legum omnium violantes.
Evertitur autem per Anteoccupationem,
Ab Advocato, causam desperatam vindicante,
Ab, inevitabilî aliàs, judiciô Damnationis.

Actoris X. locum præoccupans ipse Christus, Advocatus,

Maleficos, adversùs sextum Decalogi Præceptum,
Omnî nomine turpitudinis reos, & inexcusabiles,
Per suum tamen sanguinem, è vulnere in Lumbis acceptô, profusum,
Efficaciâ irrefutabilî vindicat â sententia mortis.

Mysterium X. Et Patrocinii sucepti Argumentum.

Crudelium Tortorum immanitas in Flagellatione Christi;
Quâ, lapsum in terram, & suô natantem in sanguine Servatorem,
Iteratâ sævitiâ crudelissimè dilacerârunt in lumbis.

Tessera.

Teſſera. Convulneraverunt Lumbos meos.

Job. 16. v. 14.

Eccleſiaſtes ab aditu ſuggeſti ſe conſternatum exhibet populo, proferens, velut repertum in pulpito, decretum horribile, ſubſcriptum.

I. QUid hîc ſe mihi? &, unde miſſum, aut allatum eſt in pulpitum, ſcriptum iſtud? Jeremiæ nomen ſubjectum eſt, locús que notatus inſuper, ſeptimi Capitis. Videamus, quid contineat. Heu me! quid conſilii? Terrificum eſt, quod lego: neque tacere tamen, vel diſſimulare quicquam, liberum eſt mihi; ſed cogor totum, proùt accepi, referre. *Noli orare pro populo hôc; nec aſſumas pro eis laudem, & orationem; & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te. Nonnè vides; quid iſti faciunt, in civitatibus Juda, & in plateis Jeruſalem? Nunquid me ad iracundiam provocant? Nonnè ſemetipſos, in confuſionem vultûs ſui? Ideò hæc dicit Dominus DEUS: Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur ſuper locum iſtum; ſuper viros, & ſuper jumenta (ſuper jumentâ!* quàm eſt hoc terrificum? neque nominê quidem ira Domini dignatur mulieres: dum, *ſuper jumenta*, viris conjuncta, furorem conflatum exprimit, & minatur, inexorabilem. Forſitan? quia, per Joëlem, eaſdem Dominus, in fœtore luxuriæ deteſtatus, & execratus, dixerat: *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo. Non enim homines, ſed jumenta declarantur, carnales homines*, interprete magnô, ſanctôque Papâ, Gregorio) Quid tandem ſequitur? *Et ſuccendetur*, ſcilicèt, indignatio mea; &, *non extinguetur*. Ideò vetat: *noli orare &c. &, non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te!* Ergo decretum eſt, in abominandæ luxuriæ peccata, ſupremum judicium, diſtrictæ ſententiæ rigor, defenſionis præciſæ ſeveritas, nullîs precibûs, nullius interventu patrocinii, nullîs excuſationibûs, aut rationibûs mitiganda, vel inclinanda, vel exoranda? Nulla veniæ ſpes, maleficis porrò relicta; ſed, cauſam conclamatam, condemnatam, ac deploratam habere cenſendi ſunt: quibus Advocati patrocinium omne non ſolùm negatur; ſed, præſens etiam, non admittitur; interveniens, non ſuſcipitur; intercedens, non exauditur; imò, rejectum interdicitur, &, aſſumi prohibetur. Periîſtis ergo, miſerrimâ ſorte, patrocinii legum omnium exſortes! dum nemini, veſtro licet, in crimine loqui; nec integrum ulli, quicquam allegare pro libidine; quæ nihil non eſt illicitum auſa; quæ fines omnes naturæ, rationis, ac decori totius, & honeſtatis tranſiliens, terminos omnes commovit, evertit, & ejecit, nullîs conſtringi ſeſe præceptorum, tam-

Jerem. 7. v. 16. 20.

Joël. 1. v. 17.

S. Gregor. Lib. 24. Moral. c. 8.

divinorum, quàm humanorum passa limitibûs, execrabilis, & abominabilis idcircò facta tribunali vindicis justitiæ divinæ. *Sicut enim iniquum est*, judicê S. Augustinô, *aviditate possidendi, transgredi limites agrorum: ità & iniquum est, libidine concumbendi, subvertere limites morum.* Unde, quemadmodũ indigni sunt beneficiô legis, vel, minimâ decretæ mitigationê justitiæ; qui fines omnes, terminósque transgressi, nullîs coërceri limitibûs, effrænia sua desideria sustinuerunt, quidquid lubebat, liberum sibi, licèt nulli licitum, arrogantes: ità, qui per libidinem, omnes, rationis, ac legis limites excutientem, nihil non ausi sunt, omnî quod jure vetitum erat, nullâ merentur, ab interitu, legê defendi, vel divinæ subtrahi justitiæ; cujus omnia fuerunt in jura, cunctas in leges, & universa mandata, sanctissimáque decreta protervi, perfrictâque fronte contumaces. Humanîs enim institutîs, *legis auxilium frustrà invocat, qui committit in legem. Quod non solùm procedit, in delinquente contrà legem; sed etiam in eô, qui legem contemnit. Contemnens enim, vicissim â legê deseritur.* Quantò magis id sentire merentur; quibus, ùt humana, sic divina, pro carnis concupiscentiâ, fuerunt insuper omnia?

S. Augusti. Lib. 15. de Civit. DEI.

Barbosa, Lib. 6. cap. 27. axiomat. 7. l. auxilium. 37. §. 1. vers. in delict. ff. de minor.

Ibid. §. 5. in fine Inst. de hæred. qual. & diff. l. 2. C. quand. & quibus.

II. Quid moror in causâ, continuò pronunciandâ? *Judicium sedit, & libri aperti sunt.* Quàm severos intueor vultus? quàm contractas, inexorabilem in rigorem, utriúsque Senatûs, & rugas frontium, & acies oculorum video? Longus hinc, ab ipsô Ducê Moysê, Prophetarũ veterum ordo, Salomonem, cum Jobo, socium habens, terribilibûs occupatus est præjudiciîs conscribendîs, ad ultricem sententiam in homines, jumentis similes, Deíque sui, naturæquè totius, ac rationis oblitos, extorquendam â justitia divina. Alterum latus, â throno judicis, implet, ab Apostolîs continuatâ seriê, considens antiquorum Patrum severitas judicialis, ipsa quoquè libris intenta suis; atquè sententiis immutabilî superciliô, terribiliter, illis affixa; quibûs, cùm adhuc inter mortales alienam procurârant salutem, divina comminari judicia, sceleribûs avertendîs conati sunt. Aliquid, præsens hic horror superni consessûs, habere simile videtur illius; quem congregatum aliquando, nocte quidem cæcâ, sed luminê desuper illapsô collustratus, in S. Mauritii templo vidit, Fridericus, quidam Ecclesiæ Magdeburgensis Canonicus, adversùs Udonem illum, quàm infamem, ac nefandum, tam diffamatum, ac famosum ab execrandîs libidinibûs, indignissimũ Ecclesiæ Parthenopolitanæ seu,

Daniel. 7. v. 10.

Chrysog. in mund. mar. de Immac. Concept. B. V.

ſeu, virginei nominis prærogativâ nitentis, mitratum Paſtorem, coram illô cœlitum terribili ſenatu, de flagitiîs, ac turpitudinibûs enormibûs accuſatum, judicatum, condemnatum. Quisnam verò ſit maleficus iſte ſpecialis? contrà quem, ad ſententiam fulminandam, tantus è cœlo Senatus Doctorum, Patrum, Apoſtolorúmque, cum Prophetîs convocatus, pro tribunali divinæ juſtitiæ conſidet, exploratum omninò non habeo: cùm, ex Athenienſium veterî, judiciorum capitalium ritu, non in faciem ſolam, & caput hujus criminaliter delati, ſed, in omne corpus, defluum velamen atrum injectum ſit; ſub quô, num homo latrat, brutum olens? an brutum, hominis nomen per ſpeciem externam infamans contegatur? diſcernere ſatis non valeo. Perſuadet autem ipſa cum primis Majeſtas judicis; tum verò ſacra congregati Senatûs authoritas (cujus judicium, per Syracidem, non jumentis inſipientibus, nullâque libertate gaudentibus indictum eſt; ſed laſcivo juveni, vias cordis, in oculorum ſuorum intuitu decurrenti) totum hoc theatrum ſuperni rigoris non aliud in caput ſuas omnes contorquere ſententias; & antiqui juris, præjudiciô pœnarum jam inflictarum confirmata decreta; quàm, illum in reatum; cui, per ſingulare mandatum, omnis eſt ſubtracta defenſio, nullum indultum patrocinium, interdictum cujuslibet Advocati ſuffragium: utpotè, quem, ob fœdiſſimos libidinis exceſſus, violata natura, ſubverſa matrimonii jura, corrupta virginalis integritas, offenſum utriúſque ſexûs diſcrimen, protrita ſanctitas vidualis, innocentiæ teneritudo, per crudelem expugnata violentiam, &, quidquid purum, ac mundum, caſtum, ac integrum, ſanctum deniquè, Deóque conſecratum, aut, per concupiſcentiam pellacium oculorum, aut, per inſolentiam procacium verborum, aut, per enormem impudentiam auſuum petulantiſſimorum, læſum, pollutum, perverſúmque, dudum jam queſtubûs horrendîs reum accuſavit, judicari poſtulavit, condemnari deniquè, tollíque penitùs, in hunc uſquè diem expectavit.

III. Et in hoc judicium, adverſùs hunc, obſcuri quidem nominis, ac vultûs, reatum tamen criminoſiſſimum, omnia, quantùm aſſequi contemplanti licuit, cùm Prophetarum, tum cæterorum, quos dixi, ſcriptîs exarata, pridem publicata, confirmatáque, jam verò divino tribunali producta rurſùs, & ingeſta, conſpirant oracula. Moyſis

Fulgoſius, Lib. 9. cap. 12.

Eccleſ. 11. v. 9.

sis postulatum est : ut ex eô, quod olim scriptâ fuerat legê sancitum, decerneretur, pro criminis æqualitate, supplicium : *Declinâsti â viro tuo, atquè polluta es; & concubuisti cum viro altero : his maledictionibus subjacebis. Det te Dominus in maledictionem, exemplúmque cunctorum in populo suo : putrescere faciat femur tuum ; & tumens uterus tuus dirumpatur. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum ; & uterô tumescentê putrescat femur!* Pariter exigit & illud, quod, in Deuteronomiô promulgare debuit : *Si dormierit vir cum uxore alterius, utérque morietur ; id est, adulter, & adultera.* Deniquè : *Si non est in puella inventa virginitas ; ejicient eam extrà fores domûs patris sui, & lapidibûs obruent viri civitatis illius ; & morietur : quoniam fecit nefas in Israël ; ut fornicaretur in domo Patris sui.* Quibus tandem, pro clausulâ, subjicit magnus ille DEI nomine legifer : ut meminerit Judex ; quod minaciter suum olim per Vatem prædixit : *judiciô contendam tecum ; eô, quòd dixeris : non peccavi.* Quid hæc memorialia Decretorum antiquorum, tantam cùm ingerant severitatem, non obtinebunt ? Accedit (quia fortè misericordiam consecutus) etsi contrà semetipsum, pro veritate tamen, & criminis objecti fœditate, postulatus Assessor Salomon, divini spiritûs instinctu susceptum â sê, scriptúmque, nequaquàm dissimulandum protestans ; sed, ad literam, observandum : *Qui adulter est, propter cordis inopiam, perdet animam suam : turpitudinem, & ignominiam congregabit sibi, & opprobrium illius non delebitur : quia zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ : nec acquiescet cujusquàm precibus.* Ideóque conclamatum fuisse testatur olim, &, orê Judæ judicis (etsi, quòd suum ipse caput condemnaret, ignorantis) enunciatum, contrà Thamar : *Fornicata est Thamar : producite eam ; ut comburatur.* Nec quilibet ignis huic sufficit exustioni ; sed, infernalis exigitur : nam, *ad inferos semitæ ipsius*, (Meretricis) *Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur ; nec apprehendent semitas vitæ.* Eôdem rigore sanctus ille Chananæus justitiam divinam exposcit, illô suô scriptô terribilî : *Si deceptum est cor super muliere, &c. Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima. Ignis est, usquè ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina ;* nihil ut, stirpe de tam funestâ, supersit ! Hinc primæ perditionis (quæ totum orbem, igne turpî succensum, extinxit universalî diluviô) repeti judicium postulat, eâdem scilicet, quæ tum Noë fuerat indicata, repetendâ sententiâ : *Delebo hominem, quem creavi, á facie terræ : quia caro est.* Instat pariter Jeremias, quod olim ore Domini dicere jussus

Numer. 5. v. 20. & 21. & seqq.

Deuteron. 22. v. 22.

Ibidem. v. 20. & 21.

Jerem. 2. v. 35.

Pineda. Lib. 8. de rebus Salom. Lib. 1. cap. 6.

Proverb. 6. v. 32.

Genes. 38. v. 24.

Prov. 2. v. 18.

Job. 31. v. 9. 11.

Genes. 6. v. 7. & 3.

ſus, peccanti Jeroſolymæ, nunc, nè vanè locutus videatur, ut impleatur, efflagitans: *Arguet te malitia tua; & averſio tua increpabit te. Confregiſti jugum meum; rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſerviam. In omnî enim collê ſublimi, & ſub omnî lignô frondoſô tu proſternebaris, meretrix. Scito ergo, & vide: quia malum, & amarum eſt; reliquiſſe te, Dominum Deum tuum!* Similî propè criminationê terribilem ſuam objurgationem Ezechiel allegat, verbîs illîs notîs: *ædificâſti tibi lupanar, & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis. Ad omne caput ædificâſti ſignum proſtitutionis tuæ; & abominabilem feciſti decorem tuum; & multiplicâſti fornicationes tuas ad irritandum me. Ecce, ego extendam manum meam ſuper te; -- & dabo te in animas odientium te. Et judicabo te judiciîs adulterarum: & dabo te in ſanguinem furoris, & Zeli. -- Et requieſcet indignatio mea in tê.* Nec impar eſt exprobratio, per Oſeam, utì quondam adverſùs Ephraim, ità nunc, in malitiam, nihil â priori diverſam, per eundem exhibita: *Non dabunt cogitationes ſuas, ut revertantur ad DEum ſuum: quia ſpiritus fornicationum in mediô eorum; & Dominum non cognoverunt. Effundam, quaſi aquam, iram meam; quoniam cœpit abire poſt ſordes. Tollam; & non eſt, qui eruat.* Nec mitiùs, aliorum vatum antiquorum, conclamati criminis extremam in damnationem conſpirantium judicia, ſcriptîs propoſitîs explicata invenio.

Jerem. 2. v. 19. & 20.

Ezechiel. 16. v. 24. 25. 26. 27.

Ibid. v. 37. 42.

Oſeæ 5. v. 3. 4.

Ibid. v. 10. & 14.

IV. Par autem eſt alterius Ordinis, in hoc terribili confeſſu, contrà crimen accuſatum, ex veteri turpitudinis illius odiô conjurata ſeveritas. Video ſanctos Apoſtolos, legis novæ zelotes, vindicésque ſanguinis â Servatore profuſi ferventiſſimos, pro traditâ ſibi, clavium, & arbitrii ſacri judicialî poteſtate, quod olim ſtatuerunt, inſtanter urgere: nè cœlum ullâ rationê patefiat immunditiæ tantæ, fœtorique, pecus magìs, quàm hominem, olenti. Sic è ſua, cæterorum princeps Petrus, epiſtolâ, quod minatus olim erat, exhibet juſtitiæ divinæ, decernendum: nè vana terriculamenta, vel, humana tantùm, quæ ſæpè non maturô ſatìs arbitriô, ſed impetu cæcô præcipitantur, judicia protuliſſe, ſcripſiſſéque cenſeretur, in eô: *Velut irrationabilia pecora -- in corruptionê ſuâ peribunt: oculos habentes, plenos adulterii, & inceſſabilis delicti: pellicientes animas inſtabiles, maledictionis Filii; quibus caligo tenebrarum reſervatur.* Eôdem zelô, caſtiſſimus, & inde, cæteros inter, dilectiſſimus Apoſtolus, digitum intendit in id; quod juſſus quondam, Epheſinæ, cæterísque ſcripſit Eccleſiis: *Dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret: & non vult pœnitere â fornicationê ſuâ. Ecce mittam eam in lectum:*

2. Petr. 2. v. 12. & 14.

Ibid. v. 17.

Apocal. 2. v. 21. & 22.

lectum; & , qui mœchantur cum eâ, in tribulationê maximâ erunt. Magìs autem inſtat, cumulatîs in juſtam condemnationem ſententiîs plurimîs, quibûs, pro ſuo carnalium flagitiorum odiô, Corinthios olim, cum Coloſſenſibus, Epheſiis, & Hebræis, per Apoſtolicas epiſtolas ab interitu conatus eſt vindicare, magnus gentium Doctor: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores regnum DEI poſſidebunt. Hoc enim ſcitote, intelligentes: quòd omnis fornicator, aut immundus, -- non habet hæreditatem in regno Chriſti, & DEI. Propter hæc enim venit ira DEI.* Item: *Propter fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, venit ira DEI ſuper filios incredulitatis.* Deniquè: *Fornicatores, & adulteros judiabit Deus*: quaſi verò certius nihil, quàm inexorabile judicium vindictæ divinæ, ſit expectandum huic humani totius generis corruptioni, naturæquè rationalis opprobrio; cui, tam impuni, quocúnque pruritus concupiſcentiæ rapit, protritâ pudoris totius obluctationê, proruere connivet humana Themis.

1. Cor. 6. v. 10.

Epheſ. 5. v. 5. & 6.

Coloſſ. 3. v. 5.

Hebr. 13. v. 4.

V. Conſpirant in eandem, juſtitiæ vindicantis exactionem, antiquorum Patrum ſevera ſuffragia, ſuô pridem ore peccatoribus incuſſas, ut eos abſterrerent, nunc, iisdem condemnandis exhibentes, tribunali divino ſententias. Quod in Concilio Nyſſeno pridem expoſuit, idem in hoc cœleſti conſiſtorio S. Anaſtaſius expendi poſtulat: *Si illi, qui legem non didicerunt, neque Prophetas legerunt, propter execrandam illam operationem conſumti ſunt â ſulphure: dic, quantô majori digni ſunt ſupplicio; qui legem, & Prophetas, & Apoſtolos aſſiduò legunt; & deteriora faciunt?* Nec Seraphicus Doctor aliud, quàm, olim â ſe ſcriptum, obtendit adversùs ream hanc impietatem: *Inter omnes peccatores, luxurioſus veniet ad judicium pauperrimus. Nam, ipſe vendidit, & deſtruxit, quidquid habebat; ſcilicèt, Deum, & ſanctos; animam, famam, gloriam, ſubſtantiam, & gratiam.* Par judicium, acutô calamô, velut ſtylô ferreô ſcriptum, de ſuîs profert monumentîs, imperterritus ille, ſcelerum quidem omnium, ſed, è corruptâ carne fœtentium, implacabilis flagellator, Chryſoſtomus: *Juſta retributio his, qui naturæ ſubvertunt leges, fœminas in maſculis quærentes: ut invertatur in eis naturæ ordo; &, fiat in eis naufragium ex igne, quaſi ex aqua. Quot tandem, obſecro, gehennæ his plectendis ſufficient?* Auget juſtiſſimam exaggerationem Divi Petri purpurati repetita cenſura: *Iniquitas chriſtianæ animæ peccatum ſuperat Sodomorum: quia unusquisquè nunc tantò deteriùs delinquit; quantò, & ipſa Evangelicæ gratiæ mandata contemnit.*

S. Anaſtaſ. in Conc. Nyſſen. q. 8. in ſacr. ſcript.

S. Bonav. in Dieta ſalut. L. 1. cap. 9.

S. Chryſoſt. Tom. 1. Homil. 4. in Epiſt. ad Rom. & ſerm. de Adam. &c.

S. Petr. Damian. Opuſc. 7.

Gra-

Graviſſimô ſuô conſenſu ſcriptis prioribus pondus adjicit, cauſámque deprimit in profundum inferni S. Iſidorus, illud, quod aliquando dixerat Orator, nunc, ùt Exactor, poſtulans, nihil immutatô, ſed, exaſperatô potiùs, antiquæ ſententiæ rigore: *Hos, homicidîs deteriores, judico: nam, mori præſtat, quàm, ità ignominosè vivere. Homicida enim â corpore animam divertit; hic verò animam ſimul cum corpore perdit. Et, quodcunquè peccatum, nihil huic ſceleri æquale!* Infinitus eſſe deberem; ſi, quæ, cæteris â Patribûs, Divini tribunalis Aſſeſſoribûs, in malefici perditionem, ex antiquîs eorum voluminibûs, antiquâ ſtyli ſeveritate ſcripta, meîs aſſequi licuit oculîs, referre conſilium eſſet. Væ miſeris! cùm, collatîs in unam actionem tantîs objurgationibûs, unus aliquis eorum, qui congregati ſunt, pro communi cauſâ divinæ ſimilitudinis, fœdiſſimè conſpurcatæ, Chriſti ſanguinis, audaciſſimè conculcati, chriſtiani nominis, ignominioſiſſimè diffamati, pudoris humani, crudeliſſimè trucidati, rationis demùm omnis, & intellectûs, per laſciviam, brutîs etiam inſipientibûs deteriorem, excæcati penitùs, ac profligati zeloſus Actor, â divinâ juſtitiâ, cùm temporaneîs, olim inflictîs, tum æternîs, quibûs innumeri nunc torquentur, ſuppliciûs, omnes, atrô ſub velamine criminoſos, iniquitatis turpiſſimæ ſocios, utì merentur, percuſſos, demerſos, perditos, damnatósque poſtulaverit.

S. Iſidorus. Orat. 35. Tom. 1.

VI. Ah! piiſſime JESU! Servator animarum amantiſſime! Quæ utilitas in ſanguine tuo; ſi deſcendat in corruptionem? & cùm, vel unica gutta, plùs poſſit, quàm totus, novum in diluvium effuſus æther, extinguere; ſinésne tanti pretii tam largam, abundantémque profuſionem, inſtar aquæ nihil proficientis, in terram effundi? Succurre, Domine! nunc enim videtur illa præſens eſſe neceſſitas; cui, præſagus auxilii divini, ſolatium ex tuâ promiſit benignitate coronatus ille Vates, aſſecurans: *Tu miſereberis Sion: quia venit tempus miſerendi ejus: quia venit tempus.* Conclamatum de ſalute miſerorum eſt! nisì tua miſericordiam exigat ipſa miſeria; quam ſuſtinere pro miſeris, ad ultimam propè guttam exhauſtus, opitulationê liberaliſſimâ voluiſti. Quanta mundi pars periclitatur? cùm *totus, in maligno poſitus,* turpiſſimo ſub velamine, libidinis, in unum crimen congeſtæ, reus jacet, & exſpes, ùt auxilii, ſic, & ſalutis: nisì præveniat, & actionem adverſariam præoccupet ſanguinis tui divini validiſſima vox, omnibûs allegationibûs, cujuscúnque juris, atquè

Pſalm. 21. v. 15.

Pſalm. 101. v. 14.

1. Joann. 5. v. 19.

juſtitiæ, potior! Age igitur! &, ſi Præſidis Romani Prætorium immane tuô te forſan adhuc detinet in cruore natantem (dum exſpirans, tanto de profluvio, charitas infinita calet, ac fumat) fac: ut in conſpectum offenſæ Majeſtatis nidor tantæ ſuavitatis aſcendat; & oculis juſtitiæ divinæ, nubem acceptabilem placationis obtendat; quæ ſeveritatis antiquæ decreta, nè reſpiciantur, eripiat; colluviem verò turpitudinum damnandarum objectam, nè vindicetur, gratiosè tectam ſubducat. Non poterunt non, tot ora, quot, ſanctiſſimæ tuæ, pro totius iniquitate carnis, dilaniatæ carnis vulnera, ſi ſimul clament, etiamſi totus divini tribunalis conſeſſus contrariam in ſententiam conclamet (cùm ex amoris abyſſo perorent, & miſericordiæ abyſſum implorent) nè pœnarum abyſſus devoret miſeros, & abſorbeat, obtinere. Non vanè, tuô ſpiritu plenus, Aſcetes ille Theologus, peccatores juſſit eſſe ſecuros; quibus tuâ de pietate ſolatium hoc ſuggeſſit: *Quoties Chriſtus unum ictum verberantis accepit; mox illum Patri pro nobis ex amore obtulit: ut delictis noſtris ignoſceret.* Quid igitur inimicæ vocis Actio prævalebit; quam, tot ictuum, ad aures divinæ pietatis conſonantium validiſſima concrepatio, ſtrepitu præoccupante jam obtundit? An fidê laborabit integrâ Petri Bleſenſis authoritas integerrima? qui, pro tuâ pietate fide-juſſor, ſpopondit cuilibet periclitanti: *Chriſtus, contrà te litem propoſitam, ſuam fecit; poſtquè diverſas productiones teſtium, legis, oraculorum, Prophetarum, & ſignorum, tandem proprium ſanguinem allegavit. Obtinuit allegatio illa tuæ ſententiam libertatis. Super calculô ſententiali ſcriptæ ſunt litteræ, in membranâ corporis Crucifixi; & confirmatæ, oſculô miſericordiæ, & veritatis. Deniquè impreſſum eſt ſigillum, plaga ſcilicèt lateris; quam in pretium redemtionis noſtræ, & placationem continuam, jugiter exhibet antè oculos Patris. Adhuc extat titulus Cauſæ ſcriptus, in tantæ charitatis memoriam.* Nunc, ut experiamur, hæc omnia non vanîs fuiſſe conjecturîs perſuaſa, tempus eſt: cùm, deficientibûs omnibûs, cæleſtibûs etiam, quæ poterant ſperari, præſidiîs, in juſtam vindictam, tantùm non jam prorumpit, armata, paratáque punire (tuô niſi retineatur interventu placata) juſtitia Divina. Ah! videant in eâ te, formâ deploratæ cauſæ malefici; quâ, te conſpicuum habuiſſe, teſtatus fuit S. Anſelmus, inexplicabilî ſolatiô noſtrô: *Apparet intercedens pro nobis, & ſacra vulnera oſtendens; quæ pro redemtionê noſtrâ pertulit.* Ah! Advocate divine! *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis!* nunc poſtulat afflicta, con-

Petrus Bleſenſis. de Charit. Dei, cap. 19. Tom. 24. Bibl. nove SS. PP. fol. 1226. D. col. 1.

Thom. de Kemp. de Paſſione Chriſti.

S. Anſelm. in Epiſt. ad Hebr. c. 9.

Hebr. 7. v. 25.

conclamata, protritáque generalibûs omnium odiîs, & univerſalî criminationê damnata, turpiſſimi reatûs cauſa: tot ut ſcriptis, in ejus damnationem, ſententiis, vel unicum apicem conciſæ tuæ carnis cruentum opponas, divinâ ſubnixum authoritate; quâ firmetur, quod, graviſſimorum peccatorum ſervandæ ſpei, ſuggeſſit Petrus Valentianenſis: *Advocatum habemus ſingularem; qui non modò cauſam noſtram egit, & abſolutionem, ac remiſſionem, tum â culpâ, tum â pœnâ impetravit; verùm etiam gratias omnis generis obtinuit infinitas; & aliud nobis â Patre impetravit Diploma; quô, in libertatem aſſerti, filiorum DEI, divitiis, nobilitate, & immunitatibûs præclariſſimîs ornamur.* Quid juvat, iſthæc ſpondere magnîs eloquiîs; niſi pro conclamatîs verbum tantæ promiſſionis loquaris; quô ſolô perceptô *muta fiant*, non ſolùm, *labia doloſa*; ſed Prophetarum etiam, & Apoſtolorum, & Patrum omnium antiquorũ oracula? *Sonet igitur vox tua in auribus Dei!*

Petrus Doultermann. in Amor. Incarnat. fol. 201. cap. 3. §. 1.

Pſalm. 30. v. 19.

Cantic. 2. v. 14.

VII. *Convulneraverunt lumbos meos!* Aures erigite! ſenſus colligite! ſpes concipite! ſpiritus revocate! cordibûs reſpirate! Audîſtis vocem? percepiſtis querelam? Qui, vinculîs â tortorum quopiam diruptîs, nè, non judicatus, tantâ verberum ex immanitate, perpetuâque vulnerum exaſperationê deficeret, cùm pedibûs non poſſet inſiſtere, roborê nimirum, cum ſanguinê, penitùs exhauſtô, collapſus in terram, & in ſuô jacens circumfluô cruore, nec aſpectum hominis, nequè vitale quidem ſpiraculum, fandi verò, vel hôc ipſô, nè minimam quidem, naturâ prorsùs attritâ, facultatem habere videbatur; acceptîs, âb individuâ Verbi virtute viribûs, movet linguam, os aperit, &, gemebundâ voce, graviſſimi doloris unicum duntaxat queritur, quod, cæterîs tacendo ſuppreſsîs, indicat inflictum ſuis caſtiſſimis lumbis, &, flagrorum ictibûs in eos contortîs, horribilem per dilaceration em immanè patens vulnus: *Convulneraverunt lumbos meos!* Non vacat, ùt arcanâ pietate, ſic, & myſteriô divinô, tam, per ſtupendam, &, viribûs humanîs altiorem patientiam, lumborum virginei corporis, ad ipſa propè perſpicua viſcera deſæviens, admiſſa laniena; quàm, ejuſdem toleratæ ſævitiæ, præmiſſa per Prophetam, quamvìs â nemine percuſſum, doloroſa manifeſtatio. Quid non inde ſpei, cum ſolatio, gaudiôque, concipiendum, deſperatæ reatûs illius cauſæ; cujus, ex lumbis eſt univerſa perverſitas, omnis iniquitas, totiúsque malitiæ ſcaturigo? *Ex lumbis* enim, utî ſanctus inquit Chryſologus, *tota carnis negotia ſuſtitantur*: & (quod Origenes

Fob. 16. v. 14.

Salmeron. Tom. 10. Tract. 29.

Fob. loc. cit. Alphonſ. Palæotus. de ſacrâ ſindone. c. 9.

S. Petr. Chryſol. ſerm. 240.

Origenes in Psalm. 37. v. 8. S. Gregor. in Psal. cit.

nes fassus est) *Virtus Diaboli, præcipuè circa lumbos hominis est*: nam, *in lumbis*, Divô Gregoriô pariter asserentê, *carnalis delectatio continetur.* Meritò nunc respirare potest, ex qualicúnque carnalis vitii, nefandâ quoquè turpitudine, reîs de lumbîs natâ, tremens hucúsque, metu perditæ jam, profligatæquè salutis, in singula momenta, cum infelici Damocle, supremæ sententiæ præstolans ictum conscientia. Nec enim se, nisì patrociniũ singulare, de lumbîs DEO plenîs, lumbis omnî libidinis abominationê pollutis, adversùs hostem, *Job. 40. v. 12.* *cujus in lumbis est Fortitudo*, dilectionis admirandæ providentiâ paraturus, convulnerari sùstinuit, se sequè convulneratũ ingemuit, maleficorum Advocatus. Altô consiliô præcessit utrumquè. Quid enim offensæ non excusabit iste? quid reatûs non vindicabit? quid criminis non absolvet? quid supplicii non avertet? quid veniæ non exorabit? quid gratiæ non impetrabit, exhibens justitiæ divinæ vulnus hians lumborum, omnium oribûs Actorum, dum exclamat (*Convulneraverunt lumbos meos*) & diserтius, & eloquentius?

VIII. Hoc tantundem est, ac, dicere: Suspende vibratum ictum! contine vindicem gladium! O suprema, turpissimîs flagitiîs offensa justitia! Dabis, utì confido, meis aliquid, ægrâ quidem voce, sed, omnî vocis clamore validiùs paternum cor tuum postulantibus, moventibúsque gemitibus. Audies meorum, ùt spero, vulnerum horrendos hiatus, per defluum, pro lacrymîs, cruorem, tuæ supplices pietati. Quid non mihi polliceбor â tê, Patre misericordiarum, per hæc, tuis oculis objecta, carnis meæ dilaceratæ foramina, prodigi mei amoris luculenta testimonia, obtentum iri? quando miser ille, suæ dissipator substantiæ filius, inde, cùm laceris in centonibus, & squalidîs ex harâ vestimentîs, *Luc. 15.* paternum, etiam longius adhuc *v. 20.* remotus, conspectum subiit, viscera continuò paternæ misericordiæ commovit; &, in benevolos amplexus, ampliſſimámque peccatorum omnium indulgentiam, per illa suæ miserabilis egestatis foramina, velut per ora supplicia, totum Patrem attraxit? Quis pannosus, in publica via mendicus, dum per laceræ vestis miseros hiatus, nudam ex omnî parte cutem, oculis transeuntium objicit, non humana tantùm, in sui commiserationem, corda, quamvis ore, labiîsque pressîs, non expugnat; sed, ipsum etiam oculum providentiæ cœlestis in sui benignos aspectus non convertit; &, quia *desiderium pauperum exaudivit Domi-* *Psalm. 10.* *nus,* *v. 17.*

nus, ad optatos influxus opitulantis Bonitatis non inclinat? Ipſa tellus arida, dum cæleſtibûs irrigationibûs deſtituta dirumpitur, &, per torridas rimas ex abditîs viſceribûs hians, veluti totidem per ora, pluviam nubium implorat opem, tandem imbribûs optatîs â benignitate tuâ perfunditur: cùm ſcilicèt ira tua divina, tot hiatuum clamoribûs mitigata, *fulgura in pluviam fecit.* Minùs igitur non obtinebunt ab infinita tua miſericordia, quæ ſunt infinitæ miſerationis aperta teſtimonia, pro malitiæ, tantùm non infinitæ, deploratâ causâ, conclamatâque miſeriâ, conclamantia mei dilaniati corporis vulnera. Reſpice concuſſos, contritos, & ſæviſſimâ concertantium tortorum immanitate laceratos lumbos meos! &, cùm omnia, pro tuâ ſint voluntate, meis in membris conſummata; quæ totius mundi culpam expiandam in ſe ſuſceperunt: agnoſce ſacrificium iſtud juſtitiæ piô benignus intuitu: nec ab illis exige turpiſſimi debitum delicti ſupplicium; pro quibus, dum de ſuis nequeunt, innocens filius tuus, factus eſt, in caſtigatîs ipſe lumbîs, peccatum: ut, quæ nè totâ quidem æternitate potuiſſet, infernalibûs elui in flammîs iniquitas, per ſanguinem, ex illo fonte puriſſimi amoris liberaliſſimè profuſum, gratiâ ſuperabundante dilueretur,

Pſalm. 134. v. 7.

IX. En, amantiſſime Pater! *ubi abundavit dilectum, ſuperabundavit gratia: ut, & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam.* Nemo non, laſcivè contaminatos, unô tolli judiciô, perpetuîsque voluit pœnîs addictos; cùm eorum abominanda fœditas, in malitiæ ſuæ ſordibûs, è quibûs nata profluxit, judicialî ſub arbitriô ſtetit. Nunc verò, cùm, *non eſt ſanitas in carne meâ; non eſt pax oſſibus meis, â facie peccatorum* illorum; & omnes *iniquitates* eorum, ſupergreſſæ ſunt in caput meum, ſicut onus grave, gravatæ ſuper me: *quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus; & non eſt ſanitas in carne mea: tu exaudies me, Domine, DEUS meus; & propitiaberis populo tuo!* neque punies idipſum in homine miſerô, per naturæ corruptionem depravatô; quod in dilectiſſimo Filio caſtigatum jam cernis, *propter ſcelus populi*, plagîs tam horrendîs, tam enormibûs, tam altîs, profundîsque vulneribûs dilaceratô? Non aliud, nequè tuæ ſanctiſſimæ voluntatis decretum, nequè meæ fuit obedientiæ propoſitum; quô mortale corpus aſſumſi (*factus in ſimilitudinem carnis peccati, tamen abſquè peccatô*)crucísq; ſuppliciô, poſt infinitos membrorum innocentium cruciatus, damnari, tollíque ſuſtinui: quàm, ut meis de membris, per ſanguinem inde profuſum, propitiatio communis in re-

Rom. 5. v. 20.

Pſalm. 37. v. 4. & ſeqq.

Ibid. v. 8. & 16.

3. Reg. 8. v. 50.

Roman. 8. v. 3.

Hebr. 4. v. 15.

redemtionem omnium delictorum, affluenter, tuæ daretur justitiæ. Fuit hoc, Incarnationis meæ, destinatæ consilium; conversationis inter homines, laboriosæ negotium; Passionis, ac mortis, cùm ignominiosæ, tum dolorosæ, lucrum totum, pactúmque stipendium: ut, meis ex plagîs, omnium esset vulnerum vitale remedium; infirmitas mea, cunctorũ salus, ac sanitas; languor meus, universorum robur; dolor meus, omnium consolatio; mea castigatio, reorum liberatio; mea condemnatio, damnandorum absolutio; meæ pœnæ, mea vulnera, mea mors, mortalium omnium vita, justificatio, gratia.

X. Nôsti corruptibilis figmenti miseriam: nôsti vitiatæ, primâ prævaricationê, totius humanæ naturæ contagium: nôsti perpetuum, ex pœnalî membrorum rebellionê, corpus inter, animámque, conflictum. Rei facti sunt, cùm facti sunt homines, etsi non, ut delinquerent, creati (quia, nè delinquerent, præmuniti) in iniquitatibûs tamen concepti, natique, continuò peccati senserunt in se pœnam, tantò scilicèt gravioré in peccata propensionem; quantò magis proficiente, cum vitâ, rationê. Arbitrii quidem est illis liberi donata facultas: sed quantîs agitationibûs concupiscentiæ perturbata, jactata, præcipitata? Signatum super se lumen habent vultûs tui; dum illustrati, malum â bono discernentes, intelligunt, ùt pernicioſa, sic profutura; tam supera, quàm inferiora; cùm temporanea, tum æterna: verùm uligo perpetua de carnis conjunctionê susceptа, quantum rationi caliginis offundit? tum & fascinatio nugacitatis, per sensus irrepens, quantùm obscurat intellectum, & agnita bona? Suppetunt meæ quoquè vitæ divinæ documenta, leges etiam, &, copiosæ sanctitatis exemplîs, mirabiliter confirmata præcepta: nequè verò desunt innumera, tam fallacis mundi, quàm naturæ blandientis opposita mendacia; quibûs perversa mens, â viâ veritatis abstracta, non, nisi jam præcipitata, periculum pravæ tentationis, & infames illecebrarum imposturas deplorat: cùm ipsæ *creaturæ*, degnerî conditionê, jam sint *in odium factæ, & in tentationem animabus hominum.* *Sapient. 14. v. 11.* Est quidem inditus illis, perpetuus monitor, censor æquè pravitatis, ac hortator justitiæ, privatæ nimirum conscientiæ stimulus: non deficit autem, incontrarium jugiter urgens, domesticus æquè stimulus carnis. Angelicîs etiam excubiîs, providâque gubernationê cœlestî diû, noctûquè protecti sunt, *Actor. 26. v. 14.* *2. Corinth. 12. v. 7.* atquè

atquè muniti : nec ideò tamen â dæmonum infeſtationibûs , & nequiſſimîs incurſibûs, ac illuſionibûs liberi. Docentur , per Evangelii mei miniſtros, vias rectas, &, â malo declinare, fugeréque â ventura ira : non tamen elongatus ab illis eſt inimicus homo; qui, diſpersîs in corda zizaniîs, veritatem corrumpit in ſemine , tollit verba ſalutis de corde, fideíque germina, nè radices agant, ſuffocat. Non deſunt illis publicæ pietatis exercitia ; non frequentia ſinceræ religionis officia : circumſtant autem undequaquè malorum irritamenta, frequens occaſio, familiares illecebræ , prava conſilia , cunctísque jactibus oculorum objecta perverſitatis illicia. Habent vindictæ cœleſtis exempla terrifica ; quibûs infrunitæ libidinis petulans furor momentaneîs obrutus, extinctúsq; ſupplicîs , in perpetua memoratur incidiſſe tormenta : nôrunt autem , & admiranda gratiæ monumenta ; quibûs, etiam infixæ profundo ſordium , & abſorptæ jam immanibûs libidinum fluctibûs , animæ carnales , ad ſenſum reverſæ ſanum, & ſanctum , &, ex abyſſo turpitudinum ſubductæ ſalutis in portum canuntur : imò , ſiderum aſſociatæ fulgoribus perhibentur ; quæ jam jam erant avernalis incendii brunæ futuræ.

XI. Nè igitur , *Pater miſericordiarum , & DEUS totius conſolationis !* nè , obſecro, adverſùs abominabilé accuſatæ malitiæ turpitudinem, tuam inclinent, & ad pœnas decernendas urgeant juſtitiam, exaggeratæ, cumulatæquè criminationes illæ ; quas veterum Prophetarum juſtus olim, in pervicaces, obſtinatósque judæos rigor , meorum quoquè zeloſus Apoſtolorum , & ſeverus Patrum ſenatus , pro ſuo fervore , ſcelerúmque ſacrô , quô flagrabant, odiô congeſſerunt! Fuerunt , quæ facta ſunt olim, juſtitiæ tuæ vigilantis indicia, terribilia , temporibus illis , quibûs necdum viſibilis apparuit Benignitas, & Humanitas Servatoris DEI , non convenientia ſolùm , ſed , & neceſſaria : DEum ut, ex ictibûs , & flagrîs , pœnîsque ſentiendo, crederet Mundus ; quem nec voluit ex beneficiis agnoſcere , vel credere ; nequè colere, vel adorare ; nequè timere, vel amare, pro gratiîs. *Nunc autem , teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis* ; &, adorandæ tuæ majeſtatis lucê , totus illuſtratus eſt Mundus : cum plena jam eſt omnis terra gloriâ tuâ, ſubtractô ſcilicèt , meum per ſanguinem, antiquæ perfidiæ cæcô velamine; quô liberatus nunc Orbis agnoſcit : quia Pater in me ; & ego in Patre ; &, ex utrôque procedens Spiritus ſanctus , unus noſter eſt,

2. Corint. I. v. 3.

Tit. 3. v. 4.

Pſalm. 92. v. 5.

idémque nobiſcum Spiritus; per quem teſtimonium accepit Mundus, & credit: *quoniam Pater miſit Filium ſuum, ſalvatorem Mundi*: per quem etiam charitas noſtra ſic eſt in hominum corda diffuſa; ut, qui fuerant quondam iræ Filii, nunc Filii DEI nominentur, & ſint; effecti, videlicet per ſpiritum noſtrum, qui datus eſt eis, *divinæ conſortes naturæ.* Cùm igitur non acceperint ſpiritum ſervitutis iterum in timore; ſed ſpiritum adoptionis filiorum, in quo credentes, clamant: Abba (Pater)! ipsô ſpiritu noſtro, reddente teſtimonium ſpiritui eorum: quòd ſunt filii DEI: quamvìs omnem hanc per nefanda crimina prærogativam amiſerint; illud nihilô minùs ipſorum nec eſt memoriæ ſubtractum, nec obſcuratum fidei, nec ſpei ſubductum; ſed animô confidentê tenent: *quòd in hoc apparuit Charitas DEI in nobis: quoniam Filium ſuum unigenitum miſit DEUS in Mundum; ut vivamus per eum. In hoc eſt charitas: non, quaſi nos dilexerimus DEum: ſed, quoniam ipſe prior dilexit nos; & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.* Pro peccatis, non pro juſtitiâ, miſſus, & propitiatio ſum factus, *Mundum reconcilians DEO.* Et hinc omnes, ab eodê, qui *miſericordiam conſecutus* ipſe fuit, eruditi peccatores, cum gaudio jam ſperantes exſultant: *Commendat Charitatem ſuam DEUS, in nobis: quoniam, cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt!*

1. Joann. 4. v. 14. Rom 5. v. 5. 1. Joan. 3. v. 1. 1. Joann. 4. v. 13. 2. Petr. 1. v. 4. Roman 8. v. 15. & 16. 1. Joann. 4. v. 9. 10. & 11. 2. Corinth. 5. v. 20. 1. Cor. 7. v. 25. Roman. 5. v. 8.

Nec aliud hâc animati fiduciâ poſſunt, quàm, ſalutis iſtud argumentum aſſumere: *Multò igitur magìs nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab irâ, per ipſum? Si enim, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus DEO, per mortem Filii ejus: multò magis, reconciliati, ſalvi erimus in vitâ ipſius.*

Ibidem. v. 9. & 10.

XII. Nullîs ergò nunc terroribûs, aut fulminibûs opùs eſt; ut credendæ, timendæque Majeſtatis tuæ ſenſum, peccator Mundus accipiat. Unica miſericordiæ miſeris ingeſta memoria, quâ monentur: (*Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia ejus*) continuò contritos, & humiliatos, & ad veniam deprecandam ſupplices proſternit in confeſſione: *Peccavimus cum patribûs noſtrîs: injuſtè egimus, iniquitatem fecimus. Patres noſtri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ.* Talis eſt in Eccleſia mea pœnitentium confeſſio; talis graviſſimorum quoquè criminoſorum conſpiratio; talis â tuæ pietatis influxu continuò ſe manifeſtat animorum, ac morum converſio. Vix enim tuæ miſerationis, oblatæquè gratiæ Diplomata, meorum cruore vulnerum ſignata, rebellibus etiam animis ingeruntur;

Psalm. 105. v. 1. Ibidem. v. 6. 7.

aut

aut oculis, etiam in carne conſepultis, proponuntur: aut eorum annunciantur auribus; qui quondam obſurduerunt, &, verba ſalutiferi terroris, & minas formidandi judicij, nec audire, nec ſuſtinere voluerunt; confeſtim, percutientes pectora ſua, revertuntur, corde compuncti, ſpiritu confuſi, mente depreſſi, totâque rationê correcti; nihilquè, niſi pulverem, & cinerem, cilicium, & ſaccum, ſolitudines, & eremos, cellas, & ergaſtula, jejunium, & fletum, virgas, & flagra, vindicésque criminum ſuorum pœnas, implacabilî ſeveritate decernunt; ac de ſemetipſis perpetuam per pœnitentiam exigunt; aut per quæſitam, fundendi pro me ſanguinis opportunitatem, flagrantes inquirunt.

Iſaiæ 53. v. 4. Sanè, poſtquàm peccata cunctorum ipſe tuli, factôque docui: quia ſic DEUS dilexit Mundum; (â quo non tantùm, ùt Judex inexorabilis timeri, ſed magis, ùt miſericors, & miſerator Dominus, amari voluit) non eſſet è novæ legis decretô finê; nec ex impoſitæ mihi ſatisfactionis conſiliô; nec ex integri ſuſceptô Mediatoris officiô: ſi rigor ſeveritatis antiquæ, rudibus illis, & ſervilibus adhuc animis, in obſequium redigendis adhibitus, etiamnùm, ùt olim, animadverteret; cùm per meum jam omnia pacificata ſunt ſanguinem; &, humanitas Divinitati conjuncta, in oſculo pacis, atquè juſtitiæ, viſcera miſericordiæ DEI, placati, mitigatique manifeſtavit.

XIII. Pater! ah, Pater! *quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo,* unà cum iîs, qui, tam copioſè redemti, perire tamen deberent, *in corruptionem?* Da mihi meas, pro quibus has in pœnas meum dedi corpus, & animam, charas animas! Illas ego animas flagito; pro quarum deſperatâ ſalute vêni: *ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Illas expoſco; pro quibus, ingrediens Mundum, caſtiſſimos lumbos meos, in hanc obtuli crudelem lanienam: *ut averterem indignationem tuam ab eis.* Qui poſtulanti mihi pollicitus es, dare gentes, hæreditatem meam: quomodo negabis, dare fideles, qui credunt, & ſperant in me, velut portionem ſubſtantiæ meæ? ubi Mundus verbum jam æternæ veritatis accepit: ſic â Patre datum eſſe Unigenitum: *ut omnis, qui credit in eum, non pereat; ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit DEUS Filium ſuum in Mundum; ut judicet Mundum; ſed, ut ſalvetur Mundus per ipſum.*

Pſalm. 29. v. 10. *Joann. 10. v. 10.* *Jerem. 18. v. 20.* *Pſalm. 2. v. 8.* *Joann. 3. v. 16. & 17.*

XIV. Eſt quidem eorum iniquitas magna nimis; eſt eorum turpitudo, vel hominibus ipſis, nè dicam, brutis etiam animantibus, abominabilis, & execrabilis; quâ tuæ deſœdârunt imaginis

ginis formam; & meæ infamârunt ſapientiæ normam; &, inhabitantis in ſe divini ſpiritûs gratiam, cum acceptâ ſanctitate, turpiſſimè profanârunt; &, quæ per meæ naturæ conſortium poſſederunt, ingentia decora, munera, jura, cæcâ temeritate, ſceleratâque ſuæ libidinis petulantiâ, ſimul omnia conculcârunt. Nihil horum abnuo; quin, ipſe doleo: contemtam, pro fœdâ voluptate, Majeſtatem tuam, & Bonitatem infinitam; poſtpoſitam, infrunito furori, ſanctiſſimam tuam voluntatem; poſthabitam, inſanæ cupiditati, ſapientiſſimæ tuæ voluntatis legem æquiſſimam; vilipenſum pro turpiſſimâ voluptate, ſordidâque lacunâ, puriſſimũ torrentem gaudiorum, de tuæ Beatitudinis abyſsô jugiter manantem! Te, fontem omnis Boni, conditorem univerſæ creaturæ, totius Mundi, cunctorúmque viventium, & ipſorum corporum, animarúmque, tam fœdè delinquentium benigniſſimum conſervatorem, cujus nutu ſtat, quidquid in orbe toto ſubſiſtit, pro momentaneâ, nec eâ quidem certâ, contrariâ tibi voluptate; pro laſcivâ, morituræ continuò carnis, injurioſâ tibi cupiditate; pro libidinoſâ cordis, nec reſpirare ſinè te valentis, repugnante tibi commotionê, cum omnibus gratiis tuis, cum æternis promiſſis tuis, cum infinitis futuræ beatitudinis gaudiis, deſpectum, rejectum, ſenſûque rationis, eversô penitùs, & occæcatô conculcatum! Taceo membra, mihi ſacrata, meretriciis obſequiis mancipata; mea, pretii non comparabilis merita, laſcivis unius etiam putidi ſcorti votis, illecebríſque poſthabita; per traditoria cupidinum oſcula, meum in vultum conjecta fœtentia ſputa; per cordium affectus, mutuîs communicatos illiciîs, infixos altîs vulneribûs capiti meo ſpinarum duros aculeos; per inimica pudori colloquia, colaphos impactos auribus meis, alapásque meam in faciem protervè cumulatas: per abominandos actus, & operam non nominandæ luxuriæ, totius mei corporis innocui, divinæquè carnis integerrima, virgineáque membra, magis, quàm per omnem, in mei flagellationê defeſſæ, crudelitatis immanitatem afflicta, conciſa, dilacerata, dilaniatáque. Nullius autem horum omnium, quæ cæcus libidinis furor in me commiſit, vel unicus in me ſenſus, aut exſurgens in animo meo, minimus etiam ultionis affectus eſt: quin, etiam ſic vulneratus, etiam ità graviter offenſus, per omnes injurias, quas accepi, per omnia vulnera, quibûs excarnificatum cernis corpus meum, non aliud

1. Corinth. 6. v. 15.

â pa-

â paterna tuâ Bonitate peto, flagito, meíque bullientis, ac fumantis cruoris clamoſô ſtrepitu depoſco: nisì, juſtitiam propitiatam, miſericordiam inclinatam, veniam exoptatam, gratiam communicatam, ſalutem confirmatam!

XV. Quodſi ea, quæ characteribûs infeſtîs, adverſûs turpitudines accuſatas, veterî ſtylô tuæ fuerunt objecta juſtitiæ, per mea necdum ſuſpiria, precésque, meritîs magîs, quàm votîs, aut verbîs prævalentes, abſtracta, diſcuſsáque ſunt: novit, omnium conſcia, ſapientia tua: quòd, ſicut horrenda judicia per Prophetas, meósque, tum Apoſtolos, tum Doctores, olim annunciata ſunt, &, peccanti laſciviæ, terribilî comminationê prædicta; ſic &, inde reis, per eoſdem, eôdem de noſtrô, pietatis, ac miſericordiæ ſpiritu, non pauciora data fuerint, & nota ſint, ampliſſimæ miſerationis, ac benignitatis tuæ divinæ promiſſa. Sic juſtus ille ſperare delinquentes inſtituit; & ſua, ſibimet ipſis, fiducialiter concepta cantare ſolatia: *Vias meas in conſpectu ejus arguam: &, ipſe erit Salvator meus.* Ità meus in figura vates, & miſericordiæ tuæ decantator, David præcinuit, caneréque docuit, & exſultare ſperantes in tuâ pietate maleficos: *Noli oblivi-*
Job. 13. v. 15. & 16.
Pſalm. 102. v. 2. 3. 4. & 9.
ſci omnes retributiones ejus; qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui ſanat omnes infirmitates tuas; qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in miſericordiâ, & miſerationibûs: miſerator, & miſericors Dominus: longanimis, & multùm miſericors. Non in perpetuum iraſcetur: neque in æternum comminabitur.

Quantùm evangelicus Propheta ſolatus eſt peccatores? aſſecutranseos: *Expectat Dominus, ut miſereatur veſtrî: & ideò exaltabitur, parcens vobis.* Quàm dulcî verbô blanditus es per Jeremiam mœchis turpiſſimis? *Revertere averſatrix, Iſraël, ait Dominus, & non avertam faciem meam â vobis: quia ſanctus ego ſum, dicit Dominus; & non iraſcar in perpetuum.* Nonnè confirmatum eſt verbum pacis, & indulgentiæ generalis, per vaticinium Ezechielis? *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt; & cuſtodierit omnia præcepta mea; & fecerit judicium, & juſtitiam; vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor. Nunquid voluntatis meæ eſt, mors impii, dicit Dominus DEUS? &, non, ut convertatur à viis ſuis, & vivat?* Eôdem â ſpiritu tuô, ſpiritu ſuavî, ſpiritu lenitatis, & veritatis commotus, velut ore tuô loquens, promiſit omnibus pœnitentibus, pro rigore ſententiæ, ſpem indulgentiæ, pro terrore judicii, converſionem ſupplicii, fidelis Jeremias: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malô ſuô;*
Jeſai. 30. v. 18.
Jerem. 3. v. 12.
Ezechiel. 18. v. 21.
Jerem. 18. v. 8.

ſuô; quod locutus ſum adverſùs eam; agam, & ego pœnitentiam ſuper malô; quod cogitavi, ut facerem ei.

Pſalm. 88. v. 50. XVI. *Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ; ſicut juráſti David in veritate tuá?* An ſerenitatem tuæ pietatis aſcendens de luto vapor, & uliginis obſcœnæ fœtor offendet; unde toties, radiorum tuorum, & gratioſæ lucis influxus, argenteas, aureasquè nubium obumbrantium ſpecies, in ſolatium plurimorum pœnitentium, conſpicuas efformavit? Quantùm tuæ Bonitati complacuit, in manſuetudine Jeſſæi Regis, & canticîs; quibûs magnificare nomen tuum inſatiabilis Pſaltes conſtituit, in ſeculum ſeculi? Hic autem ipſe, quàm profundum in cœnum, adulterô præcipitatus affectu, corruit, lapſúsque jacuit, ineluctabiliter infixus; niſi tua miſerum reſpexiſſet, & periturum eruiſſet miſericordia? Quàm ſplendidô fulgore coruſcat in apice coronæ virginum, Signifera, cùm pœnitentiæ, tum puritatis, Magdalena? Hæc ipſa verò, quàm obſcurô nomine, mulier fuit in totâ priùs civitate peccatrix? Quantô luminê præfulget cæteris Eccleſiæ meæ Doctoribus, gloriæ tuæ Præconibus, ardens amore tui, juvandíque proximi zelô flagrans, Auguſtinus? Sed idem ille quàm altîs, craſsísque tenebrîs concupiſcentiæ malignantis anteà fuit involutus? Quæ laqueus Diaboli fuerat, *ad capiendas animas*, in Ægypto, cupiditatibus omnibus proſtituta mulier; quantô nunc ſideribûs altior, non locô tantùm eſt, ſed & lucê, poſt annos, in luctu perpetuô, lugubrîque ſolitudine, quinos, ultrà quadragenos, implacabilî rigore pœnarum, ultrò ſuſceptarum, exactos? Illa Pelagia, Syriæ pellacia; illa Thaiſis, Alexandriæ ſeductrix, quàm ſplendidîs nunc in thalamîs æternùm deliciantur; poſtquàm ſordes antiquas perpetuîs, in quibus cum vita defecerunt, lacrymîs eluerunt?

Prov. 7. v. 10.

Nadaſi cit. loc. 2. Aprilis.

Nadaſi anno Cœl. 8, 08.

Pſalm. 39. v. 14. XVII. Reſpice, miſericors Pater! in oculos, tantùm non amarîs fletibûs jam exhauſtos, inſatiabilî tamen dolore deficientes: &, quia lacrymis iſtis, quarum ſemper tibi dulcis oblatio fuit, meum quoque ſanguinem omnem, quem laniatis de lumbis liberaliſſimè profudi, conjunctum, unitúmque, veluti de calice reconciliationis, ex hoc immani meo vulnere propino; nunquid pati poterit, in tantâ communionê, pœnitentia tam pretioſa, quàm ſpecioſa, repulſam? Si non eſt ſatiata tua læſa Majeſtas illîs, quos jam ſuſtinui, cruciatibûs, & innumerîs, & incomparabilibûs? ecce, nova ſum in flagella paratus! Sunt autem & eorum omnium,

Luca 7. v. 37.

Nadaſi anno Cœl. 28. Aug.

omnium, quos meorum lumborum ſacrô, divinôque cruore conſperſi, conſperſósque ſignavi, ſignatósque viſceribûs meîs recepi, jam alia conſilia, meliora ſtudia, ſanctiora, reliquam in vitam, fixa propoſita. Quidam illorum obligati jam ſacramentô perpetuæ caſtimoniæ, delicias omnes corporis, licitásque voluptates ejurârunt. Plures, conjugii vinculô ſolutæ cùm primùm fuerint, ex hôc momentô, vidualem in ſolitudinem conjurârunt. Nulli non, vitioſa conſuetudo, periculum amatum, familiare malum, & conſors ex iniquitate perditio, jam eſt execrabilis facta, & æternô diſſidiô, cum antiquarum omnium illecebrarum remiſſionê, vel concremationê, penitùs renunciata. Omnium, quantô priùs deliciîs affluebant, mancipata voluptatibus membra, tantô nunc ſeveriorî caſtigationê torquentur, ſub indiſpenſabilis pœnitentiæ legalî rigore captiva. Coërcentur etiam petulantes, vagíque pedes; &, ad conſortia nocturna, turpitudinum obſcura commercia, quotidiani concurſus, officiîs domeſticîs, piorúmque negotiorum ſolicitudine diſtinentur. Pravis colloquiis, & verborum otioſis illiciis, aſſiduitas taciturna laboris, & orationum eſt ſubſtituta frequentia. Pro luxûs illecebroſi laqueîs, tunica jam vulgaris diſſimulat aſperiorem latentis cilicii ſaccum: pro pectoralî faſciâ, multô priùs aurô, gemmîsque ſcandaloſâ, pectus, & lumbos, hamîs horrida catena conſtringit: pro gulæ cupediîs, exaggerata jejunia, vix, quantum ſatìs eſt, panis, & aquæ, vitæ concedunt: pro mollî ſtratô, ſericîs pulvillîs, byſſinîsque lodiculîs, & reliquîs delicatæ libidinis irritamentîs, modicus jam ſomnus, vel affligitur, ſuper aſſere ſpiſsô, vel in ſtipulîs, paleîsque, durè confertîs, exigitur pro neceſſitate. Et iſta, meis conjuncta doloribus, tuæ juſtitiæ libramen, in miſericordiam, veniam, & gratiam, non jam inclinârunt?

XVIII. Quot iſtorum, quos perditos voluit antiqui rigoris cenſura, tuæ Longanimitatis, & Indulgentiæ perpetui ſunt præcones futuri; qui miſericordias tuas in æternum cantabunt? Quot illorum, illuſtria non monumenta ſolùm, verùm etiam documenta virtutum, & profutura plurimis magiſteria chriſtianæ diſciplinæ conſtituent: unde, vitiorum ad fugam patebit via; conſervandam ad innocentiam diſcetur cautela; tentationibus evitandis innoteſcent conſilia; &, ad progreſſum in via ſalutis, ad veram ſanctitatem, æternámque felicitatem, innumeris aliis, cum exempli præ-

Pſalm. 88. v. 2.

ſul-

fulgentis luce, ductus quoquè fidelis, & efficax porrigetur? Video non paucos (in istis cognitâ tuæ indulgentiæ gratiâ) pariter jam de tuâ pietate confisos, ex eorum conversionê permotos, ex eorum pœnitentiâ compunctos, pravîs â consortiîs averti; suspectos omnes amores execrari; cellas, & claustra meditari; cœlestibus tantùm inhiare deliciis; fastidire vanissima gaudia; nec aliud ambire votîs omnibûs, ac studiîs; quàm, è tuô tantùm beneplacitô vivere; tui duntaxat nominis honori promovendo se totos impendere; multarum animarum accessionê dati mihi Regni fines extendere; meique sanguinis, ac mortis meritîs, plurimorum salute vindicatâ dilatandîs, ad sanguinis, vitæque prodigam profusionem occupari.

XIX. Hos autem tales, ex quibûs tantum gloriæ tuæ, meique nominis, & evangelicæ sanctitatis incrementũ providentia tua consecuturũ non ignorat, collatarum in unum rigorem sententiarũ oracula vetera, justitiæ tuæ divinæ detulerunt, Pater benignissime! propter violatam conjugalis vinculi fidem, & alias, nefandas quidem, cùm honestati publicæ, tum naturæ simul universæ, turpiter, perstrictè, procaciter etiam, & insolenter, per libidinem exorbitantem illatas injurias, ignibus æternis addicendos? Est illorum peccatum, grande nimis, absurdum valdè, fœdum, & abominabile prorsùs: tuâ tamen infinitâ misericordiâ, meôque, quod in ejus redemtionem dependi, pretiô, longè minus est, & multùm inferius. Neutrum ab illâ malitiâ superatur; nec superari, nec æquari potest. Superexaltabit igitur misericordia tua judicium tuum: ut, quos enormis culpa reos fecit infinitæ pœnæ; de meîs lumbîs crudeliter laniatîs profusi cruoris interventu, tua salvatos absolvat, & in gratiam recipiat, & numero meorum electorum adjiciat, exorata, reconciliatáque clementia. *Reminiscere miserationum tuarum, quæ â seculo sunt!* &, quos non in manibus tantùm, sed in lumbis meis descriptos, ab initiô jam, & antè secula cognovisti; cognitósque secundùm misericordiam tuam elegisti; electósque meis meritis tribuisti; meos esse perpetuò sinas! Quis enim rapiet eos de manu meâ? quis de meis visceribus abstrahet; *quos dedisti mihi?*

Jacob. 2. v. 13.

Psalm. 24. v. 6.

Joann. 17. v. 6.

XX. Gaudetis, ùt mihi persuadeo, tantô patrociniô recreati, servatique; tantùm non jam, ùt ipsâmet opinionê vestrâ, sic & conscià reatuum vestrorum gravitate, profundissimam in gehennam depressi, damna-

damnatique peccatores? Et ego veſtrâ plurimùm gaudeo, vindicatâ per divinum Advocatum, ſalute! Supremam verò cauſæ veſtræ ſententiam, &, qualî decretô veſtra ſit iniquitas abſoluta, nôſſe fòrs cupitis? & audire deſideratis? Id vobis in divino tribunali, miſeratus veſtrî, ſalutis omnium vindex præſtitit (effectu quidem, & ſortê, totô cœlô beatiorî) quod, Phrynen, famoſiſſimum Athenarum proſtibulum, â ſententia capitis liberaturus, in ultimo diſcriminê, ſucceſſu feliciſſimô tentavit Hyperides. Atrum velamen, quô reæ vultus, ex more gentis, opertus celabatur (nè rationis præjudicium forma convinceret) de repentè ſubtraxit Hyperides: viſus continuò pulcherimæ faciei candor, & incomparabilis formæ venuſtiſſima ſpecies, totum expugnavit judicium; quæquè jam, omnium conſenſu, fuerat mortê multanda; nullius non obtinuit, habuitq; mutatam, cum indulgentiâ vitæ, ſententiam.

Plutarch. in Hyperide.

Ariſtot. Rhet: Lib. 1.

Quintil. l. 2. cap. 15.

XXI. Fuiſtis hâc tenùs obſcurô ſub velamine congeſtæ totius libidinis, & omnis obſcœnitatis, odio Sanctitatis univerſæ damnabiliter expoſiti: nec fuit honeſti, decorique quisquam amans; qui non in veſtri capitis interitum, pronunciatum voluit, extremum, æternúmque ſupplicium. Sed, miſertus animarum veſtrarum Servator, fœdum illum, & execrandæ turpitudinis centonem, ſubtractum vobis, in ſe transtulit; atquè exinde, nullâ ſuâ, ſed veſtrâ factus ipſe, reus abominabilis culpâ, vos, primô non tantùm decore conſpicuos exhibuit Patri, reparatâ vultûs antiquâ venuſtate; ſed eâdé etiam auctâ, pretioſi ſui ſanguinis purpuriſsô, per affluentiam amoris inductô, pretioſos, & amabiles reddidit. Species enim divini decoris, refulgens in vobis, tantùm placuit, placavitque juſtitiam Patris; ut poſtulatis dilecti filii, pro vobis Advocati, continuò ſubſcripſerit immutabilis decreti verbum, ſingulis quibusquè pœnitentibus per me denunciandum: *Reverere ad me; ego ſuſcipiam te!* *Ferem. 3. v. 1.*

A M E N.

FERIA IV.

POST DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ.

SERMO DECIMUS SEXTUS.

In Foro III. Juſtitiæ Divinæ, ſeu Prætorio,

Fundendi ſanguinis judicio præfecti Pilati.

Actio XI. De Dolô, Furtôque,

Contrà eos;

Quî variîs in muniîs, ac miniſteriîs,
Officinîs item, ac tabernîs, aliîsque diversîs negotiationibûs,
Illicitis, æternô ſubô detrimentô, lucris intenti,
Adverſûs omnem Conſcientiam,
In ſuam omnia Conſcientiam recipiunt.

L. 15. de præſcript. Verbor. Et. l. 1. §. 1. ff. de dolô malô.

Actor XI. Conſcientia Chriſtiana,

Terribilî clamore ſe nimiùm aggravatam cauſatur;
Reósque perditionis æternæ criminatur eos;
Qui terreni nimiùm cupidi lucri, ſe perdunt ipſos:
Dum in quotidianis commerciis nullum obſervant,
Etſi reclamantis Conſcientiæ, dictamen.

Myſterium XI. propoſitæ Actionis Argumentum.

Inſanus Judæorum, contrà Chriſtum furor;
Quô, conclamantes in interitum Servatoris,
Nè regni temporalis exciderent commodô,
Sanguinis infiniti pretium univerſum exhauſtum, ac perditum,
In ſuam, ſuorúmque filiorum Conſcientiam receperunt.

Teſſera. Univerſus populus dixit: Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros! *Matth. 27. v. 25.*

1. ETſi, vicariâ Numinis poteſtate, judex quisquè terrenus, gladium, â ſupremâ juſtitiâ, cujus miniſteriô fungitur, acceptum portans, vindex in iram eſſe debeat ei, qui malum agit: non. *Rom. 13.* ità tamen in excidia ſcelerum, *v. 4.* enſem vindicem ictu ſemper ſæviente diſtringere, per ullam legem

gem obſtrictus eſt: quin, etiam ex juſtitiæ ſupernæ formâ, contractâ falcê, propter triticum, quandóque zizaniorũ abſtinere jubeatur exciſionê; ſecurîque ſuſpensâ longius adhuc indulgere illi ficui tempus; quam ſuccidi, tollíque de vineâ decreverat, in ſterilem, ineptámque jam pronunciata ſententia. Etiam humanarum legum æquitas eô moderaminê debitam criminum ultionem ultrò conſtrinxit; ut, non generalî ſolùm regulâ ſanxerit: *Omnia judicia ſunt abſolutoria*; ſeu, (prout ex mente, ſenſúque juris, locutus eſt interpres fidelis) *omnia judicia, qualia qualia illa ſunt, ità tamen comparata eſſe debent; ut reus abſolvi queat*: verùm, quid ſuo magìs è genio foret, eadem per aliam inſuper declaravit regulam, ſolatiô omnium reorum aſſecurans: *Proniora ſunt jura, ad abſolvendum; quàm, ad damnandum.* Quâ manifeſtationê commonetur officii ſui judex: plùs ut favoris reo ſemper tribuat; quàm, Actori: ut, quando par eſt probationum, *potior ſit conditio Rei.* Sic nimirum poſtulat æterna lex, & prima, juſtitiæ totius humanæ, ſuprema regula, judicium omne, quod ex ipſius poteſtate decernitur, arbitrio ſuo, ſuóque dictamini conformari: quod eâ ſolet pietate reorum expendere noxas; ut, etſi judicans, agnoſcatur tamen ſemper, *Dives in Miſericordiâ. Nonnulla percutit*, (obſervante magnô Gregoriô) *& nonnulla inulta derelinquit. Quia, ſi nulla reſecaret; quis, Deum res humanas curare, crederet? & rurſus: ſi cuncta percuteret; extremum judicium unde reſtaret?* Ex hôc admirandô ſuæ juſtitiæ, per miſericordiam exaltatæ libramentô, quamvis abominandæ non tantùm idolatriæ, ſed (Rabbinorum veterum verbô) *luxuriæ* quoquè fœdiſſimâ corruptionê, *vitulatus in vituli cultu*, reus fuerit omnis, immemor ſalutis acceptæ populus; *non tamen in omnes eſt miſſa damnatio: quia ſcilicèt, pius, & miſericors Dominus partem percuſſit ſententiæ ſuæ gladiô*, (prout â Presbytero Maſſilienſi docemur) *ut partem corrigeret exemplô; monſtrarétque omnibus, & in coërcendo, cenſuram; & in indulgendo, pietatem. Cenſura fuit; quòd caſtigavit: Pietas, quòd pepercit.*

II. Theſaurum hunc divinis in judiciis abſconditæ (quid dico?) maximè ſemper, & omnem ſuprà juſtitiam conſpicuæ, ſcelerum omnium in caſtigationê miſericordiæ, manifeſtavit in perorationê perceptâ, Cauſæ (ſi quæ unquàm alia, vel, aliàs) extremè laborantis abſolutio. Quis non actum, omnî de carne, deſperatúmque cenſuiſſet; ſi calculîs humanîs communi de crimine deliberandum, & ex juſtitiæ ſeveritate pronunciandum

Matth. 13. v. 29.

Lucæ 13. v. 7.

§. ult. 1. de perpet. & tempor. act.

Vide Mynſinger, ad d. §. ultim. & ibid. cit. Alciat. in tract. de eo, quod intereſt. cap. 8. Capit. ex litteris 3. extrà de probat. ibi. cùm promtiora ſint jura. L. 125. ff. de R. I. d. Cap. ex litter. 3. de Probat.

Ephes. 2. v. 4. S. Gregor. Lib. 1. moral. cit. à Lohner, Tom. 1. Bibl. Edit. 1. Tit. 32. §. 3. n. 14. Vide Cornel. à Lapide in Caput Exod. 32. v. 6. Tertullian. de jejunio. Salvianus. contrà gentes.

FERIA IV.

POST DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ.

SERMO DECIMUS SEXTUS.

In Foro III. Juſtitiæ Divinæ, ſeu Prætorio,

Fundendi ſanguinis judicio præfecti Pilati.

Actio XI. De Dolô, Furtôque,

Contrà eos;
Quî variîs in muniîs, ac miniſteriîs,
Officinîs item, ac tabernîs, aliîsque diversîs negotiationibûs,
Illicitis, æternô ſuô detrimentô, lucris intenti,
Adverſùs omnem Conſcientiam,
In ſuam omnia Conſcientiam recipiunt.

L. 15. de præſcript. Verbor. Et. l. 1. §. 1. ff. de dolô malô.

Actor XI. Conſcientia Chriſtiana,

Terribilî clamore ſe nimiùm aggravatam causatur;
Reósque perditionis æternæ criminatur eos;
Qui terrenì nimiùm cupidi lucri, ſe perdunt ipſos:
Dum in quotidianis commerciis nullum obſervant,
Etſi reclamantis Conſcientiæ, dictamen.

Myſterium XI. propoſitæ Actionis Argumentum.

Inſanus Judæorum, contrà Chriſtum furor;
Quô, conclamantes in interitum Servatoris,
Nè regni temporalis exciderent commodô,
Sanguinis infiniti pretium univerſum exhauſtum, ac perditum,
In ſuam, ſuorúmque filiorum Conſcientiam receperunt.

Teſſera. Univerſus populus dixit: Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros! *Matth. 27. v. 25.*

I. ETſi, vicariâ Numinis poteſtate, judex quisquè terrenus, gladium, â ſupremâ juſtitiâ, cujus miniſteriô fungitur, acceptum portans, vindex in iram eſſe debeat ei, qui malum agit: non. *Rom. 13.* ità tamen in excidia ſcelerum, *v. 4.* enſem vindicem ictu ſemper ſæviente diſtringere, per ullam legem

gem obſtrictus eſt: quin, etiam ex juſtitiæ ſupernæ formâ, contractâ falcê, propter triticum, quandóque zizaniorũ abſtinere jubeatur exciſionê; ſecurîque ſuſpensâ longius adhuc indulgere illi ficui tempus; quam ſuccidi, tollíque de vineâ decreverat, in ſterilem, ineptámque jam pronunciata ſententia. Etiam humanarum legum æquitas eô moderaminê debitam criminum ultionem ultrò conſtrinxit; ut, non generalî ſolùm regulâ ſanxerit: *Omnia judicia ſunt abſolutoria*; ſeu, (prout ex mente, ſenſúque juris, locutus eſt interpres fidelis) *omnia judicia, qualia qualia illa ſunt, ità tamen comparata eſſe debent; ut reus abſolvi queat*: verùm, quid ſuo magìs è genio foret, eadem per aliam inſuper declaravit regulam, ſolatiô omnium reorum aſſecurans: *Proniora ſunt jura, ad abſolvendum; quàm, ad damnandum.* Quâ manifeſtationê commonetur officii ſui judex: plùs ut favoris reo ſemper tribuat; quàm, Actori: ut, quando par eſt probationum, *potior ſit conditio Rei.* Sic nimirum poſtulat æterna lex, & prima, juſtitiæ totius humanæ, ſuprema regula, judicium omne, quod ex ipſius poteſtate decernitur, arbitrio ſuo, ſuóque dictamini conformari: quod eâ ſolet pietate reorum expendere noxas; ut, etſi judicans, agnoſcatur tamen ſemper, *Dives in Miſericordiâ. Nonnulla percutit*, (obſervante magnô Gregoriô) *& nonnulla inulta derelinquit. Quia, ſi nulla reſecaret; quis, Deum res humanas curare, crederet? & rurſus: ſi cuncta percuteret; extremum judicium unde reſtaret?* Ex hôc admirandô ſuæ juſtitiæ, per miſericordiam exaltatæ libramentô, quamvìs abominandæ non tantùm idolatriæ, ſed (Rabbinorum veterum verbô) *luxuriæ* quoquè fœdiſſimâ corruptionê, *vitulatus in vituli cultu*, reus fuerit omnis, immemor ſalutis acceptæ populus; *non tamen in omnes eſt miſſa damnatio: quia ſcilicèt, pius, & miſericors Dominus partem percuſſit ſententiæ ſuæ gladiô*, (prout â Presbytero Maſſilienſi docemur) *ut partem corrigeret exemplô; monſtrarétque omnibus, & in coërcendo, cenſuram; & in indulgendo, pietatem. Cenſura fuit; quòd caſtigavit: Pietas, quòd pepercit.*

II. Theſaurum hunc divinis in judiciis abſconditæ (quid dico?) maximè ſemper, & omnem ſuprà juſtitiam conſpicuæ, ſcelerum omnium in caſtigationê miſericordiæ, manifeſtavit in perorationê perceptâ, Cauſæ (ſi quæ unquàm alia, vel, aliàs) extremè laborantis abſolutio. Quis non actum, omnî de carne, deſperatúmque cenſuiſſet; ſi calculîs humanîs communi de crimine deliberandum, & ex juſtitiæ ſeveritate pronunciandum

Matth. 13. v. 29.

Lucæ 13. v. 7.

§. ult. 1. de perpet. & tempor. act.

Vide Mynſinger, ad d. §. ultim. & ibid. cit. Alciat. in tract. de eo, quod intereſt. cap. 8. Capit. ex litteris 3. extrà de probat. ibi. cùm promtiora ſint jura. L. 125. ff. de R. I. d. Cap. ex litter. 3. de Probat.

Ephes. 2. v. 4. S. Gregor. Lib. 1. moral. cit. à Lobner, Tom. 1. Bibl. Edit. 1. Tit. 32. §. 3. n. 14. Vide Cornel. à Lapide in Caput Exod. 32. v. 6. Tertullian. de jejunio. Salvianus. contrà gentes.

fuiſſet? *DEUS autem, qui dives eſt in miſericordiâ*, prout jam dixi, *propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos, &, cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto (cujus gratiâ eſtis ſalvati) ut oſtenderet in ſeculis ſupervenientibûs abundantes divitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos, in Chriſto JESU.* Nemo jam ambigere, vel minimâ dubitationê, de veritatis Apoſtolicæ poteſt, utì nequè per fidem licèt, aſſertô: quòd, *ſuperexaltat autem Miſericordia Judicium.* Utùt enim ſententiæ ſunt hujus varii ſenſus: dum, Syriaci textûs literæ convenienter, alii judicant, înde credendum: *DEum, juſtitiam impertiri ſecundùm merita; miſericordiam verò ultrà merita: quia, cùm juſtitiæ, quod ſatis eſt, habeat* (ſcilicèt, in ejuſdem, adversùs reos, æquâ demonſtrationê) *miſericordiam habet uſquè ad abundantiam.* Aliis verô, cum D. Damaſceno, ſic accipere placuit miſericordiæ, judiciũ ſuperexaltantis, conſolatoriam veritatem: quòd hominis in hominem pietas, miſericórsque judicium, eundem, in divino pariter evehat, extollat, faciátque gloriari judiciô: *cùm ſciat*, utì Salmeron, Catharino conſentiens, inquit: *ſe, miſericordem aliis, inventurum ſibi miſericordiam: ſiquidem*, arbitrô Cardinale Cajetanô, *Miſericordia, tanquàm victrix in judicio gloriatur: ubi, cum miſericordibûs, non cum exactâ juſtitiâ procedetur: ſed, ſicut in ſaterâ, pars gravior elevat aliam; ità miſericordia, DEum ad ſe magìs trahendo, elevat juſtitiam.* In præſens autem argumentum, nihil æquè favet, atquè doctiſſimi noſtri Zuletæ, de divite DEI miſericordiâ, judicii diſtrictionem, per Servatoris Advocati mediationem, ſuperexaltante, pium ſanè, plenúmque conſolationis arbitrium: *Juſtitiæ ſeveritas in ſtrictâ, & rectâ, omnibus ſubeundâ, regulâ conſiſtit. Superexaltat verò Miſericordia Judicium: quia judicium, de ſê ſtrictiſſimum, miſericordia laxat, ejúsque portas exaltat: ut facilè miſericordiæ virtute admittat multos; quos ex rigore juſtitiæ forſan excluderet.*

III. Luculentum veritatis hujus firmamentum exhibet, abſolutionis integræ, per Servatorem obtentæ, manifeſtum Diploma; quod, vulnerê ſuper vulnus conciſus, &, caſtiſſimis crudeliſſimè vulneratus in lumbis, per ſuos dolores Filius poſtulavit; per ſuam indulgentiam, Pater deſtinavit; per ſuam deniquè pietatem, Spiritus ſanctus obſignavit. O manifeſtum juſtitiæ, per Chriſtum ſuperexaltatæ, peccatoribus autem, Inferno jam propinquis, inclinatæ miſericordiæ libramentum! *Quid enim miſericordiùs intelligi valet*, Anſelmô ratiocinante? *quàm, quòd peccatori, æternîs tormentîs damnato, &, non habenti, unde ſe redimat, DEus Pater dicit:*

Accipe

Epheſ. 2. v. 4. 5. 6. 7.

Jacob. 2. v. 13.

Zuleta, in locum cit. fol. 192. col. 1. n. 7.

S. Joann. Damaſcenus 2. par. cap. 16.

Catharin: & Salmeron, cit. à P. Lorino.

Cajetan. Cardinalis cit. apud Zuletam locô ſuprà memoratô §. 41. in Explicat. ſenſ. Liter.

Zuleta locô cit. in fine.

S. Anſelmus. Lib. 2. Cur Deus homo? cap. 9.

Accipe Unigenitum meum, &, da pro tê. *Et ipſe Filius: Tolle me; & redime te.* Videtur autem in transactæ reconciliationis myſterio, ſenſus hic idem eſſe gratioſi Diplomatis, in divino tribunali, jam ſubſcripti; cum quo vos herì dimiſi gaudentes, atquè de Petri Valentiani ſententiâ ſecuros: quòd ſupplicem libellum ſuum Advocatus noſter, *non in membranis, non in lapide, non in lignô, ſed, ſanguine propriô, in ſuâ carne conſcripſit: & in hâc membranâ*, lumborum præſertim dilaniatorum, *libellus ſupplex Chriſti ad Patrem, atquè â Patre, Diploma reconciliationis, libertatis, adoptionis, & omnis generis gratiarum, exarata ſunt.* Ambiguum nihil hujus efficaciæ patitur eſſe, tum Filii, per tanta vulnera ſupplicis, eadem cum Patre, majeſtatis infinitæ dignitas; tum Dei Patris, ergà Filium, ſibi conſubſtantialem, tantúmque Mediatorem, infinitæ pietatis æternæ propenſio. Novimus expugnatam frequentiùs omnem, ſeu juſtitiam, ſeu duritiam humanam, vulnerum patentium verbîs, ac vocibûs, omnî plùs accuſationê potentibûs. Ità nempè Marius, Romæ Conſul, omnem â ſê ſuſpicionem, amoris erga patriam, in dubium vocati, continuò removit: cùm ſua pectoris, olim pro patriæ defenſionê confoſſi, plura vulnera pandens, aliud non ſuggeſſit, ac, unum iſtud: *En, Patriæ amorem!* Similî miles, gregarios inter, non vulgaris tamen, argumentô, læſæ majeſtatis crimen, cujus fuerat appellatus, Julii Cæſaris excuſſit animo: dum oculis ejuſdem ingeſſit accepta quondam pro Cæſare vulnera, grandî voce clamantia: *Hæc pro tê, Cæſar!* Imò Cæſar ipſe Julius, non aliâ magìs apologiâ, ſuam Senatui, totíque populo Romano fidelitatem probatam fecit; atquè, cùm ſuas, vulnerum pro patriâ toleratorum, inſignes cicatrices, hôc acroamatê vocales exhibuit: *Has ego pro patriâ!* Deniquè ſic & Antipater cauſam ſuam, odii delatus, integram Alexandro comprobavit, per vulnera; quibûs, diſciſsâ veſte patentibûs: *En* inquiebat, *malevolentiæ meæ, in Alexandrum, teſtimonia! Reum iſta defendant.* Quodſi verò tantùm prævalent, expugnandîs hominum judiciis, & mitigandis, mutandísque ſententiis, voces vulnerum objectorum; ut contrarias omnes Actiones evertant, cauſæquè, jam ſub ictu nutantis, abſolutionem extorqueant: juſtè ſecuros eſſe vos juſſi; poſtquàm, horrendô vulnere patentiũ lumborum ſignatũ accepiſtis, pro veſtri reatûs abſolutionê, Diploma. *Quis enim*, dum *ſtat ante Patrem Filius, oſtendens ei vulnera* (in lumbis tolerata) *quis dubitet de veniâ; ubi tot exiſtunt meritorum patrocinia?*

P. Doultermann: in Amor. Incarnato c. 3. ſect. 6. ex S. Laurent. Juſtin. de triumph. Agone Chr.

Vide Lohner. Tom. 2. Bibl. Edit. 1. Tit. 78. §. 7. n. 1.

S. Bernard. ſerm. de Nativ. Mariæ Virg.

IV. Sed, eheu! poſt indultas gratiarum tantarum, & infiniti valoris, divinîs etiam Bullîs inſignes, ampliſſimásque litteras, non paucos tamen, æternùm damnandos, & in tenebras ultimas abjiciendos intelligo: qui (dum totus jam eorũ in brutum degeneravit animus, nequè præterita, licèt abſurdiſſima flagitia, per ſatietatem exoſus; nequè cætera, quæ ſe per occaſiones ingerunt, horrore faſtidiens) *non dabunt cogitationes ſuas, ut revertantur ad Dominum*: ſed, bibent aquam turbidam, ac cœnoſam, in viâ Ægypti, uſquè ad portas mortis: confiſi quidem, ſed fatuè, de miſericordia Numinis; quam, quia præſentem neglexerunt, &, ultrò ſuas bullatas gratias offerentem, reſpuerunt, ſubitò deficientes, nec invocare precibûs poterunt, aut, prout oportet, inquirere; nec, inquiſitam etiam, ampliùs invenire. Cui verò tum perditionis cauſa tribuetur? Advocatus nullô capitê deſuit. Fecit ille, quidquid potuit: nec enim alius eſt ab illo, qui per Evangelicum vatem rogavit: *Quid eſt, quod debui ultrà facere; & non feci? Peccata noſtra pertulit in ſuo corpore*; quod, ſtylô ferreô, per omnia concidi membra ſuſtinuit, *vulneratus propter peccata noſtra*, tantùm: ut abſolutionis noſtræ diploma, ſuâ nobis exhiberet in carne, redemtis videlicet pretioſô ſanguine, quaſi agni immaculati. Non eô tamen conſiliô tantæ ſacramentum Pietatis, vel conſummandum ſuſcepit, vel conſummavit Servator optimus; ut iniquitas humana, tantîs adjuta præſidiîs, velut acceptîs litterîs, audacior ad peccandum inſurgeret; &, veluti ſuâ jam de Redemtionê ſecura, ſalutis patrocinium, de Servatoris vulneribûs paratum, in præſumtionem libidinis, exinde petulantioris converteret. Non ſic intelligi voluit, arcana Domini ſui ſcita, de pectoris pulpitô, ſcitiſſimè præ cæteris omnibus doctus Diſcipulus. Cùm enim, Advocatum nos habere, JEſum Chriſtum, apud Patrem, efficaciſſimè ſalutem noſtram, ùt rem ſuam, confecturum, certos eſſe voluit; providâ ſapientiâ conditionem patrocinii participandi præmiſit: *Hæc ſcribo vobis: ut non peccetis.* Hôc enim adjectô, cum ſolatio, cautela ſuadetur: quia, non promittitur, peccare volentibus Interceſſor, Mediator, Advocatus, fuſi ſui ſanguinis, & vulnerum jus divinum in ſubſidium laborantis cauſæ ſuggeſturus; dum cautè monetur: *Hæc ſcribo vobis: ut non peccetis*: poſtquàm omnibus, in peccatum pronis, peccatôque contaminatis, certam priùs in fidê ſpem fecerat: *Sanguis JEſu Chriſti, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.* Tum enim, hu-

Oſeæ 5. v. 4.
Jerem. 2. v. 18.
Joann. 7. v. 34. & 36.
Iſaiæ 5. v. 4.
1. Petri. 2. v. 24.
Iſaiæ 53. v. 5.
1. Petr. 1. v. 19.
1. Joann. 2. v. 1.
1. Joann. 1. v. 7.

humanæ non ignarus malitiæ, ſuum continuò, quô voluerit intelligi ſenſu, limitavit ſolatium; videlicèt: *ut non peccetis: ſed, ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, JEſum Chriſtum, juſtum:* quod optimè S. Auguſtinus, ex Apoſtoli mente, ſicut accepit, reddidit: *Ille*, inquiens, *eſt ergo Advocatus? da operam, nè pecces. Si de infirmitate vitæ ſurrepſerit peccatum; continuò vide; continuò diſpliceat; continuò damna: &, cùm damnaveris, ſecurè ad judicium venies.*

S. Auguſt. Tom. 9. fol. 581. A. in loc. cit. S. Joan.

V. Hæret ex hôc aſſertô magni Patris Africani, meo quidem in capitê ſpinæ fixus aculeus, cordi verò relictus eſt, velut â telo, ſenſus exaſperans. Cùm enim ad judicium ſint, ſinè curâ, ſeu, ſecuri, vetera qui peccata damnaverint, ſoli venturi: quô modô venient? quô patrociniô tuti? quâ defenſionê ſalvati? quâ confidentiâ ſecuri? qui nullo ſibi de ſcelere Conſcientiam faciunt, tantò minùs in delinquendo cauti; quantò nequiùs de vacuâ culpæ pravitate graviſſimis in ſceleribus (obtritô ſcilicèt arbitratu conſcientiæ, vel perverſæ, vel oppreſſæ) perſuaſi? Videtur hos objurgâſſe per Jeremiam Dominus, eóſq; ad judicii ſui terribilem contentionem evocâſſe, verbîs illîs: *Niteris bonam oſtendere viam tuam; &, in alîs tuîs, inventus eſt ſanguis animarum pauperum, & innocentûm. Et, dixiſti: absquè peccatô, &, innocens ego ſum! Ecce, ego judiciô contendam tecum!* Horrenda comminatio! Quis non expaveſcat, in contentionem vocatus â judice? quem juſtus etiam deprecatus fuiſſe noſcitur, non tantùm: nè contentioſum in forum rapiatur! ſed: *non intres in judicium cum ſervo tuo!* gnarus quippè: quòd, *terra tremuit, & quievit; cùm exurgeret in judicium DEUS.* Cuinam autem adeò terribilis eſt indicta judicii divini contentio? Quantùm aſſequor, illi videntur eſſe comminationê prædictâ citati; qui ſanguinem animarum, pauperum, & innocentûm, nullô ſcrupulô, vel ſyndereſî compuncti, ſuam ſupra Conſcientiam aſſumunt, nihil oneris aggravantis, nihil ſceleris, vel urgentis, vel opprimentis, in ſuâ exinde conſcientiâ ſentientes.

Jerem. 2. v. 33. & 35. *Pſalm. 142. v. 2.* *Pſalm. 75. v. 9. 10.*

VI. Litera videtur hæc, illos, non redarguere tantùm, ſed occidere quoquè; qui ſanguinem animarum, illum ſcilicèt ſanguinem, cujus vel unica gutta, millenis par eſt animabus redimendis, veluti flocci, leviſſimíque pendentes, ſuos in humeros, imponi ſibi voluerunt, itáque, ſuis velut in alis, nullô labore, vel onere Conſcientiæ, facillimè portandum, poſtulârunt â Præſide Romani prætorii, conclamantes: *Sanguis ejus ſuper nos, &, ſuper filios noſtros!* Quid, obſecro, monſtri

2. Corint. 3. v. 6. *Matth. 27. v. 25.*

ſtri hoc eſt? An ſcitis, quid petatis? Judex recuſat habere criminis partem : horret Pilatus conſortium reatûs, ex ſanguine juſti hujus: legum, & juris peritus, nè qua ſuis manibus adhæreret contaminatio de profuſo cruore, lavat manus, & omnem â ſe culpæ contagionem laborat abluere, proteſtans : *Innocens ego ſum â ſanguine juſti hujus; vos videritis* ! quaſi diceret, interprete purpuratô Hugone : *Miniſtri legis, attendite* ! *qualem mihi traditis occidendum. Vobis totum imputabitur.* Ille ſanguis, qui profundetur venîs exhauſtîs; illa vulnera, quibûs corpus tenerrimum, & innocentiſſimum concidetur, veſtris alis, veſtris humeris, veſtris onus grande, nec portabile, conſcientiis, ad infernum uſquè degravandis incumbet : â vobis ratio poſtulabitur: ſuper eô vobiſcum in judicio contendetur! Manet attamen in univerſo populo, concepta de Principum ſuggeſtionê, ferox, &, in omnem ſucceſſionem truculenta ſententia : *reſpondens univerſus populus dixit : ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*! *Vide*, ſubnotat hîc ingemiſcens Arnoldus : *quantum mali error, & perfidia Principum addiniverat plebi? quantum rubiginis ſuæ affricaverat populo imprudenti auctoritas Sacerdotum? Non verebantur, omnes, homicidii titulô, in perpetuum eſſe notabiles: imò, in ſe, & in parvulos ſuos, tanti ſceleris reliquias congerebant; & ultrò damnationis ſuæ chirographo ſubſcribebant.*

Matth. 27. v. 24.

Hugo Card: in Matth.

Matth. 27. v. 25.

Arnoldus Carnotenſis. Tract. 1. de Verb. Dom.

VII. Unde tamen adeò demens, &, in ſuam, ſuorúmque perniciem æternam, furore tam immanî commotus, & excæcatus eſt populus : ut, perire non ipſi ſoli, ſed, cum poſteris, decretùm habeant, obſtinati *impietate crudelî; quæ facinore ſubô, non ſolùm præſentes liberos, ſed, etiam non natos, occidit*? Credámne protritum ab odiô, per Sacerdotes accenſô, ſenſum omnem pietatis, & humanitatis, in illo populo, tantâ tyrannide fuiſſe; ut, quidquid ultionis, atquè ſupplicii, decreto mortis etiam deſuper immineret, protervè contemnerent, ultrò parati, cum totâ ſtirpe ſuâ, judicium omne ſubire; ſi modò Crucis morte damnatum, ſublatúmque Chriſtum obtineant â Pilato? Hâc cenſurâ perſtrinxit impia populi vota. Burgenſis mitratus : *Furore perciti, quidvis ſpondere audent ; ut aſſequantur, quod volunt : ut Pilatus audacter occidat : ut animum addant timido Præſidi.* Furor ergo tam cæcos, tam inſanos, tam crudeles feciſſe credatur? Nisì, quod mihi quidem perſuaſum eſt ampliùs, ex mente, doctrinâque Richelii Carthuſiani, credere malimus: in vota tam dira populum efferatum conſenſiſſe: quòd, criminis tantum, aut noxæ, nequa-

S. Maximus Homil. 3. de Paſſ.

Lucas Burg: in Matth. citat. à Manſi. Bibl. Tom. 3. Tract. 63. Diſc. 20. num. 3.

quaquàm arbitrati ſint ineſſe perſecutioni jam cœptæ; quìn, illud omne, quodcunquè foret, ſuam in Conſcientiam, procul metu, ſcrupulôque poſſent aſſumere, tam in divino, quàm humano tribunalî, nullô labore ſuſtinendum, excuſandúmque. Sic impia verba (*Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros!*) Dionyſius memoratus accepit: *Sanguis ejus ſuper nos! id eſt: nobis, & poſteris noſtris imputetur Crucifixio ejus! &, ſi quid culpæ conſiſtit in ejus occiſionê, hanc capimus ſuper nos!* Seu, prouti Burgenſis reddidit: *Imputetur nobis! nos eam culpam in nos ſuſcipimus, noſtrô piaculô luendam!* Deniquè, judiciô Sylveiræ, verbîs in prædictîs, *idem eſt apud nos; ac, ſi quis dicat: Hic ſanguis, hæc mors, ſit in me ipſum, in animam meam, ac in Conſcientiam meam. Senſus ergo eſt: nos eam culpam in nos ſuſcipimus.* Qualis (proh veſaniam!) qualis horum fuiſſe Conſcientia credenda eſt? O inſenſati! an, quid optetis, agnoſcitis? Vos, innumeros tortorum, de crudelitatis immanitate certantium, ictus omnes? vos, horrenda corporis integerrimi, nullô non membrô, cum, carnis etiam, cutísque divulſionê lacerati vulnera omnia? vos, repetitam in jam prolapsô, jacentêque, manſuetiſſimô Dominô, flagellationis indefeſſæ carnificinam omnem? vos, infiniti ſanguinis, undarum inſtar profluentis, &, inter pedum ſordes circumflui copiâ omnem, veſtram vultis in Conſcientiam aſſumere? An unicam ejus guttam æquô libramentô, quanti ſit ponderis, expendiſtis? Aures, & animos in Senenſis Bernardini judicium advertite: *Una gutta ſanguinis Chriſti, erat ſufficiens pro redemtione decem millium Mundorum.* Agnoſcitis gravitatem? nequè tamen impia vota dimittitis? nequè ſanguinem tanti pretii, veſtris alis, & humeris, veſtrísque Conſcientiis opprimendis formidatis imponi; ſed, ultrò flagitatis? Heu! qualis iſta Conſcientia?

Dionyſ. Carthuſian. in Matth.

Lucas Burg: locô cit.

Sylveira. Tom. 5. in Evangel. Lib. 8. c. 10. q. 10. n. 47. & n. 40. q. 9.

S. Bernard. Senenſ. Tom. 4. Part. 1. Serm. 1.

VIII. Faceſſe profligatam inquirere Judæorum Conſcientiam! Fuit illa ſuô munere, ſi non in populum æquè, pro debitô (utpotè per impoſturam, & falſiſſimas Principum ſuorum perſuaſiones excæcatum, deceptúmq;) functa; mordaciſſimâ tamen, nè dubites, exacerbationê ſummorum Pontificum, Seniorúmque, corda perfódit: unde perpetuum adhuc eſt, & erit, eorum in Inferno tormentum; quô nullum acerbius, nequè ſævius aliud, aut horrore latratûs, aut ex animorum corroſionê, convulſionêque cenſendum eſt. Hunc illi vulturem, pro neglectîs olim ſtimulîs meîs, infeſtô roſtrô compungentem, &, ſanguinis divini profuſionem ſæviſſimâ perpetuæ

corrosionis ultionê jam depo-
scentem, depascentémque pa-
tiuntur, utì voluerunt. Num
autem te latet: quantas ego (mi-
sera Conscientia) non â Judæis
olim sustinuerim, sed, hodiè-
dum patiar â plerísque Fide-
lium, injurias? Plerósque, nè
mireris, â me vocatos in cri-
men: nisi fortè sit ignota gra-
vissimi Theologi liberè pronun-
ciata sententia: quòd inter illa
tria scelera, quæ totam propè
stygem replent, ex centum su-
perbis, facilè quinquageni; ex
centum luxuriæ mancipiis, facilè
octogeni, per salutare remedi-
um pœnitentiæ, subtrahantur In-
ferno: cùm de centenîs, avari-
tiæ deditîs, nè tres quidem, il-
lam ultimam naufragii tabulam,
prout oportet, arripientes eva-
dant. Et hujus quidem, adeò
frequentis interitûs, aliam nemo
causam suspicetur; quàm, au-
ctam, velut ex conspirationê,
tyrannidem; quæ nunc ubivis
me persequitur, nusquàm in-
dultâ, vel indicandi solùm, quæ
non licent, nè dicam, obloquendi,
seu redarguendi, priscâ, sanctâq;
libertate. Super omnia mala,
quibûs inquinatus absurdissimè
fuerat Herodes, maximè sacris
ab Evangelistis (prout signanter
expressit S. Lucas) istud est cri-
mini datum: *Herodes*, ab Joanne
correptus, *de omnibus malis, quæ fe-
cit, adjecit & hoc, super omnia: &
inclusit Joannem in carcere.* Hoc, su-
per omnia, crimen fuit Herodis
flagitiosissimi pessimum: quòd,
fidelem censorem scelerum suo-
rum excluserit, rejectum ab au-
ribus; nè molestum audiret am-
pliùs, qui sana suadebat: &, in-
cluserit in carcere; nè per ejus
libertatem in sua constringeretur
licentiâ. Proh, dolor! quàm
hîc multi sunt, hôc ipsô scelera-
tissimô tantò màgis rei Herode;
quantò, non tam confessionê
Christi, quàm Christianismi
professionê, totum Herodem
execrantur? Ille Joannem, isti
verò, me miseram, &, â supre-
mo Numine singularî providen-
tiâ, salutis in auxilium, vicariô
quasi DEI munere datam, (utì
Menander est ipse confessus: *mor-
talibus cunctis Conscientia est DEUS*)
me, inquam, *sibi occlamantem in
deserto cordis, & murmurantem con-
tra peccata, vinciunt, & incarcerant:
dum prorsus nihil curant; quid ví Con-
scientiæ fieri possit: dummodò leges non
reclament: dummodô Magistratus non
corripiat: dummodò homines non ob-
servent.*

IX. Has intolerabiles, tyran-
nicásque persecutiones non po-
tui non, hôc tempore, quô pa-
tet omnium accusationibus ju-
stitiæ divinæ tribunal, Actionê
querulâ manifestando, reas age-
re; &, prouti sunt, enormibûs
cum peccatîs conjunctas (quæ
tamen omnia, per despoticam
imma-

P. Carolus Scribanius, citat. ab Engelgr. L. Ev. p. 1. Dom. 22. post Pentec: §. 2. post medium.

Luc. 3. v. 20. & 21. Matth. 14. v. 3.

Menander. cit. à Fabro. Dom. 1. Advent. Conc. 7. §. 1. B. Ibidem. A. in Exord.

immanitatem, cuncta congerentem, in me ſuſcipere, portaréque coacta fui) ſuppliciîs æternîs ab æquitate divinâ vindicandas, palàm exonerare: dum, vel aſtutia ſolers, quæ diſſimulare, per affectatam æquitatem iniquiſſima novit, ſuas fraudes velatis oculis humanæ juſtitiæ callidè ſubtrahit: vel, nullus eſt; qui vindictam ab eâdem imperterritus exigere, perculſus forſan, acrioris in ſe concitandæ vindictæ metu, præſumit. Scio, tuô coram tribunali, DEus æquitas! libertatem integram nunc eſſe mihi, quidquid oneris hactenùs, per enormes iniquitates terribiliter aggravata portare debui, miſſâ diſſimulationê, totum exonerandi, cum incuſationê contentioſiſſimâ; quâ nimirum experiantur infinitorum Dolorum, fraudum, furtorum, rapinarum, ſpoliorum, debitorum, & aliorum, his conjunctorum criminum rei (quæ nec agnoſcere voluerunt ipſi, per me ſemper admoniti; nec alienæ ſubjecta fieri cenſuræ, ſed celata ſemper eſſe contenderunt) quàm verè prædixerit S. Ephrẽ: *Acerbus apud illos, qui latere cupiunt, eſt Conſcientiæ ſtimulus.* Videbunt jam, quàm ſanctè præmonuerit aurei Pater eloquii: *Grave eſt, â Conſcientiâ ſua accuſari.* Nunc agnoſcent: non eſſe ſinè crimine, nec effugere poſſe judicium; quidquid per violentiam imponitur, ingeritúrque Conſcientiæ: prouti, cum Iſidorô Hiſpalenſi, Lactantiô Firmianô, Divôque Laurentiô Juſtinianô, gentilium ipſe corrector abuſuum, fidelî doctrinâ commonuit: 1. *Quamvis humana judicia ſubterfugiat omnis, qui malè agit; judicium tamen Conſcientiæ ſuæ effugere non poteſt.* Et: 2. *Nihil prodeſt, incluſam habere Conſcientiam: patemus Deo!* Deniquè: 3. *Qui facit contrà Conſcientiam, ædificat ad gehennam*: quia, quantùm ſuæmet aggerit ferendum Conſcientiæ; tantùm ſuæ congerit in gehennam uſquè deprimendæ animæ. Unde meritò minatus fuit Seneca: 4. *Nullum, conſcium peccatorum tuorum, magis timueris; quàm, teipſum. Alium, potes effugere; te autem, nunquàm.*

X. Proh! 1. *quantas habeo iniquitates!* 2. *Repleta eſt terra argentô, & aurô, & non eſt finis theſaurorum ejus! Et non eſt finis divitiarum, ex omnibûs vasîs deſiderabilibûs!* Quidquid avaritia concupiſcit; quidquid anhelat, vel chara, vel meritoria libido; quidquid vanitatis ambitionem irritat; quidquid in cupediîs eſurit, ſitítque gula (reclamantibûs etſi legibûs omnibûs, non humani tantùm, ſed, altiſſimi quoquè juris, expreſsíque divini præcepti) dare tamen, & accipere, vel indulgere, vel connivere, tum & ſuſtinere, ferréque cogor: cùm unum illud iniqui-

1. *S. Iſidor: Hiſpalenſ. Lib. 2. de ſum. bono. cap. 26. ſent. 2. pag. 649. col. 1.*
2. *Lact. Firm. cit. à Rob. Camer. V. Conſci. num. 81.*
3. *S. Lau. Juſtin. de Diſcipl. Monaſt. p. 1. c. 12. pag. 103. col. 1. A.*
4. *Seneca. L. de Mor. pag. 677. Edit. Baſil.*
1. *Job. 13. v. 23.*
2. *Iſaiæ 2. v. 7.*
Nahum. 2. v. 9.

S. Ephrem. Tom. 2. pag. 611. de Confeſſ. ante fin: B. S Chryſoſt. Homil. 64. ſuper Geneſ. Col. 498. D.

quitatibus omnibus, etiam trivialî judiciô damnatis, & publici fœtoris corruptionê, quod ſunt, olentibus, audacter obtenditur: *Absquè peccatô, &, innocens ego ſum:* meam hoc in Conſcientiam recipio: ſuper me ſit peccatum iſtud! Verbô judaicô, quidquid occlamo, ſupprimitur, & excutitur: *Sanguis ejus ſuper nos!* id eſt, *Culpa, & pœna effuſionis ſanguinis ejus veniat ſuper nos!* Hâc autem temeritate, meas in alas, & humeros, congeruntur immenſa! Fatiſco miſera, non aſſibûs, non teruncîs, obolîsque, vel cæterîs levioris monetæ ſcrupulîs; ſed aurô gravî, ſed fartîs marſupiîs, ſed ſaccîs, ad oram uſquè congeſtô, concuſsôque multô ære repletîs; ſed talentîs, &, per myriades, aliô nullô titulô, quàm, *ſupra Conſcientiam*, auctîs millionibûs onerata, gravataquè, ſuccumbere, lamentarique, dum oppreſſa pereo, coacta. Cernis in alis meis (quid enim te lateat, cui tota pateo, prætextibûs etſi denſiſſimîs, craſſiſſimîsque circumdata?) cernis inquàm, legionis non unius, in menſes plures cum turpî lucrô retenta; tum, ex violentâ debitorũ veterum compenſationê, planè ſubtracta, denegatáque ſtipendia? Et hæc impoſita mihi ſunt, Conſcientiæ! dum prodigus animæ ſuæ miles, quam inter ſexcenta pericula vulneribûs multîs ægerrimè ſaciatus vitam retinuit, neceſſariô victu deſtitutus, famens, atquè tabeſcens miſerabiliter expiravit. Cernis incumbentia mihi, magni nominis, nullius verò juris vectigalia, quibûsdam ab impotentibûs, tantùm non cum exactionê ſanguinis ipſius, extorta? Super hæc injecta mihi ſuſcipere debui, ſcilicèt in Conſcientiam, Xenodochia, piiſſimè fundata, nunquàm tamen uſquè modò conſpecta, conſumtîs interim in commoda privata redditibûs. Et Orphanotrophia, ſanctiſſimè diſpoſita, cum integrîs, juventuti, tam litterîs, quàm ſacrîs diſciplinîs informandæ, diù jam inſtructîs, conſtitutisque Collegiîs (dum eorum, in alia poſtulati ſunt, aut abſtracti, cenſus ampliſſimi) ſicut onus grave gravata ſunt ſuper me! Quin, & ſpoliata, diruta, devaſtatáque vetera Cœnobia; ſacrísque cimeliîs, & copiosîs, antiquiſſimæ, cùm devotionis, tum fidei, memoriæquè theſaurîs, per ſacrilegam præſumtionem privata templa, meos in humeros trajecta ſunt, pondus horrendum! ſub quô curvari neceſſe ſit illos etiam, qui portant Orbem. Et non querar, ſic oppreſſa? non incuſem, ſic me miſeram onerantes, & ſibimet ipſis graviſſimam damnationem accumulantes?

Jerem. 2. v. 33.

Hugo Card. in Matth. locô cit. ſuprà.

XI. Quid enim diſſimulem coràm

coràm ſanctiſſimâ tuâ juſtitiâ? Heu! non cenſus aliquis exiguus, per fraudem occultam collectus, me premit; ſed, pupillorum hæreditas ampla, familiares in uſus converſa; ſed, ſubjectorum ingentia tributa, privatas in compenſationes diſtributa; ſed, vectigalia publicîs commiſſionibûs exacta, domeſticum in emolumentum redacta; ſed, communia plebis commercia, per clàm vendita monopolia corrupta; ſed, viduæ, quàm virîs, tam viribûs deſtitutæ (dum nec ungere valent, nec nubere volunt) ſuîs in poſtulatîs deſertæ, ſuîs in juribûs infeſtatæ, ſuîs ædibûs depulſæ, demùm, & omni ſuâ cum ſubſtantiâ devoratæ! Talia, tantáque, ſuprà Conſcientiam accepta, quidnì deprimunt uſquè ad Inferni noviſſima? uſquè in abyſſum Averni? Quid jam de cæteris, quæ farraginis inſtar congeſta portare debui, memorem? Non ſunt hîc, ſpithamam vix æquantia panni ſegmina: ſed, ſtrictè dimensîs militum veſtimentîs, reſervata lucris occultis plura volumina. Non de ſiliquîs, vel drachmîs, vel unciîs laboro: ſed, ſùm talentîs, centenariîsque, per telonia defraudata, per negotiationes impeditas, per merces adulteratas, per ſtateram, ponderáque corrupta, recepta tamen omnia in Conſcientiam, aggravata! Non me guttarum illapſus excavatam, tantùm non exinanivit penitùs: ſed, ingentia vini dolia, clàm in lucrum diluta, Tartarum acciverunt: quìn, & integræ vineæ, terminîs fraudulenter mutatîs, quia placuerunt, vicinis accedere debuerunt. Nec de lanâ caprinâ moleſtia mihi toleranda fuit: ſed, ovium gregem, & non unum grandiorum cornuum armentum pingue, per fas, ac nefas abactum, &, enormî cum lucro diſtractum, in cumulum onerum, aliunde jam exaggeratorum, adjectum eſt. Quodſi de ſupellectilî, tam pretioſâ, quàm copioſâ, vel ab ipſis januarum liminibûs, ad acceſſûs primi ſtuporem multô jam aurô coruſcâ; ſi de cibariîs, menſarúmque peregrinîs deliciîs, omnium propè nationum exquiſitiſſimas cupedias, quotidianum in epulum exhibentibûs; ſi de veſtium apparatu multiplicî, luxu Sybariticô, non temporis modò, ſed æris etiá immensîs impensîs, ad ſpectaculum comparatô ſplendore, pateris, ut exonerem; quod in me recipere ſum coacta, vel, ex tabernîs mercatorum, deficientibûs licèt ad ſolvendum facultatibûs, tam præſentibûs, quàm, etiam ex prævisô, futurîs: vel, ex muneribûs, non ultrò delatîs, ſed, ex pactô poſtulatîs, & quidem ab illis; quorum neceſſitas

in anguſtias redacta, ſicut naufragantium, quidquid ſupereſt, ut evadat, in fluctus abjicit avaros: vel ex officinis opificum; quibus, nequè pro materia, rerúmque ſubſtantiâ, nequè pro labore (quô tamen quotidianus panis in familiæ totius alimentum comparandus eſt) merces debita vel pendetur unquàm, vel pendi poterit? Tacebo plures alios iniquitatis titulos; quibûs intolerabilia, quia graviſſima, luxûs onera ſuperinjecta mihi ſunt, etiam cum prolium interitu; cum detrimentô mariti, ſpiritualî non minùs, ac perpetuô, quàm, temporaneô; cum univerſæ domûs infamiâ; cum integræ quoquè, magnæquè non rarò communitatis, ac publicæ felicitatis graviſſimô diſpendiô (quod ex ineptorum, indignâ frequentiùs, procuratâ promotionê, cum aptiſſimorum excluſionê conſecutum eſt) cum aliîs, gravioribûs adhuc, imò, graviſſimîs patriæ, provinciarum, &, regnorum etiam damnîs: quæ, quônam ex fonte venenatô promanârint? non, niſi mihi, tibique ſunt cognita. Quid autem, in tantâ congeriê fateri, conquerique de meîs oneribûs, vel poſſum, vel cogor aliud? quàm, quod juſtiſſimè per Jeremiam improperavit ſanctiſſima juſtitia tua: *Niteris bonam oſtendere viam tuam; & in alîs tuîs inventus eſt ſanguis animarum pauperum. Et, dixiſti: absquè peccato, & innocens ego ſum!*

Jerem. 2. v. 33. & 35.

XII. Sic eſt, O Æquitas æterna! ſic eſt: nemo ſe peccati reum, nemo ſe noxium, nemo furto, dolóve cenſeri ſe vult obnoxium, nequè confiteri: dum in Conſcientiam omnia, tanquàm, nullô negotiô tuum ad tribunal deferenda, tuendáque recipiuntur; in quibûs non niſi ſanguis pauperum, & innocentûm, &, quod conſequens eſt, furti liquidiſſimi, nequiſſimíque, ac, iniquiſſimi *Doli delictum* deprehenditur; etſi ſit alioquìn (utì loquuntur jura) *Dolus, difficilis probationis.* Quid autem tantîs in violentiîs, per nequitias palpabiles, ùt excogitatîs, ità turpiter in opus redactîs faciliùs eſt; quàm, agnitæ jam, fraudulentæ, furtivæquè, meâ cum (Conſcientiæ ſcilicet) injuriâ, multiplicium rerum uſurpationis Actio, Dolíque demonſtratio? Nunquid *Dolô facere præſumitur; qui fecit, quod facere non debuit? Unde, in faciente rem, prohibitam à legê, ſemper præſumitur dolus, & malus animus.* Nunquid (ut me paucîs expediam, & ſatìs tamen faciam) nunquid, *Dolò facit; qui petit, quod reſtituere tenetur?* Cùm igitur ſit pariter æquô jure decretum: *Quoties Dolus arguitur, toties datur Actio de Dolô*; mea jam de Dolîs innumerîs, hàc tenùs indicatîs, delatîs, & incuſatîs

L. 1. junct. gl. verbô Crimine. Bart. §. 1. de Fidejuſſ. tut. l. item exigit. 16. ff. de Dolo. Boër. Deciſ. tot. num. 3. & 4. L. tutor, qui repertorium. 7. ff. de adminiſtrat. tutor. L. 1. C. de ſicar. Weſenbacb. de vi bon. rapt. num. 4. Cap. Dolo facit. 59. de regul. jur. lib. 6. l. 137. §. ult. ff. de reg. jur. l. 8. ff. de Dolo. L. 15. de Præſcript. Verb:

ſatîs criminatio, juſtiſſimè reos poſtulat; quos, & furtorum, & rapinarum, & , ſacrilegiorum. inſuper, cum nequiſſimîs, crudeliſſimîsque lucrîs, pauperum, & innocentûm effuſus in me ſanguis condemnat.

Matth. 27. v. 6. XIII. Heu me! *pretium ſanguinis eſt*; &, *ſanguinis pauperum*, quod portavi? quid iſtô gravius? &, *ſanguinis innocentûm*, quod in me ſuſcipere debui? quid iſtô pretioſiùs in illâ ſtaterâ; quæ ſtillam etiam unicam ſudoris, per gratiam ſupernam inaurati, ad æquilibrium regni cœleſtis expendit? Ità tamen ſe res habet: *Argentum*, inquit, Africanus Eccleſiæ Salomon, *hominibus, ſanguis, & anima eſt.* Ad oculum patuit hoc aliquando per D. Franciſcum Paulanum, diffractô popularis tributi nummô, Franciæ demonſtratum. Ipſe ſapientiſſimus Regum, primúsque Salomon, confirmavit id oraculô divinô: *Panis egentium, vita pauperum; qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt.* Quoties hoc â me, lucrîs iniquîs, contractibûs dolosîs, mercibûs fraudulenter ſuppoſitîs, uſurîs, enormî cum fœnore, ſuprà ſortem exactîs, emtionibûs annonæ, publicam in fraudem collatæ, prohibitîs, compenſationibûs occultîs, exactionibûs injuſtîs, negotiationibûs interdictîs, conſciîs malæ fidei poſſeſſionibûs, defraudationibûs teloniorum, decumarum, communiúmque vectigalium frequentiſſimîs, perfidîs Tutelarum, Beneficiorúmque, tum ſacrorum, tum ſecularium, Capitulorum quoquè, ac Cœnobiorum, atquè Eccleſiarum adminiſtrationibûs, aliîsque quæſitîs, & ex alieno, per iniquam, induſtriæ debitæ repugnantem, ac inimicam induſtriam additîs privatæ rei lucrîs nimiùm oneratâ, terribiliter oppreſſâ, validô clamore fuit objectum: *Homo ſanguinis es!* Nequè tamen, repetitîs etiam ictibûs truculenter in os percuſſa, quicquàm aliud obtinui; quàm, cum pertinaciâ ſceleris exaggerati, reſponſum unum, idémque perpetuum: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros!* Hoc, illúdque ſecurè meam poſſum in Conſcientiam aſſumere! Super me ſit iniquitas hæc! Nihil hoc mihi faceſſet negotii. *Qui ſentit onus; ſentire debet & commodum. Cuilibet permiſſum eſt, lucra ſectari, etiam cum alterius damnô.* Non deſtituendæ ſunt alimentô congruô proles. Hæreditate de debitâ providendum conjugi, liberis, nepotibúsque. Hîſce ſum tacere compulſa; méque, ſanguinis intolerabilis oneri ſuſcipiendo ſubjicere tyrannicè coacta fui: ſed, proh! quantâ iniquitate? quàm juſtam in condemnationem?

S. Auguſt. ſerm. 5. ex 40.

Eccli. 34. v. 25.

L. 1. ff. de Inſtit. Action. l. ſecundùm nat. 10. ff. de reg. jur. Can. Fraternit. 11. Cauſ. 12. q. 2. l: omnium. 19. C. de Teſt.

XIV. Orbi notum eſt: *Dolus nemini debet patrocinari. Locupletari nemo* *L. nec dolo. 12. ff. de dolo.*

L. Nam hoc natura.. 14. ff. de Condict. indebit: L. 3. Cod. de repud.

nemo debet cum alterius injuriâ. Quæ contrà fas fiunt, lucrum calliditatis afferre non debent. Hæc naturæ jure deciſa ſunt, & (quidquid reprobum in præjudicium detortus, textuum ſuperiorum ſenſus, malæ præſumtioni falsè, perperámque ſuggeſſerit) omniũ conſenſionê ſuſcepta, notáque ſciuntur. Hinc illa ſanctorum Patrum, graviſſimô ſuperciliô deliberata dogmata, ſeveriſſimáque judicia promanârunt. *Nemo*, judicê Auguſtinô, *habet injuſtum lucrum, ſinè juſtô damnô. Ubi lucrum; ibi & damnum: lucrum in arcâ; damnum in Conſcientiâ.* Quâpropter idem Doctor ſanctus lucri tam noxij fraudem cupidam admonuit, inſultans eidem: *Quid rapias, vides: à quô rapias, non vides* (quia, videlicèt, pretium ſanguinis eſt) *Præda illa, quam vis rapere, in muſcipula eſt. Tenes, & tenêris*: & reus quidem tenêris, damnationis æternæ. Fuit eadem, quàm ſeveri, tam ſancti Doctoris, Hieronymi mens: *Amico rapere quicquam*, inquit ille, *furtum eſt.* (En! quale patrocinium habeant; qui de tacito ſibi blandientes amicorum conſenſu præſumunt, in fidei ſuæ concreditîs, aut rebûs, aut negotiîs, lucrum venari?) *furtum eſt*, illud omne, Palæſtino Patri. *Decepiſſe verò, pauperibus erogandum*, vel, Presbyteris tribuendum, vel, pias in cauſas deſtinatum (perinde ſunt enim iſta, dum, DEI omnia) *aut, quod apertiſſimi ſceleris eſt, exinde aliquid ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat.* Gravior adhuc, & iis præſertim, quæ familiariùs, & frequentiùs impoſita mihi ſunt, perſtringendis infeſtior eſt oris aurei cenſura: *Quicunquè comparat rem, ut, illam integram, & imminutam dando, lucretur, ille eſt mercator; qui de templo DEI ejicitur. Super omnes autem mercatores plùs maledictus eſt Uſurarius: quia mercator dat; ut non jam repetat: iſte autem, poſtquàm fœneraverit, & ſuum iterum repetìt, & alienum cum ſuô tollit.* Non eſt mirandum; hæc, ità ſanctis â Patribus condemnata, maledictáque fuiſſe: cùm, & gentilium Princeps Oratorum pro ſuis olim roſtris pariter definitum voluerit: *Detrahere aliquid alteri, &, alterius incommodô ſuum commodum augere, magìs eſt contra naturam* (quônam ergo ſuppliciô dignum?) quàm *cætera; quæ poſſunt, aut corpori accidere, aut rebus externis.* Hinc nihil certius expectandum eſt (quod mea quidem Actio poſtulat) atquè juſtiſſimum illud: *Divitias, quas devoravit, evomet; &, de ventre illius,* quô ſcilicet, per libidinis, & luxûs intemperantiam congeſta ſunt, *extrahet illas DEUS.*

S. Auguſt. ſerm. 215. de tempore.

Idem. in Pſalm. 61.

S. Hieron: in Polyanth. Langii. fol. 1184.

S. Chryſoſt. ſuper Matth. 21.

M. T. Cic. de Offic. Lib. 3. c. 3.

Job. 20. v. 15.

XV. Ubi verò voragines ejuſmodi non ſunt? Aut, qui nunc ſunt, hujus metu judicii vacui; vel, ejuſdem ab executionê ſecu-

ri?

ri ? Quot enim hôc ævô, non tam nominis, quàm juſtitiæ communionê, Tobiæ ſunt ? Ille ſanctus, hœdi balantis você perceptâ, percuſſus in ſuâ conſcientiâ, continuò juſſit, unde fuerit allatus, inquiri : *Videte ; nè fortè furtivus ſit. Reddite eum Dominis ſuis : quia non licet nobis edere ex furto aliquid, aut contingere.* Non ità ſunt ſcrupuloſi ; qui, pinguis etiam, fœtæquè vaccæ mugitum audiunt, ex paſcuis aſſociatæ, nequè tamen vel minimum ſenſum, cordis eô clamore tacti, patiuntur. Ubi modò, vel, quinam adeò ſunt amantes juſtitiæ, Juris Conſulti, cauſarúmq; actores ; utì fuit inſignis ille, non tam peritiâ, quàm obſervantiâ juris, ac recti, Raphaël Fulgoſus, Cauſidicus celeberrimus ? Junior adhuc, litis evictæ partem, â Conſultore, ſalarii nomine receperat : inde maturior, cùm ætate, tum prudentiâ, deprehenſâ legê, quâ pacta ſimilia Cauſidicis interdicta cognovit, quidquid ex vetitis illis aliquando perceperat, cum fœnore, totum reſtituit. Non ità ſolicitîs anguntur curîs, ad exonerandas hujuſmodi graves iniquitates ; qui cauſas profligatiſſimas, aliorum cum injuriâ, damnôque tuentur, & abſolvunt : qui juſtas etiam cauſas, commodi privati ſtudiô (quod auctîs exinde ſtipendiîs cumulatur) æquô juſtiùs protrahunt ; nequè, niſi priùs emtam, &, eô quidem, ad nummum perſolutô pretiô, ſententiam, vel decernunt, vel extradunt. Quæ nunc eâ virtute mulier, eâque reperitur, æquitatis, ac ſuæ, ſuorúmque ſalutis æternæ ſolicitudine ? qualî prædita, propè miraculũ, fuit illa ; de quâ S. Vincentius Ferrerius, ex Vincentio de Longobardia, pro concionê quondam dictum retulit, factúmque, fors inauditum. Cùm enim â marito ſibi deſtinatum formæ novæ veſtimentum, elegantiæ ſingularis, pro ſolennî feſtô cognoviſſet, pretiô quingentorum Rhenenſium comparandum ; obnixè rogavit : ut, cùm ſuppeterent aliunde veſtes congruæ, quidquid inſumere pro iis cogitaverat, ſuis potiùs creditoribus continuò reſtituere decerneret. Exploſa ſuis cum precibus, dum inaudiit : ſi cuncta, quæ per uſuras congeſta, adeóque debita, reſtituenda ; nihil porrò victui ſuperfuturum. Tum illa quidem inſtare vehementiùs, & urgere primum conſilium cœpit, oblatîs conjugi, de ſuis facultatibus, è veſtigio quinîs millibûs in exſolvenda debita ; ſummæ paris alterâ parte, totius in familiæ ſuſtentationem, ſuperadditâ. Quæ nunc hujus, vel moderationis, vel æquitatis invenitur, inter fœminas ? â quibus, proh ! quoties (niſi metamorphoſes experiri, ſinè

Tob. 2. v. 21.

V. Molinam. Leſſ. Lugon. de jure, & Juſtit. & Beyerlinck. in Theatr. mag. tit. Reſtitutio.

S. Vincent. Ferrer. Domin. 7. poſt Trinit. Conc. 5.

sinè fabulâ, tragicas velint) coguntur viri, non per usuras tantùm, sed iniquissimas technas, unde unde suas, pro votîs, ornent satìs contorales, dolô, fraude, furtô, rapinâ, cæterîsque vetitîs, & illicitîs modîs, inquirere. Quàm rara nunc est Hedwigis? quæ, persuasâ jam, obtentâque, debitâ restitutionê, mariti Regis onerê novô conscientiam aggravavit, ingestâ quæstionê: *Pignora quidem reddimus agrestibus. Cæterùm, lacrymas eorum quis reddet?* Quot habuit, vel, antè se, Carolus V. in exemplis? vel, post se, sectatores, ille magnus Austriorum Alexander, Orbis propè jam utriúsque Monarcha? Tantîs in progressibûs armorum triumphantium, cùm Regem Galliarum, Franciscum, ob quædam oppida, quàm violenter occupata, tam intolerabiliter Imperio subtracta, bellô justô persequeretur, hôc memorabilî dictô fertur, admirandam integritatem justitiæ suæ declarâsse: *Etiam si totum Franciæ regnum debellâssem, restituerem illud Regi suo: dummodò, quod meum esse contendo, mihi relinqueret.* Imò, tam erat excelsô Carolus animô; quô, si totius Orbis occupâsset omnia regna, suum cuiquè regnum Regi reddidisset: prout eximius asserere non dubitavit Ecclesiastes. Noverat enim: quòd *æquissima vox est, & jus gentium præ se ferens: redde, quod debes.*

Hieronym. Ziegler. de illustr. Germ. viris. c. 89.

Beyerlinek. sacr. Apophthegm. Tit. Restit. in Theat. vit. hum. P Engelgr. L. E. p. 1. Dom. 22. post Pent. § 4 in medio. Senecal. 3. de Benef. cap. 14.

XVI. Hoc est ipsum, quod me compulit, ad justitiæ tuæ tribunal, omne meum, quô premor, onus delatum abjicere. Quæ singulorum sint, â quibus afflicta, contra jus omne, gravatáque, sui fraudibûs, ac dolîs innumerîs, & ineffabilibûs, tuæ manifesta sunt Sapientiæ nominatim: *nam, omne secretum non est absconditum â te*: qui cunctorum *absconditorum es cognitor.* Cujus ille sit fascículus; in quô convolutæ sunt coactæ partium transactiones, etiam perspectâ, cujus fuerat, æquitate Causæ? susceptа quoquè, per stipulationem interdictam, actionum commissarum negotia? corruptæquè, per clausulas contentionibus obnoxias, in extranei favorem, hæredum verò grande dispendium, testantium ultimæ voluntates; cum contractibûs, in venditoris injuriam (per iniquas conditiones, fraudulenter implexas, ad subscriptionem adactâ, læsâ, nihil conscià parte) præcipitatîs, cujus sint? *Tu scis, qui nôsti omnia, antè, quàm fiant.* Quinam dederint illa, simulatô nominê Principis, inimica legibus, privilegia? illas, non paucis onerosas, Grandibus paucis, â communibûs contributionibûs, pro congiariô privatô, liberaliter indultas exemptiones? illas, integrâ pro solutionê, calamô coactô subscriptas, dimidiâ tamen, &, auctiorî nonnullas par-

Ezechiel. 28. v. 3. Daniel. 13. v. 42.

Daniel. 13. v. 43, 42.

parte (quam interim ſuis addere lucris Quæſtor induſtrius quæſivit) apochas deceptas? *Tu ſcis, qui nôſti omnia, antè, quàm fiant.* Habet hîc Æquitas tua labores opificum, non multô ſolùm ſudore, ſed rerum etiam impenſarum pretiô graves, unâ ſynopſi conſcriptos; pro quibus, pluribûs jam annîs, necdum obolus perſolutus, famentibûs interim, cum viduâ matre, prolibûs derelictîs. Adjecta copioſarum juxtà, ac pretioſarum eſt mercium epitome; pro quibus non tantùm eſt negata, pridem licèt acceptîs, debita ſatisfactio; ſed, ipſa mercium traditarum acceptio: dum interim ſuîs pro debitîs, miſeri mercatores, ex non ſolventium culpâ cumulatîs, &, ſuarum negotiationum commerciîs exciderunt; &, in extremas anguſtias, carcerésque, ac tantùm non in deſperationem ultimam redacti ſunt.

Lirm. ibid.

XVII. Mi DEUS! æquiſſimè tu quidem, & ſanctiſſimè ſanxiſti: *Non habebis in ſaculô diverſa pondera, majus, & minus: nec erit in domô tuâ modius major, & minor. Pondus habebis juſtum, & verum; & modius æqualis, & verus erit tibi. Abominatur enim Dominus DEUS tuus, qui facit hæc; & averſatur omnem injuſtitiam.* Immensîs tamen, ità malè dimenſorum, libratorúmque ponderibûs gravata ſum: dum omnia conjiciuntur in Conſcientiam; quæcúnque, vel debitæ menſuræ ſubtrahi; vel, bilancê nequiter inclinatâ, ſervari; vel de commiſsîs, aliô deferendîs, diminui; vel, ex peçuniâ, pro munere numerandâ, deputari; vel, aſtu quôvis aliô, dummodò, qui defraudatur, ignoret, in occulta poſſunt commoda, de ſacrîs etiam oblationibûs corrogari? Quid autem ad impiam ſacrilegii gravitatem auctiùs adhuc accedet? Non enim deprehenſi tantùm ſunt filii Heli, filii Belial, Dominum neſcientes, nequè ſacerdotum officium, obligatámq; populo fidem, intelligentes; qui de cunctîs oblatîs, quidquid avaritiæ placuit, in lebetem, abſtractum, ſibi, velut officii jurê, vendicârunt. Repertæ ſunt manus etiam; inter quas, de tribûs vitulîs, ab Annâ matre, pro Samuele parvulô, tribûsque modiîs farinæ, & amphorâ vini, delatîs in templum, cùm unus duntaxat immolatus fuiſſe vitulus memoretur, quônam reliqui devenerint, nec ipſâ manifeſtatum adhuc ex hiſtoriâ ſacrâ cognovimus. Et iſta, ſuprà Conſcientiam, cum innumerîs aliîs, ejuſdem audaciſſimæ direptionis, aut ſubtractionis, aut retentionis lucroſæ ſacrilegiîs accepta, quô tandem nominê, niſi fraudis, doli, furtíque deferenda fuerunt â me, & accuſanda? Sic in unam infamiam furti congeſſit

1. Reg. 2. v. 13.

1. Reg. 1. v. 24. & 25.

Deuteron. 25. v. 13. 14. 15. 16.

Joseph. Langius in Polyanthæis. V. Furtum. pag. 1116.

omnia Josephus Langius, quæcunquè sunt, cum fraude proximi, nequè conscii, nequè consentientis, in privatum lucrum conversa. *Furtorum* (ait ille, synopsî quâdam querelam omnem complexus) *in omnî vitâ, cùm privatâ, tum publicâ, genera multa numerantur. Pleonexiæ, & fraudes variæ, in Contractibus. Usuræ immodicæ. Rapinæ, ùt prædonum, tum in sagis, tum in togis, imbecilliores opprimentium. Exactiones iniquæ, & immoderatæ. Furta privata, & publica, in forô, curiâ, aulâ, œconomiâ, politiâ, ecclesiâ. Injustæ mercedes: iniqua stipendia, & præmia; quæ devorantur ab ignavis, & otiosis: cùm interea fideles servi famê, vel penuriâ contabescant. Ignavia servorum, seu ministrorum: in variîs vocationibûs mendicitas validorum. Omnia denique lucra injusta*, velut furta, criminatur.

XVIII. Non esset meæ finis querelæ; si, quæ suprà Conscientiam variîs titulîs accepta sunt, & furti me criminê gravant, singulatim accusanda forent. Quænam enim Commissiones, ùt vocant (utinam non pro favore personarum sæpiùs, quàm necessitate causarum institutæ!) sinè grandî negotiantium emolumentô, detrimentô verò non modicô transiguntur illorum; quorum commodô postulatæ, constitutæ, susceptæquè fuerunt? Particulares administra-tionum similium iniquitates, cùm variæ, multæquè sint, & plurium querulîs planctibûs, tuæ jam sæpiùs delatæ justitiæ fuerint, non vacat extenuare. Vix enim est muneris, aut functionis nomen; quô procuranda, quæ sunt aliorum, incumbunt: unde non, quantùm quisquè privatis lucris addere laborat (quis autem non primum id curat?) tantùm & laboris, & oneris, adjicit mihi; seu pro castrîs, seu pro cancellîs, seu pro subselliîs, seu civilibûs in causis res agendæ sint. Quis ex constitutô jam salariô, pro suâ sat accipere sibi videtur industriâ? vel, æquè, pro muneris fatigationê, compensatum habere laborem? nisi, geminatîs aliunde profectibûs, adjuvare se, satiaréque, consolarique, quôcúnque tandem titulô, nullô lædendæ Conscientiæ metu, vel respectu valeat. Quantùm autem hiscè, furtivè congestîs auctibûs, hactenùs ego pressa, læsáque fui? *Quis, putas, est fidelis servus*? qui, quæ suîs collecta manibûs transferre Domino debet, sic, ùt exegit, reddere se debere, sibi persuadeat? *Amico fideli nulla est comparatio.* Quis autem ille tam fidelis; qui pro suô totus negotiatur amicô? nec suo simul, aut magis (cum amici dispendiô) intentus est commodo? *Quis putas est fidelis Dispensator, & prudens; quem constituit*

Matth. 24. v. 45.

Eccli. 6. v. 15.

Luce 12. v. 42.

tuit Dominus ſuper familiam ſuam: ut det illis in tempore tritici menſuram? qui non, in tempore tritici, ſua conferat in horrea triticum omne; cogátque divinam benedictionem, cum reipublicæ diſpendiô, tenuiorum indigentiâ, pauperum famê, miſerorum interitu, ſuo fœneri deſervire?

XIX. Num autem enormis gravitate fûrti vacat iſthæc pravitas œconomica, pro diſpenſationê fidelî, menſuram tritici communem ſubtrahens, & ſuum in quæſtum, per crudelem congeriem, coacervans? Hinc non mirum; quòd multi, quorum exigua fuit, vel, â parentibus accepta ſubſtantia; vel, â majoribus deſcendens in ſucceſſionem hæreditas; vel pro muniîs, quibûs funguntur, decreta merces; vel curta deniquè, non pridem, domî ſupellex, jam, fundos, agrósque poſſideant: jam, elatîs in turres, & arces, ædibûs, omnem ſuper viciniam, inſignes emineant: jam, ſupellectilem aurô fulgentem, & fimbriîs, cortinîsque ſuperbè circumductîs, thalamos, ad invidiam avitæ nobilitatis, diſtentos exhibeant: jam, non familiâ tantùm auctâ, ſed antiquiſſimarum etiam familiarum ſubditîs, unà cum Ditionê, ſibi ſubjectîs, emtâ poteſtate ſuperbiant: jam deniquè, de montibûs, lapidibûs, vallibûs, cum integrô catalagô pagorum, & oppidorum, ſuo nomini conjunctorum, titulos plenos, longósque jactent; quorum obſcurum, â ruſtico, vel cive, patre, nomen, non pridem, aut ſorduit inter ſervos, aut opifices inter ſudavit, & alſit. Quantum oneris, ex horum injectum eſt mihi lucrîs furtivîs, Conſcientiâ reclamantê, redarguentê, obnitentê, nequiſſimè tamen, & obſtinatè, ſuprà Conſcientiam, ac violenter acceptîs? Furtivîs, dixi, juris cenſurâ. Nam, *ſi perſona dubiæ fidei, ſubitò, ex inope dives ſit facta; nec titulum inſperatæ fortunæ edere poſſit, præſumitur, dolô, furtîsque accepiſſe.* Sic jura præſumunt. *Vide. Ord. Cler. Art. 43. §. ult. & ibi. M. Steph. Harprecht. ad §. 12. J. de ob. quæ ex dol. n. 11.*

XX. Tantis verò, nullâne crux, nullumne deſtinatum eſt furtis patibulum? Sed, qui tot furcas conſtruere fabri? qui tot reſtes contexere reſtiones poſſent? & unde, ſi pendere deberent omnes, quos, aggravata per injuriam, & ſanguinem pauperum, ac innocentûm, reos criminis, capitîsque jam oſtendi, juſtitiæ miniſtri ſuppeterent (etſi totus etiam orbis æquitati ſervire vellet) cùm orbem univerſum hâc iniquitate contaminatum accuſaverim? Nequè tamen erunt iſti, eximii licèt hîc, & ſinè reſtî, pariter, ab *Inferni rudentibûs* exemti. Non effugient ultionis tuæ judicium; quos nullius hîc judicis cenſura vindex

2. Petri. 2. v. 4.

perſtringit. Alius, grandibus his ſuribus, ex vulgi verbô, *Furum Carnifex*, Diabolus, tuus videlicet *Miniſter in iram*, decretus eſt; dum hìc, per hominem carnificem, ſoli furunculi patibuli ſuppliciô tolluntur: &, quorum tergis pepercerunt virgæ de betulîs; hos *virga ferrea*, *virga furoris tui*, deſiturîs nunquàm ictibûs cædet. Quos nulla caſtigat, vel aurium, olim conſtituta, vel narium truncatio; vel, ad ferreas in plures annos, reſtricta compedes mendicatio; tenebit carceris æterni damnatio, de ſorte juſtorum, terrâque viventium abſciſſos: ut, quod nullâ voluerunt, etſi conſultâ ſæpiſſimè, vel reſtitutionê, vel congruâ ſatisfactionê refundere, cùm tempus adhuc ſalutem negotiandi ſuppetebat; perpetuus ab ipſis tortor exigat, pœnarum ſeveritate, pro ſuâ quondam avaritiâ non ſatiabilî, nunquàm ſatiandâ.

Rom. 13. v. 4. *Pſalm. 2. v. 9.* *Iſaiæ. 10. v. 5.* *Galat. 5. v. 12.*

XXI. Tuæ juſtitiæ ſanctiſſimum tribunal imploro, Judex æquiſſime! nec defuturum querelis meis judicium ſpero! Cùm enim, pro modicâ chlamydis orâ, quam in ſpolium Säuli ſuſtulerat aliquando David, etſi ſubinde percuſsô per pœnitentiam corde, nullîs tamen expelli fomentîs deficientis in Rege naturæ frigus potuerit: quid illos dentium ſtridori ſubtrahet; quem perpetua frigoris viciſſitudo cauſabit; â quibus, non ora regij paludamenti, ſed ipſum propè, cum ſceptrô, diadema, regnúmque univerſum, pro perfidiæ damnabilî remuneratione, ſubtractum eſt? Si, clàm ablata, de prædis hoſtium, *coccineum pallium*, *valdè bonum*, *& ducentos ſiclos argenteos*, *regulámque auream quinquaginta ſiclorum*, Achan miſer, excæcatus concupiſcentiâ, confeſſus etiam, luere tamen debuit, conjectîs ab omni populô lapidibûs, conſepultus? quibûs non, collibûs, & montibûs, in ruinam, & vindicem interitum corruentibûs operiri digni ſunt; qui, non ſpoliîs hoſtium, ſed, ſpoliatîs legitimîs hæredibûs, expilatîs publicîs ærariîs, defraudatîs vectigalibûs, ipſíque DEO factîs oblationibûs evacuatîs, Conſcientias onerârunt ſuas? Non aliud, niſi tui ſententiam oris, efflagito! Tu dixiſti: *Ego Dominus, diligens judicium; & odiô habens rapinam in holocauſto. Qui aufert in ſudore panem; quaſi, qui occidit proximum ſuum. Qui effundit ſanguinem; &, qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* Idem igitur eſto ſupplicium utriúſque! Non aliud, niſi judicium evangelicum expoſco, cum D. Joanne Chryſoſtomô: *Si is, qui ſua non impertivit, accuſatorem habet eum; cui negavit miſericordiam: qui aliena quoquè rapuerit; quam veniam conſequetur?* Inſto, & per idem Os

Josue. 7. v. 21. & 25. *Iſaiæ 61. v. 8.* *Eccli. 34. v. 26. 27.* *S. Chryſoſt. Conc. 2. de Lazaro. Lucæ 16. v. 22.*

Lyranus in gloſſa.

aureum, ac Aurelium insuper Augustinum, alterius etiam evangelicæ veritatis decretum efflagito. Cùm enim pronunciatum divinum sit, non tantùm: *dives difficilè intrabit in regnum Cœlorum*: verùm etiam: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare. Discedite â me maledicti in ignem æternum!* Nunquid indultum erit mihi, tuæ submittere definitioni; quod uterquè rogavit? *Si divites difficilè salvantur; quid facient rapientes? Nam si, sua non dare, impedimento ad regnum est: quantum sibi accumulat ignèm; qui aliena occupat?* Sic, & cum Primate Doctorum, postulo: *An fortè ibunt in ignem æternum; qui opera misericordiæ non fecerunt? & non ibunt; qui aliena rapuerunt?* Rapaces ab altari tuo fuerunt olim aves excluſæ; quia pingues raptô, quamvis pecorê solô. Et patebit aditus in sancta sanctorum iis; qui non de pecore, sed, altarium tuorum sunt raptu, rapinîsque ditati? Verbum oris tui, sicut præceptum est, sic etiam est cum cominatione conjunctum: *Non furtum facies. Omnis fur judicabitur. Væ ei, qui multiplicat non sua! Usquequò & aggravat contrà se densum lutum? Nunquid non repentè consurgent, qui mordeant te? & suscitabuntur lacerantes te? & eris in rapinam eis? Quia tu spoliâsti gentes multas, spoliabunt te omnes; qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis.* Deniquè: *Nequè fures, nequè avari, nequè rapaces, regnum DEI possidebunt.* Istam postulat vindictam, ipse sanguis ille; quem, suam suprà Conscientiam, hostes crudeles perditum volebant, nauci videlicet eum, nihilíque facientes.

Matth. 19. v. 23.
Matth. 25. v. 41.
S. Chrysost. Hom. 64. in Matth.
S. August. lib. de fide, & oper. cap. 15.
Levit. 11. v. 13.
Exod. 20. v. 15.
Zachar. 5. v. 3.
Habacuc. 2. v. 6.
1. Corinth. 6. v. 10.

XXII. Non ità bullit ultionis avidus cruor meus. Non ità sanguis novi testamenti, sicut sanguis Abel, clamat in cœlum. Iste de fratre vult vindicari: meus postulat, etiam hostibus, & interfectoribus veniam indulgeri, noxas remitti, pœnas mitigari! Si tam propitia, & misericors tua fuit æquitas, meô scilicet ipsô sanguinê præponderantê, criminísque gravitatem relevante, contra violentos ejusdem persecutores inclinata; qui cæcô furore dementes, ejus integram cum vitâ profusionem, in suam conscientiam, suámque, suorúmque posterorum omnium condemnationem, attribui sibi, perpetuò vindicem voluerunt: ut fuerit mitigata, quam insanâ ipsi sibi devoverant rabiê, voluntariæ perditionis optata sententia? quî patiar, ob sanguinis humani pretium, in millenis animabûs, mei pretium sanguinis infinitum evacuari? Illi, *quamvis maximè, & adversùs se, & adversùs filios suos insanirent* (utì meus piè notavit Chrysostomus) *non tamen omnes ex suâ sunt sententiâ condemnati: sed tam ex ipsis, quàm ex filijs,*

S. Chrysost. Homil. 87. in Matth.

filijs, illi ſuſcepti, qui pœnitentiam egerunt, millêque modîs honorati. Nequaquàm igitur omnes, quotquot appellati de Dolis, fraudibus, furtis, & rapinis, itáque ſuam in conſcientiam receptô, cum injuriâ, pauperum, innocentûmq; ſanguine fuerunt, una, eadémque ſententia damnationis involvet. En, ſanguinem! & ſanctum, ac innocentem, pro noxiô, multîsque injuſtitiîs pollutô! Jam plurimi divitias, quas devorârunt, reddere pœnitentes parati ſunt, quadruplâ ſatisfactionê decretâ: quibus verò non ſuppetit pro voluntate facultas, cùm & ipſi, ſanguinem pro ſanguine, non abnuant, extinguendîs impendere debitîs, & vindicandîs â culpâ, pœnâque nominibûs; meum iuſuper, quem implorant, ſuper ſe, ſuósque filios, cùm temporalibûs, tum ſempiternîs eorundem ignibûs, penitùs extinguendîs effundi, ſanguinem fidelis Mediator, & Advocatus indulgeo! Oro, Pater! ut *per aſperſionem ſanguinis JESU Chriſti accipiant remiſſionem peccatorum.* Quod optant, & orant: *ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros!* impleatur in ipſis per gratiam. Nam, *ſinè ſanguinis effuſionê non fit remiſſio. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem!* Quodſi pro meis traditoribus, tortoribus, & crucifixoribus, meliùs, quàm ſanguinem Abel, clamantem, exaudîſti meum ſanguinem; per quem reconciliatio totius univerſi, Tê propitiô, ſtatuta, conſummatáque fuit? fieri nequit: ut, ejuſdem tibi ſemper acceptiſſimis meritis, per fiduciam immerſi, debitîs antiquîs, vel adhuc inquinati, vel obligati, vinculatíque permaneant. Falleret per meum facta Vicarium, de promiſſæ, certæquè gratiæ diſpenſationê, cunctis, in mei ſanguinis efficacî virtute confidentibus fidejuſſio: *Audite, ac percipite ſublimiſſimum divinæ miſericordiæ ſacramentum! Nam, certa, atquè ſecura eſt exſpectatio promiſſæ Beatitudinis; ubi eſt participatio Dominicæ Paſſionis. Effuſio enim ſanguinis juſti, pro injuſtis, tam potens fuit, ad privilegium; tam dives, ad pretium: ut, ſi univerſitas captivorum in Redemtorem ſuum crederet; nullum tyrannica vincula retinerent.* Sit itaquè ſanguis meus ſuper vos, & ſuper filios veſtros (prouti per Apoſtolum meum eſt promiſſio data) per redemtionem, quæ eſt, *in Chriſto JESU; quem propoſuit DEUS propitiationem, per fidem in ſanguine ipſius; ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum.*

S. Leo. ſerm. 9. de Quadrag.

Idem in ſerm. ſeptim. Menſ.

1. Petr. 1. v. 2.

Actor. 16. v. 18.

Hebr. 9. v. 22.

Pſalm. 15. v. 10.

Rom. 3. v. 24. 25.

FE-

FERIA V.

POST DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ.

SERMO DECIMUS SEPTIMUS.

In Foro III. Juſtitiæ Divinæ; ſeu Prætoriô Pilati,

Fundendi ſanguinis judicio Præfecti.

Actio XII. Popularis, & Appellatoria;

In cauſa malæ Tractationis ſubditorum.

Contrà eos;

Qui, quôvîs nomine Dominii, ſeu Præfecturæ,
In ſibi ſubditos, tam jurê, quàm, bonâ fidê ſervos,
Aut quôlibet aliô titulô, ſeu Familiæ, ſeu Popularî, ſubjectos,
Per ſævitiem enormem, & exactiones intolerabiles,
Tributorum, obſequiorum, laborúmque ſerviliúm,
Etiam cum Religionis, & obſequii, DEO debiti, diſpendiô,
Inhumanum, crudelem, & impium Dominatum exercent,
Jurê ſuæ poteſtatis inſolenter abuſi.

Pratejus. in Lexico V. Populares Actiones. Paulus. in l. 1. ff. de Popul. act. Pratejus VV. Familia, Popul. ſerv.

Actor XII. Curio ſacer, ſeu Paſtor animarum.

Qui ſupremam ad Majeſtatem, ex officio Paſtorali,
Per Actionem Popularem appellando,
Injurias enormes, per improbum Dominatûs abuſum,
A Dominîs, ac Dominabûs crudelibûs,
Oviculis, curæ ſuæ commiſſis, & Patrociniô deſtitutis, illatas accuſat.

Myſterium XII. & Actionis conſtitutæ Argumentum.

Tormentum extremæ Crudelitatis,
Quod ex Coronâ ſpineâ, fatui Dominatûs illuſoriô ſignô,
Per intolerabilem impreſſionem, & crudeliſſimam exactionem
Sanguinis, etiam á Capite truculenter expreſſi,
Supremus, in aſſumtâ Servi formâ paſſus eſt,
Impiæ Servorum poteſtati, voluntariè ſubjectus Dominus.

Teſſera. Plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper Caput ejus. *Matth. 27. v. 29.*

I. ARcanô ſenſu ſapientiſſimi Regis commina-tio, graviſſimæ, cùm indignationis, tum caſtigationis, â ſupremo Regum omnium Rege decretam, in regnum illud vindictam prædixit; cujus ad clavum, ſedere puerum contigerit; eúmque, ſuis in manibus, cum gubernaculi poteſtate, movendæ totius, regendæquè molis arbitrium habere; cujus mens necdũ varietate caſuum decocta maturuit. Nam, *ſicut novelli citharædi multas perdunt citharas*; *ſic*, arbitrô Xenophonte, *cupidi juvenes rempublicam ſæpè evertunt.* quod, ſuô quoquè ſymbolô, Pythagoras indicare voluiſſe videtur, more ſuô præſagus: *Puerum ſtrictô gladiô vagari, malum omen eſt*: ſi nimirum, penes puerum, gladii fuerit, ſeu, gubernandi ſuprema poteſtas. Hoc ſacer, & coronatus Orator, illâ ſuâ comminationê providâ præmonuit: *Væ tibi terra, cujus Rex puer eſt*! quamvìs hæc, de pueri gubernationê calamitas, non tam, ab ætatis, quàm, â virtutis, & prudentiæ defectu formidanda, nonnullis cenſeatur. Nam, ſeptimum vix annum nactus Joas, ad regni gubernacula jam evectus; & Joſias, octennis, ad ſceptrum, & coronam electus; &, Salomon ipſe, prout vult S. Ignatius M., cùm duodennis factus, univerſo fuit Iſraëli (ſicut cæteri, magnô omnes reipublicæ commodô) regiâ poteſtate præfectus. Unde viſum Hieronymo: pueritiam regnis, non eam, quæ teneræ ætatis, ſed illam, quæ moribus ab immaturis eſt, pernicioſam eſſe: *Mihi ſacratius quiddam*, inquit, *latêre videtur in litera: quòd juvenes dicantur à Scripturâ: qui à veteri auctoritate deſciſcunt.* Nimirum, prout ævô de ſuô Seneca, non tam queſtus, quàm indignatus, aliquando ſcripſit: *Adhuc non pueritia in nobis, ſed, quod eſt graviùs, puerilitas remanet: & hoc quidem pejus eſt: quòd auctoritatem habemus ſenum; vitia puerorum: nec puerorum tantùm; ſed, infantium.* Hos itaquè pueros in pœnam, & graviſſimam afflictionem Regni, reíque publicæ, divinô comminatus ſuiſſe ſpiritu Salomon, vindictæ divinæ præſcius, creditur Divo Hieronymo: cùm pariter, iratus Iſraëli Dominus, execrationê fulminans, per Iſaiam fuerit minitatus: *Dabo pueros, Principes eorum*!

II. Ad propoſitum quidem argumentum vix confert aliquid: an majus, âb ætate, quàm, â moribûs puerorum, ætate grandium, ſubjectis eorum regnis immineat, ex poteſtate, ſupplicium, ac detrimentum? dum, quod unâ comminationê prædixit, ingemens Eccleſiaſtes: *Væ tibi terra; cujus Rex puer eſt*! mihi, ter ingeminatá commiſeratione videatur exclamandum: Væ! væ! væ!

Xenophon. cit. â Corn. à Lapide in Eccleſ. 10. cap. v. 16.

Eccleſ. 10. v. 16.

4. Reg. 22. 2. Paralip. 33.

S. Ignat. M. ad Magneſ:

S. Hieron: in loc. cit. Eccleſ.

Seneca. Epiſt. 4.

Iſaiæ 3. v. 4.

Eccleſ. 10. v. 16.

væ! regnis illis, provinciis illis, urbibus, ac ædibus illis, cõmunitatibus demùm illis; &, quôvis tandẽ, ſeu nomine, ſeu jure, ſubditis; &, vel naſcendi conditionẽ, vel neceſſitatis coactionẽ ſervis, ac ſubjectis! in quos dominandi jus obtinuerint ſpinæ, cum principatu, ſupremâque poteſtate, non imperandi tantùm, legésque decernendi; ſed etiam, pro arbitratu, (quod libet, ab ipſis, obſequii debitum exigendo) ſanguinem ex venis, & medullam ex oſſibûs, carne priùs omnî ſpoliatîs, exſugendi. Quàm intolerabilis imperandi conditio; quàm acceptæ poteſtatis præceps furor; quantáq; ſævities, ac tyrannis continuò proruperit; ſuósq;, poſt tributũ, cum diademate, dominatũ, terribiles aculeos, in ſpinâ, regnum adeptâ, prodiderit; intueri juvat in eô, quod hiſtoria ſacra, tragicô velut in theatrô, cogitandum potiùs animis, quàm ſpectandum oculis proponit. Quis, obſecro, conſilii fuit author infeſti? quô, natæ ſtirpibûs altiſſimîs arbores, quamvîs â providâ matre, cùm floridîs, tum fœcundîs ipſæ ſtemmatibûs ornatæ, inductæ tamen ſunt, ad inſtituenda comitia, diémque Regis eligendi ſtatuendum; cujus â nutu populus omnis nemoroſus, totáque frondoſa respublica ſubinde ſtaret, atquè ſubſiſteret, Indulgendum id fortè fuiſſet: niſi majeſtatis oblatæ poteſtati ſe ſubtraxiſſent ligna; quibus, tam ingenita nobilitas, quàm antiquæ virtutis robur, plùs, ad id muneris, prærogativæ, præſtantiæque tribuerunt. Hæc autem, ſui penitùs oblita, nequè, quid optarent, quantúmque ſuo nocerent generi, provida, votîs communibûs, unam in vocem collatîs, *dixerunt omnia ligna ad Rhamnum: Veni, & impera ſuper nos*! Vix cùm ſe Rhamnus ad imperium vocari perſenſerat; mox, cum acceptâ poteſtate, ſuâ natam de ſtirpe Rhamnuſiam, &, qualem exercere dominatum conſtituerit, exactionẽ deſpoticæ ſubjectionis, univerſim poſtulatæ, monſtravit, aculeîs in omnem continuò partem expromtîs; dum reſpondit eis: *Si verè me, Regem vobis conſtituitis: venite, & ſub umbrâ meâ requieſcite.* *Si autem non vultis: egrediatur ignis de Rhamno, & devoret cedros Libani*! Quàm genuinus iſte tyrannicæ dominationis typus eſt. Quid â ſuſcepti principatûs munere ſubjectis minitetur; ſibi verò, devotæ ſubjectionis nomine, Rhamnus exigat præſtari; non obiter, ſed accuratiùs expendendum. *Si non vultis*, ait, *egrediatur ignis, & devoret cedros Libani*! Tam terrificum exordium novitiæ poteſtatis, ipſis Libani cedris flammarum devaſtationem intentantis, quid populo reliquo lignorum minitetur?

Judicum. 9. v. 14.

Judicum. 9. v. 15.

tetur? quid, ex ejuſdem proficiente dominatu ſit formidandum? non eſt admodùm obſcuræ conjecturæ ſuſpicio. Sed, quid aliud expectandum, cùm ad ſpinas devolutum videmus imperium; &, ipſæ jam, in coronam, electæ ſunt ſpinæ? Porrò, quid novum hoc ſenticoſum ſtema ſuîs â ſubditîs expoſcat, obſervemus. *Venite; & ſub umbrâ meâ requieſcite!* Quanta petitionis hujus inſolentia? Quanta vixdum obtentæ poteſtatis arrogantia? Non ſufficit Rhamno: quòd, regios ad honores vocata; quòd ad coronæ dignitatem electa; quòd imperare lignis univerſis poſtulata ſit: niſi mox, omnium antiquiſſimarum ſtirpium capita ſuis viderit ſubmiſſa ſentibus; &, quidquid excellens, frondoſum, atquè fœcundum cæteris in arboribus eminet, ſuam ſub umbram redactũ poſſederit: ſplendore demùm, ac frondium apparatu, privata cuncta; ſe verò, capitibus omnium, per ſupremam dominandi poteſtatem, incumbere noverit.

III. Hoc ingenium ſpinarum eſt; cùm adeptæ fuerint poteſtatem imperii: cúm elevatæ fuerint ſuper capita cæterorum: cùm in coronæ figurâ, dominii quôdam jurê, Præfecturæ munus acceperint. Nihil ab illis, niſi, oppreſſio intolerabilis, dilaceratio inevitabilis, compunctio ſæviſſima, conſtrictio ſeveriſſima, rerúmq; omnium, quas rapax forſan aculeus obvias habuerit, exactio crudeliſſima; tyrannica demùm cunctorum, adhærentium ſibi, ſpoliatio, cruentatio, & exulceratio expectanda. Nam *Rhamnus*, utì S. Hieronymus notavit, *plena ſentibûs, & ericio ſimilis; ſpinoſus frutex, & arbuſcula, ſentibûs, uncîsque contexta; quæ teneat, quidquid attigerit.* En, totus apparatus Rhamni, nihil, niſi vulnera, niſi lanienam, niſi rapinam, & ſubtractionem, & violentam eorum omnium offenſionem ſpirat; quibus contigerit, in ejus aculeos, & ſævam poteſtatem venire. Non ego ſolus, hujus, â Rhamni coronâ, formidatæ tyrannidis, crudelíſque dominii ſuſpicioſus interpres, nè dicam, vates fui: cùm dolor inexplicabilis, & injuria incomparabilis, memorem ſubiit in animum, illius myſterii; quod in ſanguinolentô Pilati prætoriô, non, humana militum inſania, ſed, rabies quædam diabolici furoris (vepribûs, in adorandũ occultatæ majeſtatis caput, pro coronâ congeſtîs) non tam ſpectandum, quàm deplorandum objecit, *luſum* ſcilicèt, utì locutus eſt Origenes, *ex dæmonum ſuggeſtionê, ſibi JEſum faciens.* In hunc me ſenſum induxit; qui Rhamnum, non tam in cortice, quàm abditâ myſterii medullâ, contemplatus, judicium

S. Hieron. in cap. 2. Aggei.

Origenes. cit. à Sylv. Tom. 5. in Evang. n. 9. L. 8. c. 11. Epoſit. 2. & n. 11.

dicium ſuper eâ ſuum aperuit, parabolæ famoſus interpres, Tubalenſis. *Statim*, inquit, *atquè Rhamnus ſe, in Regem aſſumtam videt, confeſtim ad ſe vocat ſubditos. Quid autem arbor ſenticoſa, per hanc ſubditorum vicinitatem, intendit? nempè: ad ſe rapere, quidquid attigerit.* O truculentam! O barbaram! &, omnis expertem indolis, verè regiæ, coronam! quæ, non aliô munere ſuper capita vult eminere ſubditorum: niſi, ut ſuæ ſubdat omnia rapacitati; ſuæ conjungat omnia poteſtati; propriáque dominio ſuo faciat omnia, per vim, atquè ſævitiam, ùt exacta, ſic abſtracta. Væ! væ! væ miſeris! in quos dominatum Rhamnus acceperit cum corona!

Didacus de Vega in Jud. Tom. 1. c. 1. v. 27. §. 69. n. 485.

IV. Et, non ſentimus hoc, immaniſſimæ crudelitatis, imperium? hanc, in diadematis honorem aſſumti Rhamni, ſævitiam atrocem? hos, ad uſquè cerebri teneritudinem, ineffabilî doloris exaſperationê, coronæ, cùm potenter impreſſæ, tum vehementer penetrantis, acutiſſimos aculeos? Quid ergo poſtulavit Apoſtolus? *Hoc enim ſentite in vobis; quod & in Chriſto JESU: quì, cùm in formâ DEI eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem DEO: ſed ſemetipſum exinanivit, formam Servi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, &, habitu inventus, ùt homo.* Noſtrâ deprehenſus in formâ, primum illud maledictum, per ſpinas, in pœnam primæ prævaricationis omnibus poſteris tolerandas, pronunciatum, Servus ipſe pro nobis factus, ità ſuum in caput Servator patientiſſimus admiſit; ut in acceptâ Servi formâ, ſpineæ ſubjectus coronæ, ſuis voluerit in membrîs experiri, pro nobis: quàm ſit immane tormentum; quod â ſpinîs, in coronam contortîs, &, cum dominii poteſtate violenter impreſsîs, ineluctabilis patientiâ ſervitutis tolerandum eſt. Nam *in ſpineâ coronâ maledictum ſolvit antiquum*, ùt inquit S. Hilarius: *&, ſpineam in capite coronam accepit; ut ſententiam capitalem, quæ ex ſpinîs peccatorum nobis debebatur, eriperet.* Hoc enim ſentire nos Apoſtolus voluit per devotam compaſſionem; expendendo (ſi quidem Chriſti corporis membra ſumus) quod ex vepribûs, in coronam conjunctîs, & altô vulnere capiti violenter impreſsîs, in ſuîs omnibûs, exinde afflictîs membrîs, noſtrâ paſſus eſt in ſervilî formâ gloriæ Dominus. *Non enim decet, ſub capite ſpinîs coronatô, membrum eſſe delicatum,* adeò ſcilicèt; ut nullum velit, nè memoriæ quidem impreſſum, habere ſenſum doloris illius; qui per omnia membra Servatoris, cum acutiſſimâ ſingulorum exulcerationê, deſæviit ex capite, per ſpineam coronam duriſſimè preſsô, atrociſſimè ſauciatô, crudeliſſimè

Genes. 3. v. 18.

S. Hilarius cit. à Sylv. loco cit. q. 7. n. 45. Theophylact. Antioch. ibid. cit.

S. Bernard. à Sylveirâ loc. cit.

Philippenſ. 2. v. 5. 6. 7.

liſſimè perforatô, &, inſatiabilî furoris immanitate, tantùm non, ipſò cum cerebrô, penitùs exhauſtô.

V. Nec inſtar paradoxi cenſendum eſt, quod audivimus: *Matth. 27. v. 29.* *Plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus*: quaſi coronæ, nihil intercedere poſſit, cum ſpinîs: nequè ſpinis aliquid eſſe, cum coronâ, commune. Sic enim factum eſſe jam creditur; quod in cor hominis aſcendere, nec potuiſſe videbatur: ut, velut ecſtaticus, meritò proruperit horrendos in clamores devotus ille: *Manſi. Tom. 3. Bibl. Tract. 63. Diſc. 5. num. 1.* *O diabolicam, & inauditam inventionem! Quis enim audivit unquàm tale ſupplicium? Quomodo in mentem hominum venire potuit? Furor excogitavit: Diabolus invénit, ad famam Chriſti extinguendam.* Non eſt autem ab illîs tenebrîs, & Inferni ſpiritibûs maledictîs, atrocitatis hujus inauditum inventum requirendum: cùm â D. Joanne crudelitatis hujus, unde nata ſit, manifeſtum habeamus, ingenium ſenticoſum: *Joann. 19. v. 2.* *Et milites*, ait, *plectentes coronam de ſpinîs, impoſuerunt capiti ejus.* Ità nimirum omnem humanæ fævitiæ modum exceſſit mercenaria crudelitas. Quod enim nullus Tyranni furor unquàm animô conceperat; hoc, milites, *pecuniâ à Judæis allecti, audebant* (ùt inquit *S. Chryſoſt. cit. â Sylv. loc. cit. n. 13. q. 2.* S. Chryſoſtomus) &, *ſacerdotalibus ſerviens oculis, licentia popularis ingeſſit*: prout, irrugiens Papa-Leo, milites reprehendit. Non eſt ab ingenio militum aliena, tam truculentæ perſecutionis immanitas. Cùm eorum arbitriô decernendum eſt, &, liberâ ſtat in voluntate ſupremum imperium; illi ſanè, non aliunde, reipublicæ, ſed, *plectunt Coronam de ſpinis.* Ità, pro Mauritio, Phocam (ſed qualem, proh! pro Imperatore, Tyrannû?) habere debuit Conſtantinopolis. Qualem, ſcilicèt, furor ſolet militaris, collatîs votîs, extollere; per quem, tumultuoſè ſublimatus in ſcutô, ſalutatus eſt Phocas, Imperator; Rhamnus videlicèt, in coronam elatus: de quô, cùm, piè diſceptans Eremicola, poſtularet â DEO: *Cur tam impium Chriſtianis Rectorem impoſuiſſet?* arcanâ voce reſponſum accepit: *Deteriorem alium inveniri non potuiſſe: atquè hoc meruiſſe Conſtantinopolitanorum flagitia.* Quô quidem aliud aperitur arcanum; &, non tam, ex militum petulantiâ, quàm, vindicis Numinis Providentiâ, ſicut Rhamno, ſic & crudeliſſimo Phocæ, tributa ſuprema poteſtas innoteſcit. Cùm enim Apoſtolicô doceamur inſtitutô: quòd *non eſt poteſtas, niſi à DEO: quæ autem ſunt, à DEO ordinatæ ſunt*: conſectarium ex hoc fidei dogmate nemo non videt: nequè Rhamnum, nequè, quod eô germinê ſenticoſô ſævius, in ſubjectos, aculeatâ poteſtate dominatur, imperium (etſi petu-

S. Leo. Serm. 3. de Paſſ.

Rom. 13. v. 1.

P. Georg. Stengel. jud. Divin. Tom. 4. cap. 50. & 51.

Georgius Cedrenus apud Pexenfelder. Concion. Hiſt. Quinq. 3. p. 3. Hiſt. 108. in fine fol. 113.

lan-

lantiæ furor improbus, malevolâ conſpirationê coronam plectens, interveniat) absquè Numine, ſupremum in aliorum capita principatum adipiſci: ſed, utì S. Iſidorus aptiſſimè pronunciavit: *Iraſcente Deô talem Rectorem populi ſuſcipiunt; qualem pro peccatô merentur.*

Iſidor. Hiſp. Lib. 3. Sent. cap. 48.

VI. Itanè verò, de ſpineâ Servatoris coronâ, par nobis ferendum judicium eſt? ut, non tam diabolici furoris inventum, aut militaris inſolentiæ portentum, aut invidiæ ſacerdotalis, in omnem ſuffocandæ Chriſti gloriæ occaſionem laborantis, incitamentum; quàm, divinæ diſpenſationis admirabile decretum, in eô, tam contumeliosô, quàm dolorosô diademate, ſit adorandum? Quid enim, illius virginei corporis innocentiſſima membra reatûs in ſe contraxerant, ſuppliciô tam horrendô premendum, affligendum, exſugendum, ac penitùs mortificandum? Nam, quòd S. Laurentius Juſtinianus expendit: *debuit planè mori, tantô dolore transfixus: ſe tamen reſervavit ad vitam; ut iîs etiam graviora perferret.* Ergo necdum agnoſcimus, quod inſinuatum tamen jam ſuperiùs fuerat? quia *peccata noſtra ipſe pertulit in ſuo corpore; formam Servi accipiens, &, habitu inventus, ùt homo*; ſed, ùt homo, rebellis DEO, contumax creatori, ad ſerviendum creatus, & tamen, non ſervire obſtinatus: *dixiſti: non ſerviam.* Quid igitur mirum? illud in caput, ſpinarum, in coronam conjunctarum, horribile tormentum fuiſſe decretum; quod omnium in ſe membrorum peccata ſuſcepit; atquè maledictum, quod, ex primo capitê, in omnia membra, per ſpinas, ac tribulos vindices torquenda, deſtinatum erat, non ſuô tantùm in ſacroſanctô capitê, ſed, per doloris conſenſionem, innocuîs omnibûs tolerare voluit in membrîs. Nec enim, per impreſſas capiti ſpinas, vel cranium, vel tempora, vel ſolum, ex omni parte ſauciatum, & aculeîs incuſsîs læſum, perforatúmque Domini caput fuit: verùm (ùt ipſe S. Chryſoſtomus faſſus eſt) *quod fiebat in Chriſtum, ultimus terminus contumeliæ erat: nec una particula tantùm, ſed univerſum corpus patiebatur injurias.* Ut ſcilicèt, ſpinosô ſub capitê, nullum, ùt ùt innocuum, vacaret membrum dolorê; quô, reis omnibus â membris, decretum antiquæ rebellioni ſupplicium, per Capitis tormentum, in membra ſacra diffuſum, averteretur. Atque ità, *ſicut unguentum in capité, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus: ſic, & corona ſpinea, capiti ejus,* (revelantê, quæ ſuîs omnia ſpectavit oculîs, DEI Matre) *arctiſſimè impoſita fuit, plurimîs rivîs ſanguinis, ex aculeîs infi-*

Jerem. 2. v. 20.

S. Chryſoſt. in Caten. D. Thom. in Matth.

S. Laurent. Juſtin. Lib. de Chriſti agone.

1. Petr. 2. v. 24.

Philipp. 2. v. 6.

Pſalm. 132. v. 2.

Revelat. S. Birgittæ. l. 4. c. 70.

infixîs, decurrentibûs per faciem ejus; & crines, & oculos, & barbam replentibûs: ut, quasi nihil, nisi sanguis, totum videretur; totum, â vertice capitis, usquè ad plantam pedis, nihil, nisi dolor, &, dolor â spinis! Hinc, *si, quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra?* quantò magìs, ex passionê Capitis hujus, participatio passionis ejus in membris fuerit reliquis? ut omninô, nihil, nisi sanguis; &, sanguis, â Capite descendens, non in oram vestimenti, sed in omnia membra dolorosi Capitis promanârit: *ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, totius corporis*, non tantùm *lacrymîs purgaretur*; sed, & acerbissimîs doloribûs, ab æternô maledictô spinarum eximeretur.

1. Cor. 12. v. 26.

S. Bernard. Serm. 3. in Dom. Palm.

VII. Hoc igitur sentite in vobis; sed, sicut in Capitê vestrô, Christô JESU, susceptum, toleratúmque fuit, immane tormentum, factæ de spinîs coronæ; cujus crudelem impressionem descripsit hiscè verbîs Divus Vincentius Ferrerius: *Coronam de spinîs capiti ejus imposuerunt; quæ eum in capitê in septuaginta duobûs locîs crudeliter vulneravit. Nam erat ad modum pilei, ità; quòd undiquè caput tegeret, & tangeret ità; quòd aculei ossa penetrarent. Isti junci, secundùm Isidorum, ab intrà fuerunt concavi, sugentes ad se sanguinem Christi.* Plùs ingerit animo doloris, exaggerata per S. Anselmum, coronantium tortorum sævitia; *qui* (quod ille quidem, Deiparæ super hôc mysteriô collocutus, intellexisse fertur) *hanc coronam cum lanceâ percutientes capiti ejus imprimere conabantur.* Heu! cujus non, acutissimô dolore caput offensum est, ex tantâ, spinarum, supremum in Caput incussarum tyrannide? Cætera quis, ad sensum imprimendum animis, hujus adeò truculentæ coronationis ludibria, tormentáque verbô perstringet? *Chlamydem coccineam circumdederunt ei*: &, cum hâc, Origenê sic interpretantê, *Mundi sanguinem*, proh! contegendîs, & onerandîs humerîs Regis gloriæ, quàm grave fordibûs, vestimentum? *Et posuerunt arundinem in dexterâ ejus.* Hoc scilicèt fulciendis, vulnerati corporis, infirmis, exhaustísq; membris, illusoriè suffectum est robur: tantum enim, cùm exacta jam omnia sunt, exsuctáque, spinîs regnantibûs, in subditorum remanet firmamentum. *Et illudebant ei*, lusu, totam petulantiam exhauriente, nullámque partem corporis universi, singulari supplicio non vexatam prætereunte: dum consputationibûs os, & vultus, alapîs maxillæ, colaphîs aures, pugnîs collum, fustuariô tergum, calcibûs demùm impactîs omnis Domini majestas, innocentia, & divina patientia, modîs ineffabili-

Matth. 27. v. 28.

Origenes Homil. 35. in Matth.

Matth. 27. v. 29.

Ibid. v. 30.

S. Vincent. Ferrer. Serm. in Paraseeve.

Vide Sylv. L. 8. c. 11. Quæst. 8. n. 54.

bûs

bûs, viliſſimi peripſematis inſtar offenſa, contempta, afflicta, & attrita fuit: ut, ex Divi Patris Hieronymi ſenſu, præſenſiſſe tormentum illud propheticô ſpiritu videatur Jonas, queſtus: *Pelagus operuit caput meum*! quod, ex Hebræo redditur, â quibusdam, apud Cornelium: *Juncus operuit caput meum*! quaſi, cum juncîs, ſeu ſpinîs marinîs, pelagus dolorum omnium, omnes, in Servatoris inexpugnabilem patientiam, amaritudines cumulatîs fluctibûs congeſtiſſet. Ità Palæſtinus interpres verba Prophetæ, (*omnes fluctus tui ſuper me*,) Domini velut ex ore ſuſcepit, in formâ ſervi, ſub coronâ ſpinarum, ingemiſcentis: *Univerſæ perſecutiones, & turbines, quibûs genus vexatur humanum, ſuper meum detonuêre caput*!

Jonas. 2. v. 6.

Cornel. à Lapide in loc. cit.

S. Hieron: in cap. 2. Jonæ. v. 4.

VIII. Exploremus nunc tandem, non tantùm: pro quibûs Caput noſtrum, Deô plenum, ſuîs ſanctiſſimîs, & innocentiſſimîs in membrîs, tam crudeliter, ac inhumaniter humiliatum, oppreſſum, percuſſum, ſauciatum, exhauſtúmque, & tantùm non exinanitum, fuerit, â ſpinîs, in coronam contortîs? verùm etiam: quinam illi ſint? qui, veluti membra Chriſti, in formâ ſervi tanta perpeſſi, perſecutionem etiamnùm adeò tyrannicam experiuntur? Itanè Principes, ac Domini, Dominæquè ſeculi noſtri, ſpinarum inſtar, in ſibi ſubjectos, quôcunquè poteſtatis, vel nominê, vel jure ſervos, famulósque, non niſi ſævos aculeos exerunt? &, quorum procurare ſalutem, paternâ providentiâ, pro vicariâ ſupremi numinîs, quâ funguntur, authoritate deberent; eoſdem ſuô, quô præſunt, poteſtatis, ac dominatûs jure abuſi, non ùt, vel ipſius Chriſti, vel ſua, unius in Chriſto corporis, membra diligunt, fovent, ac tueri, conſervaréque ſtudent; ſed, inſtar pecudum, ipsîsque brutîs animantibûs inhumaniùs, immitiùs, crudeliùs perſequuntur? premunt, & opprimunt; pungunt, & compungunt; tantúmque non omninò conterunt, contritósque conficiunt, millenîs injuriîs, gravaminibûs, exactionibûs, & vexationibûs, affectos, afflictos, exhauſtos, exinanitos?

Rom. 12. v. 4. & 5.

IX. Hoc eſt, quod ad ſupremæ, divinæquè majeſtatis tribunal, criminoſorum omnium accuſationi, valvîs utrinque diductîs patens, gemini (ſacri ſcilicet, ac profani) juris, non de limine tantùm, aut literâ, ſed longô rerum uſu doctus Curio, pro curâ, zelôque, commiſſarum mihi animarum, *in Cauſa miſerabilium perſonarum*, (quibus non juſtitia ſolùm, ſed nè querula quidem ærumnarũ ſuarum confeſſio, nequè pro moderamine rigoris obtinendô, nequè pro aliô ullô au-

xiliô, vel patrociniô impetrandô conceditur) appellationê, quàm. ſolicitâ, tam juſtâ conſtitui accuſare, poſtularéque, ſeveriſſimè judicandum, damnandum, & caſtigandũ, gnarus utiquè; quòd, cùm non tantùm *Actio Popularis, quæ cuilibet de populo competit, moveri poſſit â quolibet ob injuriam publicam*; ſed, *in cauſa miſerabilium perſonarum*, etiam, omnî jurê, ſit indulta ſuperioris imploratio judicii: (*Hi enim* miſeri *ſemper, omiſſô mediô ad Principem apellare poſſunt*) majorî libertate integrum ſit futurum: afflictorum, &, omnî patrociniô deſtitutorum cauſam, millenîs lacrymîs deploratam, & in ſpinas, heu! nunc delapſam, nec inde vulneratam ſolùm, ſed penitùs confixam, protritámque, coràm æquiſſimô ſupremæ majeſtatis tuæ judiciô, cum ſupplicî auxilii deprecationê, Dominatûs autem tyrannici, quem indigniſſimè paſſi ſunt, ſeveriſſimâ criminationê, dijudicandam. exponere. Ipſa quippe videtur, ad id conſilii ſuſcipiendum, fiduciam excitare voluiſſe divina tua Bonitas, ultrò vocans: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis*! id eſt, interprete Syrô; *qui feſſi eſtis, & bajulatis onera*: ſeu, juxtà ſenſum textûs Arabici: *qui labore attriti, & gravati oneré eſtis.* Quis verò graviùs unquàm preſſus? aut, quis tam immensîs laboribûs attritus, vel inter ultimos orbis extremi barbaros, & humanæ conditionis oblitos forſitan ingemiſcens, divinæ miſerationis obtutu ſic reſpici; & inclinatâ propenſæ benignitatis aure ſic meruit aliquando percipi? ſicut hi; qui Chriſtianîs inædibûs, pagîs, urbibûs, aliîsque, varii dominatûs, ac poteſtatis imperantis ditionibûs, nihil aliud, quàm perpetuos, ad medullam uſquè, tam acerbâ confixionê, quàm immitî, dicámne exſuctioné, aut, exactionê penetrantes, & exaſperantes aculeos, incumbentium ſibi, per dominium crudele, ſpinarum patiuntur. Premuntur enim ſubjecti miſerabiles; ſed, iniquiſſimè! concutiuntur, & ſubiguntur; ſed, indigniſſimè! compelluntur, & adſtringuntur ad labores; ſed, immoderatiſſimè! obruuntur exactîs, & coactîs obſequiîs; ſed, indiſcretiſſimè! exhauriuntur, non tantùm iîs, quos in vitæ, familiæquè miſerabilis alimentum, tellus arata, pro manuum labore, ſudoréque tribuit, fructibûs; & agelli culti, pecorisque mulcti redditibûs; ſed ipsîs etiam viribûs, quas in ſui ſuſtentationem, ægro, fractóque junctus corpori ſpiritus exigit, per immodicas exactiones, inauditîs nominibûs poſtulatorum, obſequiorum, & vectigalium, & jurium, non realium. duntaxat, ſed, & perſonalium, atquè

Rubr. ff. de Popul. act. & in l. eum, qui in popul. Pratejus V. Popul. Act.

Scaccia de Appellat: quæſt. 7. num. 113.

Frider. I. Imper. in Authent. habit. ubi Bald. n. 14. C. ne fil. pro Pat. Dec. in Cap. dilect. 66. n. 4. v. 3.

Matth. 11. v. 28.

Syrus. Arabicus apud Cornel. à Lap. locò citat.

atquè ipſorum, non modò jumentorum, verùm etiam pignorum, ſeu filiorum, exactiſſimè deſtituuntur, & exhauriuntur. Ad omnem inſolentiam Dominorum, ſubditorum debent manus conjungi; quid indigniùs? Ad omnem petulantiam eorum, debent pedes inferiorum concurrere; quid iniquiùs? Ut ſuperbîs phalerîs niteat ſericô ſub frenô ſubſultans equus: tremulo contrà frigus colono gauſapina vix relinquitur penula. Perſicum ut luxum aulæa ſuperent; vix mapali contegendo (nè dicam ſtrato) relicta de decumatîs palea ſuppetit: &, qui ſe totos, ad emedullatam uſquè ſiccitatem offium, violentis imperiis obtemperando conſumſerunt (poſt verbera, nullum ampliùs, ab jam invalidîs, obſequium excuſſura) tandem ædibûs expulſi, vix baculum obtinent; quô ſilicernium ſuum, & collabentia membra ſuffulciant.

X. Non ignota, ſed, infinitîs gemitibûs, & queſtubûs ineffabilibûs, jam pridem afflictîs â ſubditîs accuſata juſtitiæ tuæ, dominii Pharaonici, nullâ ſævitiê ſatiata tormenta commemoro: *Aſcendit clamor eorum ab operibus!* Exod. 2. v. 23. Audiviſti, qui audis in abſconditô, gemitum pauperum: vidiſti afflictionem populi: &, ſciens dolorem tuorum, deſcendiſti non ſemel (quod experti ſumus) per imbres; &, ex hîs, arva ſubruentes aquarum exundationes: per grandines; &, ab hîs, evacuatam albentis jam ſegetis meſſem: per uredinem; &, ab hâc, exhauſtam in vite ſideratâ vindemiam: per fulmina; &, ab hîs, igne quàm flagrantî, ac ſubitaneô, tam ſævô, & inextinguibilî, ſuccenſas arces, & ædes, palatia, & prædia, pagos, & oppida: per varias deniquè, domeſticas, publicásque plagas, vindex miſerorum, ſæpiùs jam deſcendiſti; quibûs illa quidem, quæ cum ſubjectorum injuriâ, fraudêque, vel congeſta, vel conſtructa, vel in immenſum aucta fuêre, ſubitò concuſſa, convulſa, combuſta, devaſtata penitùs, & exinanita, quemadmodum fumus, defecerunt: illi verò etiam ſublati, abſumtique derepentê deſierunt; quorum auctibus omnis illa violenta deprædatio, omnis illa crudelis exactio, & immitis, atróxque ſubactio miſerorum, jurê dominatûs arrogatô, non tantùm omnî juſtitiâ, ſed, etiam humanitate protritâ, profligatâque, laboravit. Nequè tamen exinde mitior multorum aſperitas fuit: *Percuſſiſti eos, & non doluerunt; attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: induraverunt facies ſuas ſuprà petram*; & noluerunt miſereri: cùm ſcilicèt, præciſô tantùm cacuminê, ramîsque reſectîs, manſit ſtipes altîs adhuc Jerem. 5. v. 3.

huc hærens, valénsque radicibûs, tantô ſæviùs, quæ circumſtant, exhauſturus; quantò avidiùs inhians, detrimentis, quæ paſſus eſt, iterum compenſandis: niſi truncus totus, exciſionê radicitùs factâ, ne minimâ quidem fibrâ germini funeſto relictâ, fuerit exciſus, evulſus, exterminatus.

XI. Quid autem juvat, iſta tuæ, tot in miſeris offenſæ pietati, contemptæ longanimitati, illuſæ æquitati, retexendo ſuggerere? *Vidiſti Domine iniquitatem illorum. Vidiſti omnem furorem, univerſas cogitationes eorum*; quibûs omnia ſancta tua proculcaverunt, inſuper habentes univerſa mandata tua, ſuæquè cùm avaritiæ, tum ſævitiæ, moderamen omne, deſuper injectũ, excutientes. Vetuit æquiſſima Providentia tua per Ezechielé: *Non accipiet Princeps de hæreditate populi, per violentiam; & de poſſeſſionê eorum: ſed de poſſeſſionê ſuâ hæreditatem dabit filijs ſuis: ut non diſpergatur populus meus, unuſquisquè â poſſeſſionê ſuâ.* Tantùm autem abeſt; ut, ad naturales hæredes, integra, parentum ſubditorum, aut ſanguine junctorum ſubſtantia perveniat (cùm eorum aliquis morte ſubtrahitur) ut miſeri, cum viduîs pupilli, quid lugere, queri, ac deplorare debeant potiùs, mœroribûs undique cumulatîs, ignorent. An, familiæ caput ictu fatalî ſublatum? An, rem familiarem, innumerîs jurium, legê nullâ fultorum, ſed præſumtorum titulîs, non decumatam ſolùm, ſed penè, per ſævitiem herilem, evacuatam? Vix imminet ſubditorum alicui ſuprema neceſſitas (cui fertilior agellus, paſcua jucundiora, villa pinguior, nec inane granarium, nec vacuum horreum, ſed, ex labore manuum, acceptô deſuper incrementô, felix eſt, & non curta ſupellex) cura mox omnis intenditur: nè quid exinde deficiat, per hæredes abſtractum; nulla verò de Curione cura ſuſcipitur: nè tota per dæmonem ſurripiatur cœleſtis hæreditas. Imò, corvorum inſtar, ſuo miſer cadaveri, dominos avidos inhiare, & ultimum præſtolari reſpirium, adhuc ſpirans, cogitur intueri, magìs anxius perſæpè, ſolicitúsque, de ſuæ direptionê ſubſtantiæ, cum liberorum, & conjugis injuriâ; quàm, de ſuæ migrationê animæ, ac procurationê ſalutis æternæ: ut ipsâ morte, terribilium licèt omnium terribiliſſimâ, terribilior tamen, cùm ipſi morienti, tum iis, quibus ille per mortem ſubtrahitur, Dominii ſit tyrañis; ex quâ, relictis poſt mortem proli-

Threm. 3. v. 59.

Ezechiel. 46. v. 18.

bus, atquè conjugi, nec relinquitur inviolata poſſeſſio, nec ad vitam, in perpetuô luctu, jugîque luctâ, cum infeſtîs tribunali-

nalibûs, & violentîs Actoribûs tranſigendam, quidquam aliud; quàm, quod, in auctius vitæ miſerabilis tormentum, exigit arcta, & extrema neceſſitas. *Vidiſti Domine iniquitatem illorum*; quam nulla mea ſatìs poteſt accuſare criminatio.

XII. Improperavit olim Romanus Orator non immodicas tantùm, ſed immanes, fœdásque populorum, & urbium emunctiones, jurê nullô, ſolô luxûs, ac libidinis libitu, in utriúsque fomentum, coactas, & legê quidem ſancitâ: *Hæc civitas mulieri redimiculum præbeat; hæc in crines* (ſcilicèt, ut illiciant, capiántque fulgorê) *contribuat. Ità populos habent univerſos, non ſolùm conſcios libidinis ſuæ; ſed etiam adminiſtros*, imò, tributarios. Nam, *ingredientes* (uti de concubinîs Aſſueri meminit hiſtoria ſacra) *quidquid poſtulâſſent, ad ornatum pertinens, accipiebant.* Non eſt hoc antiquitatis, tantùm ethnicæ, vel impiæ, monſtrum. *Vidiſti Domine iniquitatem illorum*; qui, nè quid ſcorto deficiat, quod alliciat; nè quid pompam deſtituat, quod proſtituat; nè deſit alis, quô ſe jactent, & extollant in malîs, in omnia ſibi ſubjectorum bona dominii jura prætendunt, haud ſecùs; ac ſi, vel ornandæ, vel ſatiandæ tyrannorum libidini (cui nihil ſufficit) quidquid ſubditorum eſt, non impendi tantùm, aut inſumi, ſed, cum ipſis etiam, deberet abſumi. Non eſt, quod Suetonius reprehendat in Caligulâ, vel Nerone, ſumtus profuſos, ex populi ſudore deſumtos; quorum alter, *Nepotinîs ſumtibûs omnium prodigorum ingenia ſuperavit, commentus novum balneorum uſum; ut calidîs, frigidisque unguentîs lavaretur*: alter autem, *nec largiendi, nec abſumendi modum tenuit: nullam veſtem bis induit: quadringentîs in punctum ſeſtertiîs aleam luſit: piſcatus eſt retê auratô, purpurâ, coccôque, funibûs nexîs. &c.* Qualia noſtrorum temporum, non minùs forſan abominanda, prodigi dominatûs portenta ſint, in aquilâ vates deſcripſit; quæ, ſicut crevit plumîs, ità multiplicata videbatur unguibûs. *Et facta eſt*, inquit, *aquila altera grandis, magnîs alîs, multísque plumis*: ubi, Septuaginta, pro plumîs, & alîs, ponunt: *multa unguibûs.* Nec eſt indaginis altæ, plumarum in ungues translatio: quamvìs ingens, plumas inter, & ungues, diſcrimen videatur. Cùm enim extendere ſe, majorî ſemper apparatu, Principum, ac Dominorum imperioſus luxus contendit, creſcentibûs in immenſum plumîs, & alîs, neceſſarium eſt, etiam ungues augeri pro rapinîs: dum ſufficere nequeunt prodigæ cupiditati; quæ pro rationê penduntur, & æquitate. Quòdſi de miſerorum ſanguine,

Suetonius, in Caligulæ vitâ cap. 37.

Idem. in Neron. cap. 30.

M. T. Cicero, lib. 5. Act. in Verrem.

Eſther. 2. v. 13.

Ezechiel. 17. v. 7. Septuaginta. locô cit.

Proverb. 30. v. 16.

ſubtractîs eorũ vitæ ſubſidiîs, aliquid accideret emolumenti, vel ſplendoris, familiæ, publico fòrs bono quondam profuturæ; mitior aliquantùm ſenſus iſtius foret ſævitiæ: ſed ex iîs, quæ pro libidinê poſtulata, fraudulenter exacta, violenter abrepta, & iniquiſſimè congeſta ſunt, famentibûs, tabeſcentibûs, ac deficientibûs ſubjectîs, veſtiuntur, exornantur, inaurantur, ditantur, & (quæ cæterarum omnium injuriarum eſt iniquiſſima, ſimul atquè graviſſima) dominantur meretrices!

XIII. *Vidiſti Domine iniquitatem eorum*, jam olim, Alexandrini Clementis calamô ſeverô, Ambroſii ferventis eloquentiâ ſincerâ, Antonini Theologi diſtrictâ cenſurâ, Cordubenſis Philoſophi reprehenſionê maturâ, ſugillatam, infamatam, accuſatam. *Quantùm rerum per unam gulam transiturarum permiſcet luxuria, terrarum, marísque vaſtatrix!* Ità de ſui temporis inclementibûs comeſſatoribûs, Clemens ille, ſanctus Pædagogus, queſtus ingemuit. *Aſpice culinas noſtras*, (ità, cùm Ambroſiô, magno Patre, laboribûs oppreſſa me vocat familia) *non coquinam, ſed carnificinam putes: prælium geri, non prandium curari: ità ſanguine natant omnia.* Sanè, ùt exploratum, Divus Antoninus aſſeruit. *Hodiè gulæ vitium profundiùs ſe porrigit in Dominos* (*ut multiformem ſaporis gratiam conſequantur*) *quæcunquè tellus, & profunda Ponti, immenſáque alit latitudo aëris, ingluviei ſuæ comparantes.* Addere, citrà calumniam, non tamen æquiſſimâ ſinè criminationê, cum Pacato poſſum: *Sunt, qui parum ſe lautos putant, nisì luxuria vertiſſet annum; nisì hibernæ poculis roſæ innatâſſent; nisì æſtivâ in gemmìs glacie falerna fregiſſent. Horum gulæ anguſtus noſter Orbis. Namquè appoſitas dapes non ſapore, ſed ſumtu æſtimantes, illis demùm cibis acquieſcunt; quos extremus Oriens, aut poſita, extrà Romanum Colchis imperium, aut famoſa naufragiîs maria miſiſſent: quos invitæ quodammodò, reluctantíque naturæ hominum pericula rapuiſſent.* Ità collocantur (ſcilicèt) quæ reipublicæ nominê, bonique communis causâ, quàm impiè petita, tam improbè collata fuerunt: ut, quod abligurit unica menſa, plurium ſubditorum annuæ ſuſtentationi deficiat; illîs interim, ad furfures, & ſiliquas, jumentorúmque ſpiſſa convivia redactîs. Hoc enim verò, Senecâ judicê, *nihil eſt aliud, quàm populorum luctibûs feſta ſua celebrare.* Hoc eſt, quod, per Michæam de Principibûs Jacob, Ducibûsque domûs Iſraël, (crudelibûs dominîs) depaſcendô populô, durè, dirè, truculenter, poteſtate ſui dominatûs abutentibûs, judicium tuum divinum terribiliter comminando poſtulavit: *Violen-*

S. Clem. Alexandrinus. lib. 3. Pædag. cap. 1.

S. Ambroſ. de Eliâ, & jejunio. cap. 8.

S. Antonin. ſummæ Theol. Tit. 6. §. 7.

Pacatus in Theodoſio, de Temperant. Caſ.

Seneca. Epiſt. 45.

Mich. 3. v. 2. & 3. 10. Plinius. l. 4. c. 12.

ter tollitis pelles eorum deſuper eis; & carnem eorum, deſuper oſſibûs eorum. Vos eſtis illi, Scythicîs immaniores, Anthropophagi; *qui comederunt carnem populi mei; & pellem eorum deſuper excoriaverunt; & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt, ſicut in lebete; &, quaſi carnem in mediô ollæ.* Deniquè, *ædificatis Sion in ſanguinibûs*; dum, â primô domuum veſtibulô, tectorum ad uſquè culmina, nullus lapis, nulla compages, nullum retinaculum, gradus nullus, nulla tabula, nè tignum quidem, aut cæmentum, aut, quodquam aliud, quantò pretioſius, aut ſuperbius eſt, â contaminationê ſanguinis impollutum eſt: quia ſanguis pauperum, & innocentûm repetitur in omnibûs, & undiquè, nullô, juris, vel iniqui, diſcriminê confuſus.

XIV. Hæc autem omnia, quæ, pluribûs aliîs prætermiſsîs, narrationê magìs mollî, quàm acerbâ criminationê, prouti meditabar, perſecutus hucuſquè ſum, ipſa præſentis turbæ miſerabilis ora, vultus, oculi (quos pro tuâ, quâ ſoles miſeros, pietate, benignè dignaberis intueri, miſericors, & miſerator, & juſtiſſimeDEUS!) efficaciùs, quàm ulla poteſt oratio exaggerare, ſolâ ſuimet, &, inde conſpicuæ, ſuæ miſeriæ, manifeſtâ exhibitionê accuſabunt. Quidquid â me de tyrannico dominatu vocatum in crimen eſt; aut exprobrari, ſuppliciique poſtulari debuit, intuitu ſolô miſerrimæ ſubditorum conditionis, ad quam etiamnùm redacti ſunt, â plantâ pedis, ad verticem uſquè capitis, per luculentas in omnem partem calamitates expreſſum, abundè ſe prodit. Viden', O Numen omniſciûm! exſangues, luridos, &, cadaveris potiùs, quàm vitæ ſpeciê, pallidos vultus, arida labia, ora hiantia, defoſſos, velut in cavernîs, oculos, & multô cruorê confuſos? Hinc enim, quanta vitæ ſubſidia, per ſanguiſugas, immites exactiones, abſtracta fuerint, patentibûs argumentîs convincitur; &, potentiore, verbîs omnibûs, ùt ùt mutâ, eloquentiâ, ad oculum demonſtratur. Perpetuîs exhauſta fletibûs lumina, quid ad ſumtuoſa Dominorũ pocula, de ſuô, conferre debuerint, nè vulgariter illi biberent, per ſanguinem ſuffuſum expromunt. Tergum, plagîs lividum, & vibicibûs multiplicatîs ulceroſum; nec unô tumens tubere caput; horridâque maciê corpus exeſum; &, cutê duntaxat aridâ tecta, ſinè carne, oſſa, etiam ipſa medullæ vacua, Pharaonicum dominatum accuſant; &, quibûs, opera ſervilia, laborésque manuum, ſinè reſpirationê coacti, ſtipendiîs compenſentur, apertè manifeſtant. Pannoſa veſtimenta, centonésque,

Pſal. 101. v. 10.

Exod. 5. v. 16.

que, nè verendo quidem corpori ſat fideles, per ſuos infinitos hiatus, nihil, niſi nudam egeſtatem, poſt omnia violenter abrepta, relictam, omnî clariùs você loquuntur. Ipſa tuguria, malè tecta, nec adversùs imbres munita, nec adversùs ventos ſat firma, vix â ruinîs per frequentia fulcra ſervata, non aliud indicant; quàm, ſpinas in coronam contortas, ſungi jure dominii; ſævæquè poteſtatis acerbiſſimô pondere ſubjectis incumbere, non, nisì penitùs exhauſtâ miſerorum ſubſtantiâ, ſaturandas: dum alia, querulis forſan, aut lamentantibus, non reddunt, pro levaminum deprecationê, ſolatia; quàm, quæ miſeris illis, â Roboam, fuerunt olim objecta: *Pater meus poſuit ſuper vos jugum grave: ego autem addam ſuper jugum veſtrum. Pater meus cecídit vos flagellîs: ego autem cædam vos ſcorpionibûs.* Poſtremò, vel canes ipſi, quos onerê tributariô ſuîs alere miſeri coguntur in mapalibûs pro Dominô (per eosdem ſubinde, venationibûs importunîs, ipſorum arva, vicinámque meſſi ſegetem vaſtaturô) latratu ſuô crudele dominium ab illius immanitate vix differre produnt; qui, licèt omnia ipſius in ædibûs epularî luxu ſaginarentur, canes tamen domeſticos, ab exſugendîs, Lazari jamjam exſpirantis, ulceribûs, non prohibuit,

9. Regum. 12. v. 11.

Luc. 16. v. 21.

XV. An mihi nunc indultum, (commemoratâ, quæ ſemetipſam indicat argumentîs adeò patentibûs, cùm ſævi dominatûs, plùs, quàm barbarâ perſecutionê, tum triſtiſſimi famulatûs, & attritæ ſubjectionis, tantùm non enecantibûs afflictionibûs, nihil antiquæ tyrannidis, & Rhadamantinæ ſeveritatis atrocitate mitioribûs) antiqua tuæ juſtitiæ divinæ judicia ſuggerere? quibûs vindicta cœleſtis, horrendè fulminans, in ſimiles injurias olim detonuit; quæ nullam in terrîs Nemeſin, vel pavent, vel patiuntur? Novit ex Evangelio chriſtianus Orbis, terribilî fatô non modò ſublatum, ſed ſepultum in Inferno, crudelem illum; qui, de ſaniê mendicabuli, ſuos non tam paſci, quàm deliciari canes toleravit. *Mortuus eſt Dives, & ſepultus eſt in Inferno.* Vivunt autem, & hilares etiamnùm ſuper terram exſultant; quorũ potior, de canibûs, quàm, ſervandîs fuit cura ſubjectîs: dum horũ etiam, in illorum alimenta, vectigalis eſt facta ſubſtantia! Conſtat ſacrîs ex tabulîs, Roboami ferox imperium, &, exaggeratæ nimiùm poteſtatis intolerabile jugum, in ipſius caput, ulciſcentê ſcelus Jeroboam, tuô numine, nominêque, converſum fuiſſe, nunquàm deficientibûs (quæ ſubinde torquebant infelicem) nequè flagrîs, nequè ſpi-

Luc. 16. v. 22.

3. Reg. 14. v. 25. 30. Job. 21. v. 7. 9. 13. nîs calamitatum. *Quare ergo impij vivunt? ſublevati ſunt, confortatíque divitiîs: domus eorum ſecuræ ſunt, & pacatæ; & non eſt virga Dei ſuper illos.* *Pſalm. 72. v. 5.* *Ducunt in bonîs dies ſuos. In labore hominum non ſunt; & cum hominibûs non flagellabuntur?* *Exod. 5. v. 14. & 16.* Contumax ille populi tui Flagellator, per truculentos exactores, non opera tantùm, verberibûs inflictîs, excutiens, ſed, ipſas paleas, pro lateribûs conficiendîs, per laterum exulcerationem, extor- *Exod. 16. v. 4. & 6.* quens, magnificatâ dexterá tuâ percuſſus, cum curribûs, & exercitibûs ſuîs projectus eſt in mare, ſuîsque cum Principibûs, ineluctabiliter ſubmerſus, interijt. Et, non irruet pariter ſuper immites hos, indomitósque Dominatus, *formido, & pavor in magnitudiné brachii tui?* *Ibidem. v. 16.* Nec obruent eos fluctus abyſſi, ſubmerſos, *quaſi plumbum, in aquîs vehementibûs,* *Ibidem. v. 10.* repentinæ, non evitabilis calamitatis? *Prov. 1. v. 27.* Carnifices illos, qui plebem ſuam, non excoriare ſolùm, ſed, avulsîs etiam carnibûs, inſatiabilî ſævitiâ devorare ſunt auſi, terruiſti, per Michæam, inexorabilis judicii commi- *Michæa. 3. v. 4.* nationê præmiſsâ: *Clamabunt ad Dominum; & non exaudiet eos: & abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illô: ſicut nequiter egerunt in adinventionibûs ſuis.* Iſti verò, ſerîs omnibûs immaniores (ùtùt arbitratu ſuô malèſanô ſemi-dei) dum nihil ſibi non licere, pro juris arrogati protervitate, præſumunt, potentia tamen, potentibus decreta, paratáque tormenta non ſentient? *Sapient. 6. v. 7.*

XVI. Videtur enim verò prodiîſſe, velut ex adipê, poſtquàm in affectum cordis tranſierunt, iniquitas eorum; &, nequam eſſe factus, oculus ipſorum; quia Tu, bonus. Obſcuratum eſt, nimiùm inſipiens, cor eorum; nec intellexerunt: cur in honore eſſent? Non enim poſuiſti homines, ſuper capita aliorum, dominandi poteſtate, magìs, quàm, gubernandi curâ tributâ: aut, ut, ſibi commiſſos (authoritate ſuâ graves, & intolerabiles effecti) premant ſolùm, preſſósque ſubigant, ſubactósque conterant, contritósque, cum omnî ſubſtantiâ, per ungues, ad unguem expreſsâ, vel abſumant, vel de mediô tollant. Hoc enim & feræ belluæ potuiſſent: nisì forſan mitior ſit ferarum, in ſuæ conſortes naturæ, ſicut roboris, ità, prævalentis ex eô poteſtatis, uſus. Non, non ſanè, cum regni, principatûs, ac dominatûs jure, fortes, eô ſunt â te conſiliô facti; ut, quos nominant ſubditos, populos, &, â familiâ, famulos, &, â ſervitutis conditionê, ſervos, altioris ipſi poteſtatis immemores, nutum ad omnem, non tantùm â pedibûs, ſed, ſub pedibûs, & indomitîs affectibûs, ex aſse mancipatos habe- *Psalm. 72. v. 7.* *Matth. 20. v. 15.*

ant. Hoc enim nec in Pharaonê ſuſtinuit, adverſùs Iſraël, impatiens humanæ feritatis, *bonus, & ſuavis, Domine, Spìritus tuus*; cujus eſt, in omnes homines; cum ſupremâ poteſtate, ſumma Benignitas: ut, *quomodò miſeretur Pater filiorum*; *ſic miſertus* cantetur *Dominus* (qui ſolus Dominus) *timentibus ſe*: quoniam *miſericordiâ tuâ, Domine, plena eſt terra.* Unde, quantò quisquè, per altitudinem poteſtatis, tibi vicinior; tantò ſemper & eſſe debuit, & conatus eſt, ſi ſapuit, per benignitatem, indulgentiámque fieri ſimilior. Hinc, *vulgò tritum eſt*, ait Philo: *DEum ſequere! DEUS autem eſt, mortali* (non, opprimere) ſed, *juvare mortalem.*

Sapient. 12. v. 1.

Pſalm. 102. v. 13.

Pſalm. 24. v. 10.

Philo. cit. â Velasquez in Pſalm. 100. lib. 3. Annot. 20. n. 1.

XVII. Hâc mentê fuit omnis antiquitas, quàm authoritate, tam ſapientiâ præſtans; quàm eminens poteſtate, tam excellens virtute. Xenophontis adagium erat: *Bonus Princeps nihil differt â bono Patre.* Par fuit Senecæ ſenſus; ſeu, cùm, velut ex legê locutus, aſſeruit: *non civium ſervitutem Principi traditam, ſed tutelam: &, rempublicam non eſſe Principis; ſed, Principem, reipublicæ*: ſeu, cùm Neronem admonuit: *Anima reipublicæ tu es; illa, corpus tuum*: quaſi memorem eſſe voluiſſet: quòd, *ſicut nemo Dominus eſt membrorum ſuorum*; ſic nequè Principi, Dominóve, pro libitu, quidlibèt exigendi, ſeu, quem lubet, vexandi, vel opprimendi, ſit poteſtas. Ex hâc regulâ Conſtantius Imperator ſibi quoquè legem ſanxit, ſuæquè limites ipſe poteſtati præſcripſit: *Ego officij mei partes eſſe duco: privatæ ſingulorum utilitati, quoad ejus fieri poterit, debitam providentiam, ſolicitudinémque navare. Communis enim utilitatis tum demùm ſenſus maximè percipitur; ſi illius fructus ad unumquémque ſingulatim tranſmittatur. Unde fit: ut, cùm etiam publicarum curarum finis in privatum quémque deſinat, de eô potiſſimùm ſit laborandum.* Quis Othoni fuerit animus, quàm pius, quàm benignus, quàm liberalis, quàm ſui prodigus, tum aperuit; cùm factô promiſſa firmavit, quæ dixit: *Faciam, ut omnes intelligant; quem Imperatorem elegeritis: qui non vos, pro ſê, ſed ſe, pro vobis dedit.* Vah! quàm ſanctè, ſapientérque veri dominii felicitatem ſuô definivit ex geniô, Rex ille Caſſiodori, memorabilî prorſùs aphoriſmô: *Qui Reipublicæ ſtatum, & generale cupit ſtare faſtigium, ad univerſa debet eſſe ſolicitus. Quia non eſt ſalus in corpore: niſi quam, & membra, potuerint obtinere.* Quidquid igitur vel ſubtrahitur, vel exigitur â membris, quod eorum integritati, ſalutique debetur; aut, ſi quid ultrà vires, vel, non ſervatâ cum cæteris menſurâ, per iniquam deputationem onerum, imponitur quibusdam, cæterîs, nihil in communes labores

Conſtant. Imper. Orat. de Temiſthio.

Xiphil. apud Cornel. Tacit.

Xiphilinus apud Cornel. Tacitum.

Athalaricus apud Caſſiodorum. lib. 6. Epiſt. 2.

Xenophon de Cyro Rege.

Seneca. lib. 3. de Clem. cap. 18.

Idem, ibid. cap. 4.

Carpzov. Conſtit. 21. definit. 1. n. 1.

bores conferentibûs, & exemtîs, iniqui judicis eſt, perverſique gubernatoris diſpenſatio damnabilis: quia, tyrannicè magis, & hoſtiliter; quàm, ex debitâ, communisque boni ſtudiosâ providentiâ conſtituta eſt: hujus enim ea debet eſſe conſtans intentio; quam Syneſius commendavit Arcadio: *Felicitatem, quantam potes, in unumquémque ſubditorum effundas.*

Syneſius. in orat. de regn. ad Arcad. Imperat.

XVIII. Nec iſta virorum ſapientûm, ſeu documenta, ſeu privata judicia quisquàm cauſari poteſt, ignota ſibi, ſuôque, velut minùs illuſtrî, longè ab intellectu fuiſſe: quando Benignitatis tuæ legê, quâ mortalium genus omne, tibi ſubjectum, dignaris, ipſe longè non es ab unôquôq; noſtrûm, ità reſpiciens univerſos; ut nulli deſis ad ſalutem, infundens omnibus divitias bonitatis tuæ: tum, vel maximè, conſpicuus DEUS; cùm, propitius, liberalis, atquè ſummè beneficus, in tibi ſubjectos influis. Notum omnibus eſt: quòd, *commendat charitatem ſuam DEUS*: non ſeveritatem ſuam, non rigoroſam juſtitiam; ſed, *charitatem ſuam* DEUS commendare dictus eſt: cùm ſcilicèt, in ſalutem univerſi, ſemetipſum DEI filius exinanivit. Unde monuit affectatorem Divinitatis, Alexandrum, Regulus ille Scytha (cujus ditionem ſibi ſubjugaverat Macedo, violentâ poteſtate) pungens inhumanitatem ejus: *Si DEUS es: tribuere beneficia debes; non, ſua ab hominibûs eripere.* Nazianzenus verò Præſul ità chriſtianum quémque Principem admonuit: *Cura, ut proximô tuô id. circò præſtantior ſis; quia benignior. Fac, calamitoſo ſis DEUS, DEI miſericordiam imitando*; qui, non â perditionê, ſed, ab hominum ſubjectorum ſalute, *magnus Dominus, & laudabilis nimìs*, agnoſci voluit, & prædicari. *Fundatur* enim, (utì ſubjunxit eô locô Vates) *exſultationé univerſæ terræ*, non verò deſolationê, non lamentationê, *mons Sion.* Nequè vacat arcanô documentô, quod ibidem continuò ſequitur: *Civitas Regis magni: DEUS in domibûs ejus cognoſcetur.* Nec enim, niſi, Numinis è charactere, ſingulîs in ædibûs conſpicuô, magni Regis, aut Principis cenſeri domus, vel appellari civitas ulla poteſt: cùm veri dominatûs magnitudo nequeat, niſi de ſupremi Numinis expreſsâ virtute, judicari. Quæ verò DEI virtus illa ſit, magni Domini coronam irradians, ex adjunctâ conditionê clareſcit: *DEUS in domibûs ejus cognoſcetur; cùm ſuſcipiet eam*: id eſt (ex Hieronymi interpretationê) *in auxiliando*; ſeu, *ad auxiliandum, & protegendum.* Quô quidem oraculô videtur â tuômet ſpiritu divinô declaratum ſatìs omnibus fuiſſe:

Q. Curtius. in Alex.

S. Gregor. Nazianzenus. orat. 16.

Pſalm. 47. v. 2. 3.

Ibidem.

S. Hieronym. ex Hebræo.

Rom. 5. v. 8.

Philipp. 2. v. 6.

tunc urbem, rempublicam, communitatem, aut familiam, â Dominô, verè magnô, gubernari; cùm ipsius, ad auxiliandum, & protegendum, providа solicitudo se subditis universis impendit: &, sic est illi cura de singulîs; non, ut nemo sit ejus expers vexationis; sed, nè sit aliquis, ejus beneficæ virtutis, curæquè solertis ignarus: prouti divinæ Bonitatis de providentiâ confessus est S. Augustinus: *O tu Bone, omnipotens! qui sic curas unumquemquè nostrûm; velut solum cures: & sic omnes; tanquam singulos curares.* Quid his immoror? Nunquid solem tuum oriri facis quotidiè, super bonos, & malos? Nunquid etiam, præter solem (ut nox quoquè scientiam indicaret nocti) sicut fecisti *solem, in potestatem diei; sic & lunam, & stellas, in potestatem noctis,* utraquè verò, magna luminaria condidisti? Certè sic legimus: *Fecit DEUS duo luminaria magna.* Quid solis illis (quæ cæterîs, mole suâ, sunt multô minora) magnitudinis tamen glorioſam, præ cæterîs, & appellationem, & commendationem attribuit? Acutissimè mysterium divinæ tuæ, per hæc magna lumina, magnæ doctrinæ nobis propositæ, S. Ambrosius Doctor exposuit: *Fecit ergo DEUS hæc duo luminaria magna; quæ magna possumus accipere, non tam, aliorum comparatione, quàm, suô munere. In quâcunquè parte fuerint cœli, illuminant omnia, & æquè spectantur â cunctis: ut ea, tanquàm suis tantùm regionibus immorari, &, sibi tantùm adesse, atquè lucere, singuli populi credant; cùm similiter luceant universis.* Hinc ergo magnitudo præfulgens dominii; quòd pariter beneficè luceant universis, quibus præstant fulgore.

S. Augusſt. Lib. 5. Confeſſ. cap. 11.

Pſalm. 135. v. 8.

Geneſ. 1. v. 16.

S. Ambroſ. lib. 4. Hexamer. cap. 6.

XIX. Sunt hæc adeò cunctis illustria; ut nè quidem inter gentes tam quisquàm obscurô fuerit ingeniô; qui, cùm se, cæteris gubernandis, cognovit præpositum, non sibi commissam simul curam, omnibus providendi, publicæquè salutis agnoverit. Quô locô sunt igitur, aut quô nominê censendi? qui, cùm præsunt aliis, nihil magìs, quàm se, nihil minùs, quàm suos curant: quibûs verò moribûs, quâ fidê, quâ religionê, quâ, adversûs DEum pietatê, quâ conscientiæ securitatê, quâ præceptorum, cùm divinorum, tum Ecclesiasticorum accurationê sui subditi vivant, in postremîs habent; id unum totâ sui dominatûs contentionê, tum ipsi, tum suos per administros urgentes: nè, vel ærario desint, undecúnquè collecta, expressáque tributa: vel, imperio deficiant, coacta, labores etiam ad infames, obsequia: quamvìs, nec festîs quidem diebûs, præceptum reddatur officium

cium Domino Dominorum: nec aliud quicquam, eorũ Tibi præſtetur â ſervis; cujus nomine, poteſtas omnis in terrîs eſt ordinata: totus ut mundus ad obſequium, tuæ Majeſtati debitum, & integram, tuæ ſanctiſſimæ legis, obſervantiam, eâ vigilante, procurantéque, conſtringatur. Satìs clarè, civilibûs etiam legibûs declaratum eſt: certîs quòd limitibûs circumſcripta ſit omnis obtemperandi neceſſitas: &, *ſicut ſuperiores non debent nimiâ familiaritatê contemptos ſe reddere; ità ſubditi non tenentur ultrà modum obſequi*: ſed, ſemper *obedire oportet DEO magìs, quàm hominibus*: cùm ſolum propter DEum ſit inſtituta, præceptáque ſubjectio; quæ, vel exigitur ab hominibûs, vel hominibus exhibetur.

L. Obſerv. ff. de offic. Præſ. Cap. admonendi. 2. qu. 7. & 11. qu. 3. C. quid ergo. Actor. 5. v. 29.

XX. Sed, eheu! quanta perverſio! quanta poteſtatis præſumtio! quantus, cum injuriâ tuæ divinæ, ſupremæquè Majeſtatis, imperii, cunctiquè dominatûs abuſus invaluit! Juſtè queruntur miſeri: non, de ſervitutis conditionê; ſed, contrà ſui violentam oppreſſionem: non, de dominii poteſtatê; ſed, contrà tyrannidis atrocitatem: non, de tributorum poſtulationê; ſed, contrà inſatiabilem, etiam exacti ſanguinis, expreſſionem: non, de dominorum imperiîs; ſed, contrà imperata ſibi, tuæ adverſa legi, obſequia: non de ſervilibûs agrorum, domorúmque laboribûs; ſed, contrà coactas, tuis officiis conſecratorum dierum prævaricationes; contrà immodicam, barbaram, immitem, crudelémque dominandi, & (ùt verbô dicam) *malæ Tractationis* inhumanam feritatem; quâ, qui præſunt, ſuæ mortalitatis, & omnis humanitatis obliti, nec, ſub poteſtatê ſe quoquè conſtitutos, & obnoxios eſſe judicio meminerunt; nec, ſuæ commiſſos providentiæ, ſecùs, quàm, inſtar habent peripſematum; &, ùt ſordes conſpuunt; ùt pulverem terræ conculcant; ùt beſtias vocant, infrà tamen beſtias curant. Publica ſunt hæc, & infinitîs miſerorum lamentîs, atquè clamoribûs judicio tuo jam diù, quamvìs nunquam ſatìs, accuſata. Potéſtne tamen Æquitas tua ſuper tam indomitâ malitiâ, pauperúmque famulorum, & ancillarum, aliorúmque ſubjectorum exaggeratîs ejulatibûs, ac dirîs incuſationibûs (quibûs de ſortê ſuâ, brutîs, & jumentîs deteriorê, continuô ſacrum tuum tribunal appellant) inceſſanter invocata, totiès imploratum judicium adhuc diferre? juſtiſſimam ultionem diutiùs cohibere? tantæquè tyrannidi conniventer indulgere? tuos ut fideles, auctâ quotidiè ſuæ feritatis inſolentiâ, penitùs conterat, cum immodicâ tuæmet majeſtatis injuriâ, nec

Pratejus in Lexico. V. Actio malæ Tract.

minorî calumniâ juſtitiæ tuæ, velut ſopitæ, & ad inferiora noſtra non advertentis?

XXI. Sentiat Orbis (nimiùm inflatus, per diſſimulatam arrogatæ ſuæ poteſtatis malitiam) ineſſe cœlo veterem juſtitiam, &, Antiquũ dierum; qui, per evangelicum ſuum Vatem, non eſt vanè minatus: *Incurvabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus ſolus in diê illâ. Quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, & ſuper omnem arrogantem; & humiliabitur: & ſuper omnes cedros Libani ſublimes, & erectas; & ſuper omnes quercus Baſan. Et incurvabitur ſublimitas hominum; & humiliabitur altitudo virorum.* Sentiant, non vanæ coruſcationis fulgura, per Amos, indicta fuiſſe Principibus, & Optimatibus, humanitatis omnis, ac pietatis perſecutoribus illis; quos perſtrinxerat idem, ore tuô, comminatus: *Væ! qui opulenti eſtis in Sion! Optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſraël &c. Qui lætamini in nihilô: qui dicitis: nunquid non in fortitudinê noſtrâ aſſumſimus nobis cornua? Qui ſeparati eſtis in diem malum; & appropinquatis ſolio iniquitatis; & laſcivitis in ſtratîs veſtris: qui comeditis agnum de gregê; & vitulos de mediô armenti. &c. Auferetur factio laſcivientium: &c. & tradam civitatem cum habitatoribûs ſuîs. Quòdſi reliqui fuerint decem viri in domô unâ; & ipſi morientur.* Nec aliâ de cauſâ tam diſtrictum Propheta judicium indixit; quàm: *quia nihil patiebantur ſuper contritionê Joſeph*; ſuper afflictionê populi ſubjecti, ſervientis in labore manuum ſuarum; &, in ſudore vultûs ſui, non comedentis, ſed, cogentê ſævitiâ, Domino ſuo panem *ſuum* tribuentis. Non memorabo ſexcenta, quæ poſſem, caſtigatæ per tuam juſtitiam, indomitæ dominationis, antiqua monumenta. Notæ ſunt Ægyptiæ plagæ, milliès cantatæ: nota Jezabelis, & Achabi ſupplicia: nota Manaſſîs, innoxiô ſubditorum cruore contaminati, terrifica vincula: nota ſuperbi Babylonii, divinos etiam honores, â ſibi ſubſtratîs populîs, inſanientê dominatu, per vindices flammas exigentis, horrenda cornua. Quod Säulis acceleravit interitum, non aliud, arbitrô D. Cyprianô, fuit; *quàm, quia gravibûs injuriîs afflixit, & per omnes contumelias, ac pœnas, populum conculcavit.* Et, quod in Paſtores Iſraël, univerſim, ultimam perditionem excivit, illud præcipuũ erat: *cum auſteritate imperabatis eis; & cum potentiâ.* Exaudi nunc igitur gemitus afflicti populi tui, unô clamantis orê, per me: *Vindica me de adverſariô meô! Et in juſtitiâ tuâ libera me! Vidiſti Domine iniquitatem illorum adversùm me! judica judicium meum!*

XXII. Quid vobis videtur actionê tam vehementî, per appe-

Job. 22. v. 14.
Daniel. 7. v. 9.
Iſaiæ. 2. v. 11.
Amos. 6. v. 1. 14. 3. & ſeqq.
Exodi. 8. 9. 10.
3. Reg. 19.
4. Reg. 21.
Daniel. 4. v. 29.
S. Cyprian. Epiſt. 37.
Ezech. 34. v. 4.
Luc. 18. v. 3.
Pſalm. 30. v. 2.
Thren. 3. v. 59.

appellationem adeò juſtam, ab illô tribunalî non obtentum iri? de cujus pietatê, pauperum deprecationi propitiâ, regius vates manifeſtum edidit: *Propè eſt Dominus omnibus, invocantibus eum: omnibus, invocantibus eum in veritate. Deprecationem eorum exaudiet; & ſalvos faciet eos.* Audire mihi videor vocem, velut ligati, punire volentis, &, in vindictam prorumpere geſtientis: *Dimitte me; ut iraſcatur furor meus!* An ergo Maleficorum Advocatus, interceſſionê ſuâ, quæ nequit non exaudiri, potentiſſimus, ab infligendîs pœnîs, & affligendîs peccatoribûs, juſtitiam divinam continuit, atque ligavit? Alienum hoc âNumine non eſt: ligari DEUM â verbo ſuô, ſummæ libertatis abſoluta poteſtas, & una, voluntatis ejusdem eſt arcana conſenſio. Sed, heu! quid video? Verbum, quod in ſpinas incidit, ſuffocatum injuriîs, obmutuit; cùm ſuîs in membrîs, per ſpinas, in coronam converſas, nimiùm ſe ſenſit oppreſſum, afflictum, exulceratum. *En!* (ad verbum hîc ſervit exclamatio pia Velaſquii) *En! bonum Regem de ſubditorum malîs, & animô, & corpore dolentem; &, quæcunquè illi patiuntur, ſic perferentem; ut omnes eorum aculei, & caput ipſius pungant, & animum feriant, uſquè ad effuſionem ſanguinis, incluſivè:* dum nimirum eorum ſanguis, coactus, editur; &, exhauſtus, bibitur; &, *in alîs*, aliîsque dominatûs inſolentis exceſſibûs, inſperſus, intextus, involutus, uſurpatúsque, non tantùm *invenitur*, ſed (quod exacerbat injuriam) jam conſumtus, perditúsque periit, nec ampliùs reperitur. Nihil igitur patrocinii ſupereſt miſerorum perſecutoribus, tam aculeatis, tam atrocibus? Hoc non aſſero: territus autem, ex eô, quod video, neglectum in tempore, patrocinium pro judiciô, promittere non audeo. Scribit enim eôdem calamô, quem, ſpinîs coronatus, auctîs illuſionibûs, regias in manus datum accepit, Servator Advocatus, horribilem ex animi ſenſu ſententiam: *Quod uni ex minimîs meîs feciſtis, mihi feciſtis.* Quid nunc ſperandum; quando ſuum verbum, contrà reos Actor, allegat Advocatus? Metuo peſſimè. Nam, nisì ſe ſpineam ſub coronam, id eſt, Rhamni ſub umbram, Deô plenam, ſubmiſsâ, ſuorum cacuminum, inſolentî nimiùm excelſitatê, cedri Libani maturè recipiant; &, in humilitatê, Deo ſuo ſubditæ, conquieſcant, egredietur ignis de Rhamno, devorans cedros Libani. Certum enim eſt: *Cor durum malè habebit in noviſſimô.* Et: *quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis.*

Exod. 32. v. 10.

Pſalm. 144. v. 18, & 19.

Velasquez in Pſalm. 100. Lib. 3. Annot. 19. num. 9.

Judic. 9. v. 15.

Eccli. 3. v. 27.

Lucæ 6. v. 38.

Matth. 18. v. 32.

FERIA VI.

POST DOMINICAM III. QUADRAGESIMÆ.

SERMO DECIMUS OCTAVUS.

Clauſô cæteris Actoribus Forô III. Juſtitiæ divinæ, ſeu, ſanguinariô Pilati Præſidis Prætoriô, proponitur, JUSTITIUM TERTIUM.

In quô, Maleficorum Advocatus, ex Litho-ſtroto conſpicuus,
Populum ingratum, pro beneficiis, & prodigiis innumeris,
Ne quicquam pii, vel miſerentis affectûs exhibentem,
Sed inſuper, ad mortem Crucis poſtulantem,
Unà & Chriſtianos illos omnes, redarguit per vulnera,
Atquè, Actionê Ingrati, manſuetiſſimè perſtringit;
Qui, votorum plurimorum facti compotes,
Nihil minùs, quàm, quæ voverunt, reddiderunt.

L. penult. C. de lib. & eorum Lib. v. Schard. in Lexico. v. Actio Ingrati.

Commemoratio III. Dolorum omnium Summaria,

Quos in ſanguinariô Pilati Prætoriô ſuſtinuit,
Et, ùt verè vir Dolorum, productus in ſpectaculum Servator,
Non tam oculis, quam animis ingerit, conſiderandos,
Verba myſterii plena (Ecce homo) ſuggerens per Pilatum;
Simûlque liberalem de ſuis offerens pœnis Compenſationem,
Illis omnibus, graviſſimè reis;
Quicúnque, pro votis, de præteritô non impletis,
Sinceram de futurô cautionem præſtiterint.

Ayrer. p. 1. cap. 1. obſ. 8. num. 9. 10.

Teſſera. Exivit ergo JESUS, portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum: & dicit eis (Pilatus) Ecce homo! *Joann: 19. v. 5.*

I. AH! tace, Pilate! tace! Tua duo verba, quæ locutus es, ictibûs acutiſſimîs me transfixerunt, altîsque vulneribûs animam ſimul, & corpus confixerunt! Hæret intimîs receptæ ſenſibûs, tam per oculos, quàm per aures admiſſa, vulnerum potior, ac, oris tui vox. Vox, heu! lu-

lugubris! Vox, excitans ad miſerationem; vox, commovens ad compaſſionem: vox, indicans dolorem; vox, exaggerans amorem: vox, exprobrans beneficia; vox, debita exigens ſervitia: vox, redarguens ingratitudinem; vox, ingerens ſolicitudinem: vox, opportunum promittens auxilium; vox, terribilem incutiens metum: vox, animô dejectos in fiduciam erigens æternæ ſalutis; vox, pertinaciter obduratis minitans judicium perpetuæ damnationis. O vocem! profundiſſimi, ſed, ùt ſuaviſſimi, ſic, & acerbiſſimi ſenſûs: *Ecce homo*! Utinam ſaperent, & intelligerent! quos, hôc divinô diverbiô, tibimet forſan ignotô, commonitos de inhumanitate, & commotos ad pietatem voluiſti, deſiderâſti, & ſperâſti; ſed, non impetrâſti, Pilate! Faceſſe igitur, ſurdis loqui, movere cautes, flectere chalybe, & ſpiritum procellarum compeſcere; atquè, â præcordiis obduratis, animi, vel mitigati, vel miſereſcentis, officiũ ſolicitare. Nihil in populô, perſuaſionê maledicâ, jam excæcatô; ſuggeſtionê Pontificum, jam perturbatô; Seniorum, & Optimatum authoritate, jam concitatô; invidiæ ardore, jam inflammatô; perditionis furore, jam efferatô; nihil, inquam, in populô, qui jam, tantùm non totus, migravit in beſtiam, proficient, nequè verba; quibûs hominem indicas, hominis aſpectu, per vulnerum carnificinam amiſsô: nequè vulnera; quæ, per chlamydẽ utrínque ſubtractam, totô facis in corpore manifeſta, membrîs omnibûs, cum ipſius etiam crudelitatis horrore, ſæviſſimè dilaceratîs. Actum agis; dum hôc triſtî ſpectaculô mitigari credis animos, omnî vacuos humanitate, ferîs omnibûs immaniores. Novî corda, ſuper marmor indurata: frangi ſe, liquari non patientur. Tigridum, & elephantorum, par ineſt illis, ferocia; quam, non ſatiat, ſed irritat; non extinguit, ſed accendit magis, objectus oculis cruor. Proh! qualis, in præcordiîs judæorum, odiô corruptîs, invidiâ vitiatîs, â dæmonibûs accenſi, ſanguinis ardor, & emotæ mentis, & protritæ rationis, furor fuerit; quis, amabo, diffiniet? *1. Mach. 6. v. 34.*

II. Quantô diſſidiô Pompejus olim in Cæſarem, &, in excidium Pompeji, Cæſar flagraverit; utriúsque, in alterius internecionem, jurata bella, irrequieta arma, perpetui conflictus, &, nullîs cladibûs extingui, nec ſatiari valens hoſtilitas, Orbi patefecêre. Omnis tamen invidiæ tantæ furor eô momentô deferbuit; quô Cæſari, de victô Pompejô triumphanti, truncũ hoſtis infenſiſſimi caput oblatum eſt; cui, pro lividîs oculîs, quibûs fortunam *Godefrid. de Lit. in ſacrif. Veſp. Conc. 28.*

nam Cæſaris, obliquè ſemper, ac diſtortè, Pompejus deſpexerat, ſuîs Cæſar ex oculîs, humani tributum doloris, pias, ùtùt hoſti, lacrymas negare non potuit. Quid non inimicitiæ, perniciosíque moliminis paſſus eſt â Nebridio Julianus Imperator, per vires, hoſti capitali, Conſtantio junctas, armáque, contrà Julianum, unà cum animô, conſiliôque ſociata? Totum tamen hoſtem, &, ùt excitatam, ſic, & meritam Imperatoris inimicitiam, ſupplex, & genibus advoluta, Nebridii calamitas expugnavit. Vix proſtratum hoſtem intuitus Julianus, etſi peſſima quæquè paſſus, continuò tamen, conſpectâ miſeriâ, memoriam dimiſit injuriæ; cernuúmque, paludamentô ſuô Nebridium operuit; itáque, militari furori periturum eripuit. Nec peregrinum eſt L. Æmilii, adverſùs Perſeum, in adversâ fortunâ miſerabilem, æqui animi, manſuetíque (graviſſimè licèt offenſi) facinus, perpetuum Romanæ virtutis monumentum. Dum enim, ſuperbus Macedo, domitus armîs, quæ provocaverat, Æmilio victori, compedibûs gravatus, cæteros inter captivos, triumphi morê ſiſteretur; objectâ ſortê, tam funeſtâ, vinculati Regis, quamvìs adverſarii, quamvìs, iniquô conſiliô bellum aggreſſi, ſuô tamen impetrare non potuit ab animô victor, ùtùt juſtus, Æmilius; quìn, miſeraretur captum, doleret vinctum, defleret abjectum, ſibíque, victum etiam, aſſidere Victori juberet. Quid, ſi militum per inſolentiam, cæcúmque furorem (qualis eſſe Victorum aſſolet) corpore totô concuſſum, omnibûs membrîs vulneratum, cruore propriô deformatum, & excoriatum penè, ac, poſt opprobria infinita, tantùm non penitùs exanimatum vidiſſet? quid, inquam, piæ commiſerationis, & humanæ compaſſionis, hoſti ſuo, tam afflicto, non impendiſſet Æmilius? De Davide ſacra teſtatur hiſtoria: quòd, etſi Säulis inimicitiam, odia, lethales inſidias, apertas perſecutiones, necémque, ſibî non ſemel ab eôdem intentatam, expertus, paſsúsque, cum innumerîs injuriîs hoſtilis ejus invidiæ, fuerit; adeò tamen explorata ſinceri doloris, & intimæ compaſſionis indicia dederit (cùm ab Amalecite, regem hoſtem, ſublatum è vita cognovit; &, allatum ſibi, cum armillâ, de capitê mortui ſubtractum, diadema conſpexit) ut non tantùm, regiô de parricidâ vindictam ſumi continuò juſſerit; ſed, *apprehendens, veſtimenta ſua* (prout Faſti regii memorant) *ſcidit; omnésque viri, qui erant cum eo: & planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt uſquè ad veſperam, ſuper* 2. Reg. 1. v. 11.

Godefridus de Lit. locò cit.

Säul,

Săul, &c. Ità nimirum, adversùs infenſiſſimos etiam, & infeſtiſſimos hoſtes, eorundem calamitas, humanis oculis objecta, pietatis affectum extorſit; ubi ſenſus aliquis humanitatis adhuc ſuperſtes in animîs fuit; nec totum hominem furor, odiô concitatus, eliſit.

III. Quid igitur populi de fremitu, tam infrunitô, ſentiendum? quem, nec exinanitio totius hominis, in Thaumaturgô Servatore deformati; nec extrema calamitas innocentiſſimi Benefactoris, oculis objecta, revocare potuit, vel in miſerationis affectum, vel in ullum pietatis, aut compaſſionis officium: ſed, quantò miſerabilior aſpectus erat Patientis; tantò ferocior in momenta factus eſt livor, & rabies plebis, cùm Divinitatem in Chriſto deteſtantis, tum afflictam ejus, & inauditîs cruciatibûs attritam humanitatem execrantis. Vah! crudelitatem inviſam! quam nec feræ belluæ, licèt hominibus infeſtæ, ſiniſtrîs tamen affectæ caſibûs, unquàm ab hominê ſunt expertæ. Leonem legimus, per horridam ſolitudinem Syriæ, cum intritâ pedi ſpinâ miſerabiliter claudicantem, ab Hieronymô, loci tum illius incolâ, forſan occurrentê, beneficè recreatum. Nec enim potuit vir ſanctus, non ſentire, dolentis, quamvis belluæ, ſortem ægerrimam: indoluit, miſsôque proprii periculi metu, manum admovit; &, officiosô conatu miſeratus, dum ſpinam, profundè jam in carne pungentem, leniter exulceratum pedem palpando, ſuſtulit, cum tyrannô, perpetuum ſimul extraxit, abſtulítque ſupplicium. Nec minor, ſimilem in feram, Androdi fuit humanitas, per Lybiæ deſerta, diù, parem afflictionem lamentabilî cum rugitu circumferentem: donec Androdus, forſitan jacentem offendens, miſeréns-que, de purulentô pedê, diuturnum cum tormentô tortorem, obſequioſus exemit. Quid humanæ magis inviſum naturæ; quàm, flammarum vomitu terribilis, afflatu toxici noxius, furoris horrore, formidabilis Draco? Nequè tamen, & hunc, infelicî caſu prolapſum in foveam, unde nullus ei modus eluctandi ſuppetebat, miſeratio Thoantis humana deſtituit. Nec aquilæ, ſerpentinîs involutionibûs conſtrictæ, miſeréque captæ, & jamjam perituræ, defuit humanæ compaſſionis affectus efficax; per quem, ſuîs viribûs non extricabilis, ab hoſte ſinuoſô feliciſſimè vindicata fuit. Quod verò feris etiam, brutísque, in hominum perditionem rugientibus, excubantibus, ac ſibilantibus, noceréque nunquàm non à natura comparatis animantibus,

Euſeb. in vitâ S. Hieronymi.

Aulus Gellius. in Noct. Atticis.

non ſubtrahitur, ſed, urgentê compaſſionê, mirabiliter impenditur; id omnium Conditori, monſtrosè, negatum eſt ab univerſô Jeroſolymæ populô, ferîs omnibûs immaniorê, ferociorê, truculentiorê: cùm eidem, non ex uniêâ tantùm ſpinâ laboranti, ſed, per vepretum, non calci, ſed vertici, altè impreſſum, afflictiſſimo, non tantùm non condoluerit humanæ miſerationis affectu; nec ſubvenerit, manûs opitulantis auxiliô; nec, piam duntaxat voluntatem ſoliciti conatûs, teſtatus fuerit: ſed, auctiorê furoris inſaniâ, ex ipſô calamitatis extremæ ſpectaculô, *exarſerit, ſicut ignis in ſpinîs*; &, aversîs, non tam oculîs, quàm animîs, ab objectâ ſibi ſpeciê profligatæ humanitatis, atrocior, ſævior, & imitior evaſerit, *universîs beſtiîs terræ*: cùm, *beſtiæ, meliores ſint illîs.*

Pſalm. 117. v. 12.

Geneſ. 9. v. 10.

Baruch. 6. v. 67.

IV. Tace igitur, Præſes iniquiſſime! utpotè hôc ipſô de conſiliô (populum, per ſupplicium tam crudele, & ſpectaculum tam immane, mitigandi) *reus conciliî; reus judicii; reus æterni delicti; reus gehennæ ignis. Stultô labore conſumeris*: dum crudelitatis pœnas, in Juſti exitium conjuratis, &, in ſententiâ mortis, adversùs eum decretæ, pertinaciter induratis, exaggerare contendis. Nihil, illis flectendis, proficiet (quôcunque ſenſu velis intelligi) dictura: *Ecce homo*! Etſi enim verbîs hîſce blandè improperes: *Si Regi invidetis? jam parcite: quia dejectum videtis. Flagellatus eſt; ſpinîs coronatus eſt; ludibriosâ veſte amictus eſt; amariſſimîs convitiîs illuſus eſt; alapîs cæſus eſt.* Nihil aliud hæc expoſtulatio judicialis recipiet; qàm ſupremi ſupplicii contumax votum: *Tolle! tolle! crucifige eum!* Quòd ſi, retractâ in utramque partem probrosâ chlamyde, crudelitatem inhumanam (quam ipſe, dum non prohibuiſti, intuliſti) conſpicuam, in membrîs omnibûs dilacerati corporis, fictè forſan miſeratus, exhibeas, &, ingeminans: *Ecce homo*! dictum velis: *Affectati regni crimen objicitis? ſed, regnum ejus ludicrum eſt; ùt cernitis. Si, ùt Regi, invidetis? jam parcite: quia infrà viliſſima mancipia dejectum videtis. Si læſæ majeſtatis crimen intenditis? ignoſcite: quia temeritatem, intolerandîs cruciatîbûs jam expiáſſe, animadvertitis.* Non aliud, obſtinatior ex deprecationê perverſitas (Optimatum hortatu nè quicquàm deficientê) quàm, cum ingeminatâ criminationê, reponet: *Nos legem habemus; &, ſecundùm legem debet mori: quia Filium DEI ſe fecit*: dum interim (adversùs ingratitudinem populi ſui, beneficiorum omnium obliti) gemitibûs tacitîs cœlo queritur Servator meritiſſimus: *Facta eſt mihi hæreditas mea, quaſi leo in ſylva: dedit contrà me vocem. Nullus eſt, qui recogitet corde!*

S. Auguſt. Tract. 116. in Joannem.

Joann. 19. v. 15.

S. Auguſtin. locô citatô.

Joann. 19. v. 7.

Jerem. 12. v. 8. & 11.

V. Ex-

V. Exploratos nunc animarũ devotarum ſenſus, & (quânam ſint mente? vel, quos conceperint ſuîs in cordibûs affectȝ?) cuperem habere perſpicuum: dum hinc, ſaxîs omnibûs duriorem, judæorum obſtinationem, nec ſoliciti Pilati verbîs, nec innocui Domini multiplicatîs vulneribûs, vel minimùm âb impiâ feritate dimotam, audiverunt; inde verò, doloris omnis, & ignominiæ ſpectaculum, illúdque, miſerabile juxtà, ac terribile, per oculos, in intima cordium admiſſum, ſuſceperunt; ſibique dici, vel objici, vel ſuggeri, vel ingeri perſenſerunt: *Ecce homo*! idque, aut, â Præſide, divinæ innocentiæ præcone; aut, â DEO Patre, pœnarum, pro ſalute mortalium, adeò multiplicium, Exactore; aut, ab ipſo Servatore, ſcenæ tam tragicæ, pro reîs peccatoribûs, voluntariô, tum Auctore, tum Actore; aut, â Matre demùm Virginê; quæ diro, lugubríque ſpectaculo crudelitatis, in ſuô, Deíque tenerrimô filiô exhauſtæ, non tam corpore præſens fuit, quàm voluntate, in omnes injurias, & plagas, cum dilectô ſuô, pro ſervandis âb æternæ pœnâ damnationis hominibûs, non ſinè ſenſibilî cruciatûs totius compaſſionê, conſentiens? Quis, amabo, per abdita mentium piarum ſenſus, cùm doloris, tum compunctionis continuò non deſævierit? Quæ viciſſitudo commotionum internarum excitata non fuerit, verbîs illîs geminîs; quæ, cum innumerîs conjuncta plagîs, in abdita devotorum cordium altiſſimè penetrârunt? Quô Clodovæus, etſi gentilis adhuc, animô ſuerit, (cùm eidem â S. Remigio, veluti ſpectanda coràm, ex ordine referebantur, enormia tormenta, quæ, pro ſalvandîs hominibûs, ab impiâ gente ſuâ, mortalî Deus in carne toleravit, per Crucis deniquè ſupplicium conſummata) memorabile declaravit effatũ generoſæ pietatis; in quod, compatiens, magnus ille Rex, jam tum prorupit, conteſtans: *Si ego cum Francîs meîs iſthic adfuiſſem, ejus injuriam vindicáſſem.* Quô pietatis affectu tenera parvulæ Birgittæ viſcera commota fuerint, quis aſſequetur? cùm ei ſe ſpectandum ipſe Dominus majeſtatis objecit (Vir dolorum, vulneribûs deformatus, & penè, noviſſimam ad uſquè guttam, exhauſtus cruore) dilectam, ſponſam ſanguinum, ſuaviſſimîs verbîs ad ſpectaculum invitans: *Aſpice vulnera mea, O filia*! Non potuit, hâc imaginê, tam luculentæ crudelitatis, intimîs fibrîs receptâ, piam ſupprimere confidentiam anima ſancta; quìn ſolicita, poſtularet ex afflicto, cognoſcere: Quis carnificinæ tam enormis, &, adeò copioſè profuſi

Lobbet. vit. & mort. c. 6. §. 3.

Ribadeneira in vit. Octobr. 8.

fuſi ſanguinis reus eſſet, authórque cenſendus? Auctior autem eſt facta compaſſionis hujus filialis devotio: cùm tam horrendi ſpectaculi reatum, ex ipſius ore Dilecti, non aliis attributum intellexit; ſed iis, qui divinæ dilectionis immemores, omnibúsque beneficiis ingrati, ſic, rependunt mala, pro bonîs.

VI. Utinam eſſent nobis oculi! quales habuit, in veritate, Servatori Patienti totô ſpiritu devota, magna anima B. Mariæ de Raggy: non procul â nobis ipſis, ingratitudinem, demonſtratæ jam, perſpectæquè lanienæ ream, inquireremus. Hli enim, *in quorum manibûs iniquitates*, nefandæ, turpes, abominabiles, & ab illô, qui *tetendit adversùs DEum manum ſuam, & contrà Omnipotentem roboratus eſt*, nihil differentes, inveniuntur: Illi, *qui cogitaverunt iniquitatem in corde ſuô; &, cor ſuum poſuerunt, ùt adamantem; nè audirent legem.* Illi, qui *extenderunt linguam ſuam, quaſi arcum; &, poſuerunt in cœlum os ſuum*: Illi, inquam, arguuntur â conſcientiâ, percutiuntur â culpâ, convincuntur ab imaginê, pœnarum omnium indicê, DEum hominem, in omniũ reorum pœnîs, homini peccatori, objicientê, &, exprobrantê: *Ecce homo! quid feciſti?* Sic illa, pia, ſanctáque anima B. Raggy, divinîs aliquando paſta myſteriîs, indulgens, pro morê, divinæ Paſſionis memoriæ (quam in Euchariſticâ perpetuam nobis eſſe voluit mensâ mirabilis illius Author convivii) cùm cerneret ſuîs coràm oculîs Dilectum, qualis, de Lithoſtrotô, ſpectandus omni populo patuit, vulnere ſuper vulnus dilaniatum, nec homini ſimilem (totô ſcilicet, vultûs, & hominis, aſpectu, per cruorem, undequaquè manantem, & livorem, ac plagarum horrorem, profligatô) nemini, niſi ſibi, ſpectaculi tam triſtis, & immanis, cauſam exprobrari, ſibique ſoli, per ſpeciem adeò miſerabilem, objectum cenſebat: *Ecce homo! quid feciſti?* Sic verò, ſui cordis in tribunali convicta, potiùs nihil habuit; quàm, ut, Magdalenæ pœnitentis affectu, dominicis advoluta plantis, cruentos complexa pedes, labiîsque per vulnerum baſia purpuratîs, in ejulatum prorumpens, confiteretur: *O JESU mi! ſcelera mea tuorum ſunt vulnerum cauſa. Illa, illa, tam diris te vulneribûs dilaniârunt.* Cæcus eſt, &, ſi non corporis, mentis tamen oculîs captus; quisquis horrendo judæorum ſpectaculo Servatorem ſuum expoſitum, ità ſibi non intuetur pariter objectum; fatetúrque, cum Præſule Mediolanenſi, ſuſpirans: *Doles, Domine! &, verè doles, non tua vulnera; ſed noſtra ſcelera!*

VII. Mihi quidem, quisquis etiam iſta faſſus, teſtatúsque fuerit,

Pſalm. 25. v. 10. *Job. 15. v. 25.* *Pſalm. 139. v. 3.* *Zachar. 7. v. 12.* *Jerem. 9. v. 3.* *Pſalm. 72. v. 9.*

Vita B. M. de Raggy. Lib. 3. cap. 15.

S. Ambroſ. in Lucam cap. 10.

rit, exiguâ tamen animi grati partê videtur eſſe defunctus: niſi juſta compaſſio cerebrum totum in amaras, merôque ſenſu doloris graves, lacrymas eliquet; *ut fluant aromata gratiæ.* Lacrymas tales exigo; quales Venetorum Patriarcha ſanctus, cùm affluentiâ, tum vehementiâ, pares officio voluit illi; quod ploranti præſcripſit: *Sanguinem defluentem lacrymarum inundationé abſterge!* Quàm vellem! ut, inſtar balſami fruticum, eſſemus omnes: ut, quâcunque nos parté dolor, vulnerum Domini noſtri memor, contingeret, omnî ſuavius, & gratius opobalſamô, flueret unguentum, tumentibûs, ac lividîs plagîs, conciſi pro nobis Advocati, liberaliter perungendîs! Hoc delinimentum nemo unus, niſi gratitudinem omnem ejuraverit, ferîs ipsîs ferocior, denegabit illi; qui totus in uſus noſtros expenſus, &, cauſam noſtram vulneratam, integram redditurus, merum eſſe voluit vulnus: cui leniendo, non cuncta Judææ balſama, non univerſa Cypri olentis unguenta, tantum obſequii præſtant, atquè ſolatii; quantum unica, devotè compatientis, &, gratitudinem teſtantis, oculi ſtilla. Conſumant omne, quod in arcanîs tenent, oleum auri, quotquot ancipitî laborant causâ, ſuîs ungendîs Advocatîs: nè progreſſum, etſi debitum, proceſſus non habeat. Peccatorum Advocatus, non auri, ſed, quod obrizô pretioſius illi, & gratius aurô eſt, oculorum ſolô ungi vult oleô. Hoc plagarum ſuarum lenimen, efficaciſſimum juxtà, atquè acceptiſſimum tunc exegit; cùm è ſuperiorî graduum locô, Præſidis in Prætoriô, ſpectaculum factus, Judæam circumfuſam, beneficiorum omnium, & gratiarum immemorem, *Actioné Ingrati*, licèt orê mutus, clamantibûs tamen omnibûs, conſpicuîs, apertîsque vulneribûs, palàm incuſavit, exaggerans, quod in ſuîs olim Threnîs vates gemuit: *O vos omnes, qui tranſitis per viam! attendite, & videte: ſi eſt dolor, ſicut dolor meus!*

VIII. Eadem eſt Ejuſdem, adversùs fideles hodiè, ſuæ fidelitatis, & obligatæ gratitudinis oblitos, Actio lamentabilis, cum æquiſſimâ objurgationê; quâ ſuos dolores, omnibus, ab æternâ per eos morte vindicatis, &, non libertate tantùm, ſed hæreditatis etiam cœleſtis jure donatis (ut officium debitæ gratitudinis, innumerîs promiſſionibûs devinctum, & iteratîs devotionibûs renovatum, necdum tamen integrâ fide præſtitum, obtineat) ingerit; &, per objecta in hôc triſtî ſpectaculô vulnera, velut exprobrationis efficaciſſimæ fortiſſima per argumenta convincens, imprimit, obſequium debi-

tum

Cantic. 4. v. 16.

S. Laurent. Juſtinian. de triumph. Chr. agonè cap. 64.

V. Prateju V. Actio Ingrati.

Jerem. in Thren. 1. v. 12.

tum expreſſurus, dum ait: *Videte; ſi eſt dolor, ſicut dolor meus!* Num cernitis me, totô corporê denudatum; *&, in regiâ civitate, in diê ſolemni, in tot millium præſentiâ, in adverſariorum conſpectu?* Quantum inde pudoris, & honeſtatis tormentum? quantus erubeſcentiæ dolor? quanta meæ ſit ingenuitatis afflictio? ſolius naturæ communis id horror inſinuat. En! peregrinum Jerichuntinum! cujus prima perſecutionis afflictio, nec ab inflictorum vulnerum ſævitiê, nec ab accitô vitæ, dimidiùm jam ablatæ, periculô, ſed, â veſtium denudationê memoratur: *Deſpoliaverunt eum! Tam enim durum ei fuit, in publicâ viâ denudatum jacere: quòd ei graviùs, ac acerbiùs fuerit; quàm, quòd impoſitîs plagîs, quaſi mortuus, relinqueretur.* Arcanô pariter ſenſu de ſanctîs illîs puerîs, Babylonias inter flammas illæsîs, notatum eſt: quòd, *non tetigit eos omninò ignis, neque contriſtavit*: quia veſtibus, *ob ſanctorum honeſtatem, ignis pepercit.* Major quippè fuiſſet eorum contriſtatio; ſi, veſtibûs abſumtîs illæſa patuiſſent, oculis perſequentium, corpora nuda: quàm, ſi, cum ſarabalîs, innocua membra pariter in cineres defeciſſent. Adeò nimirum flammîs ipsîs Babyloniîs perſecutores mei ſæviores fuerunt; quibus ignominioſa denudatio mea privatim facta, ſatis non erat: niſi, tam infamî, dolorosâque proſtitutionê, publicum per ſpectaculum, augeretur, plagîs omnibus acerbior, confuſio mea: cui, coràm oculîs Univerſi, declinandæ olim, collibûs, & montibûs, ex omnî partê poſtulatîs, ipſi jam damnati, obrui, operiríque flagitabunt.

Dionyſ. Carthuſian. in Joannem.

Lucæ 10. v. 30.

Sylveira. Tom. 5. l. 8. cap. 10. q. 4. n. 20.

Daniel. 3. v. 50.

S. Chryſoſt. ſerm. de negat. Petri. Tom. 6.

Lucæ 23. v. 30.

IX. Collectîs ergo ſenſibûs, & animîs: *Attendite, & videte: ſi eſt dolor, ſicut dolor meus!* Cernitis: nè minimam corporis mei partem, expertem plagæ, vulnere non hiantem, ſanguinê non exhauſtam, non deformem livorê, non ulcerê tumentem? Sic *dinumeraverunt omnia oſſa mea, quæ ſicut cremium aruerunt: ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt*, concertantes, de vulnerum immanitate, verberúmque diuturnitate, tortores; integrâ cohortê, meam in dilacerationem, ſpinosîs virgîs, nodosîs flagellîs, catenîs, per innexos uncos, & hamos, ad lanienam crudeliſſimam exaſperatîs, fatigatâ: cùm, *repetitîs ictibûs, crudelia vulnera ſcapularum terga ſciderunt*: quia *congregata ſunt, & multiplicata, & adunata ſuper me flagella; ut coſtæ viderentur*: & (*quod amariùs erat*) *cùm retraherentur flagella, carnes flagellîs ſulcabantur: ut ſanguis ſurſum in aëra reſultaret*; donec, exhauſtâ ſævientium atrocitatê, nusquàm ampliùs in mê, vel integra caro, vel cutis non læſa; ſed ipſa vulnera, novâ convulnerationê, torquebantur.

Pſalm. 21. v. 18.

Pſalm. 101. v. 4.

Pſalm. 68. v. 27.

S. Chryſoſt. ſerm. 3. de Paſſione.

Ruffin. in Pſalm. 34. v. 15.

Revel: S. Birgitte l. 1. c. 10.

S. Bernard. cap. 4. de Paſſione.

Non

Isaiæ, 53. v. 4. Non inde mirum: quòd nulla mihi sit species; quòd, quasi leprosus, & ulcere percussus apparéam, â planta pedis, usquè ad verticem capitis. Ast, ubi dolor; *Job 2, v. 7.* *sicut hic dolor meus*? Ad primum ictum, corpori meo tenerrimo virgîs inflictum, ubi sanguinem excussum prosilire continuò conspexit Mater mea, tantùm non spiritu, vitâque defecit. Quis exinde, per crepitantium flagellorum ictus, quinquies mille, trecentos, ac tres, ultrà septuagenos? quis, ex undâ cruoris (cujus fluxu pavimentum universum immaduit) quis, inquam, in virgineæ Parentis corde sensus compassionis ferbuerit? *Attendite, & videte: si est dolor, sicut dolor meus*? Neque tamen ullius adhuc, ergà me, par est pietas illi lenitati; quam officiosæ canum linguæ ulceroso Lazaro præstiterunt. *Luc. 16. v. 21.* Blandientes illi, *lingebant ulcera ejus*: Ego verò, tam crudeliter vulneratus, & exulceratus, pro peccatoribûs, nullum lenimen experior; sed, insuper, *sagitta vulnerans est lingua eorum*!

X. Ah! *Attendite, & videte* dolorem meum! quem, durissimîs nexibûs validissimè ligatus, etiamnùm constrictîs patior in manibûs; dum, non per ungues tantùm stillat, acerbitate restium extortus, cruor; sed, in ipsam carnem, ruptâ cutê, desæviens vinculorum rigor, sanguini commixtus obduruit. Super omnem autem asperitatem vinculorum istorum illa me vehementiùs urit injuria; quæ meæ videtur illudere libertati, meam subsannare virtutem, ac meæ manus Omnipotentiæ constringere, constrictásque tenere: cùm tamen nulli me nexus, nulli funes, nulla vincula, nisi, quæ Patris æterni voluntas, meúsque, procurandæ mortalium salutis, liberalis amor, ex ejus decretô, contexuerunt, alligare ullô modô potuissent. Ità enim, magnæ charitatis imperiô, meas ipse manus in laqueos dedi, captus; ut Adam solverem, â serpente deceptum: eos verò, qui, diruptîs vinculîs mandatorum, implexi funibûs peccatorum, in tenebras exteriores, ligatîs manibûs, ac pedibûs, abjiciendi fuerant, hîsce vinculîs charitatis retinerem fortiter, eruerem potenter, erutósque suaviter in amorem tantæ pietatis pertraherem. Nec tamen adhuc, ut amarer, obtinui! licèt adeò vestrî captus amore; strictissimèque, pro vobis, ad ultimam usquè guttam sanguinis exprimendam, obligatus! Multùm doluit, *Judic. 16. v. 25.* amore perfidæ deceptus, omnîque robore destitutus, & ità manibus hostium traditus, captúsque Samson: sed. *attendite, & videte: si est dolor, sicut dolor meus*?

XI. Quantum tormentum, ex im-

Dionys. Carthus. in Lucam.

Taulerus de vit. & Pass. c. 24.

impreſsîs capiti meo ſpinîs, offenſô, per eas, confixôque cerebrô, per omnia membra deſæviat, ad oculum quidem patet, non tamen integrè liquet. *Operuit* enim *pelagus caput meum*; dum abyſſus dolorum, &, velut inſcrutabile quoddam omnis afflictionis mare, cum hôc inauditô ſuppliciô, meum in verticem confluxit. Nihil â veprium eſt confixionê non læſum: horrorê ſpinarum ſeptæ tinniunt aures meæ; durîs aculeîs transfixæ palpebræ rigent; hiat plurimîs vulneribûs cranium terebratum; ipſúmque, velut ab incuſsîs clavîs, cerebrum, utì ſentibûs infixîs, ità punctûrîs, omnî propè momentô lethiferîs, exaſperatum eſt! Si plantæ forſan alicui, ſolâ tantùm in cutê, fractæ ſpinæ cuſpis inhæſerit; quos non gemitus cruciatus ille (ſed, proh! quantùm, verticis, ac cerebri læſionê, mitior?) extorquet? Nemo tamen unus eſt; cui, vel ignominiæ meæ tam acutæ, vel tormenti mei, tam enormis, acerbiſſima paſſio, debitæ compaſſionis, tenuem etiam ſenſum uſquè modò impreſſit? Quìn, poſt innumeras punctûras capitis mei, tantùm abeſt; ut, ſincerâ doloris cogitationê quisquam, compunctus, aliquam in ſe, tormenti mei partem, cum ſuæ ſalutis indubiâ participationê recipiat (etſi pro ſpinîs modicîs perpetuam recepturus coronam) ut offendant etiam has aures meas, quæ jactantur, duriora, ſpinîs acutiſſimîs, exſultantium, velut inſultantium, vota: *Coronemus nos roſis!* Etſi clament, in aurem utrámque, meorum præcones dolorum: *Ecce homo! quale ſertum pro utrôque ſexu ſubiit Chriſtus? Ex ſpinîs, & tribulîs, in figuram delictorum; quæ nobis protulit terra carnis; abſtulit autem virtus Crucis, omnes aculeos mortis, in Dominici capitis tolerantiâ obtundens.* Sed, etſi pungant hæc, non tamen expugnant ſurditatem; non compungunt ingratitudinem.

XII. Et quid, hâc vilî cum purpurá, meis injectum humeris arbitramini? Quid, cum arundinê vanâ manibus meis inſertum, infixúmque judicatis? Ah! *videte: ſi eſt dolor, ſicut dolor meus?* Quantum opprobrium, per ludicrum iſtud regalis paludamenti ſimulacrum, objectum eſt, velandæ, opprimendæquè majeſtati meæ? Non ſuffecerat impietati: me, per vulnera mea purpuratum, propriô jam rubuiſſe cruorê: ſuperaddidit arreptum, huic purpuræ, coccineũ centonem: ut etiam animus haberet; quod ægrè ferret, &, pro peccatoribûs erubeſceret, in hôc ſordidô veſtimentô contemptus, & illuſus. Vix corpori ſuſtentando pares ampliùs vires attrita tot plagîs natura ſuppetit; gra-

Jonæ 2. v. 6. *Sapient. 8. v. 2.* *Tertull. lib. de Corond militit.* *S. Theoph. Antioch. cit. à Sylveira. quæſt. 7. n. 45. c. 11. Lib. 8. Tom. 5.*

vius

vius tamé adhuc pondus, in chlamyde tam abjectâ, fatiſcens, & infirma portare cogitur. Sic afflictum, afflictio cumulata tantùm non opprimit. Nec eſt invidiæ ſatis: me miſerum, exhauſtum, imbecillem, vinctum, & manibûs, ac viribûs omnibûs captum, deſtitutúmque cernere: fatuum inſuper, &, inanis inſtar arundinis, vanum, ac, nullius quaſi ſubſtantiæ regnum omne meum, & gloriam meam, & me demùm ipſum, irriſioni publicæ, vulgique ſubſannationi, per arundineum ſceptrum proſtituere laboravit. Si, vos inter homines, *nullus major labor eſt; quàm, ferre illuſiones?* Et, ſi Säul mori præoptavit, mitiorem exiſtimans ictum armigeri (per quem anima fuerat expungenda de corporê) quàm illuſionis aculeos; quibûs cor ſuum â Philiſthæîs compunctum iri metuebat? Si, cæterîs in pœnîs, omnî licèt humanâ patientiâ majoribûs, immotus tamen ſemper, ſtetit Chananæus ille, Diabolicæ fatigator induſtriæ: donec, ad illuſoriæ perſecutionis tormentum, vexatio corporalis aſcendit; quæ cœpit, ipſas explodere, & ſubſannare miſerias? Tum enim continere mortis vota, ſic offenſus, nequivit, ſatiùs occidi, quàm, illudi cenſens, & optans: *Si flagellat, occidat ſemel; & non de pœnîs innocentûm rideat!* Si cor David manſuetiſſimi tam atrociter pupugit, accepta ſuîs tantùm in ſervîs, contumelia (quam Ammonita barbarus, barbîs eorum, dimidiâ partê, turpiter abraſîs, & veſtibûs mediîs, ad infamem corporis denudationem præciſîs, eidem, ſic illudens, irrogaverat) ut non, niſi cruentô bellô, vindicatus æquè videretur ei tantus contemptus? Si calvô ſolùm de capitê petulantiæ puerilis exprobrationé tolerare nequivit, irriſus, & exploſus Eliſæus: quìn maledixerit inſultantibus parvulis? Si deniquè viri militaris animum, nullîs hoſtium terroribûs tractum, nullîs gladiîs, ac ſpiculîs territum, nullîs vulneribûs debilitatum, nec ipſum etiam exilium, nec omnium proſcriptio poſſeſſionũ, facultatúmque jactura, confundere valuêre; ſed, *unicum illuſionis verbum*, ab ignavô, ſordidôque homine, conjectum in faciem, robur ejus omne convellere, totam virtutem proſternere, univerſámq; potuit fortitudiné exhaurire? Ah! *attendite, & videte: ſi eſt dolor, ſicut dolor meus?* Sed, expendite: cujus caput ſit; quod per opprobrium ſummum ſpinæ coronant? quia notum eſt vobis: *in capitê ejus diademata multa*; de quô ſcriptum eſt: *gloriâ, & honoré coronâſti eum.* Cogitate: cujus manus ſint; quæ, nexibûs duriſſimîs vinctæ, fatuam pro virgâ regiâ portant arundinem? quia legi-

Seneca Epiſt. 4.

1. Regum 31. v. 4.

Job 9. v. 23.

2. Reg. 10. v. 4. & 19.

4. Regum 2. v. 24.

Plutarchus in Alcibiade.

Apocal. 19. v. 12.

Pſalm. 8. v. 6.

legistis: *In manu ejus sunt omnes fines terræ: &: Pater omnia dedit in manu ejus.* Inspicite: cujus facies ista sit; in quâ, collatîs, velut in metam, consputantium sordibûs, de stomachi colluviê profundâ petulanter exactîs, nequè species hominis, nequè decor ullus, aspectúsque discernitur? quia non latet vos, nequè vatis deprecatio: *Ostende faciem tuam; & salvi erimus!* nec ejusdem de felicitate consummatâ confessio: *adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo.* Considerate: cujus, istæ sint genæ, tot alapîs concussæ? cujus, istud os, evulsionê barbæ, quàm ignominiosâ, tam dolorosâ, distortum, ac deformatum? quia non ignota sunt vobis lineamenta Dilecti, candidi, & rubicundi; *in quem desiderant Angeli prospicere:* nequè; quòd *comæ ejus, sicut elatæ palmarum; oculi ejus, sicut columbarum; genæ ejus, sicut areolæ aromatum; labia ejus, distillantia myrrham primam; species ejus, ut Libani;* & deniquè: quòd sit, ille, *totus desiderabilis.* Cùm igitur, in humanitate meâ, tam despectâ, tam afflictâ, tam illusâ, tantîs opprobriîs, & contumeliîs traductâ, meam quoquè divinam gloriam, & honorem, & majestatem, & potestatem, & immensitatem, contemptam, derisam, spretam, subsannatámque jam intelligatis: *Attendite, & videte: si est dolor, sicut dolor meus?* An non, *quæ in summam contumeliam illata mihi sunt, ad summum contumeliarum omnium fastigium pervenerunt?*

Psalm. 94. v. 4. Joann. 3. v. 35.

Psalm. 79. v. 4.

Psalm. 15. v. 11.

Moles. apud Doulterm. fol. 486.

1. Petr. 1. v. 12. Cantic. 5. v. 11. & seqq.

Victor Antiochenus, cit. à Lucâ Burg. in Matth.

XIII. Nec erubescitis adhuc, tantæ meæ confusionis intuitu? tantæ meæ despectionis, & exinanitionis aspectu? Cùm hæc omnia sim, propter vos, & in vobîs, & in causâ vestrâ passus: *quid est, quod debui ultrà facere; & non feci?* Num quicquam eorum, quæ per Vates meos, vobis, â periculô vindicandis, & asserendis ab interitu, promisi, non ad literam impletum est? Verbum accepistis, per Jeremiam: *Redemtor eorum fortis: judiciô defendet causam eorum. Et in hoc natus sum; & ad hoc veni in Mundum; ut testimonium perhibeam veritati.* Quàm eloquens pro vobîs fuit, meæ vagiens infantia, plorans miseria, paupertas algens, abjectio patiens? Ipsi panniculi, quibûs tunc eram involutus; ipsæ stipulæ, quibus incumbebam, fovendus; ipsum præsepe, quòd me, cunarum locô receperat; ipsum stabulum, in quô me Virgo Mater, omnibûs excluså diversoriîs, peperit, vestræ salutis negotium, jam tum inchoatum, testibûs Angelîs indicârunt. Triceşimum in annum, dum latui, Matri subditus, atquè Nutritio; quæ placita fuerunt æterno Patri, semper implevi: nec in eô silentiô momentum temporis fluxit; quod non (*in laboribus â juven-*

Jerem. 50. v. 34.

Joann. 18. v. 37.

Luc. 2. v. 11.

Joann. 8. v. 29.

Pſalm. 87. v. 16.

ventute meâ) recuperandæ vobis æternæ felicitati, unde excideratis, negatiator actuoſus impendi. Cùm Servatoris officium, aſſumtîs, in omnî causâ, peccatorum partibûs manifeſtum feci; num eorum, quæ de mê fuêre ſcripta, vel *unum jota, vel unus apex* præteriit; cui, vel verbô defuiſſem, vel opere: tantùm, ut integræ forent res veſtræ? Legiſtis: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors, & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.* Sic meâ carne paſti, meôque poti ſunt ſanguinê, pridiè, quàm patiebar, diſcipuli mei. Dictum eſt: *Homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem.* Et hoc â Judâ ſuſtinui; qui, cùm accepiſſet buccellam, exivit continuò, pactus cum ſacerdotum Principibus: *quid vultis mihi daré? & ego Eum vobis tradam.* Cùm ê cœnaculô ſum egreſſus in hortum, impletum eſt vaticinium Habacuc: *Egreſſus es in ſalutem populi tui.* Vix torrentem in viâ tranſivi, facta triſtis eſt anima mea: quia (ſicutì vates præcinuit) *cor meum conturbatum eſt in me; & formido mortis cecidit ſuper me; & contexerunt me tenebræ. Timor, & tremor venerunt ſuper me.* Pronus in terram, ſanguineô meô ſudore madentem, quidnî credar, orationê, ter ingeminatâ, ſuſpirâſſe: *Terra! terra! terra! audi ſermones meos!* illúdque deprecatus fuiſſe: *Nè operias ſanguinem meum; nequè inveniat in tê locum latendi clamor meus!*

Matth. 5. v. 18.

Pſalm. 110. v. 4.

Pſalm. 40. v. 10.

Joann. 13. v. 29.

Matth. 26. v. 15.

Habacuc. 3. v. 13.

Pſalm. 54. v. 5. & 6.

Jerem. 22. v. 29.

Job. 16. v. 19.

XIV. Exſultantem ſuîs in tribulationibûs Regem audiviſtis: *Calicem ſalutaris accipiam; & nomen Domini invocabo!* Præludium in hôc, illius animi mei fuit; quô, calicem Paſſionis, oblatum â Patre, dum vidi, dixi: *Pater mi! ſi non poteſt hic calix tranſire a me, niſi bibam illum; fiat voluntas tua!* Jeremiæ novîſtis ex planctu: *Reliqui domum meam; dimiſi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.* Ità verò reâpſe factum eſt: cùm, â Diſcipulîs meîs, ad milites converſus, manifeſtavi me cohorti prætoriæ; atquè, ut immunes eſſent mei, mê captô, Diſcipuli, dixi: *ſinite hos abire.* Sic de mê, meîsque vinculîs, quibus ultrò, me capiendum ingeſſi, & ligari ſuſtinui, ducíque, latronis inſtar, permiſi, non vani fuêre vates: Iſaias quidam, inquiens: *Oblatus eſt: quia ipſe voluit; & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur: & quaſi agnus coràm tondente ſe, obmuteſcet.* Alter autem, ſuîs in Threnîs, lamentans: *Spiritus oris noſtri, Chriſtus Dominus, captus eſt in peccatîs noſtrîs.* Ezechiel denique, qui prædixit: *Fili hominis! data ſunt ſuper te vincula; & ligabunt te in eîs.* Quid Michææ verbis, ad literam, defuit in ſummi ſacerdotis aulâ? *Percutient maxillam judicis*

Matth. 26. v. 42.

Jerem. 12. v. 7.

Joann. 18. v. 8.

Iſaiæ 53. v. 7.

Thren. 4. v. 20.

Ezechiel. 3. v. 25.

Michæe 5. v. 2. Isaiæ 50. v. 6.

dicis Israël. Aut Evangelico vaticinio, in ergastulô Caiphæ? *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibûs, & conspuentibûs in me.* Vel, in malignantium conciliô, & Herodis atriô, & Pilati Prætoriô, Davidis quid non correspondit oraculo? *Os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversùm me linguâ dolosâ; & sermonibûs odij circumdederunt me. Pro eô, ut me diligerent, detrahebant mihi: &, posuerunt, adversùm me, mala pro bonis. Ego autem, tanquàm surdus, non audiebam. Factus sum, sicut homo, non audiens; & non habens, in ore suô, redargutiones.* Nunquid in istô sævissimæ castigationis locô, denudatus instar hominis abjectissimi, verè steti, proutì descriptus â vate? *Quoniam ego in flagella paratus; & dolor meus in conspectu meo semper.* Et, *fui flagellatus totâ die, & castigatio mea in matutinîs:* Et, *congregata sunt super me flagella, & ignoravi:* Et, *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Deniquè, sicut aries, pro, ligatô jam Isaac, &, ictui subjectô, cornibûs inter vepres hærens, in holocaustum oblatus est; ità nunc & ego, totô capitê spinis implexus, educar, vestrî causâ, super lignô victima futurus in montê: nec enim vanè *demonstrabat genus Passionis, cùm suspensum ostendit cornibûs ariete, virgultum illud, patibulum Crucis.*

Psalm. 108. v. 1. 2. 3. 4. 5.

Psalm. 37. v. 14. 15.

Psalm. 37. v. 18.

Psalm. 72. v. 14.

Psalm. 34. v. 15.

Psalm. 128. v. 3.

Genes. 22. v. 13.

S. Ambros. lib. de Abraham. cap. 8.

XV. Quid nunc supereſt; quod ex æterni decretô consilij, vestræ salutis amorê, *debui ultrà facere, & non feci:* nè vestra penitùs causa succumberet, & æternùm protrita maneret? Cernitis me, doloribûs, & mœroribûs exhaustum (dùm scilicet amaræ, *intraverunt aquæ usquè ad animam meam*) nè vos, ab æternæ torrentê voluptatis fieretis extorres. *Laboravi clamans; raucæ factæ sunt fauces meæ:* nè clamor peccatorum vestrorum, indeficiens, Patris mei justitiam, irrevocabilem in vindictam excitaret. Nihil non, verè solicitus Advocatus, ex officiô præstiti. Oravi pro vobîs, ad agonem usquè; sudavi pro vobîs, ad sanguinem usquè; steti pro vobîs, ad usquè vincula; cucurri pro vobîs, tractus, raptúsque, de judicê, ad judicem, ex tribunalî, ad tribunal. Propter vos opprobria, verbera, flagella, &, quid non sustinui? ut impleretur, quod per vatem fuerat olim promissum: *Judiciô defendet causam eorum.* Qualis verò vestrorum fuit hâc tenùs promissorum fides? An, quæ vos postulavi, sic sunt â vobîs, ùt â me, quæ vos petivistis, impleta? Suspirâstis: *aperiatur terra, & germinet Salvatorem!* Adsum: *Ecce homo!* Verbum accepistis per os Isaiæ: *Clamabunt ad Dominum: & mittet eis Salvatorem, & propugna-*

Psalm. 68. v. 2.

Psalm. 35. v. 9.

Psalm. 68. v. 3.

Jerem. loc. cit.

Isaiæ 45. v. 8.

Isaiæ 19. v. 20.

gnatorem; qui liberet eos. Adſum: *Iſaiæ 16. v. 1.* *Ecce homo!* Petiviſtis: *Emitte, Domine, agnum, Dominatorem terræ, de petrâ deſerti, ad montem filiæ Sion!* Adſum, jamjam illuc educendus, & occidendus: *Iſaiæ 35. v. 4.* *Ecce homo!* Promiſſum eſt vobis, per Vatem Evangelicum: *DEUS ipſe veniet, & ſalvabit vos.* En, ad hoc vêni in Mundum: *Ecce homo!* Junctîs votîs clamâſtis, optantes, ac *Iſaiæ 64. v. 1.* ſupplices: *Utinam dirumperes cœlos, & deſcenderes!* Deſcendi: *Ego Iſaiæ 43. v. 25.* *ſum; ego ſum ipſe.* Sponſio facta vobis eſt, cum Paralyticô jacentibus, &, hominê deſtitutis; cum peregrinô vulneratis, &, Samaritanum anhelantibus: *Iſaiæ 19. v. 22.* *Placabitur eis, & ſanabit eos.* Et, apertiùs: *Pſalm 106. v 20.* *Miſit verbum ſuum; & ſanavit eos.* Sed, ecce: *propter hoc, ego ipſe, Iſaiæ 52. v. 6.* *qui loquebar, ecce, adſum: Ecce homo!* quem optâſtis, quem implorâſtis, quem expectâſtis, non ſolùm, ùt ægri, derelicti, vulneratique; ſed, ùt accuſati, ùt convicti, ùt judicati, latâque jam, &, tantùm non inflictâ, ſententiâ condemnati. *Ecce homo!* Ille ego ſum; qui peccatori, quondam in ſpem erigendo, di- *Iſaiæ 43. v 24. Septuaginta Interpret. apud S. Hieronym. in loc. cit.* xi: *ſervire me feciſti in peccatîs tuîs: præbuiſti mihi laborem in iniquitatibûs tuis:* id eſt: *Ego te defendi in peccatîs tuîs.*

XVI. An verò quicquã illorum â vobîs præſtitum; quæ nominibûs obligatîs, vel eſtis ultrò polliciti; vel juſtô, ſubjectionis, & gratitudinis officiô, reddere mihi debetis, obſtricti? Quidſi *judiciô contendam vobiſcum?* & vos, graviſ- *Jerem. 2. v. 9.* ſimi reos criminis, offenſæ videlicet pietatis, atquè juſtitiæ divinæ, vindex Actor, violatæquè fidei, atquè negatæ gratitudinis Exactor, poſtularem? Ubi primum illud, quod in fonte ſalutis, per meum abluti ſanguinem, teſtibûs Angelîs, juramentô firmâſtis, perpetuum cum hoſte meô, veſtrôque, malô dæmone, diſſidium? A Sacerdote, tum rogati: *abrenuncias diabolo, & operibus ejus?* reſpondiſtis: *Abrenuncio!* *S. Ambroſ. Lib. 1. de Sacrament. cap. 2.* Quoties autem, etiam deſpectô mê, protritîsque meîs, tum conſiliîs, tum præceptîs, quidquid in Evangelii mei contemptum, ille malitiæ totius author ſuggeſſit, etſi cum veſtræ ſalutis fraude, promtiſſimè tamen, impetravit â vobis? Quid enim innumeræ fraudes, quid enormes uſuræ, quid inveterata tot odia, conjuratæquè in proximum inimicitiæ; cùm perpetua, leviſſimîs ex causîs bella; tum temeraria, de quâvis umbrâ, judicia; publicæque, privatæquè, turpes, & inveteratæ libidines? quid hæc, hominis, & nominis chriſtiani probra, monſtráque? quid ſunt, inquam, niſi *manifeſta* *1. Joann. 3. v. 8.* *opera Diaboli?* Et, huic vos renunciâſſe, dixiſtis? Nunquid eâdem ſacramenti religionê (per meum interrogati Vicarium: *abrenuncias*

cias ſeculo, & voluptatibus ejus?) unô pariter orê ſpopondiſtis, & conjurâſtis? *Abrenuncio!* Quid verò luxus iſte veſtimentorum? Quid ſumtuoſæ vanitatis hic enormis exceſſus? Quid iſta, pro voluptatis votô, proſtituta nuditas? Quid, revertentes per ordinem, comeſſationes; & perpetuæ ſaginationes, præceptîs etiam jejuniîs, epulando ſuffocatîs? Quid conducta, velut ad ſpectaculum, celebratáque, nullô non, etiam Domini diê, conſortia? Nunquid iſta, ſeculi ſunt, & *opera carnis*? quibus tamen, obligatîs nominibûs, renunciâſtis; quæ, datâ fidê, firmiter ejerâſtis; quæ demùm, & ſacramentô confirmata, deteſtati fuiſtis, & execrati? Nunquid veſtra vos ipſa, mê tacentê, ſingulos reprehendit, arguit, perſtringítque conſcientia? *Memor eſto ſermonis tui; & nunquàm tibi excidat tuæ ſeries cautionis. Si chirographum homini dederis, tenéris obnoxius: chirographum tuum tenetur, non in terrâ, ſed in cœlô. Renunciáſti Diabolo, & operibus ejus. Mundo, & luxuriæ ejus, ac voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulô mortuorum, ſed, in librô viventium. Præſentibûs Angelis locutus es: non eſt, fallere; non eſt, negare.*

Galat. 5. v. 19.

S. Ambroſ. Lib. de iis, qui myſteriis initiantur cap. 2.

XVII. O Pater æterne! *Ecce homo!* Hic eſt, ille perfidus, mendax, perjurus homo; qui, relatîs in tabulas, reatibûs ſuîs, exactîsque rationibûs, inventus in tribunalî pœnitentiæ, plùs, quàm decem millium debitor, ut liber, abſolutúsque diſcederet, non ſemel, ſed, proh! toties, quoties pœnitens ipſe ſe reum ſtitit, & accuſavit, etiam, interpoſitâ ſacramenti fidê, firmavit: in mille ſe mortes, quìn, & in apertas Tartari fauces, cum Anſelmô meô, priùs abiturum: quàm, rediturum in domum illam; in quâ *viæ inferi*: in conſortium illius; *quæ præparata ad capiendas animas, & procaci vultu blanditur*: in colloquium illius; qui *irretivit multîs ſermonibûs, & blanditiîs labiorum protraxit. Ecce, homo* hic! ille eſt; qui ſuam ipſe ſalutem, & animam obligavit, per omnia ſacra, pollicitus: honorem, & famam, integrâ fidê, ſe reſarturum illi; cui, per calúmniam, grave, lethaléque vulnus infixerat: alienas facultates, quadruplicî ſe cum fœnorê redditurum eas; quas, aut fraudulenter ſubtraxit: aut, violenter abripuit; aut, contrà fas exegit, aut, contrà jus retinuit; aut, iniquâ negotiationê perditè lucratus eſt; aut, nequitiosâ diſſimulationê perfidè furatus eſt. Cùm verò nihil horum, quæ tam ſanctè fuêre promiſſa, ſit hâc tenùs adimpletum: nunquid in eos, criminatio vetus cum Syracidis eſt accuſationê torquenda? *Multi præſtiterunt moleſtiam his, qui ſe adjuve-*

Surius in vita S. Anſelmi.

Proverb. 7. v. 27.

Ibidem. v. 10. 13.

Ibidem. v. 21.

Eccleſiaſtic. 29. v. 4. & ſeqq.

juverunt. Donec accipiant, oſculantur manus dantis, &, in promiſſionibûs humiliant vocem ſuam: &, in tempore redditionis, poſtulabit tempus; & loquetur verba tædii, & murmurationum; & tempus cauſabitur.

XVIII. Quantus reorum cumulus, hôc, perfidæ promiſſionis, &, non in vanum duntaxat, verùm, & in fraudem animarum ſuarum, &, cum injuriâ meæ Bonitatis, acceptarum gratiarum criminê tenetur obſtrictus? Quid enim, niſi judicium ultionis, in caput ſuum accerſiviſſe ſibi perſuadeant? qui, (non ſecùs, ac ſi cecidiſſent in ſpinas verba mea) pro concionê forſan, de ſimultatibûs inimicîs, & odiîs, ex inveteratô jam rancore lethiferîs, antè ſolis occaſum, per chriſtianam reconciliationem abjiciendîs, admoniti, continuò ſtatuerunt, offenſam remittere, vindictam execrari, vacuúmque, prioris inimicitiæ ſenſu, totum animum, ſerenîs oculîs, verbîs manſuetîs, & liberalibûs amicorum officiîs, eâdem adhuc horâ, teſtari: quorum tamen, modicô pòſt intervallô, recrudeſcenté memoriâ, vel unius etiam verbi, quod altiorî vulnerê ſauciaverat ſuperbum animum, tota voluntas in veteres diaboli partes transverſa redivit? *Ecce homo*! non hîc unus eſt, ſed permulti; qui, cognitâ, retributionê perpetuâ bonorum cœleſtium, terreſtria munificè diſpenſantibus promiſsâ, decumam ſuæ ſubſtantiæ partem egenorûm definivêre ſubſidio: qui, perſpectâ ſalutis æternæ viâ, ſecularem per converſationem (quæ declinat, ùt horret, anguſta) difficulter, &, â paucîs tantùm inveniendâ, voti ſeſe religionê ligârunt: in religioſa clauſtra ſecedere, cellîsque concluſos, meo tantùm obſequio devotam, reliquam vitam exigere: qui demùm, in ſancta ſanctorum admiſſi, meisque jam officiis, & ſacrificiis, inter abdita, non unô juramentô confirmata, plurimîs etiam annîs conſecrati, dirupérunt vincula mea; ſubtraxerunt meo, diù jam tolerato, jugo cervices; & quicquid, altâ deliberationê præmiſsâ, meis ut ſe gratos beneficiis exhiberent, ſacroſanctè promiſerant, auctâ, per ingratæ mentis vitium, perfidiâ, dimiſerunt. Hoc perpetua ſyntereſis, hoc vitæ totius perturbatio, hoc omnium conſiliorum, cœptarúmque rerum infeliciſſimus progreſſus, & ſiniſtri conatuum omnium eventus, continuâ quidem exaggerationê tacitè reprehendunt in vobîs: quid autem ſpei vobis, quid fiduciæ, de meâ relinquunt (Advocati) pietate? Non exhorreſcitis, coram oculîs hiſcè meîs, cruore plenîs conſiſtere? Non expaveſcitis, meum, in cautis veſtrîs conclamatîs,

matîs, patrocinium implorare? Non pertimeſcitis, contrà vos, ipsô illô ludibrii calamô arundineô, quem in manibûs meîs cernitis, judicium â me ſcriptum iri terribile; unde cæteris maleficis, ſolatiô ſumo, promiſſæ ſunt, & expectantur abſolutoriæ tabellæ?

XIX. Nôſtis æternæ juſtitiæ decreta: *Cùm votum voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus DEUS tuus: &, ſi mortuus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Quis nunc, ità percuſſus, vobis animus eſt? Non, concuſſus, tremit? non, tremens, deficit? non, deficiens, ſi non exſpirat, deſperat? Nôſtis (cùm in proverbiô ſit) Salomonis effatum: *Ruina eſt homini, devorare ſanctos; &, poſt vota retractare.* Nec formidatis, veſtrarum ædiũ ipſarum ruinîs conſepeliri; quæ vos, Numini tot poſt vota rebelles, invitæ tegunt? Nôſtis (decantatum enim eſt) Evangelicum programma: *Nemo, mittens manum ad aratrum, &, reſpiciens retrò, aptus eſt regnô DEI.* Quot autem hîc ego video? â quibûs (poſtquàm intellexerunt: in albæ veſtis ludibriô, luxum immodicum; in purpurei mei centonis improperiô, ſuperbientis mundi peccata; in coronâ ſpineâ, capitalium ornamentorum illicia; poſtremò, membrîs in meîs omnibûs, dirè laniatîs, omnes carnis voluptates illicitas, & nefandas, charitatis infinitæ ſpontaneâ pietate ſuſceptas, & expiatas eſſe) promiſſum continuò, decretúmque fuit: nullum, illecebroſi coloris, extenſum ſubinde ſyrma diffundere; peregrinam omnem, & formam, & habitum, alienum â corpore ſemper habere; nihil pudoris, nè per fimbrias quidem reticulatas, in offendiculum innocentiæ, vel periculum proritandæ concupiſcentiæ, denudare; nec cirros in collum diffundere; nec cæſariem per ſuggeſtus attollere; nec mitram geſtare turritam; nec elenchîs aures, nec gemmarum pretioſô fulgore frontem, aut pectus, fornicantibus oculis proſtituere? Quis autem in hîs hodiè vultus? quis cultus? imò, quis non luxus? &, in totô corporis apparatu, quid non vanitatis, & libidinis, & irritamenti conſpicitur? Itanè mea vobis eſt impreſſa ſpecies Paſſionis? ità, non homini, ſed, Servatori, DEO homini, promiſſa, ſancta, ſacráque ſervatis? Et vos? quibus prædicatum eſt: *Diſplicet DEO, infidelis, & ſtulta promiſſio: multôque meliùs eſt, non vovere; quàm, poſt votum, promiſſa non reddere.* Nulli veſtrûm ignotum eſt: *quàm gravia vincula: promittere DEO, &, non ſolvere!* Cominationem audiviſtis: *Redde promiſſum: dum in hoc corporé es; priùs, quàm veniat Exactor, & mittat te in carcerem.*

Deuteron. 23. v. 21.

Proverb. 20. v. 25.

Luc. 9. v. 62.

Eccleſ. 5. v. 3. & 4.

S. Ambroſ. Lib. 9. in Lucam ad cap. 20.

XX. Quot

XX. Quot igitur nominibûs obnoxios vos, non Actioni tantùm ſeveriſſimæ, ſed, etiam condemnationi, per illam â mê poſtulandæ, deprehenditis? Adhæc, nequè locus effugii, nequè patrocinii modus ullus, niſi de meâ ſolùm pietate, ſupereſt cauſæ veſtræ, nimiùm aggravatæ. Nec enim juvat, obtentæ forſan, ſi non extortæ, diſpenſationis allegatio: dum ego vinculis, innodatus pro vobîs, inhæreo, ſemel ſuſceptis; donec, arctiùs adhuc, videlicet clavîs inſuper ferreîs, cruci affigar. Cæterà, jam exploratum eſt: quòd, *abſquè neceſſitate, remiſſio voti, non diſpenſatio, ſed, prævaricatio eſt.* Nequè ſatis feciſſe ſibi quisquam perſuadeat, aliîs, quibûscúnque, devotionis officiîs; quæ ſuô ſòrs arbitratu, devotorum, ac debitorum operum locô, jam ſubſtituit: cùm ego, *mundum ingrediens*, primô ſtatim vitæ meæ momentô, dixerim: *Ecce venio! in capitê libri ſcriptum eſt de mê: ut faciam, DEUS, voluntatem tuam. Reddam tibi vota mea; quæ diſtinxerunt labia mea. Jota unum, aut unus apex, non præteribit; donec omnia fiant; quæ ſcripta ſunt per Prophetas, de Filiô hominis.* Hinc, velut ex regulâ, pronunciatum: *Si caput ei tuum debes, tale ei repende; quale ſuum, pro tê, obtulit*; ſpinîs nimirum, ad uſquè mortem crucis, patienter, fortiter, conſtanter, & fideliter toleratîs.

S. Bernard. in ſerm.

Hebr. 10. v. 5. 6. Pſalm. 65. v. 13. Matth. 5. v. 18. Lucæ 18. v. 31 Tertullian. ſerm. 5. de omnib. ſanct.

XXI. Verùm, nolite amittere confidentiam! non hæc â mê contrà vos allata ſunt; ſed, pro vobîs: ut, perſpectâ fidelitate meorum promiſſorum; &, æternæ dilectionis, in hâc ſpeciê meæ crudeliſſimæ Paſſionis, expreſsâ veritate (dum exaggeratam inde cognoſcitis, veſtræ fidelitatis, undequáque deficientis, ingratitudinem) tantò ſubinde meis obſequiis impenſiùs vacetis; & prævaricationum antiquarum enormia debita ſolertiùs compenſetis: quantò magìs probata, longanimis meæ benignitatis conniventia, liberalis verò mea voluntas, per tot vulnera, manifeſtior nunc reddita, vos etiam patentiùs, & potentiùs aſſecurat: meîs ex meritîs, divinæ pro vobis juſtitiæ placandæ, ſuffectum iri; quod veſtrâ non ampliùs in poteſtate ſtat; prout in piâ quondam fuerat voluntate. Magnum quidem, &, adversùs divina beneficia maximum omninò, mentis ingratæ vitium eſt: unde, primus homo, *factus eſt malô dignus æternô.* Nec aliô ponderê depreſſus, periit, qui me tradidit; quàm, quia *retribuebat mihi mala, pro bonîs; & gratiæ vicem non repræſentavit.* Verùm, nequè ſic offenſus, cauſæ veſtræ patrocinium defero. Si tribunalibus in humanis indigna quondam Actio cenſebatur, Ingrati (*dum optima beneficii pars perit; ſi, ùt certæ pecuniæ, ex condictô,*

S. Auguſt. lib. 21. de Civ. Dei. cap. 17. Pſalm. 34. v. 12. S. Ambroſ. lib. 1. de Virginit. Seneca l. 4. de Beneficiis.

Pratejus in Lexico V. Actio ingrati.

aut locatô, detur. *Si enim ad judicem voco*, uti dicebat quidam, *incipit non beneficium esse, sed creditum*) absit! ut adversùs ingratos Accusator id exigam; quod, ut cum omnium reatu tollerem, Servator advêni. Non esset meæ Pietati conveniens; si, gratia superabundans, abundantiam delicti non absorberet. *Misericors Dominus, & justus*, â Vate regiô commendatus est, repetitô misericordiæ solatiô: *DEUS noster miseretur*! in quô, *bis misericordiam posuit; justitiam verò, semel*: &, *in mediô est justitia, geminô inclusa septô misericordiæ*: nè judicii terror fiduciam humanam, jam geminâ miserationê fultam, vel opprimere, vel, penitùs auderet absumere.

Psalm. 114. v. 6.

S. Ambros. serm. de obitu Theodosii.

XXII. *Ecce homo*! Noli metuere! quisquis es, pro beneficiîs acceptîs, cùm promissionis violatæ, tum omissionis ingratæ conscius; nec unius, aut, levis tantùm, infidelitatis reus. Nè metue: fore, ut meum hoc os, pro te sputîs refertum, tuam in perditionem loquatur. Nesciunt oculi mei, sanguinê suffusi, Paternum in vultum, nisì, pro misericordiæ respectu, converti. Facies hæc mea, quæ cruentô tumuit â fletu, livorê deformis, non aliud, quàm intuitum efflagitat, in, sic unctum, scilicet, maleficorum omnium, etiam ingratorũ, Advocatum. Non alius meîs de spinîs, nisì divini, prorumpet ignis amoris; quô universa debita tua, meômet in capitê, velut super altarî reconciliationis divinæ, consumentur. Omnibûs ex plagîs Patrem oro: *Parce peccatis meis*! meis inquam, quæ nimirum, reorum omnium causîs in me susceptîs, ipse, pro eîs, *peccatum factus*, mea feci. Venite ergo! &, sub umbrâ purpurei mei paludamenti requiescite, securi *â venturâ irâ*! Per hæc mea vincula, reis omnibus, in me confidentibus, obligationem novam despondeo: causam eorum, sanguinê tantô reparatam, integram semper (tantùm nè quisquam desit ipse gratiis meis) â mê servatum iri. Nec aliud quicquam ultrà posco: nisì, ut sincerè pudeat infidelitatis; dolorosê pœniteat injuriæ, per inconstantiæ levitatem, graviter illatæ. Postremò, deducant amaras oculi lacrymas; quibûs promissiones, non exactæ, votáque, non impleta, cum sacramenti fidê frequentiùs violatâ, defleantur, eluantur, & extinguantur, effectu non dubiô: cùm valor sanguinis mei jam accesserit; per quem cunctorum remissio peccatorum, & omnium absolutio causarum fit: eâ tamen legê (sinè quâ, de meâ quicquam, vel gratiâ, vel pietate, qui sperat, præsumit) ut nemo non, nisì, maturam post deliberationem, pro-

Matth. 3. v. 7.

promitere, ſubinde ſit cautus; promiſſa verò reddere, fideliter, itáque, pro gratiîs, gratus vivere, meísque ligatus vinculis deinceps inhærere, jam decernat, ac decretum habeat.

XXIII. Quis verò ſic non annuit? &, pro votô Servatoris, adeò ſoliciti, jam dixit: Amen! Si quis ità, mecum, non concluſit; audiat, priùs, quàm abeat: *Apparebit Dominus JEſus, cum vulneribûs ſuîs, & clamabit, dicens: Videte! quanta â vobis, & in vobis, & pro vobis paſſus ſum! & tamen, ingrati, omnia contempſiſtis; &, pro nihilô duxiſtis. Ite maledicti in ignem æternum!* Heu! qualis erit iſta concluſio? Abſit! ut in eas anguſtias reſipiſcentia perfidæ libertatis noſtræ, nihil tum ampliùs profutura, diferatur. Nunc, nunc tempus eſt gratioſæ reconciliationis, & ſalutiferæ transactionis; quam, Fidejuſſor pro nobîs factus, meritorum ſuorum, pro nobîs allegatorum, infinitâ virtutê (cùm debitæ ſatisfactioni facultas nulla noſtra par ſit; ac, pro fidê, totiès violatâ, devotîsque promiſſionibûs, infidelî levitate, frequentiſſimè profanatîs, etiam ſi, vel ſumma velit, eſſe tamen ſufficiens vis nulla valeat) in veterum illorum debitorum, quæ noſtrîs majora ſunt viribûs, plenariam diſſolutionem, eâ conditionê, facillimâ juxtà, atquè juſtiſſimâ impetravit; ut, ſuæ quidem Pietati, tam beneficæ, cum perpetuâ gratiæ receptæ memoriâ, nullum in nobîs, tot nominibûs obligatæ gratitudinis debitum, ullô unquàm exactæ fidelitatis officiô deſit; unde, nos, & beneficii divini ſenſum teſtari, & perfidiæ noſtræ reatum deteſtari, conſtanter eluceſcat: ſubinde verò, fidelem, pro vitâ reliquâ, cautionem, unanimî conſenſionê præſtemus, oportet: nihil unquàm, niſi maturè deliberatum, immutabili Bonitati, temerariâ devotionê promittendi: promiſſa verò, quæcúnque ſupremæ, ſanctiſſimæquè ſuæ Fidelitati fuerint, eâ fidei ſinceritate, firmitatéque reddendi; quam, â conceptâ piâ voluntate, nulla genii, mentísque propriæ viciſſitudo; nullus hominum, ſeu, blandientium amor, ſeu, minitantium terror; nulla, vel commodorum temporalium ſpes; vel, periculorum impendentium formido, per puſillanimem trepidationem diſſolvere; aut in alia conſilia avocare; aut abſtrahere penitùs, ac ſeparare queant. Hæc igitur, noſtra ſit omnium una, ſancta, ſacra, firma, fixáque concluſio: ſuſceptam devoti cujusvis propoſiti crucem, cum Domino conſtanter portare. Quid enim? dicamus omnes: *Non mo-* *Pſalm. 60. v. 9.* *vebor ampliùs: reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea, in tribulatione meâ.* *Pſalm. 65. v. 14.* Amen.

S. Bonav. p. 1. ſummæ cap. 2.

FERIA II.

POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ.

SERMO DECIMUS NONUS.

In Foro IV. Juſtitiæ Divinæ,

Viâ ſcilicet Crucis, ad uſquè Calvariæ montem.

Actio XIII. De malè judicatô;

Contrà judices iniquos,
Tam ipſius Chriſti Domini, quàm ſubjectorum Fidelium;
Qui, per moroſas cauſarum, & judiciorum protelationes, emuncti;
Per inæqualitatem, ſuſcepti, tractatíque Proceſſûs, afflicti;
Per ſententiæ manifeſtam iniquitatem, dirè preſſi;
Contrà jus, & fas, ineluctabiliter damnati,
Divini tribunalis Æquitatem lamentantes implorant,
Omni ſcilicèt humanorum tribunalium Æquitatê deſtituti.

L. ult. ff. de Extraord. Cogn. Fuſt. de obligat. quæ quaſi, ex del. naſc. §. ultimô.

Actor XIII. S. Joannes Chryſoſtomus,

Pupillorum, ac Viduarum Patronus;
Qui reos, Divino Tribunali, judices illos accuſat;
Quos, Cauſæ juſtæ, Tyrannos experiuntur:
Iniquitates autem, plerúnque ſortiuntur Patronos;
Igitur inde, vel maximè, ſententiæ damnationis obnoxios:
Quòd, non tantùm non fungantur;
Sed abutantur, ſacrá ſui muneris, & judicij poteſtate.

Myſterium XIII. Et Actionis aſſumtæ argumentum.

Iniquiſſimus Præſidis in Chriſti mortem aſſenſus,
Et lata, prolatáque de Prætorij locô ſuperiorî ſententia,
Cum graviſſimá manifeſtæ Inæqualitatis injuriâ;
Quæ, per onus bajulandæ Crucis, afflictiſſimæ ſuperaddita fuit Innocentiæ:
Dùm latrones, robuſti, maximéque noxij,
Coràm oculis ejus, hôc liberi ſupplicio, progrediuntur.

Teſſera. Pilatus adjudicavit fieri petitionem illorum; JESUM verò tradidit voluntati eorum. *Lucæ 23. v. 24. 25.*

Et, bajulans ſibi Crucem, exivit. *Joann. 19. v. 17.*

I. Cor.

I. COrrigatur aliquando tandem, ambitioſa nimiùm illa, virtutis humanæ jactantia! quæ, ſicut fatuos ignes, & obſcuræ conditionis uliginoſa phenomena, primorum ſiderum ſplendoribus æquat; vanásque mortalium umbras, aſcitæ divinitatis illuſtrî mendaciô conſpicuas, & adorandas eſſe, quàm faſtuoſè, tam faſtidioſè, contendit; ità præſumit, altiſſimæ characterem virtutis, & ea, quæ divinæ lucis æternâ Majeſtate fulgent, cum enormî tantæ claritatis injuriâ, obſcurationêque, ac depreſſionê, veluti cognata, genuináque, mortalibus tribuere; perſuadens, eâdem præſumtionê, ipſa illa, quæ divinæ ſunt virtutis propria, tranſiviſſe jam adeò in familiaritatem humanæ conditionis; ut credi velit omninò: non tantùm, in ſortem ſupernam, hominum hæc infima, viliáque migrâſſe; ſed (commixtionê quâdam, cœleſtis, terrenæquè virtutis) ipſa jam in homines Numina deſcendiſſe. Similem per hyperbolen (nè dicam, battologiam) auguſtè nimiùm, Auguſto de Cæſare, jactitatum illud olim, â Cordubenſi fuerat; quô tamen nemo minùs, quàm Cæſar, Auguſtus ille, ſed, Rex Regum ſummus, & Auguſtorum omnium Auguſtiſſimus, etſi ſpinosô diademate, velatus magis, quàm coronatus, omnîque ſpeciê decoris, & gloriæ deſtitutus, calamô, præter animi ſententiam, officiosô, notatus, expreſſúsque fuit. Ille enim verè tunc erat; de quô (quia verè Deô-hominê) dicere non modò, citrà jactantiam poſſumus; verùm etiam veraciter, piéque debemus. *Qui omnia viderat, ex ſé unô, pendentia; qui hominibus, gentibúsque, fortunam dabat, illum diem lætiſſimus cogitabat; quô magnitudinem ſuam exueret.* *Seneca. Lib. 5. de Brevit. vitæ.*

II. Quid horum, in Servatore noſtrô non perſpicuum, &, arcanô veluti ſenſu deſcriptum, expreſſúmque cognoſcimus, & intuemur? Eô jam in cardine res Ejus volvuntur; quem jugiter in votîs ejus fuiſſe, teſtantur illa, gaudiorum plena verba: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha!* diem ſcilicet hunc Paſchalem; quô, per extremam crucis ignominiam, quidquid adhuc regiæ ſupererat, etiam apparentis tantùm, &, in ſpineâ coronâ, quàm contumelioſè, per invidiam explosæ, tam crudeliter, per odium oppreſſæ Majeſtatis, tollere penitùs, & infamare, perfidæ gentis iniquitas conjurata conſtituit. *Illum enim diem* (Auguſtiſſimus hic noſter, omnium *Rex regum, & Dominus dominantium*) *reâpſe lætiſſimus cogitabat; quô magnitudinem ſuam exueret*, medius videlicet, *Luce 22. v. 15.*

inter

inter latrones, quasi pessimîs deterior unus, in ligno crucis exspiraturus: ut sic, omnis in eô virtus, opprobriô sempiternô confixa, &, per tam infame supplicium, ex opinionê Mundi subtracta, cum oblivionê perpetuâ Crucifixi consepulta deficeret. Quantâ lætitiâ divinum cor hujus gloriæ Regis, hâc diê, propinquantê jam sententiâ mortis, exsultaverit (etsi nihil, nisi merus undequaquè dolor corporis, nominisq; contemptus, cum crucê, jamjam suscipiendâ, imineret) non unô nobis ex verbô, factôque liquet. Præluſit isti gaudio, lusus æternæ Sapientiæ, cuncta cum Patre componentis, â Sapiente decantatus, ipsiúsmet Sapientiæ verbîs: *Delectabar per singulos dies, ludens coràm eô omnî tempore; ludens in orbê terrarum; &, deliciæ meæ, esse cum filiîs hominum.* Quis enim iste lusus, adeò delicioſus, & jucundus, Deíque Filio tam optatus fuerit, Antonij Patavini revelatum ex ingeniô noscimus: *Filius ludebat coràm Patre; cùm â Discipulô tradebatur: cùm, ad columnam ligatus, flagellabatur: cùm ab Herode illudebatur: cùm spinis coronabatur: ludebat; cùm exiret, bajulans sibi Crucem.* Ut enim hæc omnia tormenta (jam inde, cùm, in mortalî carnê factus homo, dixit: *Ecce venio! DEUS meus volui!*) semper fuerunt in votîs: ità, cùm eorundem aderat jam dies, & hora suprema, quâ consummarentur omnia, non potuit, non esse, dies ille lætissimus, plenúsque deliciarum. Unde, plenus admirationê S. Augustinus exclamavit: *Quàm mirandi generis mors est! cui parùm fuit, non esse in pœnîs; nisi esset insuper in deliciîs.* Hôc sensu provocatæ sunt filiæ Sion, ad videndum Regem suum in diademate; *quô coronavit eum Mater sua, in diê desponsationis illius; &, in diê lætitiæ cordis ejus.* Dignum admirationê spectaculum! videre, Regem gloriæ, pro diadematê regni, spinîs coronatum, cruci adjudicatum, mortê damnatum, &, jam ad supplicii locum educendum; hôc ipsô tamen suæ, tam contumelioſæ Passionis, &, exuendæ totius Majestatîs, luctuosissimô diê, non secùs, ac suæ desponsationis, &, intimæ lætitiæ diê, gaudentem! Ità namquè, (judicê D. Cyrillô) *nunquàm, sputîs dedecoratus, verbîs derisus, verberibûs cæsus, &, tandem, patibulo affixus, ullô mœrore affectus fuit: sed, decentî semper ipse gaudiô plenus, illa opprobria, delicias sibi esse, putabat.*

Prov. 8. v. 30.

S. Anton. Patavin. serm. in Dom. 2. post Epiphan.

S. Augusti. Tract. 65. in Joann.

Cantic. 3. v. 11.

S. Cyrillus Alex. Lib. 14. in Joann. cap. 21.

III. Hic igitur, gloriæ Rex Augustissimus, Dominus virtutum, veraciter *diem illum lætissimus cogitabat; quô Majestatem suam exueret.* Hôc animô, cantans, in Oliveti montem exivit: *ut, animô lætô procedere se monstret ad pœnas.* Hoc in suâ præcini voluit persônâ, per

Seneca loud cit.

B. Simon. de Cassia. Lib. 13. de Pass.

Davi-

Pſalm. 39 v. 7.

Davidem: *DEUS meus, volui! & legem tuam in mediô cordis mei*: quia *Crucis patibulum*, per quod, Anathema futurus erat, *adeò amavit*; *ut illud ſibi in mediô cordis adſtrinxerit.* Hoc innuebat ipſe; quando, præſcius traditoriæ voluntatis (cum quâ, de cœnaculô, poſt buccellam ſumtam, Diſcipulus degener, ad Pontifices, in mortem turpiſſimam priùs jam inclinatos, conjuratósque diſceſſerat) vultu placidiſſimô, velut exſultans, aſſeruit: *Nunc clarificatus eſt Filius hominis*! Nec eô ſolùm locô, remotior videlicet adhuc ab ipſô ſuppliciô, *gaudet, & tripudiat* (utì S. Bernardus obſervavit) *exſultat, & lætatur, & ait*: *nunc clarificatus eſt filius hominis*; cùm ſe, *morté turpiſſimâ* condemnandum, agnovit, &, latronis inſtar, rapiendum: ſed idem omninò S. Leo, judicandum cenſuit, ac pronunciavit, de, *exeunte ad locum clarificationis ſuæ, Dominô*: Cui nullus, tam optatus, tam ex votô jucundus, *lætúsque*; quàm, quô *Majeſtatem ſuam*, per ſummam *exueret* infamiam, *dies* fuit. Nec eſt aliundè petenda tantæ lætitiæ cauſa; dum ipsîs jam Senecæ verbîs, etſi perperàm Auguſto tributîs, expreſſam tamen eandem accepimus: *Qui omnia videbat, ex ſé unô pendentia*: *qui hominibus, gentibúsque fortunam dabat*; *Inde lætiſſimum illum diem cogitabat.* Hôc enim conſiliô crucis mortem, opprobrii, & contumeliæ plenam, ùt *Calicem ſalutaris*, ambabûs complexus manibûs, avidiſſimè ſuſcepit; oſtendens: *quòd, propter amoris magnitudinem, ſic ſuaviter accedat ad mortem*; *quòd, mare Paſſionis, calix quidam eſſe videatur, in ſalutem hominum.* Nam (utì S. Baſilius inquit) *nominé calicis indicavit mortem*; *quam pro Mundi ſalutê ſuſcepit*: *ſupplicia, requiem, & refectionem animæ, & corporis* (*non dolores*) *ducens.* Ità divinorum conſcius arcanorum Apoſtolus, ipſe teſtatus eſt: quòd, *propoſitô ſibi gaudiô, ſuſtinuit crucem, confuſionê contemptâ.* Nec enim aliô gaudiô propoſitô ſalutis humanæ reparator auguſtiſſimus, generoſum illum extremæ confuſionis, per crucem tolerandæ, contemptum, adeò delíciosè ſuſcepit, & exhauſit; quàm, quia ſalutem omnium, ex ſe unô pendere, vitámque gentium, & hominum univerſorum perpetuam, ſuâ ſolius ex infamî mortê, continuò naſcituram prævidit: *Salvatoris enim gaudium, eſt ſalus noſtra.* Hinc veriſſimè: *quia omnia videbat ex ſê unô pendentia* (prout vanè, fatuéque Cæſarem ſuum extulit Seneca) *qui hominibus, gentibúsque fortunam dabat*; *illum diem lætiſſimus cogitabat*; *quô majeſtatem ſuam exueret. Notum* quippè de Servatore noſtrô: *quòd dies Paſſionis ejus, fuerit dies lætitiæ ejus, propter ſalutem noſtram*: utí, magnificè pronunciatũ ab Athanaſiô, tenemus.

Manſi. Bibl. Tom. 3 Tract. 60. Diſ. 5. n. 7. in fine.

Joann. 13. v. 31.

S. Bernard. de Cœna Domini. ſerm. 4. Sapient. 2. v. 20.

S. Leo. ſerm. 10. de Paſſ.

Seneca loco cit.

Pſalm. 22. v. 5.

Theophylact. in cap. 22. Matth.

S. Baſil. in Pſalm. 115.

Hebr. 12. v. 2.

Theodoretus in loc. cit. Hebr.

S. Athanaſ. Qu. 136. ad Antioch.

IV. Ità verò comparatus animô, quô vultu, quâ cordîs tranquillitate non tantùm, ſed, etiam alacritate, cauſæ ſuæ ſupremam ſententiam, decretoriam Præſidis, tandem inclinati, fractíque mentem, fatalem innocentiæ ſuæ condemnationem, crucísque, mortísque, per eam ſubeundæ, judicium infame, terribile, crudele, de ſuperiorî locô ſtentoriâ Præconis voce, velut in reum extremæ malitiæ, fulminatum, acceperit? quis pro dignitate myſterii, tam divini, ſatis, vel explorare cogitando, vel exponere differendo valebit? Contremiſco, dum feralis duntaxat lictui, prænunciæquè buccinæ lethalem cogito ſonum. Rigorê totus præſtringor, &, horrorê gelidô, per omnia membra diffuſô, vix, ut exaratæ ſententiæ diſcernam verba, meîs poſſum ab oculîs (diſcreta verò, diſtinctáque ut legâ, haud valeo â linguâ) demùm, ut lecta proferam, ac palàm enunciem, ægerrimè tantum â labiîs impetrare queo meîs, ac voce. Heu! quis audire ſuſtinebit; quæ, totâ perverſus mente, Pilatus, contrà ſuam conſcientiam, ex Prætoriô promulganda tradidit? *JEſum Nazarenum, ſubverſorem gentis, contemptorem Cæſaris, & falſum Meſſiam (ùt Majorum ſuæ gentis teſtimoniô probatum eſt) educite ad communis ſupplicii locum; &, cum ludibriô regiæ majeſtatis, in mediô duorum latronum cruci affigite. I lictor, expedi cruces!* Audiviſtis blasphemias, tot, quot voces? totidémque ſæviſſimas punctúras devotîs in cordibûs, quot apices excepiſtis, accepiſtis? Quid vobis videtur? Sic *Pilatus adjudicavit fieri petitionem illorum: JEſum verò tradidit voluntati eorum. Et, duxerunt eum; ut crucifigerent. Et, bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum.* O! quàm ex animô proſequerer, Domine, tuam, in exceptâ ſententiâ mortis, lætitiam? in crucis infamiâ ſuſceptâ, gloriam? in ponderis immenſi truncô, debiles in humeros receptô, tolerantiam, æquanimitatem, exſultationem? Nec enim aliud intueor in hôc myſteriô; quàm, quod vidit & extulit S. Auguſtinus: *Grande ſpectaculum!* Et, *quod manifeſtabatur fidelibus* (S. Leonê, cenſorê,) *grande myſterium! Quia glorioſus Diaboli victor, pulchrâ ſpeciê, triumphi ſui portabat trophæum.* In quô (prout agnitum, aſſertúmque fuit abs Athanaſio) *cùm crucem poſſidet, jam Domini deſiderium adimpletur.* Sed, ab argumentô tam piô, quàm dulcî, corruptio Prætorii, perverſitas Præſidis, iniquitas demùm enormis, adversùs innocentiam tuam, atrociſſimæ pronunciatæ ſententiæ, me, ſeveriſſimam in exprobrationem deſtringunt.

Luc. 23. v. 24. 25. Matth. 27. v. 31. Joann. 19. v. 17.

S. Auguſt. Tract. 117. in Joann.

S. Leo. ſerm. 8. de Paſſione.

S. Athanaſ. ſerm. de Paſſione.

Chriſtianus Adrichomius in deſcript. Ferosolymæ.

V. Itanè, Pilate, tua te conſcientia deſeruit? Itáne Cæſaris in-

ingeſta memoria, juris omnis agnitionem eripuit? Itáne metus ab hominibûs injectus, omnem divinitatis timorem ejecit, exegit, excuſſit, exterminavit ab animô tuô? ut vicariam Dei poteſtatem, in ipſius DEI convertas injuriam; ſummámque Juſtitiam, per ſummam injuſtitiam, jurê muneris depravatô perſequaris, condemnes, in crucem agas, & extinctam, & perditam, non velis tantùm, ſed agas? Ideóne lavîſti manus, ut
S Leo ſerm. 8. de Paſſione. iñocens quidem videreris; nocentior autem exinde, per mortis decretum, ablutîs jam digitîs, iniquiùs exaratum, reddereris? Exaggeratur enim, cùm pravitatis agnitionê, tum arbitrii deliberationê gravata, quælibet æquitatis corruptio: nec ullô ſe poteſt obtentu ſubtrahere judex obtrectationis opprobrio, ſuíque judicii criminali cenſuræ; qui ſuæ linguam trutinæ, contrà juſtum cauſæ pondus, ab æquamentô, prudens, volens, ipſéque, protervè depreſſiſſe, propriô convincitur ex ore. Nemo non ità, judicem Te, reprobrum, præjudiciîs plurimîs aggravatum judicat, & iniquiſſimi judicii condemnat. Magnô Juſtinianô, Venetorum Patriarchâ, judicê, *pueriliter agens, coràm populô, aquâ acceptâ lavit manus ſuas Pilatus: tanquàm, ſi, per ablutiones corporis, ſordes tergerentur*
S. Laurent. Juſtinian. de triumph. Chriſti agone c. 15.

animarum. Fefellit autem illum ſtulta opinio. Non eſt corporalium maculârum punitor DEUS; ſed, de interiorî ſtatu hominem judicat. Lavamini, inquit, per Prophetam; mundi eſtote; auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculîs meîs. Quieſcite, agere perverſè: diſcite benefacere; quærite judicium; ſubvenite oppreſſo; judicate pupillo; defendite viduam. Hæc tui muneris eſſe, tua, licèt aliena â Prophetîs, ipſa tamen ratio naturalis, & character poteſtatis, improperare tibi debuêre, increpando: Noviſti, reum non eſſe: quia, palàm, innocentem dixiſti. Quânam igitur legê, furori plebis, abſolvendum tradidiſti? Potuiſti dimittere: ſic enim faſſus, & affatus es: *Neſcis, quia poteſtatem habeo, crucifigere te? &, poteſtatem habeo, dimittere te?* Quônam ergo jure, tyrannidis â contaminatione vindicare te poteris? aut, ejus inquinationem, intimis præcordiis inhærentem, eluere? Non te dimittit Auguſtinus, arctiſſimè, more ſuô, conſtringens; &, acutiſſimè, ſtylô ſuô compungens: *Manus tuæ ſanguiné plenæ ſunt. Quamvis enim abſtergere, ſe putaverit Juſti ſanguinem de membrîs ſuîs; eôdem tamen ſanguinê mens ejus tenetur infecta. Judex enim bonus, & conſtans (nè ſanguinem innocentis addiceret) nec invidiæ cedere debuit, nec timori.* Sic tuam quoquè percutit Euthymius, velut æquitatis omnî ſenſu

Iſaiæ 1. v. 15. *Joann. 19. v. 10.* *S. Auguſt. ſerm. 118. de Temp.*

Euthymius cap. 7. Matth.

vacuam, conſcientiam: *Oportuit* enim te, *fortiùs, morê judicis, reſiſtere; nec, injuſtis aſſentire; aut, eum perdere; qui ab ipſomet tê, teſtimonium acceperat: quòd mortis noxâ carebat.* Audi ſententiam ferientem: *Pilatus ſtatim, ùt audivit, ignaviter timuit; &, indiſcuſſam relinquens accuſationem, perſuaſus eſt, & perculſus. Quantò enim duriores, & audaciores erant Judæi; tantò ille mollior erat, ac timidior.* Quid in hîs veri, rectique, &, immunis â vindice, ſeverôque judiciô, judicis eſt? Mordaciùs autem hanc tuam, iniquiſſimam æquitatis corruptionem, Leo Romanus apprehendit, & exagitat, objurgans: *Nec in accuſatô reperiſſe culpam; nec in ſententiâ ſuâ tenuiſſe conſtantiam, docet ipſa cognitio; in quâ judex, quem innocentem pronunciat, damnat; addicens iniquo populo ſanguinem juſti; â quô abſtinendum ſibi, & intellectu propriô ſenſerat, & ſomnô uxoris noverat. Nec purgant contaminatum animum manus lotæ; nec in aſperſis aquâ digitis expiatur; quod famulantê impiâ mentê committitur.*

S. Leo ſerm. 8. de Paſſione.

VI. Adeò nimirùm caligant, & excæcantur penitùs etiam, oculi terreſtris juſtitiæ; cùm, non publicæ, ſed, privatæ videdetur utilitatis intereſſe, juſtiſſimæ quamvìs cauſæ perſecutio, ſanctiſſimæquè, cùm innocentiæ, tum virtutis, totiúsque juris, & æqui, jam obſtinata corruptio; quæ ſanè, vel ipsô Cacodæmone, deterior iniquitas, omnî procul injuriâ, videtur. Nec enim ille, vocatus in conſilium, ſuô firmâſſet unquàm aſſenſu: tolli morte crucis virtutem illam; quæ tam patentibûs divinitatis indiciîs, perſuadere debebat: non alium, quàm, generis humani Servatorem, longîsque promiſſum oraculîs Meſſiam, in ſalutem, & regenerationem Orbis totius occiſum iri. Conſtans enim Patrum plurium antiquorum, Antiocheno S. Martyri, Ignatio conſentiens, arbitrium fuit: quòd, *cùm paranda eſſet Crux, Diabolus tumultuabatur: &, pœnitentiam immittit proditori; &, mulierculam turbans in ſomnis, ut â crucifixioné ceſſarent, inducere moliebatur; quia ſuam ipſius perniciem ſentiebat.* Adeò ſuam in utilitatem oculatior, ipſe ſpiritus tenebrarum, iîs omnibûs fuiſſe cognoſcitur; quorum providentiæ, totius publicæ rei ſalus commiſſa fuerat. Se namquè, ſuô cum regnô, periturum ille, perditâ, &, in crucem actâ Juſtitiâ, certò cognovit; ideóque, nihil non, ut everteret malè cœpta, commovit: Illi verò, ſuam in perniciem excæcati, quam ſperaverant, æquitate læsâ, preſsâ, perditâque, ſibimet ipſis infeſti, perdiderunt, & crucifixerunt ſalutem, non privatam ſolùm, ſed communem omni-

S. Bernard ſerm. 1. in Paſchate.
S. Cyprian ſerm. de Paſſ.
S. Ignatius M. Epiſt. ad Polycarp.

Ferus, in cap. 11. Joann.

omnium. Nam (ùt acutè Ferus notavit) *aderant Judæis*, (nec minùs Pilato) *duo peſſimi Conſultores; qui eos ad tantum flagitium exſtimulabant; Ambitio, & Avaritia. Timebant enim, & quæſtum, & gloriam, ſibi peritura.* Ille, convicit Scribas, & Phariſæos, & Seniores, ac Optimates populi: *gloria*, ſummos Sacerdotes, atquè Pontifices: ſimul verò, cum quæſtu, gloria, Pilatum, omnî primùm judiciô, tum, & æquitatis, & judicis officiô, (peſſimi ſanè Conſultores) deſtituerunt; tandem & proſtituerunt; &, extremam in miſeriam, crucémque coëgerunt.

VII. Aliud conſilium, ſi veterî cum legê vocatus adfuiſſet, Joſaphat, Juda Rex, illud nimirum, inconſultis ingerendo ſuggeſſiſſet; quod conſtitutis â ſê judicibus, æquitatis obſervandæ zelô flagrantiſſimus, olim præſcripſerat: *Videte; quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium; ſed Domini: &, quodcúnque judicaveritis, in vos redundabit.* Nec Romanus Orator, ſi forſan conſultus interfuiſſet, ſuo, fidelis admonitor, officio defuiſſet, illud audacter objecturus: *Eſt ſapientis judicis; meminiſſe ſe, hominem: cogitare: ſibi tantum eſſe permiſſum; quantum commiſſum ſit, & creditum: &, non ſolùm ſibi ſoli poteſtatem eſſe datam; verùm etiam fidem habitam eſſe, meminiſſe; poſſe, quem oderit, abſolvere; quem non oderit, condemnare; & ſemper, non, quæ velit ipſe; ſed, quid lex, & religio cogat, cogitare. Tum illud eſt hominis magni, atquè ſapientis: habere in conſilio, legem, fidem, religionem, æquitatem: libidinem autem, & invidiam, metum, cupiditates omnes, amovere: maximi æſtimare conſcientiam mentis ſuæ; quam à Diîs immortalibûs accepimus; quæ â nobis avelli non poteſt.* Obſtitiſſent prolatæ contrà conſcientiam, adversùs innocentem, ferali ſententiæ, Marcellinus, & Caſſiodorus, invocatô Mundi totius, &, æquitatis æternæ judiciô, contrà judicem, indignum auræ vitalis uſu, reúmque, non temporaneæ ſolùm, ſed mortis æternæ; qui velle ſuum, terroribûs iniquorum, deflecti paſſus, innocentiam, quam tueri pro munerê ſuô debuit, ſecùs, quàm voluit, ac valuit, ream fecit, & cruci addixit. Nam, *de vitâ, & ſpiritu hominis (qui pars Mundi eſt, & animantium numerum complet) laturum ſententiam, diù, multúnque, cunctari oportet; nec præcipitî ſtudiô, ubi irrevocabile factum eſt, agitari. Alia ſententia poteſt corrigi: de vitâ tranſactum, non patitur immutari.*

2 Paralip. 19. v. 6.

Cicero, pro A. Cluentio.

Ammianus Marcellinus. lib. 29.

Caſſiodor. L. 7. Ep. 6.

VIII. Nè quicquam verò tam hæc, quàm alia quævis, undè undè, præcipitato jam animo ſuggeſta, profutura fuiſſent, ſeu conſilia, ſeu monita, ſeu terriculamenta: niſi fòrs terribililis ille ſpiritus, cujus illuſionê no-

S. Athanaſ. in Evang. de Cruce, & Paſſ. Domini. V. Beda in Cap. 27. Matth.

cturnâ perculſa mulier, â Juſti perſecutionê, maritum avertere, per ſui commiſerationem non valuit, Præſidem ipſum, non umbrosîs tantùm exagitatæ mentis horroribûs objectîs, in ſuæ nequiſſimæ voluntatis conſenſum pertrahere; ſed, inflictîs etiam flagrîs, atquè verberibûs, excuſsîsque, cum relictô gravî ſenſu, vibicibûs, â ſanguinariæ crudelitatis iniquitate deterrere ipſe contendiſſet. Sic enim (Angelicâ quidem caſtigationê correptum) reſipuiſſe novimus, omnî ſtudiô, quô vanè, priùs, Platoni, Ciceronique ſervierat, ad Evangelii ſacra dogmata, ſolertiùs expendenda, converſum, Palæſtinæ ſolitudinis Patriarcham ſanctum. Sic, & Africanâ liber è ſervitute diſcedere permiſſus eſt, voluntarius charitatis exul, captivúsque, S. Paulinus: poſtquàm Regi, nocturnô terrore ſpectabilis, duos inter judices medius, flagellum de manibûs, &, cum eô, vindicem extorquere poteſtatem dormienti viſus eſt. Ità Thaumaturgus etiam ille, Myrenſium Præſul, mortalis adhuc, &, carnê circumdatus, Imperatori ſopito terrificus (etſi multîs itineribûs inde diſſitus) objecit ſe, fecitque: tres ut nobiles, egregiâ virtute milites, quos, per calumniam, iniquè delatos, iniquiùs condemnatos, decretum jam ſupplicium, poſterô diê, capitê multandos, expectaverat, non infamî tantùm ergaſtulô, ſed, mortis etiam diſcrimine penitùs abſoluti, dimiſsíque fuerint, incuſsâ, non tam auribus, quàm, animo ſomniantis Cæſaris, comminationê formidabilî: *Surge, Imperator! ſurge, & libera è carcere, Nepotianum, Urſum, & Herpilionem; qui falſè ſunt accuſati, &, injuſtè ad mortem condemnati. Ni feceris: DEI locô tibi denuncio terribile bellum: &, non ſolùm exercitui tuo internecionem; ſed, & Imperii amiſſionem.*

Metaphraſt. apud Sur: in vitâ S. Nicolai.

Rosweid. in vita S. Hieronymi.

IX. Actum autem (etiam hîſce terroribûs) nihil omninò, vel ab ipſô Dæmone peſſimô fuiſſet, in eâ tempeſtate, procelláque furoris iniquiſſimi; per quam cunctis Jeroſolymæ tribunalibus, in transverſum actis, fidelis arbitrii clavus, & recti facultas omnis erepta jam, excuſsáque fuerat; ac, inſtar vorticis turbulenti, cùm ſacri, tum profani, juſtitiæ Præſides, judiciô deſtituti, vertiginem in pertinacem, & obſtinatam pereundi voluntatem circumacti perierant. Oraculî nimirum, fallere non potuit, nec falli, veritas æterna; quam Rex vates præcinuit, ſpiritu divinô ſuggerente: *Captabunt in animam Juſti; &, ſanguinem innocentem condemnabunt*, noſtræ ſcilicèt ſalutis causâ; quam, continuò ſubjectîs verbîs, expreſſit ſacer Pſaltes, exſultans inde: *Factus eſt mihi*

Breviar. Rom. 22. Junii in Lect.

Pſalm. 93. v. 21.

Domi-

Ibid. v. 22. *Dominus in refugium, & DEUS meus, in adjutorium ſpei meæ.* Hîs autem iniquiſſimi judicii conſiliîs, optimè quidem conſultum eſt nobis; peſſimè verò tibi, O bone JESU! dum, ùt conſuleres nobis, tuum in caput, malignantium conjurata concilia, æternô conſiliô ſuſtinuiſti. Hoc nimirum habes, ex illô tuô, ergà nos, infinitæ dilectionis affectu! Sed, cur ità nos, tui velut immemor, amâſti? Cur Servator noſter, tantô tuô periculô, fieri decreviſti? Cur noſtras omnium, vulneratas, conclamatásque cauſas, tuas eſſe voluiſti? Cur maleficorum, quos æterna ſupplicia manebant, patrocinium, innocuâ tuâ, cum ſanguine, vitâ, pro nobîs obligatâ, miſericors Fidejuſſor ſuſcepiſti? Cur demùm pro tuîsmet offenſoribûs, ad juſtitiæ ſupernæ tribunal, Patrem placaturus, Advocatus ipſe noſter ſtare, pro nobîs allegare, nósque, moriturus pro nobîs, ab æternâ vindicare, mortê conſtituiſti? Quid enim hoc? amantiſſime Servator! Tu judicaris, ſanctus ſanctorum: & ego, gravatus cumulô peccatorum, judicio ſubducor? Tu condemnaris, Innocens declaratus: & ego, coràm Angelîs, & hominibûs, innumerîs de flagitiîs diffamatus, meritîs â pœnîs abſolvor? Tu ſaucios in humeros fatale lignum ſupplicii tui tollere, portaréque juberis in montem: & ego, meorum ponderê criminum ſublevatus, filiorum DEI gaudere ſortê jubeor; & uti, non modò libertate, ſed, etiam dulcî quietê? Heu me! dolor, & amor, in fibrîs intimîs colliſi, totô propè ſenſu me deſtituunt! Ah! quàm dulce mihi foret! non, colliqueſcere, vel, diffluere ſolùm, geminos per oculos, omnem cordis vigorê; ſed, in deliquiô tam dulcî, quidquid vitalem in mê ſpiritum fovet, totâ ſimul exſpirare cum vitâ? Quid video? quid audio? Fragor inſonat feralis fabricæ; feriunt aures incuſſi clavi; crux attollitur, infamis inſtrumentum ſupplicii; ſtrepit lugubris tubæ clangor; jam populum in utrámque partem lictor diſpellit; aperitur triſti progreſſui via; ſuccinctîs adſunt brachiîs horrendi carnifices; inſtruitur Præambulonum ordo terrificus; equites, peditésque, contra tumultum plebis armati, ſuccedunt; immanî ponderê patibuli gravatus, &, tantùm non expreſsô jam debilis vitæ ſpiritu, depreſſus, oppreſsúsque ſequitur, JESUS meus! Recedite truculenti miniſtri tam crudelis injuſtitiæ! ſinite! (quod unum aveo) noviſſimîs ut verbîs extremum Servatori meo, ſed, orê ad os, vale dicam: *Quid enim commiſiſti, dulciſſime JESU! ut ſic judicareris? quod ſcelus tuum? quæ noxa tua? quæ cauſa mortis? quæ occaſio tuæ*

S. Bernard. Ferid 5. major. hebdom. Medit. c. 7.

tuæ damnationis? Ego enim (ah! abripite ſcelus hoc in cruciatus extremos!) *Ego enim ſum tui plagæ doloris; tuæ culpa occiſionis! O ineffabilis myſterii diſpoſitio! Peccat iniquus; & condemnatur Juſtus: delinquit reus, & vapulat Innocens: offendit impius; & damnatur Pius: quod meretur malus, patitur Bonus: quod perpetrat ſervus, exſolvit Dominus: quod committit homuncio, ſuſtinet DEUS!* Ah! Domine! tranſeat in me judicium tuum! ego ſum, qui peccavi. Veniat ſuper me ſupplicium tuum! ego ſum, qui malè egi. Trajice, de tuîs, meos in humeros, crucem tuam! ego ſum, qui iniquitatem feci, nullâ, niſi tuâ duntaxat, expiandam crucê.

X. Sed, quid hoc monſtri? quod rursùm offendit, & in intima, non modò deſcendit, ſed, acutiſſimâ transfixionê, mentem omnem officiô propè ſuô deſtituit? Non me fallit, inconſultæ pietatis temeraria quædam, illuſoriáque perſuaſio, privatô tantùm arbitriô, tum, judicis iniqui peccantes exceſſus, tum, juſti Servatoris exaggeratos dolores inſimulans. Cum Taulero, Richelius ecſtaticus, idem prorsùs, unà mecum, ab Judicê, ſuô non munerê tantùm, ſed nominê quoquè, non dignô, ſeu conſtitutum, ſeu permiſſum, diſſimulatúmque queruntur; quod omnem juſtitiam, & univerſam judicandi legem, non offendit ſolùm, ſed, infamat, & profligat. *Ad majus dedecus, & ignominiam, medium, inter duos latrones, eum deduxerunt; multóque ampliùs, quàm ipſos, contempſerunt: dum ſuam, eum, compellerent ferre crucem; quod de latronibus nunquàm memoriâ proditum eſt.* Taulerus, in Paſſion. cap. 29. Dionyſ. Carthuſian. in Joann.

Inde Carthuſianus exclamavit: *Conſideremus* malignitatem *Judæorum! quorum machinationé, milites Præſidis, poſuerunt lignum crucis ſuper collum Chriſti: quod non fecerunt latronibus, cum eô, eductis.* Unde tanta, latrones inter, & omnis Boni largitorem, in ipsô ſupplicii modô differentia, cum injuriâ tam enormî? Si legê Romanâ definitum eſt: *ultimò affligendus ſupplicio, corporé ſubô propriam fert crucem?* Quâ juris regulâ? quâ liberæ diſcretionis indulgentiâ, ab eo, qui vacuus omnis culpæ, plenus autem eſt vulnere, ac dolore, ſtrictiorî ſeveritate litera legis exigitur; quàm, ab iîs, qui vacui dolorum, iniquitate verò pleni, per infamia latrocinia meritam ſibi crucem accerſiverunt? *Judex regulæ juris inhærere debet; ubi diſertè, de exceptionê, non docetur: adeò; ut, exceptionê non probatâ, ſeu, in jure, non exiſtentê, ſi contrà legem judicaverit, litem ſuam feciſſe dicatur.* Plutarchus, Libro, de ſeri nimis vindicta. Juſtus Lipſius. Lib. 2. de Cruce. cap. 5. Bald. ad l. 2. n. 2. & 6. Octav. Cacheran. Deciſ Pedemont. 12. num. 2.

Latrones id ſupplicii pro malè factis, judiciô ſuômet, commeriti, nec adhuc ſævi quicquam paſſi, viribûs integri, legalî ſublevantur onerê (nè duplex fieret illis

illis â Cruce tormentum, priùs, per eam fatigandis, quàm, in eâ figendis.) Thaumaturgus autem totius judææ Salvator, ad regale ſolium optatus â populo, membrîs jam omnibûs attritus, plagîs undequaquè ſaucius, ùt cruore, ſic viribûs cunctîs exhauſtus, tantùm non, ſub molê vulnerum, ac dolorum intolerabilî, ſingulos ad paſſus fatiſcens, nec ſuîs, niſi virtus divina robur ſufficeret, oſſibus, & exulceratæ cuti, ferendis par, diſpenſationis omnis expers, jubetur, urgetúrque, per judices, & carnifices, inſtrumentum ſui portare ſupplicii! Proh! injuriam inexplicabilem! inæqualitatem intolerabilem! iniquitatem inexpiabilem!

XI. Non licet autem huic, animi mei, quàm devotæ, tam juſtæ commotioni (Pilatum, Pontifices, Optimatésque, cum Senioribus Jeroſolymæ, divinô coràm tribunalî, reos æterni judicii criminanti) diutiùs indulgere. Communem, cum iniquiſſimè judicatâ, Chriſti Servatoris innocentiâ, miſerorum omnium, â Tribunalibûs hujus Mundi perverſîs, corruptîſque Judicibûs, per omnes modos, ac deformiſſimas, diſtorti, pravíque judicii ſpecies afflictorum, dejectorum, excluſorum, ſuppreſſorum, prægravatorum, oppreſſorum, ſpoliatorum, imò, excoriatorum, ipſâque, cùm oſſium intimâ medullâ, tum, quæ ſupererat exigua, tenuis adhuc vitæ uſurâ, tyrannicè privatorum cauſam, oris aurei ſui liberrimâ, nec ullius jam odio judicis obnoxiâ facundiâ, ſupremi, divinique Tribunalis æquiſſimo judicio ſubjecturus, adeſt, Actor imperterritus, idem ille (quem juſta Viduæ, injuſtè oppreſſæ, cauſa, contrà potentem perſecutionem aſſerta, glorioſum olim exulem fecit) S. Joannes Chryſoſtomus: qui, miſsîs ambagibûs, quantò remotior jam, ab impotentium fremitu, reorúmque, quos premet, ægrîs furoribûs (nihil, adverſûs ejus felicitatem, ſuprà telum omne nunc, ictúmque poſitam, profecturîs) in DEO gaudet, agítque ſecurus; tantò liberiorî perſtringendum criminationê ſuscepit in ſe, periculoſam aliàs, ùt odioſam, Actionem, *de malè judicatô*, contrà Judices; quos, dum ex muneris poteſtate plerique timent, cordatus adeò vix ullus eſt; ut accuſare, ut objurgare, ut judicare, ut condemnare præſumat: etſi tribunalibûs ab humanîs, Actio nominata (*de malè judicatô*) non tantùm non proſcripta, ſed, etiam præſcripta ſit; *quâ meritò judicantium*, (Oldendorpiô Diffinitore) *temeritas reprimenda fuit: quô modô, nullum in rê publicâ genus hominum perniciosiùs nocere poteſt; quàm, Judices: ſi concreditâ ſibi poteſtate abutantur.* Jam igitur,

Breviar. Roman. in Lect. 2. Noct. 17. Januarii.

Oldendorpius, de Actione: de malè judicatô. Item. L. ultimâ ff. de extraordin. cogn. juſt. de oblig. quæ quaſi ex del. naſc. §. ult.

tur, dum os aureum aperitur, ori digitum impono.

XII. Cùm tua Providentia, ſapientiſſime juxtà, ac æquiſſime DEUS! ità de rebûs humanîs conſtituerit: ut, quod quisquè noſtrûm, quituô jam aſpectu beati ſumus, adhuc mortalis, in. ſuæ felicitatis, ac votorum, ſtudiórumque partê cenſuit, id inter cœlites nobis, velut acceſſio primariæ, quam in tuâ Bonitatê poſſidemus, Beatitatis, non tantùm non deſit; ſed, velut auctarium ſatietatis, tuâ de gloriâ jugiter affluentis, inſuper accedat. Hinc, prout olim, illa mihi curarum, prima ſemper, &, una propemodùm, in deliciis fuit; quâ miſerorum cauſis, ùt afflictis, ità, & inſuper habitis, patrocinium aliquod â mê (qui *nihil, niſi peccatum, timui*) quô quô potuit oris mei miniſteriô conferri: ſic etiamnùm vehementer perurgeri me ſenſi, dulcedinê quâdam, ex miſerorum votîs, ægrîsque ſuſpiriîs, (quas de cordibûs eorum iniquitas judiciorum expreſſit) ad me, per te, conversîs, excitatus, non tam. ad indignationem, quàm, ad juſtam Actionem, pro illîs; quibus, adversùs iniqua Judicum judicia, nemo facilè mortalium, (quos authoritas illorum præſtringit, & metu perterritos, obmuteſcere facit) pro juris æquitate, vel Cauſidicus, vel Patronus, vel Advocatus audet aſſiſtere. *Ego* verò *repletus ſum fortitudinê ſpiritûs Domini: ut annunciem Jacob ſcelus ſuum; & Iſraël peccatum ſuum. Cauſam viduæ non judicaverunt: cauſam pupilli non direxerunt: &, judicium pauperum non judicaverunt.* Non eſt judex! non eſt judicium! non eſt juſtitia ſuper terram! Non eſt judex! nam, *tamdiù judex dicitur, quàm diù juſtus putatur: quia nomen, quod ab æquitate ſumitur, per ſuperbiam non tenetur.* Non eſt judicium! quia, *in judiciîs non debet eſſe acceptio perſonarum*: &, **judicare dignè de ſubditîs nequeunt; qui in ſubditorum cauſîs, vel odium, vel gratiam ſequuntur.* Denique, non eſt juſtitia! ** *Juſtitia*, namquè, *magis aliis, quàm ſibi prodeſt; &, utilitates ſuas negligit, communia emolumenta præponens.* *Regula* demùm *juſtitiæ manifeſta eſt: quòd, á vero non deceat declinare bonum virum; nec damnô afficere quemquam; nec aliquid, dolô, adjicere rei ſuæ.*

Michææ 3. v. 9. Jerem. 5. v. 28.

*Caſſiodor. Lib. 8. Var. Epiſt. 17. Cap. novit. 13. de judic. Et cap. in judic. 13. de R. I. in 6. * S. Gregor. Lib. 19. moral. ** S. Ambroſius Lib. de Parad. Idem. Lib. 1. de Offic.*

XIII. Non eſt igitur inanis inſtar fulguris, ad ſolum terrorem, pavorémque coruſcantis, conſideranda illa, quæ coronatum per Vatem eſt facta, Divina comminatio; quâ, non homicidis, non latronibus, non mœchis, non fornicariis, aut, aliâ quâvis iniquitate peſſimâ contaminatis, indeclinabile judicium extremæ ſeveritatis indictum; ſed, ipſi juſtitiæ, velut injuſtitiæ, comprehenſæ, quæ nullius in terrâ judicis,

Laur. Valla. lib. 4. cit. á Cornelio á Lapide. in 1. Joann. 2. v. 1. col. 1. C.

vel

vel judicio delata, vel æquitatê diſcuſſa, vel ſententiâ, quâ par erat, condemnata fuit hâctenùs, terrificâ prædictum eſt veritatê: *Pſalm. 74. v. 3.* *Cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo.* Nihil enim adeò diſtrictum DEI Judicium, ùt, quæ cenſetur inter homines, cenſens omnia, *juſtitia humana*, formidandum habet: utpotè, *quæ ad examen juſtitiæ divinæ deducta, injuſtitia eſt.* Non poſſum, etſi procul ſim ab omni dolore, perverſitatis tamen hujus abominabilis intuitu, non exclamare cum Sanctô tuô. *Pſalm. 73. v. 3. & 7.* *Quanta malignatus eſt inimicus in ſanctô! Polluerunt tabernaculum nominis tui*, juſtitiæ nominê, authoritatê, poteſtatê, nequiſſimam injuſtitiam exercentes. *Iſaiæ 10. v. 1. & ſeqq.* *Væ! qui condunt leges iniquas; & ſcribentes, injuſtitiam ſcripſerunt: ut opprimerent, in judiciô, pauperes; &, vim facerent cauſæ humilium: ut eſſent viduæ, præda eorum; &, pupillos diriperent. Quid facietis in diê viſitationis? Ad cujus confugietis auxilium:* cùm, acceptô jam tempore, veſtras juſtitias, ùt manifeſtas injuſtitias, æquitas æterna, divináque juſtitia judicabit? Qualis enim eſt illa juſtitia judicanda? quæ, non tantùm oculîs, in omnem partem intentîs, ac diſtortîs, homines magìs ab hominibûs, quàm, cauſam diſcernit â cauſa? ſed, ùt quidam ingemuit, *ſpecillîs mali affectûs, cauſam intuetur*: &, aliam quidem, quam cognatio ſanguinis affert, per, imbuta rubicundô colore, conſpicilia; aliam autem, quam injuriæ veteris ater aliquis rancor inquinavit, nigerrimô vitrô deſpicit, itáque vitiatam condemnat? Quid, intam pravâ diſcretionê non monſtroſum; &, cum horrendâ juſtitiæ depravatæ fraudê non eſt conjunctum?

S. Gregor. Lib. 5. Moral.

Oleaſter, in Exod.

XIV. Veræ, ſacræque juſtitiæ vultus, flammeolô velatus olim ſemper, & obſervatus, & religiosè cultus eſt: quia *juſtitia non novit Patrem; non novit Matrem; Veritatem novit; perſonam non accipit: DEUM imitatur.* Et (utì quondam egregiê definitum erat â Philone:) *Hoc judici præcipitur: ut cauſas partium examinet, antè judicium ſemotô, in totum, reſpectu perſonarum: ſive ſint cives, amici, domeſtici: ſive, è contrà inimici, alieni, exteri: nè qua, vel benevolentia, vel odium, cognitionem impediant.* Ad hæc: ubi de cauſæ ſummâ, deliberatîs in utrámque partem ejus momentîs, pronunciandum ex æquitate juſtitiæ ſuerat; non illud olim, niſi latens, &, ſub cortinâ, diſcernebat vera juſtitia. Quìn, totô vertice nubibus inſertô, proponi Juſtitiam vidi: ut, ex hâc imagine, de rebûs humanîs dicturi ſententiam, intelligerent: ab excelſô conſilium omne petendum: ibíque figendum eſſe mentis arbitrium, inferiora judicantis; ubi nihil eorum, quæ circumſtant, intervenit;

Caſſiodor. in Pſalmos.

Philo de judice.

Cœlius Rhodiginus Lib. 31.

nit; quô, vel inflecti contrà, quàm exigit æquitas, vel elevari, cum injuriâ, cauſarum diſcuſſio queat. Quis verò perſuadere ſibi poterit: illam eſſe Juſtitiæ formam? quæ nequè Codicem, Legúmque librum exhibet apertum in ſinu; nequè bilancem, æquîs ponderibûs firmatam ex manu demonſtrat: ſed ſolum enſem, & vindicem evaginati gladii poteſtatem, terrendis humilioribus (qui ſe nequeunt, ſeu, per vires, cenſuræ ſubtrahere, ſeu, per facultates, â vindictâ redimere) fulgorê comminatur horribilî? Thebanis manca fuit, in venerationê, juſtitia; quæ hâc formâ, cuiquè ſuum tribuere, duntaxat poſſe, videbatur: ad accipiendum autem quicquam, vel ullius, vel, ab ullô, manu prorſus carere ſiniſtrâ, grandî ſolatiô partium, juſtæquè cauſæ fiduciâ, docebatur. Nam, *ubi venalis, & mercenarius dator eſt; ibi, neceſſe eſt, gratiam, pro magnitudine muneris, tribui; &, eò inclinare ſuffragium; unde ad eum, qui præſtat, mercedis plùs, & corruptionis affluxerat.*

Arnobius. Lib. 7. adversùs gentes.

XV. Proh! quale monſtrum in terrîs (quæ tuæ, æquiſſime DEUS! ùt eſt vicaria poteſtatis, ità deberet eſſe forma virtutis) corrupta per homines, juſtitiæ nunc eſt imago? Habuit illa diſtrictum ſemper acinacem in manu; ſed, ad vindicandas utriúsque fori, ſacras, civilésque leges; ad exſcindendos boni publici corruptores; ad abſcindenda, fidei, morúmque chriſtianorum ſcandala; ad privatorum deniquè, quos inſolens potentiorum violentia, virium expertes, inermésque perſequitur, aſſerenda, tuendáque jura. Bilancem, alterâ manu ſuſpenſam, æquîs libramentîs (nullô nimirum affectûs privati præjudiciô, ſed ſolîs cauſarum, legúmque momentîs, expendendam) oſtentavit. Hæc genuina juſtitiæ ſpecies eſt: ubi verò nihil ejus eſt; ibi non juſtitiæ ſimulacrum, ſed mendacium, ſed opprobrium, ſed larva quædã infamis, &, execrabilis impoſtura Juſtitiæ ſe ſubornat; quæ præter nominis majeſtatem, & arrogati rigoris tyrannicam auſteritatem (â veritate judicialis poteſtatis omnî legê proſcriptam) nihil habet, vel judicii proprium, vel judicis: nullam ſcilicet providentiam, in oculîs; vigilantiam nullam, in curîs; nullam, in deliberationê, maturitatem; nullam, in affectibûs æquanimitatem; nullam, adverſùs miſeros, imbelles, egenos, ac deſertos, in mente charitatem; nequè divini judicii timorem, in conſcientiâ; nequè legum congruam, in intellectu, notitiam; nequè publici boni ſincerum, in muneris adminiſtrationê, propoſitum; nequè debitam,

tam, pro cauſarum, & litium actuosâ diſcuſſionê, prudentîque reſolutionê ſolertiam: dum, per inertiam, litigantium actiones cumulantur, nec diſpiciuntur; ſed, urgentibûs licèt, atquè lugentibûs partibûs, indefinitæ pendere ſinuntur: tenuiorum querelæ, nec admittuntur ad aures; nec ſubjiciuntur examini: potentiorum, adverſûs imbelles, palmares inſolentiæ, cum palmâ dimittuntur: cognatorum acta, non ex legê, ſed, affectu judicantur; non jure, ſed, favore decernuntur: ubi vis auri nequiſſimis eſt conjuncta flagitiis, æqua ſunt omnia, etiam iniquiſſima: cùm verò nihil, præter ſe metipſum, quod obtendere calumniæ poſſit, adfert innocuus; properatâ, velit, nolit, reus cogitur eſſe, ſententiâ. Quô, nunquid verè videtur, *officium officialium eſſe hodiè: jura confundere; lites ſuſcitare, tranſactiones reſcindere; dilationem innectere; ſupprimere veritatem; fovere mendacium; quæſtum ſequi; æquitatem vendere?*

Petrus Bleſenſis. cit. à Langio. V. Juſtitia. fol. 1501. col. 1. in fine.

XVI. An hoc autem judicis eſt? an juſtitiæ? an judicij? *Judices terræ ſunt*, Auguſtinô definientê, *orphanorum Patres, viduarum mariti, juſtitiæ zelatores, reipublicæ amatores*; non, perſecutores; non, corruptores; non, peremtores: quales hos, publica populi lamenta tuæ diù jam accusârunt æquitati; præſens autem criminatio noſtra convincit omninò. Quid enim judicis habet; qui, nihil in ſê juſtitiæ, nec ipſe deprehendit; nec in eâ quoque ſpeciê, quam effingere conatur, ſatìs mendax oſtendit? *Judex*, Iſidorî ſententiâ, *ille eſt; non, qui homines ampliſſimîs dignitatibûs ornatos, pertimeſcit: verùm, qui imbecillioribus id, quô carent, pro eô, atquè æquitas poſtulat, ſubminiſtrat.* Rectiſſimè Philo, rectô de judicê, cujus ex arbitriô totius pendet quies, & incolumitas reipublicæ, pronunciavit: *Ipſe, juſtitiâ plenus eſſe debet: ſi alijs jus adminiſtraturus eſt: quod fiet, ſi non minùs judicari, putet, quàm, judicare: &, unà cum authoritate, aſſumat prudentiam; nè decipiatur: juſtitiam; ut cuiquè ſuum tribuat: fortitudinem; nè flectatur precibûs, aut miſericordiâ; quamvis animadvertat in conjunctos ſceleris.* Itanè vos? qui precibûs fracti, promiſsîs everſi, nummîs abrepti (nè laboraret, caderétq; cauſa, tum chara, cùm cara) quæſitô contumaciæ nomine, partis adverſæ, nè cœptam quidem actionem (abortu juſtitiæ, peremtorium per edictum, crudeliter cauſatô) ſuffocâſtis? Vos, judices? qui, criminum enormium inſimulatos, (quorum diſſimulatio vindices è cœlo pœnas, in Regnorum, ipſorúmque Regum excidium provocat) nè per eos manifeſtata, rea-

S. Iſidorus. Lib. 2. Epiſt. 107.

Philo Jude. us.

Vide. Pratej Lexicon. V. Peremtorium Edictum.

S. Auguſt. Epiſt. 35. ad 77.

reatûs contagio, diſcrimine plures, cum culpâ, charos quoquè, cognatósque involveret, cuſtodiâ conniventê, gladium, & rotam, effugere permiſiſtis? Vos, judices? qui contrà publica, notoriáque flagitia, periculîs privatîs abſterriti, zelum nullum, ſeveritatem nullam, pœnas nullas diſtringitis; nec decernitis; niſi, cùm ſpes redemtionis affulget: ut, ſcilicet, non, caſtigari, vel, coërceri delicta, ſed, potiùs (cum rei veſtræ familiaris acceſſionê ſordidâ) velut indultâ, pro pretiô, veniâ foveri videantur. Vos, judices? quorum in oculîs turpia committuntur; nec arguuntur? quorum in ædibûs adulteria commorantur; nec diſſipantur? quorum ad aures blaſphemiæ deferuntur; nec cæduntur? quorum in manibûs, uſuræ palpabiles incuſantur, & palpantur? Qui, frequentes in conviviîs, rari pro tribunalibûs; labores exoſi, commodorum ſtudioſi; & (quod actionis meæ caput eſt) quamvìs plurimorum ipſi criminum rei, magìs, quàm, qui veſtrô judiciô paſſi ſunt, nullô tamen de crimine ſeveriùs accuſandi, diſtrictiùs examinandi, rigidiùs judicandi, terribiliùs deniquè condemnandi, quàm, *de malè judicatô*, de corruptâ juſtitiâ, de muneris, cùm authoritate, tum poteſtate depravatâ, profanatâque palàm eſtis infamati? vos, judices?

XVII. Fuit hæc omnium gentium ſacra ſemper, & inconcuſſa religio; quâ, nihil habuerunt antiquiùs: &, licèt alioquìn, veræ religionis expertes, in viâ ſalutis, aliîs alii, turpiùs deliraverint, contrà rationis ipſius ductum, in craſſiſſimos errores offendentes; nunquàm tamen adeò confundi ſe, privatîs ductibûs affectuum, in perverſa tendentium, paſſi ſunt; ut, in juſtitiam, aut ipſi delinquerent, qui cæteris, ùt poteſtate, ſic jure præſtabant; aut, â quôquam aliô, vel publica, vel privata cujusquam, impunè lædi jura ſuſtinerent. Ità perſuaſum documentîs perpetuîs habebant: *Sublatâ juſtitiâ, liberalitas, bonitas, beneficentia, funditùs tolluntur: quæ qui tollunt, etiam adverſùs DEOS immortales impij judicandi ſunt.* Imò: *Nihil illis honeſtum, quod juſtitiâ vacat: fundamentum autem perpetuæ commendationis, & famæ, juſtitia fuit; ſinè quâ nihil eſſe poſſe laudabile* credebant. *Nec, DEO ſimiliusinveniri poſſe quicquam* (*quàm, qui juſtiſſimus foret*) Platonis judicium erat. Unde, *niſi juſtè gubernetur, non habenda* cenſebatur, *nequè respublica, nequè civitas, nequè populus*: quia certum, fixúmque tenebant: *rempublicam illam, in quâ perverſa judicia fiunt, diù ſtare non poſſe.*

M. T. Cicero. Lib. 1. Officiorum.

Idem. Libro. de Amicit.

Plato in Theodoto.

Hieronym. Vidua de dignit. Reipub. Lib. 2.

Oſorius. lib. 7. de Reipub. Inſtit.

XVIII. Ut

XVIII. Ut autem illis, æternæ Veritatis, ac Divinitatis in cultu, non miſerè tantùm caligantibus, verùm omninò cæcis, nihil æquè, publicam in rem proficuum, omnîque procurandum, ſervandúmque ſtudiô, zelô, vigilîque curâ videbatur; ſicùt, integra ſingulorũ jura, ſtrictus legum ordo, totiúsque juſtitiæ rectitudo, nullîs, nequè diſſimulationibûs, nequè præſumtionibûs, nequè corruptionibûs, aut humanîs obſervationibûs, ab æquitatis fixæ centrô, vel deprimenda, vel inflectenda: ſic nihil ab iîsdem parî ſeveritate, rigorêque vindicatum eſt; ùt ejusdem, accuſata forſan, ac deprehenſa, maximi rea criminis, violatio. Cur enim, chariſſimum ſibi, Siſamnem Cambyſes, omnis mali ſecurum, è veſtigio comprehendi, cutêque, per carnifices, univerſô de corpore detractâ, Prætorii tribunal inveſtiri juſſit? Alienam, ab æquitate cauſæ, privatâ corruptus pecuniâ, ſententiam Siſamnes edixerat. Ut igitur, alienâ diſcerent ex inſaniâ cæteri, colere juſtitiam; hâc vindicatæ juſtitiæ ſeveritate, voluit cautiores omnes eſſe Judices, Rex juſtus. Quid Ariſtophanem, animi cæterôquin placidiſſimi Meſſenium, derepentè tantam in ſævitiem concitavit; ut ſuô de laterê, quos dilectiſſimos ſoverat, abripi continuò juſſerit, &, exclusîs amicorum precibûs, ensê publicô, quàm primùm interfici? Virgineo pudori, & honori, per violentam eorum concupiſcentiam, injuriam illatam fuiſſe cognoverat. Nè tranſiret in exemplum audacia; reliquæ juventutis inſolentiam, caſtigationê charorum adſtrinxit; &, ut juſtitiæ moremgerere, modeſtior jam, addiſceret, impetravit. Unde Titus Manlius æternam Torquati ſui nominis memoriam Faſtis Macedonum commendavit? niſi, quòd Syllanum, filium, per ſuæ poteſtatis abuſum, expilatæ Macedoniæ poſtulatum, confeſtim, ſententiâ judicialî repudiatum, ædibûs, & hæreditate paternâ proſcripſerit. Unde Zaleucus, â Locrenſibûs, in proverbium eſt acceptus juſtitiæ? niſi, quòd pronunciatam adulterii ſententiam (cùm, obnitente populô, non poſſet, â Filiô peccatore, totam exigere) dimidiâ ſupplicii partê ſibimet injunctâ, ſic tamen, integrâ juſtitiæ ſatisfactionê, conſecraverit; ut oculorum unô (qui neutrum habere porrò debuerat) filio, per vindicem legem excuſsô, de ſuômet alterum ſibi vultu ſuſtulerit: nè, cæcatus amore filii, judex audiret. Hoc, Juſtiniano, Juſti nomen adauxit: cùm, ſuâ de mensâ, con-

Ibidem, locô citatô.

Livius, lib. 2. & Virgil. Auſonius. in Prof.

Valer. Maxim. lib. 5. cap. 5. de juſtit.

Raviſius. Textor, in Theatro. Lib. 5. cap. 15.

convivam Principem, inter paucos gratissimum, violatæ justitiæ reum, ad supplicium abripi, lictoris manu, trahíque vinctum, præcepit. Hoc Theodoricum, Romæ Regem fecit immortalem: cùm, afflictissimæ Juvenalis, Viduæ, viduam, desertámque causam, per Magistratûs ignaviam, integrô jam trienniô, suspensâ deliberationê, fixè pendentem, nec precibûs ullîs, lacrymîsque supplicibûs, ut aliquando tandem absolveretur, exoratam, per maturatum Senatûs consultum, quantocyùs, non omnî tantùm cunctationê liberavit; sed illos, neglectæ causæ segnes arbitros, capitalî sententiâ damnatos, judicialî, quam vitiaverant, potestate, simul, & vitâ privavit.

Cassinus. aulæ. s. p. 1. lib. 3. cap. 28. num. 3.

Cassinus. loc6. cit. num. 6.

XIX. Quot autem, eheu! tuô sunt, coràm æquissimô tribunalî, DEus æquitatis! miserorum clamoribûs accusati Judices? quibus minor nulla, quàm, justitiæ cura; quàm, muneris ratio; quàm, causarum discussio; quàm, litium dirimendarum solicitudo? fortassis etiam nec ulla minùs, quàm, officii sui, perpensa fuit unquàm obligatio? Ideonè verò censebuntur, etiam judicii, rei minus? quòd, quæ sui sunt muneris, & justitiæ propria, ignoraverint? cùm, civilibûs quoquè legibûs, *Ignorantia in iis non excuset; quæ quis ratione officii tenebatur indagare.* Perspectum igitur, si non fuit, esse tamen debuit omnibus: justitiam, eam esse; *quæ nihil alienum vendicat; & negligit propriam utilitatem; ut servet communem æquitatem. Quæ, pro legibûs zelat, justa præcipit, benè gesta remunerat, delicta punit, subditorum commodis prospicit; pericula verò, malâque amolitur.* Quæ, *nihil ex arbitrib propriæ facit voluntatis; sed, juxtà leges, & jura pronunciat: obsequitur legibus; non adversatur: examinat causæ merita; non mutat.* Accusat, non excusat criminosos istos, ignorata justitia; cujus in se curam, dispensationem, administrationem, ac definitionem, cum officii charactere, judicandíque potestate susceperunt. Quî verò latêre vos potuit: servandum in severitate modum; &, in misericordiâ legem? Ecclesiastê monente: *Noli esse justus multùm.* Quî nescire potuistis: ex arbitriô non stare vestrô, libitûque; sed, auditîs in utrámque partem, expensîsque momentîs, pronunciandam esse sententiam? cùm in aperto sit Veritatis ipsius confessio: *Non possum ego á mê ipsô facere quidquam. Sicut audio, judico: & judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam; sed ejus, qui misit me.* Nullîs cancellîs, â judicis aure, discernendôque, ac dicendô jure, causam pauperum, ac miserorum exclusam esse debere; constare vobis oportebat,

S. Bernard. lib. 1. de offic.

Lobner. Bibl. Man. Tom. 1. Edit. 1. Tit. Justit. §. 1. num. 4.

S. Ambrosius. serm. 20. in Psalm. 118. num. 4.

Eccles. 7. v. 17.

Joann. 5. v. 30.

Cap. cùm in cunctis. & Cap. innotuit, circà finem, Extr. de Elect.

tebat, ex primâ, judicialis Inſtituti, veterîque regulâ: *Audite illos; &, quod juſtum eſt, judicate: ſive civis ſit ille, ſive peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum: ità parvum audietis; ùt magnum: nec accipietis cujusquam perſonam: quia DEI judicium eſt.* Timorem omnem adverſariæ poteſtatis, pro aſſerendâ integritate juſtitiæ, dimittendum; nullôque diſcriminê delicta nobilia, ſed, cum vulgaribûs, eôdem ultorê gladiô (cùm eadem ratio criminum eſt) illa perſequenda, ferienda, & exſcindenda eſſe, non potuit non, ex Levitici legê, conſtare: *Non facies, quod iniquum eſt; nec injuſtè judicabis. Non conſideres perſonam pauperis: nec honores vultum potentis.*

Deuteron. 1. v. 16.

Levit. 19. v. 15.

XX. Non, non eſt vobis ullus effugio locus, ad judicii declinandam animadverſionem; quæ vos undiquè, *de malè judicatô*, conſtringit. Malè judicâſtis: cùm tempora, cauſarum diſcuſſionibus conſtituta, privatis oblectationibus, aut, alienis ab obligationê veſtrâ ſtudiis, aut amicorum, amicarúmque, cùm otioſis, tum ſcandaloſis viſitationibus impendiſtis; non, niſi frequentatîs poſtulationibûs, & irrequietîs curſitationibûs, ad expendendas, pro tribunalî, cauſas adacti: dum interim auctæ litigantium expenſæ, non in ſui ſuſtentationem tantùm, extrà natale ſolum, & contubernium populare, ſumtibûs immodicîs comparandam; ſed, in protracta quoquè ſtudia Cauſidicorum; &, in ſolicitationes Procuratorum; &, in unctiones Domeſticorum veſtrorum (per quos acceleratio debitæ diſcuſſionis urgenda, extorquendáque fuerat) præter emergens ex protelationê morosâ damnũ, in dies auctius; & ceſſans, ex uſu rei necdum per inertiam adjudicatæ, lucrum, queſtubûs, & lamentîs, non tantùm ſuprà nubes elatæ, divinóque tribunali criminaliter delatæ fuerunt: ſed ipſa quoquè (cum infamiâ, veluti ſopitæ jam, ſi non extinctæ penitùs in Mundo divinæ juſtitiæ) tam graves ad injurias, vel non reſpiciens, vel ſegniter connivens, nimìs benigna diſſimulatio, blasphemè ſugillata fuit. Alius olim fervor judicum, ut opportuna nulli deforet ullô tempore cauſarum deciſio, cunctîs videlicet in locîs, divinô inſtitutô vigilavit. *Judices* (nunquámne dictum id vobis ex Deuteronomiô fuit?) *Judices, & Magiſtros conſtitues, in omnibûs portîs tuîs; quas Dominus DEus tuus dederit tibi, per ſingulas tribus tuas: ut judicent populum juſtô judiciô* (ſemper ſcilicet, eorum litibûs diſcernendîs opportuni, præſentes, & comparati) *nec in alteram partem declinent.* Noluit æquitas divina quicquam, Idolorum ſimile, judicibus, omnium commodo deſtinatis

L. Properandum. §. ſin autem. C. de judic.

Deuteron. 16. v. 18.

natis ineſſe: nequè ut, quemadmodum ad ea, ſic & ad ipſos, non, niſi poſt ſumtuoſos cortinarum, ac ſipariorum reductus, quibûs velati conduntur, carus, rarúsque pateret, ſed jugiter apertus, liber, ac liberalis acceſſus: qualis erat ad eos; *qui judicabant plebem omnî tempore.*

Exodi. 18. v. 26.

XXI. Nolo manus veſtras, nequè dentes veſtros, nequè ſaginatos, hôc in forô, ventres examinare. Domeſtica veſtra ſupellex, quæ regias æquat ædes, nec Principum conclavibûs inferior eſt aurô multô fulgentibûs, infinitas acceptationes objiciens; veſtrarum nidor culinarum, pinguî cum fumô, longam in viciniam delatus, exactas partium contributiones promulgans; veſtrorũ etiam equorum fulgentes phaleræ; pretioſæ ſervorum fimbriæ; mulierũ denique veſtrarum cyclades, in omnem novæ vanitatis concertationem, quôcunquè grandî pretiô, cum amictoriîs, & ſtolîs, & gravibûs aurô tunicîs, multiplicatæ, ſatìs, apertéque clamant; atquè, *de malè judicato*, judicia veſtra diffamant, & accuſant; ùt remota procul, ab eâ juſtitiæ legê: *Non accipies munera: quia munera excæcant oculos ſapientûm; & mutant verba juſtorum*: & produnt, ùt aliena, ab eâ juſti judicis formâ; de quâ Chananæus ille regaliter gloriatus eſt: *Juſtitia indutus ſum, & veſtivime, ſicut veſtimentô, & diademate, judiciô meô.* Quidnî juſtitia tam æquo Judici, pro diadematê, pro paludamentô, regiíque fuit inſtar ornatûs? cujus totum indumentum, non iniquitatis laciniæ, ſed ità ſola contexuerunt obſequia juſtitiæ; nihil ut in veſtimentîs, vidua, ſibi ſubtractum deploraret; aut ſibi denegatum ſuſpiraret pupillus; aut pauper, â ſe poſtulatum, incuſaret: *eò quòd* (utì faſſus cum gaudiô fuerat) *liberâſſem pauperem vociferantem*; & *pupillum, cui non eſſet adjutor*: & *viduæ conſolatus ſum.*

Deuteron. 16. v. 19.

Job. 29. v. 14.

Ibidem. v. 12. 13.

XXII. Quantô verò magìs diverſa, tam inſignî fuerunt â recti normâ, veſtra judicia; tantò graviùs obnoxios divinæ juſtitiæ veſtra vos, ùt reor, condemnabit ipſa conſcientia: cùm, per tam aliena judicia, minimè quidem illa, quæ una eſt, juſtitia, cordi fuiſſe vobis videatur: ſed quot, arbitratu veſtrô, pronunciatæ contrà jus, & fas fuêre ſententiæ; totidem veſtrô de cerebrô natas, obſervatas etiam â vobîs fuiſſe juſtitias, non eſt, qui poſſit inficiari. Hoc autem, illud eſt; quod Æquitas æterna, per coronatum vatem, â ſê ſeveriſſimè judicatum, ac vindicatum iri, cùm tempus acceperit, intimavit: *Juſtitias judicabo!* non juſtitiam; ſed, *Juſtitias* (quæ, pro capitum varietate, ſententiarum in diverſa, procul ab re-

Pſalm. 74. v. 3.

ctâ juſtitiæ regulâ, deflectere non ſunt veritæ) divini Tribunalis animadverſio diſtricta manet, pariter & judices illos; qui, protritîs juſtitiæ legibûs, in causîs delatîs procedunt, *alius quidem ſic*; *alius verò ſic*; ut accommodîs Pauli verbîs utar. Undè *uſquè adeò*, (pravè ſcilicet ſentiendi) *inolevit malum: ut jam, quaſi ex conſuetudinê, vendantur leges, corrumpantur jura, ſententia ipſa venalis ſit; & nulla jam cauſa poſſit eſſe ſinè cauſâ*: dum, quot capita, tot ſunt pravæ juſtitiæ.

1. *Corinth.* 7. *v.* 7.

S. Auguſtin. de verbis. Dom. ſerm. 19. poſt med. pag. 60. *Lit. C. Tom.* 10.

XXIII. Non potui tantæ confuſionis iniquitatem, imploratus oppreſſorum gemitibûs, antiquus æquitatis Vindex, non accuſare. Sed, integrúmne mihi, per tuam indulgentiam? non queri, ſed quærere, cum tuô Prophetâ? ſeu potiùs (egenorum omnium collatîs unum in libellum gravaminibûs, quibûs adverſûs humana, divinâque jura, prævalentê Judicum, ùt authoritate, ſic & iniquitatê, multô jam tempore, neminê vindicantê, fuerunt afflicti, velut omnium expreſsîs ore meô ſuſpiriis) rogare: *Uſquequò, Domine, clamabo; & non exaudies? Vociferabor ad te, vim patiens; & non ſalvabis? Quare oſtendiſti mihi iniquitatem, & laborem? videre prædam, & injuſtitiam contrà me? In conſpectu meô factum eſt judicium: & judex, capit! Propter hoc lacerata eſt lex; & non pervenit, uſquè ad finem, judicium: quia impius prævalet adverſùs juſtum: propterea egreditur judicium perverſum. Opus factum eſt in diebûs noſtrîs; quod nemo credet, cùm narrabitur.* Nulla propè dies, niſi, lamentîs innumerîs oppreſſorum, & acerbiſſimîs tribunalium plurium criminationibûs gravata, pertranſiit: cùm alios, de munerum corruptelâ poſtulantes, ejulantésque percepimus diù jam: *Solent priùs munera offerentis videre; quàm, cauſam!* Alios, intoleranda perſonarum diſcrimina criminantes audivimus: *Hoc plerisque judicibus hâc tempeſtate accidere videmus; ut, ſublimibus viris magna flagitia promtiùs condonent; quàm, minima, humilibus, & abjectis.* Alios, de cæcâ cognatorum ſcelerum diſſimulationê, favorêque, non inter acta, ſed homines, diſcernentê, dirîs, exaggeratîsque clamoribûs infeſtâſſe cœlum, & juſtam provocâſſe vindictam, non ſemel intelleximus: Heu! *Perſonam accipiunt, non negotium! offendit amicus: culpa magna, æſtimatur parva. Delinquit adverſarius: offenſa parva, ſentitur magna!*

Habacuc 1. *v.* 2. *&* 3.

Lect. S. Gregorii Naz. Orat. 1. *diverſa, in quibudam, à vulgatâ.*

Oieaſter in Exod.

S. Gregor. Nazianzen. cit. à S. Damaſcenô l. 1. *Paral, c.* 98.

S. Hieron: in Pſal. 81. *S. Bernard. Senenſ. Tom.* 1. *ſerm.* 25. *Art.* 1. *c.* 1.

XXIV. Cùm igitur nunc tribunal tuum, omnibus Orbis malefici delictis audiendis, ac dijudicandis apertum ſit, Judex æquiſſime! judica juſtitias tandem! juſtitias dico: quas fidelis Propheta tuus objurgavit in Principibus Iſraël, deſolationis extremæ, decretas â tua juſtitia, pœnas

pœnas comminatus : *Audite hæc, qui abominamini judicium, & omnia recta pervertitis. Qui ædificatis Sion, in sanguinibûs; & Jerusalem, in iniquitatê. Principes ejus in muneribûs judicabant; & Sacerdotes ejus in mercedê docebant; & Prophetæ ejus in pecuniâ divinabant. Propter hoc, causâ vestrî, Sion, quasi ager, arabitur; & Jerusalem, quasi acervus lapidum erit; & mons templi, in excelsa sylvarum.* Illas, obsecro, justitias judica! quas Evangelicus vates, imperterritâ libertatê, cum vindictæ terribilis indictâ persecutionê, perstrinxit in Optimatibûs populi: *Principes tui, infideles; socii furum: omnes diligant munera; sequuntur retributiones. Pupillo non judicant; & causa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc, ait Dominus exercituum, fortis Israël: Heu! consolabor super hostibûs meîs, & vindicabor de inimicîs meîs!* Illas, quæso, justitias judica! quibus Amos improperavit frustrà : *Appropinquatis solio iniquitatis: quoniam convertistis, in amaritudinem, judicium; & fructum justitiæ, in absynthium* ! quibus, tanquam surdis, reprehensio Davidica tinnitum in exteriore tantùm aure, sinè percussionê sensûs interioris, reliquit, ùt ùt increpans : *Usquequò judicatis iniquitatem; & facies peccatorum sumitis? Judicate egeno, & pupillo; humilem, & pauperem justificate: eripite pauperem; & egenum de manu peccatoris liberate.*

Mich. 3. v. 9. &c.

Isaiæ 1. v. 23.

Amos 6. v. 3. & 13.

Psalm. 81. v. 2. 3. 4.

XXV. Nunquid indulgebitur adhuc; ut, velut ex adipê, prodeat insolescens iniquitas eorum; per quos non tantùm obscurata, sed in dubium adducta sæpè, si non planè de fidelium erepta cordibûs, & extincta fuit, cum fidê, spes, ac fiducia vigilantis, & , rebus humanis aliquando tandem vindicandis intentæ desuper Æquitatis tuæ? Consurge nunc igitur, & judica causam tuam! ut liberentur dilecti tui; quos, quia pauperes, & ignobiles, & imbecilles, nulla jam jura tuentur; nullæ salvant leges; nec tribunalia suscipiunt; nec judicia consolantur: dum nullus est, qui perversi judicii, depravatæ justitiæ, sententiæ venalis, corruptæ, crudelis etiam, & incœlum peccantis, reos arguat, accuset, postulet, judicet, condemnétque Judices. Fac tandem, quod statuisti. Tempus nunc est, cæteris cum sceleribus, omnium scelerum seminaria, nutrimentáque, perversas justitias judicandi. Age! ut Prophetæ sui fideles inveniantur: nè, cum blasphemiâ, traducatur in risum. explosa comminatio Isaiæ: *Væ! qui justificatis impium pro muneribûs; & justitiam justi aufertis ab eo! Propter hoc, sicut devorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: sic radix eorum, quasi favilla erit; & germen eorum, ùt pulvis, ascendet.* Sentiant è tuæ decreto Sapientiæ prodiîsse, cum Sapientis redargutionê,

Psalm. 81. v. 1.

Eccli. 36. v. 18.

Isaiæ 5. v. 23.

nê,

nê, terrificum illud oraculum: *Quoniam data eſt â Domino poteſtas vobis; & virtus, ab altiſſimo; qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam, cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè judicáſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ: horrendè, & citò apparebit vobis: quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* *Sapient. 6. v. 4. & ſeqq.*

XXVI. Ut verò tuæ Juſtitiæ, prout accepi, ſingulatim infamatos manifeſtẽ; quâ degant in urbé? quô præſideant in tribunalî? quâ deſideant in ædê, ſuis intenti lucris, commoditatibus, ac voluptatibus? (cùm tuæ pateant omnia Providentiæ) ſupervacaneum eſſe videtur. Nôſti, quibûscunquè latebrîs clauſas, cùm volueris, iniquitates vindicê comprehendere manu, totique certum facere Mundo: quòd nemo ſit; qui, vel ſemetipſum, vel alium quemvis, de manu tuâ poſſit eruere: cùm, acceptô temporê, non judicare tantùm juſtitias; verùm, & eas condemnare, plecteréque conſiliũ fuerit. Scio: quondam in Angliâ, capitalem hanc iniquitatem, repentinâ fuiſſe mortê ſublatam. Conſtat pariter: linguas, quæ depravandæ fuerunt inſtrumenta juſtitiæ, poſt fata, de faucibûs illorum, arcanâ vî ſubtractas, evulsásque fuiſſe; per quos libræ judicialis decretoria lingua, momentîs cauſarum, aut nequiter gravatîs, aut ſubdolè diminutîs, in favorem iniquitatis inclinata fuit. Nihil horum, ſed ſolam tuam ſanctiſſimam æquitatem imploro: nè verba commiſiſſe ventis videamur; quibûs totiès, de ſuggeſtîs, clamatum eſt: *Sciant judices! ſe, coràm univerſali judicé, nèdum de propriîs, verùm etiam de alienîs criminibûs reddituros eſſe rationem! Non enim poterit evitare judicium; qui, Juſti innocentiam, per corruptionem judicando, cuſtodire neglexerit.* *S. Laurent. Juſtin. de triumphali Chriſti agonê. cap. 12. pag. 308. col. 1. Lit. B. part. 1.*

Nicolaus Sanderus de Schiſ: Anglic. ad Ann. 1571.

Cæſarius. Lib. 11. Hiſt. c. 46.

XXVII. Ità quidem de rigorê juſtitiæ vindicari deberet injuria, læſæ, per violatam humanam juſtitiam, divinæ juſtitiæ. Cur autem, O Pater miſericordiarum! iniquiſſimum judicium, cum crucê, meis humeris impoſitâ, tam injuſtè, tam inæqualiter, tam crudeliter oneratus, preſſus, oppreſſúsque ſuſcepi, ſuſtinui, bajulavi? Nequit ſanè gravior ulla, quàm adjudicatæ mihi crucis, iniquitas, in ſententiâ malignantis judicii, per ullam unquàm cenſuram expendi. Nunquid autem hæc iniquitas â mê tolerata, per meam pietatem, quâ ſalvos omnes eſſe contendo, tuæ, O Pater! ſtateræ appenſa, quidquid criminis, aggravandæ tribunalium humanorum damnabili cauſæ, congeſtum eſt, excutiet ſola? dum ſola par eſt, ac ponderis tantùm in tuîs oculîs, tuôque jam obtinuit judiciô; totius ut Univerſi

valeat, inſtar nihili, relevare delicta. Quidquid igitur judicialis unquàm libra deliquit, æquilibriô meæ crucis, per quam omnis juſtificatio fit ad ſalutem, abundanter adimpleo: dum video, deficientê juſtitiâ, ſic in meæ crucis obſervantiam conjurâſſe jam plurimos: ut non vitam ſolùm omnem ad crucis legem deinceps exigere; ſed ex regulâ crucis omne judicium expendere ſubinde, decerneréque, pariter conſtituerint: illud, hác rationê (prout meâ de Pietate ſunt experti) cæteris, in ſemetipſis, palàm facturi: quòd veraciter, *Pater omne judicium dedit Filio: non, ut judicetur, ſed, ut ſalvetur Mundus, per ipſum.* Abba, Pater! reminiſcere miſerationum tuarum, quæ â ſeculo ſunt; poſtquàm ſuperabundare per me gratia cœpit in Mundo! nec ità tuam, per hominum depravata judicia, quamvis meritam, & juſtam indignationem, inclinari ſinas in ſevera judiciorum, & Judicum reproborum judicia; quìn miſericordiæ, cùm iratus fueris, recorderis. Quî credet Mundus: omne mihi judicium â Tê datum, traditúmque fuiſſe? ſi Judicum iniquorum iniquitas, quæ magnum, graviſſimúmque cruci meæ pondus adjecit, &, in meorum partem tormentorum, expianda, tê volentê, tranſivit, mê verò, & annuentê, & amplectentê, ſuſcepta eſt, ità meô non ſtaret ex arbitriô tollenda penitùs, & abſolvenda; ſicut cæterîs in delictîs omnis eſt mihi data, relictáque poteſtas? Omne judicium, criminum omnium, Filio datum eſt? Judicum ergo, qui ſe meo, pœnitentes, judicio ſubmiſerunt, &, ex meæ Crucis legê, regulâque, ſua deinceps ipſi, cùm judicare, tum plectere, judicia ſtatuerunt, Tê, mihi ſic indulgentê, libera nunc, per Crucem hanc ✝, & abſoluta, ſalváque ſit cauſa! Amen.

Habacuc. 3. v. 2.

Joann. 5. v. 23.
Joann. 3. v. 17.
Pſalm. 24. v. 6.

FE-

F E R I A III.

POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ.

SERMO VIGESIMUS.

In Foro IV. Juſtitiæ Divinæ,

Viâ publicâ Crucis, aduſquè Calvariæ Montem.

Actio XIV. in jure innominata; ſed, ex Factô,

De malâ Filiorum Educationê.

Contrà Parentes,

Qui, ſuæ naturalis obligationis immemores,
Debitam Liberorum Educationem in poſtremîs habentes,
Nec illorum æternâ de ſalute ſoliciti;
Nec temporalis eorundem profectûs, ac diſciplinæ ſtudioſi;
Ad hæc, tum, per nimiam conniventiam, indulgendo,
Tum, per exempla prava, ſcandalizando,
Suorum Filiorum æternæ Damnationis ipſi ſunt Autores.

Filiorum nomine, etiam filiæ continentur. Paul. in l. 84. ff. de verbor. ſignificat. Text. in L. Quòd ſi nepotes in fine. ff. de Teſtam. Tut.

Actor XIV. Filius Anonymus;

In actualî flagitiô, per mortem ad judicium abſtractus,
Et Gehennæ adjudicatus;
Qui, ſuæ reos Damnationis criminatur,
Secùmque poſtulat, ignibus æternis addici,
Educationis negligentes, nimiùm indulgentes,
Pravitate morum præludentes, & in omnî malitiâ conniventes,
Itáque ſuorum omnium criminum, & interitûs cauſam,
Parentes.

P. Alard. le Roy, cap. 12. fol. 216. Ann. 1614.

Myſterium XIV. Et Actionis hujus Argumentum.

Planctus Muliebris Filiarum Jeruſalem;
Seu, collacrymans Pietas Mulierum devotarum;
Quæ Dominum, ſub onere Crucis fatiſcentem ſequentes,
Ab Eodem, præpoſterâ de compaſſionê reprehenſæ,
Suæ potiùs, ac Filiorum perditioni deplorandæ,
Lacrymas impendere monentur, ac jubentur.

Teſſera.

Tessera. Filiæ Jerusalem! Nolite flere super me; sed, super vos ipsas flete; & super filios vestros. *Lucæ 23. v. 28.*

I. QUis in dubium revocet? Advocato nostro Causam humanæ salutis asserendæ cordi fuisse; qui, tot itineribûs molestissimîs, ejus urgendæ, procurandæ, perficiendæquè gratiâ susceptîs, ubi ubi latere quidpiam noverat, ex quô eam in rem utilitatis aliquid redundare posset, nihil non exploravit, sed, cum summô quoquè sui capitis, ac vitæ discrimine, solicitus adiit: ut omninò dicendum sit: quòd, peractâ cum Discipulîs cœnâ, conditôque legalî testamentô, velut immemor sui, tantúmque nostrî studiosus, multîs, & magnîs passibûs, ad mortem usquè, *cucurrit in sitî*; non, qualicúnque sitî; sed (*velut anxius*, quod notatum est ab Euthymio, *propter tarditatem, usquè dum perficiatur*) *in sitî*, salutis nostræ conficiendæ *cucurrit*, quietem nullam, nisì supremam in cruce, per mortem omnia consummaturam, admissurus. Jam enim ab inde, atquè, *sciens, quia venit hora ejus; ut transeat ex hoc Mundo, ad Patrem*, hymnô dictô cum suîs egressus est, iste septimus numeratur, in susceptô salutis nostræ tandem consum̃anda negotiô, soliciti Servatoris exitus, laborê, dolorê, molestiîs, angustiîs, & gravaminibûs, ac difficultatibûs infinitîs cumulatus, verè (prout â Vate cantatum) *Domini Exitus mortis.* *Psalm. 67. v. 21.*

II. De primô Domini progressu, quem è cœnaculô cum Discipulîs, velut Pastor Bonus cum grege suô, digressus instituit, unô, eôdemque verbô, Divus Matthæus, Marcúsque meminerunt: *Hymnô dictô exierunt in montem oliveti*, seu, *olivarum.* Fatalis autem fuit exitus ille; quô mortis in pratum, ad ovem perditam, ibidem pascentem, devênit; &, primi serpentis lethiferô toxicô vitiatum germen, ipsúmque, cum eô, lethum, paucîs post horîs, post cruentum non modò sudorem, sed omnem de venîs cruorem atrociter exactum, excussúmque, moriturus absumsit. Hôc autem itinere sex circiter emensus fuisse stadia, creditus est â mitratô Venlonensi, Servator amantissimus. Ex hortô Gethsemani tractus, raptatúsque, viam alteram inivit, ad primum Annæ Pontificis tribunal; quod, â violentæ comprehensionis locô, bis mille ducentîs, sexagintâ

Matth. 26. v. 30. Marci. 14. v. 26.

Psalm. 61. v. 5.

Euthymius, & Theophylactus. cit. à Sylveira. Tom. 6. Evangel. lib. 8. cap. 12. Quæst. 2. num. 13.

Joann. 13. v. 1.

Godefrid. de Lit. in sacrif. vespert. Conc. 31. Adrichom. in Hierosol. descript. fol. 172. num. 207.

tâ greſſibûs, Adrichomiô cenſente diſtabat. Quid verò, cùm injuriarum, tum verberum, in hoc itinere, ſalutis noſtræ patientiſſimus negotiator ſuſtinuerit, excedit humani, tam calculi, quàm calami dimenſionem: quando, ſilens in cæterîs, tum ſe, latronis inſtar, ſcilicèt obrutum, captum, dejectum in terram, ligatum funibûs, vinctum catenîs, calcatum, percuſſum, compulſum, &, immanî furorê, clamorê, tumultûque, per torrentem Cedron, inter opprobria, convicia, turbæquè petulantis innumeras, & ineffabiles inſolentias, deductum inſinuavit. Inde verò, nihil in ſuâ causâ, contrà percuſſorem ſacrilegum, ab iniquiſſimô Judicê, quæſtionê licèt ingeſtâ pro sê, plurimùm autem, divinâ ſuâ tolerantiâ, pro nobîs lucratus, tertium aggreſſus Exitum eſt, ad alterum ſummi Sacerdotis, Caiphæ, tribunal, greſſibûs trecentîs, accuratâ ſpatii dimenſionê, violenter abreptus: videlicet, inſtar Naboth innocentis, pro vineâ ſuâ, quam ſolertiſſimâ curâ coluerat, â conductîs falsîs teſtibûs, *virîs*, *filiîs Diaboli*, per quæſiti criminis commentum, non tam in mortis reatum adducendus; quàm, ipſi morti, per blaſphemam contumeliam addicendus. Ex Palatiô ſacerdotalî, poſt obſcuriſſimas noctis, ibidem, afflictas inter vigilias exactæ, nefandásque vexationes, inſatiabilî cùm furore, tum petulantiâ, non, niſi cum diluculô terminatas, quartâ fatigationê, circumdatus â Senioribûs, & Sacerdotum Principibûs, velut frementes inter beſtias, traductus eſt, Cauſæ noſtræ Procurator indefeſſus, ad ſeculare gentilis Pilati Prætorium, greſſibûs millenîs: unde, poſt cognitam innocentiam, politicô ſub prætextu, reâpſe verò, judicii divertendi causâ, quintâ commigrationê, viam trecentorum quinquaginta greſſuum properare coactus eſt, ad Regiam, ſacrarum, divinarúmque rerum illuſoris, Herodis: quô quidem, non ſolùm Evangelici vatis oraculô præcinentê (*quaſi pilam mittet te*) verùm, & Samſonis inſtar, in dilectæ ſuæ ſinu comprehenſi, ſe contulit, hoſtium ſuorum invidiæ ſubſannanti ludicrum ſpectaculum patientî ſilentiô præbiturus. Hinc iterum, ſed aliâ viâ (manifeſtior ut pluribus ejus ignominia fieret, cum illuſoriâ, per vicos, & compita traductionê) ſexcentarum, ùt Chriſtianus computavit Adrichomius, ulnarum intervallô, ſextum iter, ad Pilatum, inter populi cavillos, irriſiones, & improperia, Rex Iſraël, non (utì David, coràm Achis Rege) ſimulatâ ſtul-

Lucæ. 22. v. 52.
Joann. 18. v. 13.
Adrichom. locô. citatô.
3. Regum. 21. v. 13.
Matth. 26. v. 59.
D. Bebl. Presb. In Deſcript. locor. Paſſ. Dom. cit. ab Adrich. num. cit.
Lucæ. 23. v. 7.
Iſaiæ. 22. v. 18.
Judic. 16. v. 25.
Adrichom. locô. citatô, in fine.
Lucæ. 23. v. 11.
1. Regum. 21. v. 13.

ſtul-

ſtultitiâ, ſed, ſub inſimulatæ ſatuitatis illuſoriô centonê, diſſimulatâ ſapientiâ reductus exegit. Poſtremus ille, quem coràm intuemur, triſtiſſimus, &, graviſſimus pariter, atquè longiſſimus exitus, ab ſuſceptâ in humeros Cruce, fuit in montem Calvariæ, Præſidis è Prætoriô, computatîs, ad uſquè fixi ſtipitis locum, greſſibûs, millê trecentîs, & unô, ſuprà vicenos; ſeu, pedibûs, ter millenîs, ac tribûs, ultrà trecentos: quô, ſicut Abel innocens, â parricidâ fratre per invidiam interficiendus, &, obediens velut Iſaac, ab Abraham in holocauſtum offerendus, ità, factus obediens uſquè ad mortem Crucis, egreſſus eſt in ſalutem populi ſui, communem omnium cauſam, non, ùt vindex tantùm peccatorum, ſed, ùt ipſe victima, in ſe ſuſceptô ſuppliciô confecturus.

Adrichom. in Deſcriptione Ieroſolymæ. fol. 614. Terr. ſanct. num. 118.

NB. Greſſus unus accipitur pro menſurâ duorum pedum, & ſemiſſis.

III. Erit fortè, qui miretur, & quærat: cur per tot vias, adeóque difficiles, Domini fuerint *Exitus mortis?* Vah ignorantiam! Nunquid viîs totidem, quibûs â Deô, ſalutarî ſuô, receſſerant, ad Inferni noviſſima deſcenſuri, requirendi, reducendíque rurſûs fuerunt in vias rectas â Servatore? terminîsque, per divinia veſtigia conſtitutîs, prohibendi: nè (qui priùs, per alta ſuperbiæ, per lubrica luxuriæ, per ſubterranea avaritiæ, per lutulenta gulæ, per devia invidiæ, per præcipitia iracundiæ, per acediæ plana, molliáque, ſemetipſos perditum *ibant, in adinventionibûs ſuis*) â viâ ſalutis, totôque cœlô delirantes, aberrarent? *Quoniam igitur ſeptem nequitiæ ſunt*: quibûs ad mortem ſeduxit inimicus eos; qui *per ſeptem vias fugerunt* â facie DEI: totidem oppoſitîs itineribûs ille, qui factus eſt *Via, Veritas, & Vita*, per ſua revocare veſtigia contendit omnes ab interitu prævisô, ſingulîs quaſi greſſibûs, anhelus, & inclamans: *Revertere ſeptem vicibûs.* Numerus hic, libertatis character eſt; operisque divini conſummationê conſecratus, in primâ totius Orbis geneſî reperitur. Inde noſtræ quoquè certa ſpes abſolutionis refulget; cauſæquè tandem terminandæ decretoria ſententia, poſt ſepties iteratas Advocati noſtri, per arduos, hinc inde, diverſóſque diſcurſus, inſtantias, expectanda. Denique, ſi ſeptimi circuitûs inſtitutum, pro numerô cœlitùs deſtinatô completum, hoſtiles muros evertit; &, per ſubitaneam eorum ruinam, optatum obſidentibus aditum, in urbem inimicam aperuit? nihil jam obſtare poterit ampliùs, ùtùt ferreâ firmatum obduratiônê; quod Cauſidici noſtri, eôdem, ùt fatigati, ſic & conſecrati numerô conatus, divinum

Pſalm. 80. v. 13. *Proverb. 26. v. 25.* *Deuteron. 28. v. 7.* *Joann. 14. v. 16.* *3. Regum. 19. v. 43.* *Exod. 23. v. 11.* *Geneſ. 2. v. 2. 3.* *Joſue. 6. v. 4. & 15.*

apud

apud tribunal non diſſolvent, perviúmque reddent.

IV. Advertamus nunc ſimul, & oculos, & animos, ad ultimum, hodiernô ſermone proſequendum, Servatoris noſtri funeſtiſſimum exitum in Calvariæ montem: ut, quæ fuerit ejus, in tantô luctu, tantô contemptu, tam iniquâ condemnationê, tam atrocî perſecutionê, tam deniquè gravî, infamîque in ſupplicîô conjuncta ſocietas, diſpiciamus. Non enim otioſè commemoratum â D. Luca videtur, quod ingerit: *autem*, de ſequentibûs Dominum. *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum; quæ plangebant, & lamentabantur eum*: ſcilicet, utì vates dudum antè prædixerat Zacharias: *Plangent eum planctu, quaſi, ſuper Unigenitum; & dolebunt ſuper eum; ùt doleri ſolet, in mortê primogeniti.* Notavit idem, quod inſinuatum â mê fuit, in evangelicâ comitatûs popularis deſcriptionê, B. Simon de Caſſiâ: *Evangeliſta vigilanti verbô: ſequebatur autem, ait, Eum turba multa: Quia, unius cauſâ, non rationê cæterorum*, qui cum illo ducebantur ad mortem, *ſequebatur* magna turba populi; quem, fatalî præſonantê tubâ, clangor infeſtus ad ſpectaculum deſtinati ſupplicii convocaverat. Nam, ad ſonum tubæ, *per totam Civitatem*, ùt ſcribit Grethſerus noſter, ex Romanorum uſu, *mox rumor percrebuit: quòd damnatus eſt JESUS; & jam, jamquè educendus: atquè, in concurſu populorum, & gentium, horribiles reſonabant blasphemiæ, contrà Chriſtum. Et interim peſſima verba ſparguntur, contrà famam boni JEſu: ſicut fieri ſolet contrà damnatum: ubi omnes quærunt cauſam damnationis.* Quotquot igitur tubæ ſonus concivit ad ſpectaculum; eos in ſequelam pariter, ingentî turbâ, cunctos attraxit, non Latrones, Diſmam, & Geſmam, ſed, ſolum, ſequentes Chriſtum: *ſequebatur autem Illum, multa turba populi, & mulierum*, agminê duplici; mulierum unô, reliquô populi.

Luc. 23. v. 27.

Zachar. 12. v. 10.

Simon de Caſſia in locum cit. S. Lucæ.

Grethſerus. Lib. 1. de Cruce c. 16. Landſperg. de Paſſione cit. â R. P. Gregorio â JEſu Mariâ. Tom. 2. de Divinit. & Innocent. Chr. in Paſſ. fol. 175. Lect. 38. num. 2. R. P. Greg. â JESU Maria. locô citatô. Lect. 45. n. 2.

V. Cùm populi turbam, â turbâ mulierum, Evangelica diſcretio ſecernat, non manet ambiguo locus, cogitandi: præter feminas, in illô populi gregê cumulatô, variâque plebê, virorum neminem, in cruenta Servatoris veſtigia ſucceſſiſſe. Querula tamen vox Deſerti, non temerariam, de virorum omnium defectu, ſuſpicionem exigere videtur, per Iſaiam vulgata: *Torcular calcavi ſolus; & de gentibûs, non eſt vir mecum.* Nullus cum Dominô, ſub Crucis torcularî, ſudantê, laborantêque vir, ex omnibûs gentibûs, qui ſequeretur, inventus eſt? Non hoc ſibi defuiſſe, per queſtum Evangelici Vatis, inſinuat: *ſequebatur enim turba multa populi*: tanta verò populi turba nec unicum omnibûs ex

Iſaiæ 63. v. 3.

virîs habuit ; qui Servatori conjunctus iviſſet. Unde non de nullius eſt ſequelâ conqueſtus ; ſed, quòd *ſecum*, *ſibique*, mentê, ſpiritu, piâque compaſſionê, neminem unum, omnibûs ex virîs, unitum in eô confertiſſimô comitatû deprehenderit : *Quia, non eâdem omnes mentê, ſequebantur* (utì Saxo Ludolphus argutè diſcrevit) *ſed, quidam : ut læti morientem aſpicerent ; quem viventem oderant. Alii : ut morientem plangerent ; quem, viventem dilexerant.* Inde, cum Didacô de ſtellâ, Ludolphus idem, triplicî ſortê comitatum crucifigendi Servatoris diſcriminat : *Prima pars, erat carnificum ; quæ eum trahebat, & premebat. Secunda, judæorum ; quæ eum irridebat. Tertia, amicorum ; quæ enixè lugebat.* Quod quidem ſolîs de mulieribûs Evangelica narratio teſtatur ; *quæ plangebant, & lamentabantur Eum* ſolæ : quia, *promtiores ſemper ſunt*, Oleaſtrô ſuffragantê, *feminæ, ad opera pietatis ; quàm viri.* Liquet ergo : viros quidem, non ſequelæ, ſed, pietatis officio defuiſſe ; indéque, nec â Dominô cenſos fuiſſe, velut unà ſociatos : cùm ei nemo, niſi, per devotam compaſſionem, conjunctus eſſe judicetur. Non vacat in planctûs, & muliebris lamentationis modum, aut vehementiam pluribûs inquirere. De modô diſtinctionem Franciſcus Lucas expreſſit, aſſerens : *Lamentari, eſt oris, & oculorum : Plangere, manuum.* Oculîs igitur, & orê, dolentes compatiebantur, &, palmas concutientes, ejulabant ſuper iniquâ ſententiâ, contrà Jeroſolymæ Thaumaturgum prolatâ. Planctûs autem hujus, non eſt, qui poſſit exæquare vehementiam. Cùm enim (ut B. Lydwinæ, S. Mariæ de Ognies, Divarúmque, Catharinæ Senenſis, &, Magdalenæ de Pazzi, luctus inmodicos, & ecſtaticæ compaſſionis inexplicabiles exceſſus ſilentiô venerabundô prætéream) in hîs ipsîs, quas hîc intueor, ſolâ cogitationê, cum piô devotæ mentis affectu, Dominum ſuum, ad ſupplicii locum ſub Crucis onere progredientem ſequenres, tanta ſe, per oculos, atquè ſingultus, intimæ compaſſionis exundatio prodat : quantò major, ex objectîs coràm, Domini, cùm injuriis, tum doloribûs, in pia devotarum corda mulierum, lugubris inde ſenſûs exprimendi vis, & violentia fuiſſe cenſenda eſt ? Non enim fallit Satyrici Juvenalis vetus aſſertio : *Segniùs irritant animum, demiſſa per aures ; quàm, quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.*

VI. Aliud explorandum in hoc mulierum lamentantium planctu videtur : An, quæ tam apertæ, tam profuſæ, tam ſingultibûs, gemitibûs, & querulîs exaggeratæ vocibûs lacrymæ fuerunt, etiam

Ludolphus de Saxonia, de vitâ Chriſti. p. 2. cap. 62.

Didacus de ſtella, in Lucæ locum cit.

Ludolph. locô cit.

Oleaſter. in cap. 35. Exod. v. 22.

Cit. à R. P. Gregorio à JEſu Marianum. 6. Tom. 2. fol. 203.

Juvenalis Sat. 2.

Franciſ. Lucas in Lucam.

S. Iſidorus Peluſiota. Lib. 2. Epiſt. 285.

etiam probatæ Domino, gratæque fuerint, & acceptæ? *Perſpicuum enim eſt illud*, Peluſiotæ ſancto: *commiſerationem, ei quidem, qui invitus patitur, ſolatium; ei autem, qui ultrò, ac ſponte, contumeliam afferre: Siquidem ei, qui non invitô animô patitur, commiſeratio pro contumeliâ eſt. Quandoquidem igitur ipſe, ſponte, ad patiendum ſe conferebat, ut mortem extingueret: Eum autem, qui laudibûs, ac applauſu dignus erat, illæ fletu, ac lacrymîs proſequebantur: propterea (ùt quidem nonnulli exiſtimant) ipſis malum imprecatus eſt; ré verâ autem calamitates ipſis, eventuras prænunciavit.*

Stephanus Menochius in Storeis. Centur. 4. Cap. 89.

Novimus magnô de Socrate (qui tantùm non nominê, virtutis certè profeſſionê, fidelibus accenſendus eſt) inter noviſſima cordis invicti, nullâque ſuperabilis adverſitatê, ſpecimina commendatum: quòd, ad ſupplicium per urbem eductus, ubi conjugem fortè, ſuæ ſortis acerbitatê percuſſam, & illacrymantem conſpicatus fuiſſet, id commiſerationis eidem, & muliebris planctûs probroſum magìs, quàm laudabile, prohibuerit officium, inquiens: *Deſine flere, uxor: hoc enim tibi maximæ futurum eſt gloriæ: fuiſſe uxorem ejus; qui injuſtâ ſententiâ mortis condemnatus fuit.* Animi magni muliebres in ſuîs tormentîs fletus deſpiciunt: nequè deplorari ſe patiuntur in iîs; quæ non inviti, ſed voluntariè; non cum opprobriô, ſed cum triumphô; non ad interitum, ſed, ad victoriam patiuntur. Idem in Servatoris mentê fuiſſe, D. Leo, ter mitratus, cum S. Peluſiotâ ex Lucæ verbîs conjecit: *Converſus autem ad illas JEſus, dixit: Filiæ Jeruſalem! nolite flere ſuper me; ſed, ſuper vos ipſas flete; & ſuper filios veſtros!* Hæc enim, *reprehenſionis inſtar, obliquè factæ*, D. Iſidorus accepit; quâ, *planctum Dominus JEſus* (ùt addit S. Leo) *ſibi dedignabatur impendi: quia, non decebat luctus, triumphum; nec lamenta, victoriam.*

Godefrid. de Lit. ſacrif. Veſpert. Conc. 31.

Lucæ. 23. v. 28.

S. Iſidor. in Cat. Græc. in hunc locum.

S. Leo M. ſerm. 10. de Paſſ. c. 3.

VII. Subſiſtamus hîc parumper, expenſuri verba, magnîs plena myſteriis: cùm, ea fatus, ipſe quoquè ſubſtiterit in exitu Dominus: utì, cum pluribus, ex vetuſtîs Jconiſmîs terræ ſanctæ notavit Adrichomius: *Cùm autem exiret Jeroſolymâ, parvô intervallô, nonnihil ſubſtitiſſe, quietis gratiâ, ferunt: & hoc, ſuprà petram quandam; quæ adhuc peregrinis, viſentibus loca ſancta, oſtenditur: ubi & feminas eſt allocutus.* Non obiter, velut in tranſitu, ſed, ſubſiſtens, mulieres affatus lamentantes, plangentésque Servator, paulô pòſt moriturus, ùt immodicô de fletu redarguit, fleréque prohibuit; ità continuò flere rurſùs voluit, atquè præcepit. Magnô ſanè myſteriô (quod præterire, Dominô ſubſiſtentê, non licet) muliebris illa fletûs correptio, correctióque non vacat. Videtur

Adrichom. in Deſcript. Jeroſolym. num. 118.

tur enim is, qui cum lacrymîs diffluit, humidô de cerebrô natus, naturæquè magis, quàm animi, ſeriò commoti, devotus affectus eſt, cum adjunctô piæ peregrinationis officiô, per ſequelam ad ſupplicii locum ſuſceptam, in cenſu nullô veræ pietatis, â Servatore piiſſimô reſpici: nè de ſuîs gemitibûs, & ſuſpiriîs, & lacrymîs, mollibûs illîs, fluxîsque teneræ devotionis officiîs, quibûs mulierum, ad fletus pronæ mentes, quôlibet impulſu doloris commotæ, ſicut abundant ſubitò, ſic & momentô deficiunt, pro ſupremô judiciô quidquam ſibi polliceantur: cùm ſuper admiſsîs, tam propriîs, quàm liberorum flagitiîs, quæ Dominus in ſuâ Cruce portavit, ne ſtilla quidem unica doloroſi fletûs, de contritô corde manaverit. *Cauſam Paſſionis*, ait S. Vincentius Ferrerius, *jubet deflere: id eſt, peccata præterita, & futura; quæ Chriſtum pati, ordinê juſtitiæ, fecerunt: ſuper quibûs, doloribûs affici, ad ſalutem neceſſarium eſt.* Secùs verò lacrymis indulgere, dum forſan Orationê patheticâ Dominicæ memoria Paſſionis ingeritur; eámque deplorare, cum gemitu; plangere, cum inconditâ jactationê membrorum; lamentari, cum ſingultibûs, & ejulatu muliebrî (ſceleribûs, nequè correctîs, nequè fletu pœnitentiæ deploratîs) cum ſomniantium lamentis, riſu dignum videtur; nam & iſti, poſtquàm vigilaverint, in riſum, per ſomnium viſa, convertunt. Frequenter tamen contingere videmus; quod accidiſſe ſibi quoquè, non ſemel, B. ipſe Simon de Caſſia, magnus, maximi Patris Auguſtini filius, & Eccleſiaſtes teſtatur: *Auditâ Chriſti Paſſionê, multos, etiam reprobos, prorupiſſe in lacrymas; quas, ut elicerem*, ait ipſe, *ab oculîs audientium, concionando ad populum, ſtultè, neſcio, an peritè, per pia verba ſæpè tentavi: cúmque ad propria remeâſſe illos aſpicerem, Chriſti paſſionibus, & lacrymis vale dixiſſe cognovi; &, de priſtinâ converſationé nihil mali fuiſſe ademtum; nec fleviſſe facinora, propter quæ paſſio fuit collata, quam fleverant. Quibus, & ſimilibus cæteris, gratiùs eſſet, atquè ſalubriùs, quàm Paſſionem, Paſſionis elementa fleviſſe*: prout â Domino ſunt admonitæ, dum ſubſiſteret in viâ, cum reprehenſionê, ſimul & comminationê, plangentes mulieres: *Super vos ipſas flete; &, ſuper filios veſtros! Quoniam, ecce, venient dies; in quibûs dicent: beatæ ſteriles! & ventres, qui non genuerunt! & ubera, quæ non lactaverunt! Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos! & collibus: Operite nos!* Quàm vehemens allocutio! quàm inſtans, & urgens admonitio! quàm terribilis prædictio! quàm accuratîs expreſſa verbîs, & matribus, propter filios, olim damnandos, impreſſa, judicii minitatio divini!

S. Vincent. Ferrer. cit. â R. P. Greg. â JEſu Maria. fol. 207. num. 8.

B. Simon de Caſſia locô citatô apud R. P. Gregor. â JEſu Maria. Lect. 46. Tom. 2. num. 11. fol. 208.

Luc. 23. v. 29. 30.

VIII. Ju-

VIII. Juvabit autem hujus arcanæ reprehenſionis, quâ matres infelices veritas æterna, ſuam adhuc antè mortem, redarguit, ſenſum occultum ex Pontificalî Magni Leonis indagationê cognoſcere. Nec enim vana conjectura fecit, ità monitis, me malè metuere matribus; quibus non poteſt non imminere terribile, ſimúlque non evitabile, perditionis æternæ judicium, pro neglectâ (quam reparare, perditîs jam in filiîs, nequeunt) ipſi primùm DEO, tum naturæ, cùm, rei quoquè publicæ, debitâ liberorum ſuorum educationê: cujus defectu pretium omne Chriſti ſanguinis, & mortis, & infinitæ redemtionis theſaurus, cùm in prolibûs, malè moratîs, & pravâ vivendi licentiâ, libertatêque corruptîs, ideóque damnatîs interierit; ipſæ, cum patribus, matres reæ nullum effugii locum ab irâ venturâ, nec in montibûs, nec in collibûs habituræ ſunt, in anguſtias, divinô coràm tribunalî, redigendæ tantas; ut, quas olim, infelices dixêre, ſteriles; tum, beatas: & quas, quia non genuerunt, deſpexêre; tunc venerabiles, atquè felices habituræ ſint: ſe verò, nequè concepiſſe, nequè genuiſſe, nequè lactâſſe proles, in earum, unà ſecum, æternam damnationem, cum ventrum ſuorum, ac uterorũ execrationẽ, ſint optaturæ! Deductus in hanc reflexionem, ex verbis Domini mei, ſum â Divo Leone, per hanc eorundem interpretationem: *Non eſt; quòd dolére me, Jeruſalem filiæ! debeatis. Pro vobîs plangite; & pro veſtrîs filiîs ejulate! Super illos fundatur iſte ploratus; quos, tales, viſcera veſtra pepererunt.* Hæc â Servatore (judicê, magnô Patrê, Leonê) parentibus, tum pro ſê, tum pro filiîs (quorum *nominẽ etiam filiæ continentur*) indicta fuiſſe plorandi cauſa cenſenda eſt: quia *tales viſcera veſtra pepererunt*; qui, per diſciplinæ continentiam, immorigeri; per libertatis indulgentiam, protervi; per pravitatis conniventiam, indomiti; per inſtructionis negligentiâ, perverſi; per diſſimulationem erratorum, infruniti; per approbationem delictorum, obſtinati; per malam deniquè prælusionem, & pejorem inductionem, & peſſimam nefandorum præceptionem, corrupti penitùs, ac in voraginem vitiorũ omnium præcipitati, tandem in gehennã prolapſi, miſerrimè jam, æternúmque perierunt.

S. Leo. M. ſerm. 10. de Paſſionẽ.

Text. in L. quodſi nepotes. in fine. vide Pratejum in Lex. Fur. V. Filius.

IX. Adeſt inde, mei locô dicturus nunc, talis damnatus, Actionê quidem, in humanô, civilîque jurê, non expreſsâ, ſed innominatâ, niſi de Factô; quô, jus agendi Filius, adversùs Patrem, acquirit, *de injuriâ atrocî, ab eô illatâ.* Hôc ergo nominê (qualis enim atrocior eſſe, vel irrogari

Vide Socin. Regul. 164. cit. à Barboſ. in Axiomat. Lib. 14. cap. 12. Axiom. 5.

gari Filio poteſt â parentibus, injuria; quàm hæreditatis æternæ ſubtractio?) hôc, inquam, nominê jam adeſt, ſuos palàm, per quos natus Mundo, ſed educatus Inferno, datusque fuit, parentes, ùt ſui reos interitûs, accuſaturus; ità, ſocios quoquè, perditionis poſtulaturus, infeliciſſimus Filius. Niſi triſtis umbra me fallit, idem videtur eſſe; de quô Societatis noſtræ, dignus omnî fidê Sacerdos (qui poſtliminiô reverſus eſt ex eôdem, in quô tragicus caſus accidit, locô) quod Urbs tota conſpexit, poſteris retulit, memorandúmque reliquit. Viro nobili filius unicus, & familiarum trium opulentiſſimus hæres fuit, integerrimîs, cùm noſtrâ viveret in diſciplinâ, moribûs. Hâc autem, (ſuperatâ ſcilicèt ferulæ cenſurâ) vix dum exemtus, continuò & pius eſſe deſiit, & innocens; eò, per licentiam laxatâ conſcientiâ, paulò pòſt abreptus; ut, ſcortator publicus, audiret, & mœchus. Nihil proficientibûs, ad frugem reducendo meliorem, precibûs, monitîs, objurgationibûs, per quosvis adhibitîs, ultimum evertendæ malitiæ tentavit arietem admovere, per patrem, Eccleſiaſtes noſter, hunc hortatus: ut in Filium, non jam Heli, ſed, ejuſdem zeli cum Zaleuco, vindex nimirum offenſi Numinis, eſſe continuò nè cunctaretur: exigeret ſeveras pro commiſsîs, jam fœtentibûs, â filiô pœnas: abſtraheret ab adulterinîs amoribûs; &, â fidei conjugalis injuriâ, per publicam conſuetudinem diffamatum jam, adoleſcentem coërceret. Tantùm autem abfuit; ut in Filium animadverteret, pro DEO, pater: ut etiam, delata rideret, objecta exploderet, opponerétque: hæc, adoleſcentûm eſſe vitia: fervorem illum, poſtulatô rigorê temperari non poſſe: donec ipſe deferveat, indulgendum æſtui. Quô reſponſô, Sacerdos, altiorî jam commotionê vehementiùs exardeſcens, divinôque ſpiritu ſuccenſus: metuo, ajebat; &, utinam falſus tibi vates forem! metuo tamen: nè tibi, tuóque filio, vicina jam ſit vindicis DEI manus, utrúmque brevî ſupremum in exitium, & æternum væ dejectura! Vix ab eâ comminationê tertia devolvebatur hebdomada; cùm (quod horrendum eſt, vel memorare ſolùm) in ipſâ ſacratiſſimâ, quam, â triſtibûs Domini myſteriîs, majorem vocamus, hebdomadâ, depravatus ille, paternâque diſſimulationê planè jam protervus, ac perditus adoleſcens, âb adulteræ maritô, ſceleris ipſius in ardore, pollutôque torô deprehenſus, iteratîs ictibûs, unà cum ſcortô, confoſſus, &, in cruorê ſuô, foribûs occluſîs, relictus eſt:

P. Alard. le Roy. Pere de famile. cap. 12. pag. 216. de anno 1614.

eſt: uſquè dum, aditu per feneſtras â vicinîs quæſitô, paucîs pòſt diebûs, gemina cadavera, duplicî criminê terribiliter contaminata, ſpectaculo patuerunt horrendo: cùm interim infelices animæ (quod, inconſolabilis mater, perpetuô ſubinde cum gemitu, ſolum deploravit) æternis addictæ ſuppliciis, non ſe tantùm ipſas, amorésque ſuos, maledictionibûs execrari; ſed Patrem quoquè ſuum Filius, ùt infelicitatis autorem, reum inclamare, accuſare, &, ad pœnæ conſortium poſtulare, quantùm aſſequi per conjecturam licuit, ità, conclamantibûs in eandem actionem, ex eôdem barathrô, pluribûs, parentum culpâ damnatîs liberîs, cum iîsdem occœpit.

X. Maledicte genitor! cujus indulgentiâ miſer excidi hæreditate æternâ; &, momentô incidi in tormenta æterna! Heu, rogos ardentes! heu, flammas urentes! heu, dentes frementes! heu, larvas terrentes! heu fumos fœtentes! heu, vermes rodentes! heu, pœnas extremas, ſinè finê torquentes! *Et audes* (*dic mihi*) *adhuc Pater appellari, ità perditô filiô?* & (quod aureus quondam exprobravit Eccleſiaſtes) *ut in omnibûs vitiîs perderetur, negleclô?* Non eſt hæc mea, unius, objurgatio, te ſolum vocans in judicium, convincens de criminê, poſtulans in pœnam, exigénsque ſceleratæ tuæ, quâ me perdidiſti, conniventiæ debitam damnationem. Idem dirîs lamentîs, horrendîs ejulatibûs, & maledictionibûs infinitîs, ingens, in parî mecum cauſâ, damnatorum turba, contrà ſuos crudeles, & ferîs omnibûs deteriores, quia pernicioſiores, parentes, accuſant, urgent, criminantur, ſuísque decernendum aliquando, dandúmque frementibus poſtulationibus, inter ſuæ, tum conceptionis, tum nativitatis, blasphemas execrationes præſtolantur. O Parentes, primâ, quam attraxiſtis nati, aurâ indigni! per quos vitalis ille ſpiritus mihi ſubtractus eſt; cujus defectu perpetuò morior, nec unquam tamen emorior! An vos in animos aliquándo veſtros illius rei convenientem æſtimationem, dignámque ponderationem admiſiſtis; cujus primam vobis, principémque curam, ipſa quidem, illuſtrata deſuper, humana ratio, tum & fides, & fidelibus omnibus præfixa ſalutis æternæ ſpes commendatam eſſe voluêre? nè, proficientê, cum annorum progreſſu, meæ rationis uſu, per veſtram, aut ſocordiam, aut impietatem, in mê negligeretur, neglecta verò, ſenſim inquinaretur, inquinata porrò, depravaretur, depravata demùm, æternùm damnaretur,

S. Chryſoſt. Tom. 6. Homil. 27.

cum injuriâ Conditoris, contumeliâ Redemtoris, ignominiâ, fraudêque primi Sanctificatoris, anima mea? Non hominum, ſed, brutorum genitores, ut eſſetis, merebamini; quibus unum id ſuffecerat, genuiſſe me, nullâ minùs de rê, quàm communî parentum omnium inſtitutô, ſolicitis; quô præceptum eſt: *Diſcant boni parentes, erudire filios ſuos: ut, quos ſe in hanc vitam gaudent munere acquiſiviſſe naturæ, præparent æternitati ſoliditatê doctrinæ: inſinuent fidem, doceant religionem, præcipiant caſtitatem. Majorem ad pignora veſtra non poteſtis adhibere pietatem; quàm, ſi per vos cognoſcant animarum parentem: quàm, ſi per vos in boni Patris tranſeant adoptionem: quàm, ſi per vos efficiantur cœli hæredes.*

Euſebius Emiſſenus, ſeu Gallicanus. Homil. 4. de Epiph. Tom. 6. Bibl. PP. ſecul. 6. fol. 626. Lit. H. 2.

XI. Hæc autem inferior omnibûs erat, cura veſtra; poſtremáque, proh vecordiam! animæ meæ, ſervandæ cœlo, Deóque, per officia pietatis reddendæ, atque ab interitu vindicandæ ſolicitudo: cùm eam, videntes, tacentes, ridentes, imò, nequiſſimis etiam facinoribus applaudentes, æternùm perire ſciviſtis, & ſiviſtis. Animam dico, meam, perire ſiviſtis! Ah, qualis iſta, quantæquè rei perditio? *Tantam habet jacturam* (experior id nunc, utì quondam exaggeratum Divi Chryſoſtomi verbîs, audivi quidem, ſed exploſi, ſed ſprevi, ſed credere tantam nolui) *ut nulla eam ratio poſſit dignè æſtimare. Quandoquidem unius animæ ſalus tanti eſt: ut ob hanc filius DEI fieret homo; tantâque pateretur.* In trutinâ Crucis, ubi meæ pendebat animæ cauſa libranda, *non aurum, vel argentum, non aliquid Angelicum, ſed ſemetipſum paſſus eſt autor ſalutis appendi.* Hoc pretium, quod nè mille quidem Orbes exæquare cum ſuîs omnibûs theſaurîs valent (etſi tantæ forent, quanti ſunt, etiam ſinguli, margaritæ,) vos, per inertiam, & incuriam, per diſſimulationem, & indulgentiam, per mei neglectam inſtitutionem, relaxatam diſciplinam, intermiſſam eruditionem, cohibitam correctionem, remiſſam caſtigationem, & veſtram ipſorum, exempli peſſimi, vitioſam, ſceleratámque vitam, ad omnem licentiam, occultô quôdam impetu, me, pronum aliunde, lubricúmque, præcipitantes, eheu! perdidiſtis. Quantum inde gravamen veſtræ creditis incumbere conſcientiæ? Quòdſi ſenſum ejus non habetis; nequè gravari vos adhuc eô ponderê perſentiſcitis (quod quidem extremæ proprium eſſe malitiæ conſuevit: ut, niſi, cùm interit, ſe premi, demergíque molê ſcelerum prægravantê non advertat) illud interim indubium habetote: *ſi parentes in ſuo officio defuerint, procul dubiô expectent, ſibi fore: ut antè ſeveriſſimum tribunal culpæ tribuantur, omnia peccata; quæ liberi*

Euſebius Emiſſenus. Homil. 2. de Symbolo.

S. Chryſoſt. cit. á P. Engelgrave in Panthεô oct. Feſt. SS. Innocent. §. 1.

S. Carol. Borrom. Act. Eccl. Mediol. Concil. 5. Provinc. pag. 288.

liberi non commisissent; si suas illi partes, maximè debitas, præstitissent.

XII. Et in hôc jam cardinê vestra stat, nec everti vel precibûs, vel gemitibûs, vel cujúsquam defensionê poterit, constricta causa. Tribunal divinum est, æquum scilicet, atquè justissimum; coràm quô meorum omnium delictorum in vos culpam declino: non, quòd ipsè damnari non merui; sed, quòd per vos, dum peccare nec sum prohibitus, nec absterritus, hâc fuerim, indulgentiæ vestræ culpâ, sicut in scelera, sic & in hanc voraginem infelicitatis ineluctabilis prolapsus: ubi vos, mecum, par meorum omnium criminum, ex participationê reatus, quantô jam tempore postulat, exigítque, non damnabiles modò, sed jam esse damnatos? Nôstis: *qui non vetat peccare, cùm potest, jubet.* Nôstis: *Invitat culpam, qui peccatum præterit.* Nôstis: * *Tacens consentire videtur*: ** *Ex taciturnitate enim arguitur voluntas, & approbatio ejus, quod gestum.* Et, si fors vestram latuit scientiam, conscientiæ tamen, rectæquè rationis alienum â dictamine esse non potuit; nequè, quod monuit Augustinus: *Si neglexeris corrigere; pejor eô factus es, qui peccavit*: nequè, quod arguit Gregorius: *Qui emendare potest, & negligit, participem se procul dubiô delicti constituit*: nequè, quod severissimè Bernardus minatus est: *Nemo vitia palpet: nemo dissimulet. Est enim, consentire, silere; cùm arguere possis. Et scimus: quia similis pœna, & facientes maneat, & consentientes.* Ex hîs culpæ vestræ præjudiciîs humanîs, nunquid, omnî jurê, divinam adversùm vos vindictam, justúmque damnationis vestræ judicium inclamo; qui, nisi vestrâ lenitatê, mollitiêque corruptus, tantâ nunc severitatê non corriperer? *Pereat dies, in quâ natus sum! & nox, in quâ dictum est: conceptus est homo! Non computetur in diebûs anni, nec numeretur in mensibûs!* Utinam natus non fuissem! nec enim quidquam debere me sentio, nisi maledictionem, & exprobrationem, ebrio patri; de quô sum, in abundantiâ vini, pecudê magìs, quàm hominê, libidinêque potiùs, quàm, voluntatê conceptus. Nec ulla matri ratio me tenet obnoxium; quæ, non tam mei, quàm, suarum cupida voluptatum, si non, etiam prorsùs invita, si non, adhuc in visceribûs execratum, genuit me, suîs non tantùm, genitalî cum sanguinê, lactêque nutritiô, congenitîs mihi vitiîs, ab originê jam, & ex uterô contaminatum; sed, insuper etiam, officiô matris in solius mei corporis curam, cultúmque perversô, velut Carni, Mundo, Dæmoni, & Inferno natum corrupit, meam, desuper inspiratam, Deique similitudinê

Indict. 4. Epist. 64. S. Bernard. in serm. de Nativit. S. Joannis. cit. à S. Bonavent. in pharetrâ. cap. 38.

Job. 3. v. 3. & 6.

*Seneca Trag. Mimus Publ. in sent. sent. 185. * L. 2. §. voluntatem. ff. soluto Matrim. l. qui tacet. ** Dd. in l. quæ dotis. 23. ff. solut. Matrim. Felin. in cap. Nonne. de Præsumt. S. August. serm. 16. de Verb. Dom. S. Gregor. in Regist. lib. 9.*

dotatam, nè quicquam curans animam, nec pro ſalute ſolicita, nequè cœli, nequè DEI memor, maternæquè totius, cùm pietatis, tum obligationis oblita.

XIII. Ità natus, omnîque veſtrâ curâ, meam tantùm in perniciem educatus, quid aliud, nisì ſcelus, nisì ſcandalum, nisì cæterorum corruptela, nisì juventutis opprobrium, nisì Chriſtiani nominis, & religionis injuria, nisì perpetua Numinis offenſa, nisì character perditionis, & Inferni vivus eſſe titio potui; nè dicam, debui? ſed, veſtrâ culpâ, veſtrô criminê, veſtrâ demùm, quam Orbis omnis pronunciat, juſtâ damnationê. Nam, *omnia, quæ deliquerint filii*, ſic ab Origene definitum eſt, *de parentibûs requiruntur; qui non erudierint, nequè corripuerint eos. Hi enim filiorum animos igni inextinguibili in interitum tradunt; & ſemetipſos in furorem judicii demergunt.* Non eſt, hâc incuſationê, plùs æquô, quicquam exaggeratum. Si jumenti reus fit, qui non pavit, qui neglexit, qui ſciens, volens, in præceps induxit, aut egit; aut, quod graviùs eſt, etiam impulit: quis meorum vos lapſuum, & ultimæ perditionis cenſebit expertes? â quibûs nihil eorum, quæ faciunt ad ſalutem, paternâ mihi providentiâ præſtitum eſt: illorum verò, quæ ſeducunt â DEO, quæ trahunt in ſequiora, quæ, lubricum aliundè, præcipitant in interitum, nihil non, in omnem abundè partem, ad omnia mala, cognatô ponderê, proclivi mihi, liberaliſſimîs impendiîs â vobis congeſtum, ſuggeſtum, ingeſtúmque, nolenti quoquè, reluctantique ſuit. Quando vos unqàm, ut innocentiam integram, ſanctámque conſervarem, admonuiſtis? ut conſcientiam, prava diſſuadentem, obſervarem, urſiſtis? Ut Deum, timerem judicem; diligerem, Patrem; ſperarem, remuneratorem; &, finem ultimum, unicè ſpectarem: an ſemel, adhuc docilem ſalutis, ità me vos inſtituiſtis? Num vos, jam agnitum in me libertatis uſum adſtrinxiſtis: ut in viâ DEI mandatorum ſolicitus, cautúsque progrederer? ut in officia pietatis, ex obligationê Chriſtianæ vocationis, ritè, conſtantérque incumberem? ut æternæ felicitatis negotium, ſemper vigilî, primâque curâ proſequerer? Quando vos, ut bonus, ut modeſtus, ut continens, ut vîrtutibûs ornatus; ut, in rebûs ad animam pertinentibûs, eſſem accuratus; ab omnî verò pravitatê morum, ac vitiîs liber, & alienus? verbô: probus ut eſſem, & moribûs, ac litterîs optimîs eruditus; quando vos unquàm id â me, providi de mediîs; vel, ſoliciti de modîs; vel ſerii, per admonitiones; vel ſeveri,

Origenes. L. 1. in Job.

veri, per correptiones; vel ipſâ veſtrâ converſationê, vel, aliâ quâvis induſtriâ paterni muneris inſtantes, exegiſtis? Quaſi verò veſtrâ nihil interfuiſſet; quod parentibus omnibus, mater omnium eadem, natura commune voluit eſſe præceptum: *Has primas filiis veſtris providete opes; has eis immortales procurate divitias; hanc eis, poſt vos, hæreditatem relinquite. Oſtendite eis, de converſationé veſtrâ, fugere malum; appetere bonum; odiſſe peccatum; timere judicium.*

Euſebius Gallicanus Epiſc. loeb cit. fol. 627. A. 1.

XIV. Sine, juſtiſſime DEus! totum ut pondus meæ damnationis exonerem; &, unde meorum peccatorum cumulata ſit moles, quâ tam profundè ſum depreſſus, nunquàm ampliùs emerſurus, coràm tuô tribunalî (quod nunc omnibus patet, audiendis, judicandísque cauſis) objurgationê publicâ, meorum parentum debitam ultionem impetraturus, expromam. Quidquid in mê reprobum, depravatum, turpe, criminoſum, ſceleratúmque tua juſtitia damnavit, eorum eſt culpa; quorum præcipua fuit, ſoláque cura: pulcher ut eſſem, & comtulus; ut in humeros alba defflueret, æquîs cirrîs flexa, tortáque cæſaries; ut officiîs, comiter ſalutandi, differendíque præcellerem; ut in mecum oculis, omnium amores attraherem; ut, qui concupiſcere per ætatem nec poteram, concupiſcentiam tamen puellarem illicerem, & nutrirem, per formam; ut ex aulæ, Mundíque geniô, quaſi Mundo natus, puer adhuc, mores omnes, vitámque componerem; ut excelsô vertícê, velut ipſô mê major, & greſſibûs, ex theatri legê dimensîs, preſsô calcê progrederer; ut niteret è ſericô veſtis, in habitus quósque varios, prodigô ſumtu formata; ut victûs ratio non ſolùm ad alimenta, ſed gulæ blandimenta ſuppeteret; ut in omnî mollitiê proſpera ſemper eſſet, integráque virium, & corporis valetudo; ut, quidquid arrideret oculis, allubeſceret votis, primos ad nutus affluereret: nè gratiam vultûs mœror aliquis, ex defectu, turbaret, atquè confunderet. Omnis demùm eorum providentia, ſolicitudo, ſolertia, labor totus, in id incubuit; ut, ſuperſtes aliquando, lautô patrimoniô, fundîs ampliſſimîs, & hæreditatê tam copiosâ gauderem; unde, vacuus curarum, plenus deliciarum, ſplendidè, lautè, Sybariticè poſſem, & luxurioſè, vitam omnem exigere.

XV. Quô quidem conſiliô, conatûque ſuô, quid hominis, rationê præditi; quid Chriſtiani, per Evangelium inſtituti; quid Patris fidelis, aut matris, æternâ ſuâ pro ſalutê (propter fidelem prolis educationem promiſsâ) ſolicitæ, vel exhibuerunt, *1. Timoth. 2. v. 15.*

Cornelius à Lapide, in loc. citatum, ex D. Chrysostomo. Educatio enim est, quasi completa generatio, & formatio filiorum. A. 2 fol. 773.

vel præstiterunt? imò, quid quidem aliquando, vel ingesta non hîs omnibûs, maledictîs de suggestu fuêre, vel, in mentem, per conscientiam obtrusa blanditiarum suarum, & insani ergà me amoris officiîs, venêre) postremô locô relidquid non impietatis, atque, â ctîs, quid mirum? quòd pofide totâ, totôque cœlô delitior eorum cura fuerit; ut, elerantis, & prorsùs alienæ mengant er in choreas exercitis, salitis parentes hi mei testati sunt? rent pedes ad numeros: quàm, Nihil enim ad se minùs pertineut ambularem in legê tuâ sinè re censuerunt; quàm, aureum offensionê, viámque mandatoillud Antiocheni Præsulis, â prorum tuorum, sinè cespitatione, lis cujúsque natalî diê, parentum lapsûve decurerem. Quòd anomnium conscientiis illigatum xii magìs fuerint, atquè tantùm dogma: *Magnum habemus, pre-* non in id unum intenti; nè con-

S. Chryso- Homil. 9. in Epist. ad Tit. cap. 3.

tiosúmque Depositum, filios! Ingentî illos servemus curâ, atquè omnia faciamus: nè fur id nobis astutus auferat; cepta spes optatæ posteritatis omnem, cum ipsis, felicitatem, in meæ flore juventutis evanecùm temporaneam, tum persceret: in id verò nè minimum petuam, non eorum tantùm, quidem studium impenderint; sed, & nostram ipsorum, ab- ut ad vitam æternam, indiès aulaturus. Longè fuit, utì hæc, ctiorî maturitatê morum, proîtà Gallicani quoquè Præsulis, ab ficerem. Quòd omnis eorum eorum cordibûs, pia, salubrís- conatus, & providentiæ paterque cogitatio; quam enixè pa- næ dispensatio tota, non aliô rentibus cunctis persuasam esse fuerit occupata consiliô; quàm, cupiebat: *Duplex vobis commodum*

Eusebius Gallicanus, seu Emissenus. Tom. 6. Bibl. novæ PP. fol. 626. in fine, & 627. Homil. 4. de Epiph.

erit; cùm salus ad filios vestros, de vestrâ salutê, transierit: ut, cùm per vos ad illos pervenerit, ex illis ad vos multipliciter revertatur: hoc enim, bonum, dando, non consumitur, sed dilatatur; & magìs, dum transfertur, acquiritur; ac, modô mirô, & transmittitur, & retinetur: siquidem salubrî, jucundôque commerciô, & accipientis lucrum, & tradentis augmentum est.

XVI. Hîs ignoratîs, aut (si nunc amissæ) sempiterna felicitas, divinô sanguinê comparata, certam in salutem firmari posset, ac deberet. Hâc autem ex præposterâ curâ perversissimi parentes mei, non mea duntaxat accusationê, sed, sapientûm, & sanctorum omnium.

acer-

acerbiſſimâ criminationê, convincuntur æternâ damnationê digniſſimi? Egerunt enim in mê; quod Senenſis frequenter incuſavit Eccleſiaſtes: *Tantùm corpora nutriunt, morésque negligunt, & contemnunt: unde ſceleſti ſiunt.* Fecerunt in mê; quod Antiochenus vehementer exaggeravit, aurilo-

Si Bernard. Senenſ. Tom. 3. in Dom. 3. poſt Pent. Art. 2. cap. 1.

quus Orator: *Nihil non agunt: ut filii equum habeant bonum; ut ſplendidas veſtes; ut ſumtuoſum agrum: ut verò ſit animus bonus; ut pia voluntas; nullam habent rationem.*

S. Chryſoſt. Tom. 6. Homil. 27.

Perfecerunt ad literam, quod Imperfectus exprobravit, ad Chriſtianæ religionis ruborem, ac verecundiam: *Deſiderant filios, valere in ſeculô iſtô: & non curant; quid paſſuri ſint in aliô. Militias provident, & honores: ſed nemo filiis ſuis providet Deum. Perditionem illorum cum magnô pretiô comparant: & ſalutem illorum nec donô accipere volunt. Si viderint illos pauperes; triſtantur, & ſuſpirant: ſi autem viderint illos peccantes; nemo triſtatur.*

Imperfect. Chryſoſt. hom. 3.

XVII. Sed & hoc, modicum, exiguúmque cenſendum eſt, ſi cum eo fuerit expenſum; quod & gravius, & multò criminoſius, &, ultimô damnandos orcô parentes hos omnes exigere videtur (â quibus, auctô, per Evangelii profeſſionem, ſcelerê peccatum eſt) quod, ſuis quondam Ethnicis improperando,

Quintilianus in Declam.

Quintilianus indoluit: *Antè, palatum eorum, quàm, os inſtituimus; in purpuris repunt; in lecticis creſcunt: & (quod acerbiſſimum eſt) gaudemus; ſi quid licentiùs dixerint: verba, nec Alexandrinis quidem permittenda delicijs, riſu, & jocô excipimus.* Idem iſtud eſt, de quô ſuum quoquè Patrem, reſipiſcens olim, Auguſtinus incuſavit: *Non ſatagebat Pater meus; qualis creſcerem tibi*; aut, quàm *caſtus eſſem! dummodò eſſem diſertus*, non quidem illâ, quæ caſta, quæ pudica, quæ ſobria, quæ DEUM, ſanctáque fatur, eloquentiâ; *ſed, deſertus potiùs à culturâ tuâ, DEUS!* Et, ut epitomen atrociſſimæ perditionis meæ, quam de parricidalibûs parentibûs queror, incuſo, vindicatâmque præſtolor, unâ delationê complectar: adversùs me, multósque meæ ſocios damnationis (cùm necdum integræ rationis officium, plenum nobis, recti, perverſique diſcrimen indulſerat) jam tum actum eſt â maledictîs illîs; quod graviſſimô ſenſu, per Jeremiam, offenſa Pietas tua damnavit in populô fidelî. *Filii colligunt ligna; Patres ſuccendunt ignem; mulieres conſpergunt adipem: ut faciant placentas reginæ cœli; & libent diis alienis; & me ad iracundiam provocent.* Quod quidem, cum enormis malitiæ delictô, tunc accidit: cùm ex nobîs, per debitæ ſubtractionem diſciplinæ neglectîs, noxiarum cupiditatum frutices, (illa, fomitis inſtar, è ſcintillâ quâlibet,

cit. ab Engelgr. L. E. p. 2. Dom. 6. poſt Paſcha. §. 2. circà finem.

S. Auguſt. Lib. 2. Confeſſ. c. 3.

Jerem. 7. v. 18.

bet,

bet, ardentia ligna) pullulârunt; quibus Patres, approbationê ſuâ perniciosiſſimâ, ſubjicere faces ardentes; matres autem ſtultæ, ſuarum blanditiarum adipem affundere conatæ ſunt: unde vanitati, veluti terreſtris cœli reginæ, tota ſubinde vita, fœdum in ſacrificium devota ceſſit. Nec enim aliud exinde placuit Numĕ; quàm, bibulus Bacchus, voluptaria Venus, nummularius Pluto. Quid autem, in hâc tantâ perverſitate, non ſimile fuit illius; quod ingentî clamore deteſtatus, execratúsque Vates regius accuſavit? *immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis; & effuderunt ſanguinem innocentem*! non noſtrum tantùm, filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum; ſed, unde ſuam noſter innocentiam hauſerat, omnéque, quod inerat ei, pretium ſumſerat, innocentiſſimi Filii tui, quô redemti ſumus, divinum ſanguinem perdiderunt!

Pſalm. 105. v. 37. 38.

XVIII. Quibûs jam lamentîs, quô fremitu, ſtridorêque dentium, quô, dirô ſatis, ululatu tantas injurias exaggerabo? *O Patres, parricidîs immaniores! Illi enim, corpus ab animâ ſeparant: iſti, corpus, & animam, æternis ignibus tradunt. Atque is*, (hoc eſt, quod miſericordiam non admittit; quod excuſationem non recipit; quod veniæ ſpem omnem avertere debet, & evertere!) *is quidem, qui corporê occiditur, neceſſariò, naturali legê, etiamſi necatus non fuiſſet, moreretur: noſtrûm verò quisquè ſempiternam mortem vitare potuiſſet; nisì hanc illi conſciviſſet paterna negligentia*! Quàm verax fuit Auguſtini, cum gemitu, quondam facta comminatio? *O doloſa libertas!* *O grandis filiorum perditio! O paternus amor, mortiferus! Ecce! filios ſe, dicunt, diligere; quos jugulare procurant! dicunt, eos amare; quibus æterna tormenta parant! Valdè perniciosè ſentiet filius, patris lenitatem: ut juſtè poſteà ſentiat DEI ſeveritatem*! Quantò beatior mea ſors nunc eſſet? ſi, non Lenora, nè dicam, lena, per ſua lenocinia, ſed, aut barbara fuiſſet, aut leæna, mater mea; quæ, ſacrîs ablutum undîs, inciſô jugulô, parvulum (ſi tam inſanè, perditéque dilexit) impotentiâ rabidi devorâſſet amoris; &, in ſua rurſus viſcera ſuſcepiſſet, pro tumulô! non enim ſepultus jam in Infernô, meus eſſem, ipſe mihi, tortor perpetuus. Utinam Parthô patrê (fidelî tamen) progenitus! partus fuiſſem longè felicior. Excluſus enim puer innocens patris â vultu, nunc, exul non eſſem, & projectus æternùm, in tenebras exteriores â faciê DEI! quam amiſiſſe, juxtà, ac periîſſe, nè quicquam differt.

S. Auguſt. ſerm. 33. ad FF. in Eremo.

Idem in Pſalm. 50.

S. Chryſoſt. lib. 3. adverſ. vituper. monaſt.

Textor Raviſ. in Offic. Lib. 7. cap. 48. fol. 819. in medio.

XIX. Hujus verò meæ perditionis culpam, ulláne poterit â vobîs, vindex excuſatio veſtræ cauſæ ſubtrahere? Conſtringitur enim

enim ex omni parte reatus, tum, quòd homines, tum, quòd fideles, quòd Evangelicîs obligati præceptîs, quòd eruditi ſcripturarum ſacrarum oraculîs, quòd Patrum ſanctorum antiquîs, quotidianîsque divinorum Oratorum documentîs, & inſtructi palàm, & privatim, cùm admoniti, tum reprehenſi (vix dum parentes eſſe cœpiſtis) de veſtri muneris, & patriæ curæ debitô fuiſtis. Quid acceptum Numini reddiderit primam, omnium fidelium Patriarchæ progeniem, non vos latuit, poſt manifeſtatam, ipſius ore Domini, benedictionis eidem deſponſæ cauſam: *Scio enim; quòd præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ, poſt ſe: ut cuſtodiant viam Domini; & faciant judicium, & juſtitiam.* Hoc enim illud erat attrahendæ de cœlo divinæ largitatis magneticũ arcanum; unde benedicta poſteritas redditur, & firmatur. Ab eô tamen veſtra quantùm abfuêre conſilia? Quale Regi ſancto ſuîs cum filiîs fuerit familiare colloquium; quod inſtitutionis paternæ princeps argumentum; ignotum eſſe vobis non potuit: quia puerorum omnium cantu vulgatũ eſt: *Venite Filii! audite me: Timorem Domini docebo vos.* Ità nimirum â ſuîs ipſe fuerat parentibûs eruditus; utì faſſus eſt: *Quanta audivimus? & cognovimus ea; & Patres noſtri narraverunt nobis. Quanta mandavit patribus noſtris? nota facere ea filiis ſuis: ut cognoſcat generatio altera. Filii, qui nascentur, & exurgent, narrabunt filiis ſuis: ut ponant in DEO ſpem ſuam; &, non obliviſcantur operum DEI; &, mandata ejus requirant.* Sed aliâ longè, teneris noſtris ingeſta mentibus, & impreſſa, non monimenta ſolùm, ſed & monita, pravitatis antiquæ plena, pietatis vacua, mundanis, cùm inſtitutis, tum axiomatibus conformia, divinîs â legibûs, & ſanctorum prudentiâ prorsùs aliena per vos fuêre! Quando ſeriô vos volviſtis animô, Syracidis præceptum: *Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos â juventute ſuâ. Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum; & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* Noſtram, divinæ legis ignorantiâ, noviſtis, & foviſtis. Morum noſtrorum pravitatem, & licentiam vidiſtis, & indulſiſtis. Inſolentias noſtras, querelîs plurimîs accuſatas, audiviſtis, & exploſiſtis. Perverſa noſtra conſortia ſciviſtis, nec diſſolviſtis. Præmaturos amores noſtros, jam fœtentes etiam, nec occultos ampliùs, ſed palpabiles planè, conſpexiſtis, nec reprehendiſtis, nec prohibuiſtis, nec eis obſtitiſtis: imò, cùm adhuc ferulæ ſubjecti per ætatem eramus, non tantùm non puniviſtis; verùm (proh pudor!) palpâſtis eos; &, in ſpem feliciũ aliquando, fœcundarúmque nuptiarum (nè pietas cum

Geneſ. 18. v. 9.

Pſalm. 77. v. 3. 6. 7.

Eccleſti. 7. v. 25. 26.

Pſalm. 33. v. 12.

ætate mentem forſan aliò noſtram diſtraheret matureſcens) impiè, ſceleratè, flagitioſiſſimè, retinuiſtis in contuberniô; nutriviſtis in conviviô; muneribûs etiam (ut pulcri, comtique dulciùs arriderent, & blandiùs allicerent) excoluiſtis; ipſiquè, quod eſt omniũ deterrimum, dilexiſtis!

XX. Itáne verò didiciſtis, O infamia Chriſtianæ religionis opprobria! itáne didiciſtis â majoribûs veſtrîs? Nunquid ſanctiſſimè conſultum aurei fuit ex Oratoris præſcriptô? *Parentes nihil filiis agere permittant, ex iis; quæ noxiè jucunda ſunt.* Nunquid accuratiſſimè puerilis diſciplinæ formam ſeverus Palæſtinæ ſolitudinis Pater incola deſcripſit, cautionibûs illîs expreſſam? *Nihil aliud diſcant audire; nihil loqui; nisi, quod ad timorem DEI pertinet. Turpia verba non intelligant; cantica mundi ignorent.* Nunquid ipſius æterni Numinis inſtitutô ſapientiſſimô vos obſtrictos agnoveratis, ad correptionem eorum; quæ vitiô depravatæ naturæ de nobîs, necdum voluntate, ſed ignorantî petulantiâ malîs pullulârunt, in ſylvam jugiter addenſanda; nisi per maturæ correctionis aſſiduam cenſuram, & vigilantem virgam decuſſa, ſublatáque fuerint? Hôc enim conſiliô Sapiens monuit: *Noli ſubtrahere á puero diſciplinam. Si enim percuſſeris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties; & animam ejus de Infernô liberabis.* Non ego flammas unquàm in iſtas deveniſſem; nec æternam in hanc mortem præceps cecidiſſem: ſi paternæ me diſciplinæ rigor ſalubris, tenerum adhuc peccantem virgâ perſequens, cecidiſſet. Aptiſſimè pronunciavit Cornelius: *Prædeſtinatio, electio, ſalus, & beatitudo filiorum pendet ab educationê, & virgâ parentum!* hâc percuſſi, nec temporaliter (idcircò) nec æternùm (quia ab Infernô liberati) filii morientur: ſecùs verò, primùm quidem per peccatum, vitâ gratiæ, tum per pœnam, æternâ privati vitâ, ſempiternâ quoquè mortê, ſemper, in Infernô morientur: dum, *vicê versâ*, prout idem pergit, *licentior educatio, ac omiſſio caſtigationis, & virgæ parentum, eſt cauſa reprobationis, & damnationis filiorum. Ex illa enim ruunt in ſcelera; ob quæ reprobantur, & damnantur: fuerúntque ſic eis, genitores, non vitæ, ſed mortis; non cœli, ſed Inferni; non felicitatis, ſed gehennæ parentes.*

XXI. Nec iſta ſola, ſæva, crudelis, & atrox indulgentia veſtra, virgæ parcens, itáque Divinæ me ſubjiciens iræ, me peperit gehennæ. Auctior hujus perditionis culpa de peſſimîs veſtrîs exemplîs eſt facta; quibûs non tantùm, ut auderem peccare (quod conniventia præſtitit) verùm, ut etiam prava contemne-

S. Chryſoſt. Homil. 9. in Epiſt. ad Timoth.

S. Hieron. ad Letam.

Prov. 23. v. 13.

Cornelius à Lapide in locum cit. fol. 245. D. 1.

Idem, Ibid.

mnerem ; ut iniqua, rectè facta cenſerem; ut peccare condiſcerem ; ut, nequè pœnitenda, nequè deſerenda, quæ me damnârunt,ſtatuerem ; ſed, ut in mortẽ uſquè retinere decernerem , non ſolâ fidei , ſed ipſius etiam cum naturæ injuriâ, effeciſtis. Gentilis vos Plutarchus accuſat ; qui nec in ethnicîs eam debitæ pietatis fraudem ſuſtinuit, exigens â parentibûs, naturæ ſolius nominê : *Antè omnia decet, genitores, nunquàm titubando, ſed, omnia rectè agendo, illuſtre liberis, ſemetipſos, exemplum proponere ; quô turpibûs â factîs, & dictîs deterreantur.* Non igitur, ùt ſcrupuloſus, ùt nimiùm, in exactionê, vel exaggerationê paternæ obligationis oneroſus, contemnendus fuerat Gallicanus Antiſtes,Euſebius; cùm parentes chriſtianos hortatus eſt : *Studete , eos ad Domini ſervitutem* (*quæ nobis ſola eſt cauſa vivendi*) *non linguâ erudire , ſed vitâ. Audiant vos ; videant vos : ut , quæ juſta , quæ honeſta, quæ ſancta ſunt , vobis ſectantibûs, & amantibûs, in amore conſueſcant.*

Plutarchus. de Inſtitut. liber.

Euſebius Gallicanus ſuprà citat.

XXII. Nunc totus in mê furoris ardor ſuccenditur ; dum (quod meam in ruinam graviſſimum pondus fuit, &, vel ſolum, ut in præceps agerer , urgerérque, ſufficiens) meorum prava Genitorum exempla memoravi! Non eſt, quod ſæviùs torquet; quàm , pati me, tantîs â Patre, locorum intervallîs remotum! Si vicinior adeſſet ; non ego dentibûs nares ejus, ultor interitûs mei, prehenſas morderem (utì fatalibûs in ſcalîs ille, de patibulô ſalvandus , feciſſe cantatur) ſed, in faucibûs Inferni conſtitutus, unde queror , & fremens, cum pœnæ meæ ſociîs , vindictam inclamo, junctîs manibûs, alius Patrem , alius Matrem , in ſupplicii noſtri conſortium attraheremus ! Illi ſunt enim, per quos hîc ſumus, & erimus, infelices æternùm ! Quòd ego divina neglexerim ; quòd axiomata ſalutis exploſerim; quòd ſacra dogmata , diviníque præcones Verbi contempſerim , inde quotidiè , tantò pronior in lapſus, quantò , per ſubtractum animæ nutrimentum , debilior factus in virtute ; veſtrum delictum eſt : qui (nè damnum ex frigore paterer, hyemê; vel,nè ex calore nimiô languerem, æſtatê) templorum aditu , concionum cumulô, divinorum officiorum frequentiâ prohibuiſtis. *O durum patrem ! O ſævam matrem ! O parentes crudeles, & impios ! imò , non parentes , ſed peremtores ! quorum dolor, ſalus pignoris : quorum conſolatio , mors filii !* Quòd ego ſacrorum DEO virorum affatum exoſus ; indagandæ ſolertiùs divinæ vocationis pertæſus; conſcientiæ meæ , ſtrictius in examen ſæpiùs adigendæ, minimè ſtudioſus; inde verò, tantùm deliciis conſectandis , pro

P. David. in Virid. cap. 49.

S. Bernard. Epiſt. 111. ante med. fol. 134. col. 3. G.

Boëtius. de Diſciplin. ſchol.

genii libertate consueverim; vestrâ malitiâ factum est: quâ sanctos illos, prout odîstis ipsi, mihi quoquè detestabiles, &, velut spectra quædam, ac umbras dæmonum, & ipsismet pernicioſiores, vestrîs calumniîs denigrâstis, infamâstis, & abominabiles reddidistis; ac, velùt humanâ conversationê non dignos, & in Thebaidem, ultimámque barbariem, ipsúmque Tartarum exterminandos persuasistis. Quod quidem Abbati Claravallensi perinde visum est; atquè, *Herodiana malitia, & Babylonica crudelitas: nascentem, velle extinguere religionem: &, allidere parvulos Israëlis. Si quid enim ad salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicunquè resistit, quicunquè repugnat, planè cum Ægyptiis parvulos Israëlitici germinis enecare conatur; imò, cum Herode, nascentem persequitur Salvatorem.* Quòd â Marianîs porrò Confraternitatibûs, &, ex earum legê, sacrâ vivendi normâ defecerim; avitámque devotionem, ergà Deiparentem, cum ejus filialî cultu deseruerim: quòd piè cœptas, tum abnegationes internas, tum externas membrorum vexationes, omniáque tuendæ castimoniæ præsidia, primùm quidem intermittere, tum, & odiîsse cœperim, & execrari, susceptâque vitæ mollioris abominationê, quidquid in mê pium aliquando, speíque melioris fuerat, confundere, contaminare, profanare perrexerim; ex vestrîs blanditiîs, & mollî condolentiâ, stultôque mei natum est amore: quô, nè deficeret in mê malitiæ fomes, & peccandi materia, cuncta mihi subtraxistis, cùm expugnandæ libidinis, tum propugnandæ pietatis instrumenta.

S. Bernard. serm 3. in Epiph.

XXIII. Cedò, Mater impia! næ tu Fausta mihi, sed infaustissima fuisti? digna, parî mecum ardere supplicîô; per quam in mê primus concupiscentiæ stimulus proritatus, & ardor subinde succensus, & incendium ipsum nutritum est: cùm ex invere-cundiâ tuâ, quam oculis quotidiè puerilîbus, per impudentem nuditatem, & molles illecebras objecisti, concupiscere mater filium docuisti; quod innocens tum ætas mea, nec adhuc discernere plenè noverat, nec damnare! Cedò, Pater incestе! næ tu mihi turpitudinis omnis, & pædagogus, ut nôssem, & auctor, ut auderem, procacibûs verbîs, adulterinîs amoribûs, moribûs dissolutîs, manibûs & osculîs, in obvia quæquè scandala, licenter irruentibûs, quìn, & hortator, nè degenerarem, fuisti? Quàm absurda, mê præsentê, prolata sunt? quàm infanda, mê videntê, peracta sunt? Cur toties conjugales vestras delicias, audientê mê, commendâstis? Cur in con-

P. Nicolaus Causin. Tom. 2. Aul. sanct. Lib. 2. c. 7.

sortia

ſortia me miſerum induxiſtis; ubi pudori laqueum, innocentiæ lapſum, vincula libertati conſtructa, conſtitutáque, neſcire non potuiſtis? Cur formas quaſdam, &, conjunctas formis illecebras, tantîs præconiîs (niſi præmaturos ut amores, perpetuô quôdam lenociniô perſuaſos, obtineretis) teneris adhuc meis affectibus impreſſiſtis? O DEUS æquiſſime! quî, pronus aliunde per ætatis lubricum, potui non in peſſima præceps ruere? quæ Pater præmiô donavit, cùm feciſſem; pœnis verò, vel intentatîs, vel inflictîs, quæ moroſior averſabar, urſit, & extorſit? Quî legê vetitum, vel obnoxium judicio tuo, vel æternô vindicandum ſuppliciô cenſere, crederéque potui puer? quod â Matre, nullô rubore, ſinè metu, procul horrore, familiariter etiam, & cum riſu, plauſu, jactantiâque fieri, diû, noctúque conſpexi? Hîs ego magiſtrîs in veſtitu ſuperbam vanitatem, & habitûs impudentiam, legis inſtar, collegi: hinc ludendi conſuetudinê, ùt negotium converſationis humanæ ſuſcepi: hinc, ſupprimere remorſus omnes conſcientiæ; mandatorũ divinorũ rigorê, arbitratu propriô mitigare; Eccleſiæ præcepta, perfidè diſſimulando, violare; ſacerdotum terrores, pueriliter explodendo, contemnere; futura ſupplicia, quæ nunc patior, in dubium temerariâ contradictionê vocare, velut ad omnem interitum regulariter inſtitutus (reâpſe verò, diabolicè corruptus) addidici.

XXIV. Ah! fuiſſet mihi pædagogus, magis fidei, quàm politicæ ſtudioſus! magìs pietatis, quàm vanitatis obſervans! magìs divinis, quàm humanis addictus! meæ magìs invigilans conſcientiæ, quàm comæ! magìs innocentiæ meæ, quàm formæ; plùs integritatis, quàm ſanitatis; potiùs animæ meæ, quàm corporis cuſtos, tutor, zelotésque ſolicitus! Huic, ſi curæ fuiſſet, in linguæ meæ vitia, quibûs adverſùs pietatem, ac puritatem, audacter, & impudenter offenderam, impenſiùs animadvertere; quàm in idiomatis peregrini lapſus, & errores perperàm reprehenſos? Si ea, quæ Chriſtiani fuerant adoleſcentis, officia; quæquè Mariani Sodalis, ex præſcriptô, quotidianæ devotionis obſequia, tam ſeverus ille cenſor exegiſſet â mê; ſicut exercitia, quæ mundanîs ritibûs in mores traducendîs, eô præſidê, quotidiè peragenda fuêre? Si tantâ providentiâ pro mê laborâſſet; ut, ſub alicujus eximii DEI ſervi ſpirituali diſciplinâ, fidei dogmata perdiſcerem; & ad ſalutem æternam neceſſariæ legis inſtituta,

pariter callerem ; ſicut accuratâ ſolertiâ procuratum ab eô fuit: ut per exquiſitiſſimos choreárum, & Hippodromi magiſtros, ac Palæſtrites, nihil in me deficeret ad omnẽ, elegantiæ nobilioris, & aulici cultûs prærogativâ? proh! quàm inſignis pietatê, quàm conſpicuus moribûs, quàm labis integer, ſcelerísque purus, quàm ſacrîs diſciplinîs eruditus, quàm virtutibûs chriſtianîs ornatus, quàm ſalutis æternæ ſolicitus, ac ſtudioſus in omni vitâ fuiſſem? nunc autem, quantæ particeps eſſem, in beatorum ſortê, felicitatis?

XXV. Talibûs autem præſidiîs me deſtitutum (traditúmque corruptioni magìs, quàm inſtitutioni, potiúſque deſtructioni, quàm perfectioni meæ fuiſſe, non nisì meorum parentum præpoſteræ curæ, ſtultæquè mundanæ providentiæ, tum & malignis intentionibus, quibûs me, non tuis, Conditoris obſequiis, educatum conſecrare, ſed Mundi, carnis, dæmonísque mancipatui, crudeles immolare decreverant, unicè, tantúmque tribuendum eſt. Cùm verò mea jam inde fuerit inchoata damnatio; ferétne juſtitia tua, tantîs tormentîs æternùm affligi me? nec eorundem participationê, ſocietatêque damnabit illos; qui tuis laudibus hanc animam ſubtraxerunt, & in iſtam deſperationem, tuíque Numinis maledictionem ſempiternam præcipitârunt? Si dæmonibus abripiendum æquitas tua me tradidit in hunc locum ſuppliciorum? huc, per eosdem, ut & Pater meus confeſtim abripiatur, indulge! quô meum in eô vindicare queam interitum. Si mihi perpetuîs hîs hærendum in flammîs? hærebo: ſed, ut meorum augeam parentum incendia! Cur in illos, quia nunc devotionis quâdam aſſumtâ ſpeciê probos, atquè devotulos, tuô, ſemper æquiſſimô, de tribunalî, non eadem ſententia fulminet; quæ probum alioquin patrem, Heli, ſolâ filiorum impietatê, ſceleratam per indulgentiam diſſimulatâ, reprobum, ac reprobatum, ſupliciis æternis adjudicavit? *Hujus cùm vita eſſet irreprehenſibilis, tamen, quia filios, calcantes DEI legem, non cum ſeveritate corripuit, cum illis, etiam jure, punitus eſt, & grave ſubiit ſupplicium:* * *& nomen ejus de librô deletum eſt.* Eradantur ergo meæ mortis autores de librô viventium! ſubtractôque pœnitentiæ ſpatiô patiantur; quod, me pati, per ſuam negligentiam, per ſuam conniventiam, per ſuam indulgentiam, per inſipientiam ſuam, atquè malitiam, corruptiſſimámque vitam effecerunt!

S. Chryſoſt. Homil. 17. in cap. 5. Matth.

* *S. Cæſar. Arelatenſis. homil. 15. de aſperâ animæ admonit. Mendoza. Tom. 1. in Lib. 1. Reg. Cap 2. num. 26. Annot. 21. circa Lit. Sect. 1.*

XXVI. Quòdſi criminis per-

pe-

Raynaud. de Orig. Infant. & ſect. Cæſar. c. 6. n. 9. &c.

petui rea mater eſt; quæ naſcentis in ſe prolis animam, nè per Baptiſmi lavacrum expiata ſalvetur, culpâ ſuâ præcipitat, & æternâ felicitatê privat? quibûs pietatis officiîs demereri veniam ſui flagitii poterunt, & ſempiterni ſupplicii ſententiam evadere, parentes; qui filium, DEO jam, per ſanguinem Servatoris adſcriptum, & Sacramenti juratâ fidê conſecratum, obligare ſceleribus, immolare Diabolo, gehennæ tradere, non horruerunt? Nunquid & hi, dabunt *animam*, *pro animâ?* Si, *qui ſcandalizaverit unum de puſillis, qui credunt* in Chriſtum, *expedit ei; ut ſuſpendatur mola aſinaria in collô ejus, & demergatur in profundum maris?* Quô, nisì in barathrum perditionis, in profundum Inferni, in abyſſum gehennæ, demergendi ſunt; qui, de ſê natos, non ſolùm in peccata, ſed, in æternam peccatorum voraginem ſeduxerunt, præcipitésque dederunt, irreparabilì damnô? Sic, â tua juſtitia ſtatutum iri, me ſolor, & præſtolor! Præjudicium hujus habeo de verbîs Chryſoſtomi: *Qui liberos ſuos negligunt, quamvìs cæteroquìn boni, & moderati ſint, ob hoc tamen peccatum, extremam ſubibunt pœnam.* Negligentes damnabuntur? &, ſalvabuntur corrumpentes, impiéque damnantes? Juſtiſſime DEUS! DEUS veritatis! nunquid orê tuô minatus ſuit Borromæus ille magnus? *Quicúnque debitum paternæ curæ officium neglexerit, vel prætermiſerit; is expectet: at in die Domini ſibi duriſſimum judicium fiat!* *Horrendum* enim, Bernardô accuſante, hoc *ſacrilegium eſt; quod & ipſum videtur excedere facinus; qui Domino Majeſtatis manus ſacrilegas intulerunt!*

Job. 2. v. 4.

Matth. 18. v. 6.

S. Chryſoſt. Tom. 6. Homil. 27.

Act. Mediolanenſ. Eccl. Conc. Provinc. 3. pag. 103.

S. Bernard. ſerm. 2. in Converſ. S. Paull.

XXVII. Ergo cauſa parentum conclamata, omnis expers, & exſpes, cùm patrocinii, tum auxilii, cenſenda? Qui ſubſtitit in viâ, miſertus matrum; an idem nunc, ſuæ miſerationis divinum ſolatium implorari, flagitari, ſuſpirari (cùm nemo ſit alius, qui vindicare queat, & ſubtrahere damnationis judicio) parentes infelices fruſtrà patietur? Aliquid percepiſſe, quod in ſpem erigat, videtur Clarævallis Pater: *In ſecretô regalis cubiculi* (mentes advertite!) *ſuper tê ferebatur judicium mortis: audivit hoc unigenitus DEI Filius: exivit, poſitô diademate, ſaccô veſtitus, ſpinîs caput redimitus, nudus pedê, ſanguinê madens, flens, & ejulans: quòd mortê damnatus eſſet ſervulus ejus! Intueris illum procedentem? Cauſam quæris? & audis: Quid facturus es?* Unicô verbô totius cauſæ defenſio ſuggeſta videtur. Cùm enim ad ſupplicii locum ſpinîs redimitus, flens, & ejulans, pro mortê damnandîs, ipſe, *mortê damnatus*, cauſam eorum ſuîs ferat in humerîs, ubi Cruci ſuerit affixus, abſolven-

S. Bernard. ſerm. 3. de Nat. Dom.

dam

dam in Cruce : *quid facturus es?* Ità qui quærit, ad ſocias ìnvitat lacrymas; quales, â perperàm plorantibûs, mœſtisque mulieribûs poſtulavit : *Super vos flete!* & , *ſuper filios veſtros* ! Non vult ſuis lacrymis , & crucis virtuti (quæ ſimul, magnæ pondera vocis habent) fiduciam ità veſtram omnem inniti ; nullum ut veſtrîs ex oculîs afflicti cordis tributum accedat. Plorate igitur , & plangite , multîsque fletibûs veſtram , in prolium educationê, negligentiam ; in earum debitâ inſtitutionê , ſocordiam ; in cognitâ prævaricationê , conniventiam ; in diſciplinæ remiſſionê , mollitiem ; in caſtigationê ſubtractâ, lenitatem ; & , in vitæ propriæ peſſimâ præluſionê, corruptionem , amarîs , jugibûsque lacrymîs deflete ! Sumet exinde, vobis â judiciô vindicandis , Advocatus veſter miſericordiæ novum argumentum ; quô diſſolventur univerſa. Nam *lacrymæ peccatorum , extinguunt gehennam ; delent , in omne facinus latam , divinâ promulgationê ſententiam !* Hôc ergo pactô cauſæ veſtræ deplorandæ patrocinium Advocati promiſſum eſt , & indubiè ſperandum : ſi , quod ipſe, pro præpoſterâ muliebrî pietatê , flentibus Jeroſolymæ matribus imperavit, non tantùm filiis veſtris, ne planè pereant , ab interitu vindicandis , verùm , ubi forſan infelix eorum ſtatus non ampliùs integer , ſed jam deſperata ſalus eſt (nè pariter hiatus ille pœnarum vos in æternos cruciatus abſorbeat) jugiter pœnitentes impenderitis. Cùm enim in pœnas , veſtrâ culpâ, lapſi ſint filii ; quæ nullum habent ſupplicii finem : talis veſtra debet eſſe temporalis , nè ſuperveniat ſempiterna , vitæ totius, in lacrymis, & fletu perpetuô , pœnitentia ;

S. Chryſoſt. ſerm. 93.

quæ nunquàm ſufficiat , ſemper doleat , ſemper coram Domino , antè quem peccavit , erubeſcat ; & dolorem , jugî lacrymarum * exundationê confeſſum , non , niſi *cum vitâ finiat.* Quod huic perpetuitati lacrymarum in æternitatis extenſionê deficit , infinitis meritis jam datum eſt Advocati ; qui, *poſtulans cum lacrymis* , unicâ ſtillâ ſui fletûs cruenti , veſtris adjunctâ ploratibus, evacuat omnem æterni cruciatûs reatum. Ità flentes , *& communicantes Paſſionibus Chriſti , per baptiſmum lacrymarum* , (ùt ait S. Bernardus) diſcedentes hôc ex judiciô , Valentiani Præſulis vos erigite verbîs : *O felices lacrymæ! ô felices ſingultus! quibûs perpetuos illos evitamus gemîtus, & dolores!* Amen.

S. Augusſt. de Pœnit. cit. à. P. Lobner. Bibl. Manual. Edit. 1. Tom. 1. Tit. 99. §. 3. num. 4.

* *Idem S. Aug. de Panit. cap. 10. pag 744.*

Lit. C. Dolorem lacrymîs oſtendat.

S. Bernard. ſerm. 1. de Reſurrect. S. Thom. de villa nova. ſerm. de judicio.

FERIA

F E R I A IV.

POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ.

SERMO VIGESIMUS PRIMUS.

In Forô IV. Juſtitiæ Divinæ,

Apertâ viâ Crucis, ad uſquè Calvariæ montem.

Actio XV. De, in jus vocatô, vî exemtô :

Contrà eos;
Qui, Natalium ſuorum, aut, Officiorum intuitu,
Notoriîs etiam, iîsque jam communibûs, de vitiîs,
Vulgi totius odiô diffamatîs, & accuſatîs,
(Ut eſt, usûs moderni Capillamentum exoticum,
In virîs juxtà, ac mulieribûs, execratum,
Et, ad juſtitiæ divinæ tribunal, orê publicô, ſæpiùs delatum)
De ſacrô ſuggeſtu, ſui ſtatûs poſtulatô Reſpectu,
Publicè reprehendi ſe, redarguíque non debere, prætendunt.

L. 1. & 5. ff. nè quis eum, qui in jus vocatur. Prateius, in Lex. V. Actio de in &c.

Actor XV. Ipſe Quadrageſimalis Eccleſiaſtes,

Ex officiô, ſibi judicialiter, hâc in causâ, commiſsô,
Magnum quendam, arrogatô Reſpectûs nominê Dominum,
Ut exoticô de Capillitiô, capitísque execrandô cultu,
Sic & arrogantî de inſolentiâ, divini judicii reum facit, & accuſat:
Qui voluit, immodicè, luxurioſéque capillata capita,
A judicii divini cenſurâ, per dolum, ac vim, eximere.

Myſterium XV. Actionis hujus Argumentum.

B. Veronica, ſanctô pietatis affectu commota,
Obvia Servatori, ſub immanî Crucis pondere ſudanti;
Contemptîs Judæorum, Chriſti hoſtium, irriſionibûs,
Ad abſtergendum è vultu cruentum ſudorem,
Lineum Illi ſui capitis velum officioſa porrigit,
Et grandî factô ſuô viros non minùs, ac fœminas accuſat;
Erubeſcentes, amoré Domini ſui, ſcandaloſa capitis ornamenta mutare.

Teſſera. Sequebatur illum multa turba populi, & mulierum. *Lucæ 23. v. 27.*

I. QUòd mulierum devotarum turba, patibuli grandis funeſtâ trabê gravatum, &, exinanitum propè, tormentorum, ac dolorum immanitate Dominum, ad remotum probroſi ſupplicii locum, agminê devotô ſecuta, manifeſtîs lacrymîs, & ejulatu lamentabilî, compaſſionem intimi doloris, in eâ verò, ſuam, ergà Chriſtum, dilectionem, acerbiſſimam è converſo, contrà populi Principes, atquè Pontifices (Juſtum illum invidiâ tam crudelî latronibus aſſociatum perſequentes, & occidentes) indignationem celare, nequè voluerint, nequè valuerint; non erit, qui prudens admirabitur. Ut enim impotentes, vel moderaminis, vel diſſimulationis, fœminarum animi ſunt; præcipuè, ſi doloris vehementior ſenſus aliquis exaſperatam rationem officiô ſuô deſtituit: ità, privilegiô quôdam impunitatis, audaciùs queruntur, ſuîsque planctibûs publica, tantò petulantiùs criminantur, & accuſant; quantò ſecuriores eſſe ſe nôrunt indulgentiæ conniventis; &, nihil in ipsîs, præter mentis infirmitatem, brevémque ſui furoris inſaniam, ſolô contemptu vindicatum iri. Hôc mulierum, virorúmque diſcriminê, diverſam in triſtiſſimô Servatoris exitu ſequelam, Didacus de Stella, cum Lucâ Burgenſi diſtinxit; in quâ *mulieres planxiſſe dicuntur, non viri: tum, quia non perinde ad planctum proclives ſunt, ùt mulieres: tum, quòd nec carebat periculô viris: monſtrare ſe palàm, amicos JESU. Et ideò, non auſi ſunt palàm dolorem prodere. Mulieres autem lamentabantur, deflebant, deplorabant modîs omnibûs ejus vicem, non humanô ſolùm, verùm etiam gratô, & piô affectu: Virum innocentem, & juſtum, dequè omnibûs, optimè meritum, ad crudeliſſimum Crucis ſupplicium rapi! Quia fœmineus ſexus, tanquàm contemptibilior, liberiùs poterat Principibus Sacerdotum præſentibus, quid contrà eorum malitiam ſenſerint, oſtentare: ideò præcipuè dicuntur mulieres fleviſſe.* *Lucas Burgenſis in Lucam.* *Didacus de Stella in Lucam.*

II. Nec audaciæ ſolius muliebris, planctus ille cenſendus eſt effectus fuiſſe: velut commune naturæ commiſerantis tributum, (quod, etiam juſtè damnatis, & ſuppliciô dignis, mollis fœminarum impendere propenſio ſolet) fletus illarum accipiendus videtur: & ideò forſan luctus earum â Domino, reſpectu nullô, nullâque commendationê probatus, ſed reprehenſus potiùs, ac interdictus invenitur. Quòd ſi verò criminoſorum etiam extremus ad ſupplicium progreſſus, objectâ ſolâ ſpeciê damnationis, ciere fletus teneræ compaſſionis, & muliebres in luctum animos eliquare conſuevit? quî poterant, non omninò diffluere lacry-

crymîs? novâque, tantùm non, ſuîs de fletibûs nominare flumina? vel obrigeſcere penitùs, doloris vehementiâ, ſaxeum in ſtuporem illæ piæ mulieres, objectâ miſerabilî ſpeciê deſpectæ, damnatæquè cum impiis, divinæ Virtutis, non iniquiùs tantùm, graviúsque, quàm ipſi latrones, oneratæ? ſed (licèt omnibûs, ex vulnerum, cruorê manantium, ac dolorê torquentium ſævitiê manifeſtâ, deficientibûs membrîs) omnî tamen efferatæ crudelitatis tyrannidê, tum & ultrà modum omnem cumulatîs injuriîs, exaggeratîsque contumeliîs inſuper afflictiſſimæ? Hôc *ènim in itinerê*, Præſulis Burgenſis arbitrâ pietate, *faciliùs eſt, mentê concipere, quàm verbîs: quæ convicia, quas contumelias, & ſannas, quos ictus, & pulſus, Dominus JESUS pertulerit. Nec dubium: quìn, per ſævitiem ſimul, & luſum compulerint, dejecerint, erexerint; ſi non, etiam ſtimulîs, & ſudibûs, quemadmodum ſolent boves, in corpus actîs, agitaverint.* Nequè verò mens ulla, qualicúnque vî polleat imaginariæ facultatis, injuriarum, quæ gloriæ Domino per opprobrium Crucis illatæ ſunt, enormitatem, nec ea, quæ cum onerê tantô conjuncta fuerunt, & humanitati, viribûs exinanitæ, cruciatibûs immenſûm auctîs aggeſta (nisì, major hominê, totôquè fuerit humanô ſenſu ſuperior) apprehendere ſatìs, aut expendere valebit.

Lucas Burgenſis in Lucam.

III. Altè ſibi videbatur in hanc, utriúsque cruciatûs, abyſſum deſcendiſſe V. Taulerus, piiſſimus onerati Crucê Servatoris contemplator. Cùm enim, opprobrium illud intuitus, dixiſſet: *Itaquè hic Dominus, cujus eſt omnis honor, & gloria, ſpinîs incedebat coronatus, dirîs conſtrictus funibûs, gravi Crucis ponderé prægravatus, in mediô latronum, ſignîs damnationis denotatus omnibûs*: tum ingemiſcere primùm cœpit, ſuper inexplicabilî corporis, velut ſûb torcularî preſſi, contritique tormentô: *Grande ei inflixit vulnus, ex cunctîs vulneribûs, unum efficiens! Fuit hæc, ex Chriſti graviſſimîs pœnîs, una, quam ille pertulerit. Ut enim quotidianô diſcimus uſu: ſi cui noſtrûm vel tenue vulnus hæreat, vix moderatè ferimus: quid ergo cenſemus Dominum JEſum Chriſtum ſenſiſſe? quô cruciatu affectum fuiſſe? cùm, grave lignum illud, illius impoſitum, impreſſúmque cruentis humeris fuit? ac, maximè, diro huic vulneri?* quod, ſcilicet, ex humeris in corpus omne, cum doloris participationê, tranſivit. Parî propè ſenſu, dolores eosdem immenſos meditatus Hebronenſis Epiſcopus indoluit, & exclamavit: *O! quoties în progreſſu impegiſti? quoties, ob nimium pondus, genua pariter, ac totum corpus incurvâſti? quoties, lapidum aſperitatê, ac ſcabritiê, concuſſatâ Crucê, humeros*

V. Taulerm, de Vit. & Paſſione Chriſti. cap. 29.

Idem. Ibid.

Fridericus Fornerus in Paradiſ. Malor. Punicor. Tom. 2. Conc. 2.

tuos denuò vulnerâſti? quantoperè ſudâſti? quàm lamentabilî ſpectaculô, ſanguinê, ex compreſsîs toties vulneribûs tuîs, expreſsô, plateas omnes, totámque ſemitam cruentáſti? qui pulveribus, ac lapidibus infuſus, quot, heu! quantísque conculcantium ſacrilegiîs offenſus, profanatúsque fuit? Actum agit; quisquis hujus myſterii doloroſi profundum explorare laborat. Cogitari poteſt; indagari poteſt; expendi poteſt; exæquari tamen, vel exhauriri, nullô commiſerationis affectu, nullâ lacrymarum exuberationê, nullîs totius etiam humani doloris effluviîs poteſt: etſi muliebri luctui virorum omnium planctus gravis accederet, & acerbiſſima comploratio, nullâ forſan aliâ, ſpectaculi tamen hujus luctuoſiſſimi contemplationê ſolâ, duriſſimîs etiam è cordibûs impetranda. Ità tradidit, ab ipſô Dominô, qui ſe ſpectabilem ejus oculis ingeſſit, eruditus. Is, cupiens intelligere: quod aptiſſimum juxtà, vehementiſſimúmque, inter omnia Dominici cruciatûs myſteria foret, mentibus hominum, in liquidæ compaſſionis affectus concitandis? continuò vidit, ſub ingentî molê Crucis fatiſcentê, & ſudorê cruentô, non ex vultu ſolô, ſed membrîs omnibûs defluentê, tantùm non deficientem Servatorem, qualis ad ſupplicii locum, corpore miſerabiliter incurvatô, proceſſerat. Hujus intuitu jam ſatìs ei compertum, exploratúmque fuit: efficaciùs nihil, ad fletus uberes devotæ commiſerationis, quibûsvis ab oculîs extorquendos, eſſe; atquè, ſi Dominici cruciatûs inhumana ſpecies objecta fidelibus hæreat; qui, ſub enormî Crucis ponderê totum propè cruorem, de compreſsîs Domini membrîs, horrendum per ſudorem expreſſit.

Camuſius. Feriâ 3. poſt Dominic. 5. Quadrageſ. num. 2.

IV. Non eſt igitur admirabile quicquam, in exaggeratîs mulierum devotarum lacrymîs, ejulatûque lamentantium publicô: quô, non ſuæ ſolùm teſtatæ ſunt pietatis affectum; ſed, Optimatum etiam ſuorum crudele judicium, & injuſtiſſimam Juſti condemnationem, apertâ reprehenſionê deteſtatæ, tum ejus etiam interitum, udîs oculîs, habitu lugubrî, planctûque publicô proſequendum confeſſæ ſunt; quem, oculis Univerſi ſublatum, invidiæ Pontificalis cæcus furor urgebat. Aliud facinus, illúdque tantò mirabilius, quantò ſingularius, & unius tantùm, piæ præ cæterîs omnibûs, officióſæque matronæ, ſeſe nobis ingerit, non ſolùm ingentî cum laude Beatæ Veronicæ memorandum; ſed, confuſionê non minorî, matronis, non illis, quæ Dominum ſequebantur, ſed his, quæ comitantibus illis affe-

ctu

ctu piô collacrymantur, exprobrandum. Vidit illa Medicum ſuum cœleſtem, atquè divinum, ſub Crucê propè deficere; cujus virtute mirificâ non pridem ipſa muliebrî fuerat â morbô liberata; cui medendo vis omnis medicorum, domeſticæquè facultates, in omnem eorum curam exhauſtæ defecerant. Tanti memor beneficii, cùm cæteros omnes omnium videret gratiarum oblitos, quas Jeroſolyma tota perceperat, impetrare ſuô non potuit ab animô; quìn, miſſîs Pontificum omnium, ſenioríumque reſpectibûs, contemptîs populi, frementis juxtà, ſubſannantísque, cùm opprobriîs, tum obtrectationibûs, ubi ſuis jam ædibus, tranſiturum, appropinquare JESUM ſub immanî ponderê patibuli prementis advertit; & è vultu, (ſuavî forſan obtutu, ad accedentem converſô) cruenti ſudoris divinum ſtillare rorem, neminê quicquam eidem abſtergendo ſuggerentê, conſpexit; pro gratitudinis, & amoris ingeniô (cùm alias in telas inquirendi moram ſatellitũ feſtinatio nullam admitteret) officioſa Veronicæ pietas continuò lineum de ſuô vertice peplum, familiare ſcilicet capitis ornamentum, abſtractum, ùt erat, revolutionê triplicî complicatum, fiducialiter accedens obtulit: ut, qui priùs arcanâ virtute fluxum in ipſâ vitioſi ſtiterat ſanguinis; nunc ad abſtergendum, divini ſui vultûs, manantem cum ſudore cruorem, eô capitis uti candidô velamentô dignaretur.

V. O auſum! ſuprà fœminam, & ſummîs etiam, fortiſſimîsque virîs majorem! Quod nulla mulierum plangentium, & condolentium virorum nullus, in comitatu frequentiſſimô, vel cogitâſſe tantùm, aut optáſſe memoratur; id, judicum, hoſtiúmque, non cavillîs tantùm, ſed, quæ poterant formidari, verberibûs etiam contemptîs, una fuit auſa, totius Jeroſolymæ mulier fortis, cunctîs fortior, & fortiſſima Veronica, ſecundùm ſui nominis etymologiam, digniſſimè celebranda. Cùm enim (ùt Hebræarum doctiſſimus litterarum interpres docuit, Hieronymus) ab ipsô Dominô compellata credatur hæc pia fœmina, nominê, mox in uſum receptô: *Bernix*; vel: *Beronica* (quô ſignificatur, ex Hebræo-Syriacâ compoſitionê: *filia, eleganter commota*) perpetuum, ejus memorabili facto tributum, Dominus inhærere, cum prærogativâ nominis, elogium iſtud voluit: ut, quæ ſuô de capitê, tam pium ad obſequium, ſibi peplum detraxit: *Filia, eleganter commota*, diceretur, & agnoſceretur perpetuò. Cum primô titulô (prout M. Patris Auguſti-

S. Method. qui vixit circ. annum Chriſti 285.

Marianus Scot. in Chron. ad Ann. 39.

Julius Dexter. ad Ann. Chriſti, 34.

Nicodemus in Hiſtoria ſuâ, apud Lyræum, lib. 3. c. 2. fol. 178.

S. Hieron. cit. à R. P. Gregorio à JEſu Maria, Tom. 2. Divinit. & Innocent. D. N. patefact. Lect. 41. fol. 186. num. 8.

Idem, quî ſuprà, locô citatô.

ni doctissimus Eremita, Gregorius, non argutè minùs, quàm piè notavit) cum primô titulô: *Filia*, sancta, & justificata declaratur. *Eleganter commota*, cùm dicitur: ostenditur, actus ipse maximæ fuisse consolationis Christo Domino. Nec dubitare sinit hâc de consolationê, compensatio mirabilis impensæ pietatis; quâ, post absterſum de vultu sudorem, non solum sanguinem, in suô velô sudori commixtum, Veronica felix recepit; sed plùs aliquid infinitæ Beneficentiæ Dominus, cum peplô, suis obsequiis consecratô, *quod in amoris sui pignus reddidit*, eidem tribuit: cùm *faciei suæ imaginem perfectè impressit*: ut esset, (quod amor amat pingere) *vera effigies*, in triplicati veli telâ, tripliciter expressa.

Adrichomius in Descript. Ferosolymæ. num. 44.

VI. Totus nunc hæreo, dubius; quid, in tam pii considerationê mysterii, potiùs persequar? An lineo peplo, quô matronarum illius ævi modestia, pro capitis ornamentô perinde, ac velamentô utebatur, non vultûs tantùm deformati, sed ipsius etiam capitis, horrendâ spinarum confixionê vulnerati, speciem impressam exprimere verbîs contendam? Hanc jam oculatus ejus inspector, ùt vidit in illô, quod Roma genuinum, verúmque demonstrat, ità descripsit: In ipsô totum caput spinîs transfixum esse videtur; frons sanguinolenta; oculi tumidi, sanguine pleni; facies tota livida, nigra, tanquàm Æthiopis. In genâ dexterâ, ultrà livores, manum Malchi ferratam, impressam habet; in sinistrâ verò genâ plures screatus, & sputa. Nasus simus, & sanguinolentus apparet: os apertum, sanguinê plenum; dentes tremuli, barba depilata, pilîs ferè omnibûs evulsîs. Talî, ac tam miserabilî aspectu est hujusmodi sudariû; ut etiam saxea corda ad pietatem scindere valeat. Sic ille. O! si deformitas hæc, tam vivîs expressa coloribûs in peplô capitalî Veronicæ, maneret pariter fœminarum omnium impressa capitibus! quantâ verecundiâ velarentur earum, nimiùm hactenùs apertæ frontis, capitalia delicta? Non est autem, hoc exequi, sermonis nostri propositum. Obversatur enim animo generosus ille gratæ pietatis ausus; unde, pro veterî morê maximorum Heroum, Veronica, *Beronicæ* nomen, *filiæ* scilicet, *eleganter commotæ*, susceptit: quòd, sexûs imbecilli commune vitium, erubescentiam (quæ devotionis officia, propter subsannationis virilis, aut alterius, indè consecuturæ vexationis metum, facilè sibi patitur, ùtùt piè concepta, non turbari solùm, sed eripi penitùs) ingentî victo-

R. P. Greg. suprà cit. num. 11.

riâ

riâ ſuperaverit; &, grandî facinorê ſuô, ſanctiorem erubeſcentiam illis indixerit mulieribus; quæ, pietatis quidem voluntatem, non tantùm â sê nunquam alienam, ſed ferventem, ſed promtam, ſed in omne, quod obſtat, vitium, alacrî progreſſu calcandum, animoſam profitentur: cùm verò deriſûs, aut ſugillatoriæ cavillationis quicquam ex adversô ſtare cernitur; vel imminens aliqua formidatur exploſio, ſuâ ſibi per Cyrillum (quod abnuere nequeunt) exprobrari de conſcientiâ ſentiunt: *Non audemus, vel parvos labores, pro pietate ſuſcipere: ſed, ſi fortè pro Chriſtô quicquam nobis acciderit, erubeſcimus.*

S. Cyrillus Alexandr. Lib. 11. cap. 28. in Joann.

VII. Nec huic inhærere, ſtat animô, muliebris parùm ſolidæ devotionis levitati. Magìs afficit laudatæ generoſitatis ingenium; ea ſcilicet, quæ comotionem illam Veronicæ mirabiliter extollit, & ornat, *elegantia*, per epitheton expreſſa. Quis hoc amoris, elegans, & ad officium commotæ pietatis, adeò Servatori gratum, impreſsôque ſui ſigillô amoris mirificè confirmatum, ingenium non laudet, & in prodigia referat ingenioſæ pietatis? quô (cùm nihil ſuppeteret abſtergendo, de faciê dilecti, cruentô ſudori) mulier, non ignota, ſed famoſa, non plebeja, ſed nominata, nè ſolatio deforet, & obſequio, cui defuerant omnes, ſuô reſolvit velum â capitê; quod unicum ejus ætatis erat, & capitale, modeſtiæ matronalis ornamentum? An etiam, unicum id fuiſſe, credendum eſt; quod impendi ſibi lethalibûs illîs in anguſtiîs, pro recipiendô ſuæ Paſſionis perpetuô monumentô, qui Veronicæ dilectæ cor movit, ſupremô pro ſolatiô voluit, cæterîs omnibûs exclusîs, repudiatîsque, Servator afflictiſſimus? Heu me! ſi talis hodiè Chriſtus matronis occurreret (ſolô ſuô de nominê, velut primæ nobilitatis titulô, venerandis, quia Chriſtianis) gravî Crucê depreſſus? &, ſpinîs, ad ſingulos greſſus, novô ſemper ſenſu, caput omne pungentibûs, immaniſſimô dolorê tantùm non obrutus, & oppreſſus? &, mixtô ſanguini ſudorê, totô de vultu ſtillantê, vix non ad ultimâ vitalis humoris guttam expreſsô? quàm paucæ par ſolatium offerre ſua per vela poſſent? quæ nequè caput ampliùs, nequè vultum operiunt (quia pectoris quoquè pudorem jam expirârunt) omnî velamentô, tum neglectô, tum rejectô: cùm ea quoquè, quæ tegi cautiſſimè deberent, operta, quæquè velanda pudentiſſimè forent, impudentiſſimè revelata pateant! Nihil igitur ſperandum ex hâc, vultûs, capitisq;

ſpe-

ſpeciê? quam eô conſiliô muliebri peplo Servatoris thaumaturga virtus impreſſit; ut inde normam chriſtianæ, quæ Domino placere geſtiunt, omnes matronæ conciperent: ex quâ ſui deinceps ornatum capitis moderari, modeſtéque, ſublatîs omnibûs elatæ nimiùm vanitatis exceſſibûs, componere diſcerent: nè tantò magis oculis inviſæ divinis, & amore rederentur indignæ; quantò ſumtuoſiùs immodicum peregrinæ gentis cultum, & luxum, in ſuos cumulare vertices, intolerabilî ſæpè, tam ſuâ, quàm illorum aggravationê ſtuduerunt; qui non infimam partem in illas, modeſtiæ chriſtianæ capitales injurias, coacti ſunt ſuâ de ſubſtantiâ contribuere.

VIII. O! ſalutis noſtræ, per enormia tormenta quæſitæ, procuratæquè ſtudioſiſſime Negotiator, JEſu! Quanto dolori fuerit amantiſſimo cordi tuo, prævisa fruſtratio, tam ingenioſæ pietatis; quâ ſpeculum, tuâ de ſpeciê, prodigioſè formatum, & mirabilî lucê divinæ dilectionis, umbras dolorum ibidem expreſſorum elevantis, colluſtratum, *in amoris tui pignus*, &, *ad conſolationem futurorum* (prout ipſe tuæ quondam ſponſæ revelâſti) reliquiſti quidem; ſed, ſinè reſpectu; ſinè conformationis optatæ ſucceſſu! (quodquè dolorem auget vehementiùs) *gnum, cui contradicetur*, & contradicitur etiamnum â pleriſque! dum in earum quoquè ſortê, quæ virtutem amant, ac tuo ſe nomini, præ cæterîs, eximiè devotas eſſe profitentur, prodigio par cenſenda; ſi quæ vetera comti capitis, & ficti vultûs, inolita jam vitia, non dico profligare penitùs, ac faſtidire; ſed, ad objectam imaginis tuæ cenſuram, caſtigare duntaxat, ſeu modum ad aliquem reducere, conformaréq; reperiatur. Unam Thuringiæ Principem, Eliſabetham, invêni; quæ, cùm, aureâ fulgens coronâ, totôque mundi regii faſtu, caput ornata, ſpecularem Capitis, divinîque tui vultûs, vulneribûs, cruorê, ſpinîsque deformati, terribilem ſimul, & amabilem reprehenſionem, in objectâ ſibi formâ ſpectavit: eô momentô, quod ſpecies illa poſtulabat, perſpexit: nec, ut ad conclave reverteretur, expectare, quam inde percepit, amoris divini cenſura conceſſit. Puduit Sanctam, è veſtigiô, coronatam aurô, ſupplicem eſſe redimito ſpinîs Domino. Confeſtim igitur, abſtractô diadematê, tortos fluentium crinium cirrhos diſtraxit; fulgentes acus, & gemmas, de capillorum ſpirîs tremulô ſplendore radiantes, avulſit; &, quidquid â margaritîs, aut aliô quôvis apparatu ver-

Luc. 2. v. 34.

P. Nadaſi. Soc. JEſu. in Annô cæleſti. 19. Nov.

Adrichomius loco ſuprà citato. Revelat. S. Birgittæ L. 4. c. 81.

verticem univerſum, aurésque, vultúmque, collúmque, micare fecerat oculis Mundi, perpetuâ jam execrationê damnatum abjecit, indignans, diſparem ſui capitis, &, alienum cultum ab eô; qui, quàm nos coleret, in imagine ſuæ Paſſionis relictâ, luculenter oſtendit.

IX. Unam pariter, de sê nominatam, extollit Neapolis, dignam antonomaſiâ, quia patriæ civitatis gloriam, virginem Neapolitanam, ejuſdem Domini ſui, per B. Veronicam univerſo ſexui relictæ formæ conſpectu momentaneô, capitê mox totô converſam. Jam illa pro nuptialî pompâ, mundanæ vanitatis panopliam omnem, ſuum in caput, operoſâ manuum plurium fatigationê congeſſerat, unguentîs fragrans, ſtibiô picta, gemmîs fulgens, unionibûs nitens, turritôque capillorum faſtigiô, non ſê tantùm ipſâ major, ſed, & reliquîs elegantior, ùt præſtantior, incedebat, grande ſpectaculum, & oculorum illicium allatura ſecum, în deſtinatæ voluptatis palæſtram. Vix ultimam, â vitreo cenſorê, domeſticô ſpeculô, dê concinnitate ſui totius apparatûs conſultô, læta receperat approbationem; cùm in aliam fortè partem ſubitaneus oculi jactus, eôdem intuitu, quô vidit, capiti ſimul, & cordi, receptam impreſſit ſpeciem triſtiſſimam, illius capitis; quod vulneribûs, & ſanguinê deformatum, ſpinîsque confixum, in perpetuum amoris divini monumentum, Veronica, de Domini manibûs cum velô ſuô felix recepit. Adeò vehemens, illô ex obtutu, præter mentem factô, cum ſuſceptâ ſpeciê, compaſſionis ictus Virginis animum transfixit; ut pedê, quô jam ſaliebat ad nuptiale theatrum, continuò retractô, quidquid illecebroſæ vanitatis fulgebat in capitê, generoſâ manu detractum abjecerit; &, forficibûs arreptîs, Babylonicum omne ſuggeſtum crinium ſuorum, nè Veneris in obſequium poſſet ultrà coactum exurgere, ſic reſcidit: ut robur totum, quô virilis etiam virtus expugnari ſolet, illô mirandæ fortitudinis auſu, ſuô de capitê ſimul avulſerit. Quot autem, ab eô tempore, vel audivimus, vel conſpeximus, eâdem virtutê virgines, aut matronas? Annam, â S. Bartholomæo ſubinde cognominatam, invêni, ſed, inter prodigia pietatis hujus optatæ, memorandam. Hæc enim ipſa, quidquid mulierum, placere volentium, votis, ad ornatum ſuggerere ſolet vanitatis ingenium, divésque ſcrinium, ornata jam, comtáque pro Mundi geniô, jactabat, eô, quô fuerat invitata, ſe conferens. Ibat, peritura forſan, niſi progredi ve-

P. Penneq. S. J. in Iſagoge amoris Divin. p. 2. cap. 6.

Barry. Ann. ſanct. p. 1. cap. 7.

vetuiſſet obſtans, vultûque ſuô, totôque capitê, plagîs lividô, ſputîs, & ſanguinê, denigratô, ſpinîs, altè quaquaverſùm impreſsîs, horridô, tam diſparem â ſuâ formâ ſponſæ cultum, ſponſus ille ſanguinum reprehendiſſet. Unicus obtutus Annam â propoſito non ſolùm avertit; ſed, è veſtigio converſam, in clauſtrum abegit, &, angelico Virginum Seraphicarum contubernio junctam, ad peplum, velúmque redegit.

X. Ità Florentinam quoquè matronam Hippolytus Galatinus immundis amoribus Mundi ſubtraxit, in ictu oculi; quô ſuperſtitioſæ, venuſtatis propriæ contemplatrici (tantúmque non, formæ ſuæ idololatræ; prout ex oppoſitô, non ſemel indignatus, & gemens obſervaverat) pro ſpeculô, quod avidâ jam curioſitatê prurienti ſe ſponderat exhibiturum, doloribûs plenum, Servatoris Caput, vanitatis exoticæ cenſorium ſpeculum, objecit, conatu feliciſſimô. Nam percuſſa divinitùs mulier illicò perſpexit: quàm, per immodicum ſuæ formæ ſtudium, divinis oculis abominabilis hactenùs, & fœda fuerit. Inde confeſtim omnes, quos de crinibûs, illecebroſè ſinuatîs, & in cirrhos tortuoſè demiſsîs, & in faſtigium operoſè ſurrectis, juventuti volatili capiendæ laqueos, nidulósque conſtruxerat, *eleganter commota* diſſipavit, diſtraxit, penitúsque deſtruxit: ſe ſe verò totam, cum omnî muliebrî mundô, non tantùm ab aſſuetæ proſtitutionis infamî commerciô, ſed â Mundi totius inquinatâ converſationê ſubtraxit. Parî violentiâ matrem per filium expugnavit, ſibique totam vindicavit, in ictu oculi recepta, cum ſpinosô divini Capitis diademate, Victrix gratia Servatoris. Illam (ùt erat, pro ſeculi noſtri more, non ſecùs in Eccleſiâ, quàm, ſpectaculum, vel convivium aditura ſolebat, vultu, verticê, collô, venuſtiſſimè comta Venus) eô tamen corporis, capitísque, probrosô magìs, quàm congruô precibus ornatu, DEO ſupplicem, & multîs, ùt fieri ſolet, ſuſpiriîs anhelantem, filiolus, necdum ſepteñiô major, puerilibûs interim oculîs univerſum templum pervagatus, manicâ veſtis apprehenſâ non deſtitit urgere; donec oculos, quâ digitum puer intenderat, mater converteret. Cùm ille, jam priùs in Chriſti Domini vultum, ſputîs defœdatum, ſanguinê cruentatum, ſpinîsque coronatum caput, innocentî ſtupore defixus, ubi maternos oculos eandem in imaginem pariter intentos obtinuit, innocentî cenſurâ matrem redarguens: en, inquiebat, quàm diverſa Domini no-

P. Barry. Anni. ſancti p. 1. c. 7.

S. Hieron. locò citat. apud P. Gregor. à JEſu Maria. P. Rhò in Exempl. Virt. fol. 33.

Molanus in Natal. Sanctorum Belgii.

noſtri ſpecies eſt, ab hôc Dominæ matris apparatu! Quod pueri lingua protulit, id ſibi dictum, per objectam doloroſi vultûs exprobrationem, ab ipſô Servatore, pia mater, ùt intellexit, accepit; eôque momentô mutata, non ſolum vanitatis habitum, verùm omnem cum habitu vanitatem, corpori, capitíque ſubtractam, execrata totô cordê perpetuò fuit. Eôdem ſpiritu prodigioſè per ſpeculum correpta fuit, ut incorruptâ ſervaret, ſponſo Virginum, Virginitatem ſuam, Virgo Panormitana, Siciliæ totius, altâ diù latens in cavernâ, theſaurus, Roſalia. Dum enim pro nuptiarum ſolemnitate ſuum, ex objectô ſibi ſpeculô, caput ipſa, quàm elegantiſſimô cultu, laboraret exornare; ſui vultûs, capitísque locô, reſpici ſe de ſpeculô vidit â Dilectô, non aliâ, quàm eâ ipſâ formâ; quæ velo fuit impreſſa Veronicæ, *traditáque in amoris pignus, ad conſolationem futurorum.* Nec mortuus, vel mutus, intuitus ille fuit; ſed vitalis, & vocalis inſuper, indéque mirabilis. Diſertîs enim Domini ſui verbîs auditîs: *Defere vanitatem* ! Roſalia, confeſtim *alia*, capillîs, quos continuò forficibûs apprehensîs abſciderat, cum omnî pompæ nuptialis apparatu relictîs ad ſpeculum, ſe clam è paternâ domo ſubduxit, & Angelicô ductu defugit aulam, ac Mundum; antríque, dum vixit, ùt atrii cœleſtis incola, ſolis cœlitibus nota perſeveravit.

Cantiprat. Lib. 2. Apum. cap. 28. Vide Adrianum Lyræum de Imit. Chr. Pat. fol. 148.

Adrichom. locô citatô.

XI. Nunquid, miracula dicetis â me prolata fuiſſe, per converſiones tam ſubitaneas facta, ſolô Dominici Capitis intuitu, cum extremâ illâ paſſionê, per imaginem tantùm, animis devotis impreſsâ? Quis verò ſenſus erit veſter? Si, quod objecta lugubris ea ſpecies impetravit â mulieribus; eadem, ſolâ cogitationê per memoriam recepta, tantùm in virîs, regiâ dignitatê maximîs, effeciſſe monſtretur; ut & Bullionius, Heros ille chriſtianus, inclyti, de Jeroſolymâ recuperatâ, glorioſiſſimíque nominis; & Eduardus, Anglorum olim Rex Angelicus, regium diadema, ſuîs nunquam geſtare, vel micare voluerint in capitibûs: poſtquàm Regem Regum ſpinîs, tam crudeliter, quàm ignominioſè redimitum fuiſſe meminerunt? Proh! quanta prodigia ſunt hæc Mundo noſtro? qui ſpeculum illud amoris divini, per Veronicam, Pietati chriſtianæ relicti, vel ad clauſtra remittit, vel in pauperum hoſpitalia rejicit: perindè, ac ſi DEI Filius, infimæ tantùm pro ſortis hominibûs, &, nullius porrò formæ vetulîs; aut, inter ſepta religioſa (quæ nulla tunc fuêre) voluntariâ Mundi declinationê reclusîs, divinum illud ſui vultûs mne-

Lyræus de Imit. Chr. Pat. locô cit.

Cyrillus in Compendio Vitæ S. Roſalia.

mosynon reliquisset. Si vulnus illatum cordi suo, per crinem unicum colli sponsæ suæ, dissimulare noluit olim sponsus ille divinus; quin sensum, inde perceptum, indicaret: *Vulnerâsti cor meum, Soror mea, Sponsa in unô crinê colli tui!* quantîs, & quàm innumerîs de vulneribûs, non cordi solùm, arcanâ sauciationê, sed patenter, & sacrosancto vertici, super omnium spinarum ignominiam, & exulcerationem inflictîs, justam conquerendi, lamentandíque causam haberet hodiè Caput nostrum doloroſum, horrendîs illîs capillorum opprobriîs delusum, despectum, & afflictissimè confixum; quibûs nimiùm comata, comtáque, non muliebris Mundi tantùm, sed virilis etiam vanitas, (*Capillîs muliebribûs*, (ùt loquitur Afer eloquens) *se in fœminas transfigurans*) modum omnem christianæ modestiæ proterit, & conculcat? *Crines, & cincinni, idem sunt, quod spinæ*, Cornelio Canticorum Interpreti. Quantùm verò spinîs, & vepribûs acutiora, crinium illorum sunt spicula, teláque? quibûs nunc, in sylvam cumulatîs, vir quidem unicus, non leoninas, ùt olim Hercules, è suô capitê, per humeros in tergum omne diffusas circumfert, sed molles mulierum plurium exuvias; vel potiùs, depilati fœminarum gregis, excrementa capitalia: fœminæ verò, suîs in caliendrîs, antiquam omnem capillorum lasciviam adeò supergressæ videntur; ut, quod vetitum olim ab Apostolô fuerat (*non in tortîs crinibûs, aut aurô, aut margaritis, aut vestê pretiosâ; sed, quod decet mulieres*) nunc censuram effugeret, & reprehensionê vacaret: cùm fœminæ velamen etiam naturale jam exosæ (*quoniam capilli pro velamine mulieri dati sunt*) non modò pepla capitum omnia, lineáque, sericáque velamenta, sed, quod omnis olim sexus muliebris, ùt extremum opprobrium execratus fuerat, suos ipsos crines, tonsîs de capitibûs, in virorum exoticum ornamentum abjecerint; fictîs capillamentîs viros, non tam imitatæ, quàm indutæ, tantò periculosiùs, atquè salaciùs, per luxûs, & superbiæ capitalis excessum, crinitásq; Veneres, ad omnem libidinem allicientes, & irritantes curiosos cum oculîs animos; quantò flagitiosiùs, ipsæ se mulieres in virîs, & in mulieribûs viri, tam depravatâ capitum, & capillorum adulterationê concupiscunt?

XII. Qualis ista præsumtio linguæ, cavillandíque temeritas? (audio sic obgannientem, nescio quem) Ubi debita nobilium personarum observatio, statûsque præstantioris *Respectus*? Non tanguntur, hâc obtrectationê, nec fun-

Cantic. 4. v. 9.

1. Timoth. 2. v. 9. 10.

1. Cor. 11. v. 15.

S. Cyprian. de jejunio.

Cornel. à Lapide. in cap. 6. Canticor.

ſungi, nec vulgi, ſed, fulgoris primi capita; quibus, uti per naturam contulit rerum omniũ Autor, & arbiter, inſignius aliquid; ità tribuit etiam, adverſùs popularem criminationem, prærogativam ſingularem: ut exemti ſint â cenſurâ; cui communia ſolùm in vitia jus eſt liberum, & indulta, perſtringendi, reprehendendique licentia. Debitus igitur, tam natalibus, quàm dignitatibus *Reſpectus* exigitur!

XIII. Quid hoc monſtri, Chriſtianos inter, & Evangelii ſectatores? An unquàm, propter humanæ, qualiscúnque conditionis excellentiã, ulli vitio, vel arrogata, vel indulta talis imũnitas â divinâ juſtitiâ legitur; ut *Verbum Dei, quod non eſt alligatum, detineri* tamen cum ſuâ veritate debeat *in injuſtitiâ*? dum hæc in perſonîs, dignitatê, vel nobilitatê ſulgentibûs, cæteroquìn per iniquitatem obſcurîs, & Servatori ſuo, nominique Chriſtiano contumeliosîs, &, coràm cœlô totô ſordidîs, atquè fœtentibûs, manifeſta, vulgíque jam deteſtationê reperitur execrata, damnata, maledicta? Quid enim *Reſpectûs* prætenditur, aut exigitur, â divini Verbi juratîs, obligatîsque Præconibûs? An ab ullô ſe paſſus eſt impediri Cordubenſis ille mundanæ pravitatis cenſor? quìn generali quâdam carminationê capillarem inſaniam omnium ævi ſui capitum, nullô diſcriminê reſpectorum, aggreſſus depexuerit, improperans univerſim: *Capillum frangere, & in mulie-* *Seneca. de Brevit. cap. 12.*
bres blanditias vocem extenuare, mollitiê corporis certare cum fœminîs, & immundiſſimîs ſe excolere munditiîs; noſtrorum adoleſcentum ſpecimen eſt. Nec adoleſcentes ille ſolos, per diffuſas comarum jubas, reprehenſionê ſatyricâ vellicavit; ſed eos quoquè, quos publica munia ſeverioribus negotiis intentos, magis, quàm comarum curîs detentos, poſtulabant. *De ſingulis capillîs* (ità graves illos viros acriter ſtrigillavit) *in conſilium itur: dum, aut disjecta coma reſtituitur; aut deficiens, hinc, atquè inde, in frontem compellitur. Quomodò excandeſcunt? ſi quid ex jubâ deciſum eſt; ſi quid extrà ordinem jacuit: niſi omnia in annulos ſuos reciderunt.* Deniquè, li- *Idem. Ibid.*
berrimâ cavillationê ſubjunxit: *Quis eſt iſtorum; qui non malit rempublicam turbari; quàm, comam ſuam? qui non ſolicitior ſit, de capitis ſui decore; quàm, de ſalute? qui non comtior eſſe malit; quàm, honeſtior?*

XIV. Ità licitum fuit Gentili, ſuos in Ethnicos, Ethicæ ſtylum diſtringere, prohibitâ Sacerdotibus, Evangelicæ doctrinæ miniſterio conſecratis, in morum corruptorum pares exceſſus perſequendos libertate? Quis non exitialis hujus *Reſpectûs* exigentiam, aut (quod abſit) obtemperantiam, inter avitæ religio-

2. Timoth. 2. v. 9.
Roman. 1. v. 18.

nis opprobria, quìn, & imminentis magnæ cujusdam infelicitatis, triſtia quædam portenta malè metuens accuſabit? Abſit autem, ut in ea, quæ ſupremus omnis autoritatis Autor conſpicua propoſuit, & veneratione debitâ coli voluit, prima, ſummáque capita, verbô, reſpectum debitum non obſervantê, vel imprudens etiam, &, præter intentionem, offendam: qui non Capita, ſed vitioſa, ſcandaloſa, criminoſáque Capitum, utriúſque ſexûs, capillamenta, (quibûs hâc ætate, quia nimiùm exoticîs, pietas, & modeſtia chriſtiana, diù jam immodicè ſunt offenſæ) deſuper acceptô mandatô divinô ſum juſſus, hôc univerſalis judicii temporê, tribunali ſupremo, quantâ contentionê poſſum, ex officiô, quod mihi pro Quadrageſimæ ſermonibûs faciendîs incumbit, miſsâ quâvis excuſationê, tergiverſationê, vel cujusvis periculi prætenſionê, deferre criminaliter, & accuſare. Non eſt hujus mihi commiſſi muneris obligatio ficta. Manifeſtum ejus Decretum accepi, per Iſaiam:

Iſaiæ 58. v. 1. *Annuncia populo meo ſcelera eorum*; cum expreſſis, & ab Ezechielê ſubſcriptîs, vindictæ divinæ minîs: *ſi, dicentê mê, ad impium:*

Ezechiel. 3. v. 18. *morte moriêris: non annunciaveris ei; neque locutus fueris; ut avertatur á viâ ſuâ impiâ, & vivat: ipſe impius in iniquitate ſuâ morietur: ſanguinem autem ejus de manu tuâ requiram.*

Audîſtis imperium? intellexiſtis debitum? agnoſcitis periculum? & ſuccenſere de neglectô ſui capitis reſpectu, comæ vitiô tam inſolentis, quàm excellentis, adhuc aliquis poterit mihi? quem, obſervatô magis hominum, quàm DEI reſpectu, damnationis apertæ judicium effugere non poſſe cognoſcit? *Rogo*, cum Africanô Doctore, dum ex officiô rem ago, multis ingratam: *ſi cui fortè diſplicet, conſideret periculum meum; & audiat Dominum, comminantem mihi: Si non annunciaveris impio iniquitatem ſuam; ſanguinem ejus de manu tuâ requiram.* *S. Auguſt. Serm. 157. de Tempore.*

XV. Verùm, quid veniam ab illîs rogo; quos innumerîs delictîs, pro capillorum abundantiâ, vinctos, tótque flagitiîs obſtrictos teneo; quot crinium, otioſè, tortuoſè, ſuperbè, illecebroſè, ſcandaloſéque concinnatorum reos habeo, reſtibûs non aliîs, quàm, quos de ſuîs ipſi ſibi capillitiîs jam texuerunt, ad inferna detrahendos? Dum enim virilem deformitatem hujus intolerabilis exceſsûs, & potiſſimùm execrandam abominationem, perſequi primùm ſtat animô; quid vereor, aut cunctor, in crimen illos vocare; qui, Tertulliani cenſurâ, *apertam profeſſi ſunt mulierofitatem?* Quos, ùt publicæ rei peſtes, & officinas mollitiei, *Tertullian. libro de Laud. Virg.*

litiei, Divus Clemens Alexandrinus, exoſus, abjecit in fœminarum conſortium: ut, *qui non ſecùs, ac fœminæ, comas alligantes, laſcivientê iniquitatê in alium degenerant ſexum?* In quos deniquè Papa-judicium, prætoriámque ſententiam depopoſcit: *Penſate; quæ culpa ſit? hoc etiam viros appetere; quô curavit Paſtor Eccleſiæ etiam fœminas prohibere?* nimirum: *non ſit extrinſecùs Capillatura:* cùm (alterius Apoſtoli, gentiúmque Doctoris autoritatê) *vir, ſi comam nutriat, ignominia eſt illi.* Tantam autem non virtutis tantùm virilis, verùm Eccleſiæ totius ignominiam, atquè contumeliam, quid incuſare morer, hôc ipsô præ cæterîs damnabilem; quòd ſui *Reſpectum* exigat, cùm in virîs, tum in mulieribûs? *Quia contrà præceptum Apoſtoli* (quod effrontes, & infruniti deſpiciunt) *graviter offendunt, & perturbant Eccleſiam*: utì queſtus olim fuerat Salomon Africanus.

S. Clemens Alexandrin. cit. à P. Engelgr. in Cœlô Empyr. p. 2. de S. Mar. Magd. §. 1. poſt med.

S. Greg. M. Hom. 6. in Evang.

1. Petri. 3. v. 13.

1. Corinth. 11. v. 14.

S. Auguſt. in Oper. Monaſticô. Tom. 3. cap. 31.

XVI. Hoc igitur primum illud eſt; quod hâc actionê ſinè reſpectu perſtringo, ſinè formidine perſequor, &, pro notâ jam omnibus, libertate mei muneris accuſo: quòd per impiam arrogantiam, neſcio cujus, &, unde tandem, præſumtæ immunitatis, & exemtionis, criminationi noſtræ ſubtrahere ſe contenderint quidam, nimiùm capillati vertices, cum illô ſuô reatu manifeſtô; quem tua quidem juſtitia primùm, O DEUS æquiſſime! tum & noſtra, tuæ gloriæ, ſalutíque fidelium obligata fides; demùm, & univerſi populi chriſtiani pietas, utì nunquàm ſuîs in oculis ferre potuerunt, ità neq; per diſſimulationem cæcam negligi ampliùs (millies jam orco devotum) ſed, accuſatum, condemnatúmque voluerunt. Ubi ſupremi Numinis gloria tangitur, pervicaciter: ubi Chriſtiani nominis integritas violatur, procaciter: ubi non unius animæ, ſed ſalus plurium periclitatur, pertinaciter: ubi religionis, & Evangelicæ legis inſtituta divina protervè deſpiciuntur, petulanter convelluntur, &, impietatê per inſolentiſſimam audaciam auctâ, planè proteruntur, non eſt, nisì forſan inter extremè flagitioſos, & impios, ullus locus *Reſpectui*: ſed, ipſa per capillos eſt apprehendenda. *Reſpectûs* arrogantia, ſuîsquè cum jubîs, quas â cenſurâ contumaciter immunes eſſe contendit, ad juſtitiæ divinæ tribunal pertrahenda. Abſit! ut par, aut eadem noſtra ſit, ac, miſerarum ancillarum conditio; quarum in iſtîs, faſtu vaniſſimô tumidîs, ulcerosîsque capitibûs tractandîs, accuratiſſima debet eſſe, primáque ſolicitudo: nè, vel cuſpis incautâ cutem punctu-

râ

râ lædat, gemmatîs ex acubûs; quarum tremulus fulgor, siderum instar, certîs discriminibûs, ut coruscet, per crinium nubes disponitur: vel, nè digitus, minùs delicatus, fortiùs impingat in verticem, aut crinem vellicet; aut, improvidô forsan, cæcôque tactu, capillare fastigium irritet; aut, unius etiam capilli depressionê diminuat. Non est muneris nostri, nequè genii, palpare scelera, blandôque sermonê publica scandala religionis orthodoxæ tractare. Quid quid vitii, contrà modestiæ christianæ legem, & avitos mores fidelis Ecclesiæ, Christi sponsæ, quôcunque tandem in capitê, plus, quàm par est, comtô, comatôque patet; in crimen, hâc actionê nostrâ, sinè discriminê vocatum, non unius culpâ sceleris gravatum, sed exaggeratæ, cumulatæquè malitiæ plenum postulabitur.

XVII. Malitiæ plena dixi, mulierum quidem imprimis caliendra, Cyprum olentia, gemmîs, ùt stellîs, fulgentia, suggestiq; concinnationê turgentia, & laqueorum aureorum nexu, fimbriarúmque reticulatarum plexu, lascivos oculos irretientia. Dixi pariter: officinam iniquitatis inesse jubis illis virorum ingentibus; in quibûs non tantùm exuvias mulierum, earúmque mollitiem, suîs ostentant in capitibûs, cum vanitate *perambulantes in delictîs suîs*; *id est*, *in libidinê*, *& superbiâ* (prout, excusô grandi illô capillamentô, purpuratus Hugo demonstravit) sed, ipsi quoquè libidinem omnem irritant, & in se pelliciunt, attrahúntque. Quænam igitur cæcitas, ac dementia? deficientisque, si non prorsùs jam extinctæ fidei, quàm palpâbilis est hæc stupiditas? quâ prætendunt isti, crinium plùs, ac mentis, habentes: ùt, extrà divinæ Providentiæ curam, sic, & â justitiæ divinæ censurâ, procul esse minutias istas capillorum, &, cineres olentes, &, quidquid operiendo demùm, ornandóque capiti, decoris, pretiíque fulgentis adsciscitur. Ità nimirum egregiè litterati, cùm plenum vanitate, tum vacuũ veritate, jactant caput; &, omnî scripturarum, vel fidê, vel notitiâ destitutum, apertè produnt. Si nulla capillorum in cœlô cura? quale Veritatis effatum erit: *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt?* Qualis erit assecuratio Verbi divini: *Capillus de capitê vestrô non peribit?* Unde Psaltes minas illas accepit; &, cum ipsô, tam lamentans, quàm evangelicus Vates? *Confringet Dominus verticem capilli.* *Et*: *erit*, *pro crispantê crinê*, *calvitium.* Et: *Visitabo super omnes, qui attonsi sunt in comam.* Nunquid orê, divini

Psalm. 67. v. 22. *Hugo Card. in loc. cit.*

Matth. 10. v. 30. *Luce 21. v. 18.* *Psalm. 67. v. 22.* *Isaiæ 3. v. 24.* *Jerem. 9. v. 26.*

S. Thomas in Lucæ c. 7. de Maria Magdalena. Quæ comîs venata est, ad peccatum, juventutem.

spi-

ſpiritûs plenô Princeps apoſtolorum, cum gentiũ Prædicatore, vetuerunt? *Non ſit capillatura! Non in tortîs crinibûs!* Aliter, atquè iſti deſipiunt, ex divinæ lucis illapſu, non jam ampliùs capillata *Mulier, in Civitate peccatrix, ſed, alia Maria,* (ſuîs videlicet capillîs, Dominicos ad pedes abjectîs, & eorum abſterſionê damnatîs) eorundem grandia, multipliciáque delicta, ſinceriſſimâ confeſſionê deteſtans, ex cenſurâ, quam deſuper accepit, accuſavit: *Capillos meos certô numerô complicabam; & ſuprà maxillas colluſtrans, ad deceptionem aliorum formabam: ut omnem adoleſcentem comtum, ac ſpecioſum, ad me ipſam pertraherem: ipſúmque amatorem, mihi haberem. Multos tunc cœnô peccati paſcebam; & ego, multorum cauſá, DEum ſalutis non agnoſcebam. Laqueus Diaboli jam planè effecta eram, animas captans, atquè deprædans, in judicium æternum!* Hoc verum, hoc ab ipſâ veritate ſuſceptum, hoc ex divinô judiciô revelatum, ùt ibidem exaratum, ſincerum, & ortho-doxum, de luxuriantibûs capillorum, & capitum illecebrîs, ac ornamentîs judicium eſt.

1. Petri. 3. v. 3. 1. Timoth. 2. v. 16. Luce 7. v. 37. S. Ephrem. Serm. in mulier. peccatric.

XVIII. Jam autè arctiùs conſtringam, firmiúsque tenebo, quæ tot evolare modîs quærit, luxuriæ capitalis criminoſiſſimam exemtionem. Cedò (dum in DEI conſpectu ſumus, & illô coràm judicê; qui vitium, ùt calvitium, ſub capillaturâ dignoſcit) cedò! quæ noſtræ religionis profeſſio? quæ profeſſionis ejuſdem eſt obligatio? Num aliis, quàm, qui de Chriſtianiſmi confeſſionê cenſentur; aut, non pariter omnibus, quos una Sacramenti fides, in Baptiſmo conjuratos, Evangelicis exigit ſubjectos eſſe mandatis, ab Apoſtolô cautè præſcriptum eſt? *Hoc ſentite in vobîs, quod & in Chriſto JESU! --ut ſitis ſinè querelâ, & ſimplices filii DEI: ſinè reprehenſionê, in mediô nationis pravæ, & perverſæ; inter quos lucetis, ùt luminaria in Mundô.* Qualia, pro! luminaria? quibus nullus â virtute, totus â gemmis fulgor; & unicum, diffusîs ex jubîs, radiorum jubar? quibus totam frontem, ejúsque ſerenitatem omnem (unde Chriſtianæ fidei character emicare deberet, illuſtrî fulgore, Crux) denſa capillorum nubes obumbrat? Num ab eôdem Evangelii zelotê non ità vobis, ùt Romanis, dictum, præceptúmque cenſetis? *Ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum: &, quæ ædificationis ſunt, in invicem cuſtodiamus.* An ſolîs ab Epheſiîs exegit ſeverus idem Chriſtianæ virtutis, ùt apparentis exinde fulgoris, exactor? *Ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis eſt in omnî bonitatê, & juſtitiâ, & veritatê: probantes; quid ſit beneplacitum DEO.* Quod â primîs illîs, idem ab omnibûs,

Philipp. 2. v. 5. & 15. Rom. 14. v. 13. & 19. Epheſ. 5. v. 8. & 9.

Christiani nominis, & instituti sectatoribûs, eâdem instructionê, de suâ commonitîs obligationê, magnus Apostolus postulavit; quos omnes eadem, unáque vocatio, per quam in sortem Sanctorum optati sunt, ad ædificationem, cùm eorum, qui sunt inimici Crucis Christi, tum illorum, quibus nascendi, dignitate non minùs, ac muneris autoritate præstant, obstringit. *Accepistis* enim, eôdem pariter omnes objurgantê, *potestatem á Domino, in ædificationem aliorum, non in destructionem*: ideò scilicet claritatê sanguinis, cæterîsque facti prærogativîs illustres; ut in reliquos, fidei, morum, & Christi lux, vestrô de fulgorê dispensetur.

2. Corinth. 13. v. 10.

XIX. Quænam autem, obsecro, lucis Christianæ dispensatio per vos hàc tenùs, aut in vulgus Christianum, aut in Evangelii persecutores promanavit? An enim hoc, sinè reprehensionê, luminaris instar magni, lucere censendum est? quod populum quidem simplicem, ac devotum, in publicæ pietatis officiîs turbavit; orantésque, dum coràm apparuit, in murmura, querelas, & execrationes maledictæ millies vanitatis concitavit? prout gemuit suô jam ævô S. Augustinus: *Sunt, qui hôc unô vitiô capillorum, contrà præceptum Apostoli offendunt, & perturbant Ecclesiam.* An hoc,

S. August. Op. Monast. Tom. 3. cap. 31.

perversos inter, &, in mediô nationis pravæ, tam virtutê præfulgere, quàm fidê, dicendum est? quod fidem nostram adversariis & contemptibilem reddit, & odiosam, tantò magìs; quantò vident manifestiùs: â doctrinâ, vitam alienam; â præceptîs, mores differentes; â professionê, conversationem turpissimè discrepantem; nihílque minùs caveri, vel observari; quàm, quæ severîs toties reprehensionibûs, & autoritatê Verbi divini, de suggestu reprobata; vel, è contrariô, Christianæ demissionî, modestiæquè persuadendæ, de Servatoris ipsius dictîs, factîs, & mandatîs inculcata fuerunt? Quid solicitus adeò commendavit Paulus? *Non blasphemetur bonum nostrum*! Quantîs autem blasphemiîs, per hanc vestram insaniam, bonum istud Christiani nominis obnoxium reddidistis? Non vacat hîc referre, nec gentilium, nec heterodoxorum contumelias, & opprobria, cum nostræ legis exsibilationê, palàm cantata. Satìs exaggerat culpam vestram: quòd *nullum majoris piaculi crimen est; quàm, blasphemandi causam gentibus dare.* Si tam providè cautum voluit Apostolus: ne *cibô* perdatur frater, *pro quô mortuus est Christus*? An minor ei cura fuit absterrendîs nobîs: nè de capillîs fratri laqueus, restísque construatur; quô miser irre-

Rom. 14. v. 16.

Salvian. de Provid.

Ibid. v. 15.

irretitus, captus, & illigatus, ad Infernum trahatur? Quis populo fideli? quis familiæ veſtræ, vernisque? quis prolibus veſtris, in hâc tantâ vitæ veſtræ confuſionê, diviníque Verbi, quod protervè, pertinacitérque contemnitis, illuſionê tam apertâ? quis, inquam, illorum de DEI legê ſenſus? quænam æſtimatio? quæ tandem, illud obſervandi, ſuósque mores ejus doctrinæ conformandi religio ſperanda, vel exigenda, vel expectanda videtur? Capita vitioſa, *non ſolùm vitia concipiunt*, (ùt ſuis olim Romanus Orator exprobravit) *ſed, & infundunt in civitatem: neque ſolùm obſunt; quòd ipſi corrumpuntur: ſed etiam; quòd corrumpunt. Hominis* quippè *illuſtris, & vulgo cogniti delictum, commune omnibus damnum affert.* Non eſt hoc, deſtruere magis; quàm, ædificare? Itanè verò, tanquam *filii lucis* ambulatis? qui, cùm ipſi lucem non admittitis, de veſtrâ converſationê tenebras etiam aliis offunditis? An hæc, illa ſunt opera; quibûs, *quid ſit beneplacitum DEO*, probatur? dum ab illis, quos in veſtigia veſtra pertrahitis, totius continentiæ, ſanctitatísque diſciplina diſſolvitur, & conculcatur?

M. T. Cic. lib. 3. de Legibus.

S. Chryſoſt. lib. 6. de Sacerdot.

Epheſ. 5. v. 8.

Epheſ. 5. v. 9.

XX. Hæc verò tanta perverſitas, & injuria Chriſtiani nominis, an eſt, prout inſolenter aſſeritur, & obſtinatè defenditur, omnî vacare culpâ cenſenda, decernendáque? Non eſt in illîs inquinatiſſimîs allectricis libidinis nidîs, per artifices illecebras ad capiendas animas conſtructîs, ulla ſani, vel ſancti, vel alterius ullius, niſi mundani duntaxat, id eſt, immundi, laſcivique ſpiritûs cogitatio requirenda, proſtitutionis, & concupiſcentiæ plena reatibûs. Excuſatio malitiæ, ſic inſimulatæ, quam obtenditis, hoc ipſum accuſat; cùm per alium prætextum ab opprobriô tantô vindicari vos poſſe, nec ipſi deprehenditis; niſi, quô maximè criminoſos, & â ſorte juſtorum alienos vos, & amicitiâ Servatoris indignos, proſcriptósque cognoſcimus: dum ſcilicet è Mundi geniô, conſuetudinê, legêque, vitam vos agere, non ſolùm ipſi confitemini; ſed, ſic etiam debere vos vivere, contenditis. Ergò Mundo vos conformare, per enormem capillaturam, & exotica capitum ornamenta ſtuduiſtis? Quid ad hoc? hæretis, ùt video, ſaxum inter, & lapidem, ſcyllâ, charybdîque conſtricti. Pudet excuſationis? hanc autem, ſi forſan per infamiam abſterriti, detrectare, revocaréque velletis, non id admittet S. Hieronymus; qui pridem, inter opera ſeculi, Diabolíque, cenſuit: *Ornare crinem, & alienîs capillis turritum verticem ſtruere.* Sicut, & *in*

S. Hieron. Epiſt. ad Demetriad.

P. Engelgr. ex S. Hieronymo ad Euſtocb. Epiſt. 22. in Cœli Empyr. p. 2. de S. Mar. Magd. §. 2. circa finem.

in virîs, fœminei contrà Apoſtolum crines, argumenta ſunt; eos, ſervos eſſe Diaboli. Tenet ergo vos in propriæ confeſſionis reatu, jam non ampliùs eluctabilî, magni Patris grave judicium; imò, præjudicium univerſale; quô tota ſapientia Chriſtiana, tam enormes crinium exceſſus, & luxurioſas capillorum concinnationes, cum omnî capitum exoticorum apparatu, nihil, niſi molles illecebras in omnem partem diffundentê, non Chriſtianum, ſed, mundanum habitum cenſuit; & unà cum Mundô condemnavit. Jam verò, quid vobis; & Mundo? *Adulteri! neſcitis: quia amicitia hujus Mundi, inimica eſt DEO? Quicúnque ergo voluerit amicus eſſe ſeculi hujus, inimicus DEI conſtituitur.* Deſciviſtis igitur â Domino? tranſiviſtis in partem adverſarii? Mundi ſigna ſuſcepiſtis, & habitum? quidnî facti jam eſtis inimici DEI? dum ejus faſtiditâ, rejectâ, ſpretâ, imò, & ejuratâ conformationê, fingere, cumulare, denſare, criſpare, torquere, ſurrigere, comere, conſpergere, mirîsque cirrhîs, & gyrîs inflectere, diſtendere, diffundere capillos quaquâverſùm, itáque conformare vos huic ſeculo ſtuduiſtis, nihil veriti vetus mandatum: *Nolite conformari huic ſeculo!*

Jacob 4. v. 4.

Rom. 12. v. 2.

XXI. Ah! benigniſſime Mundi Reparator! Cur, majeſtatê celatâ, ſervi pauperis, vilis, & humilis formam indutus, in hunc Mundum deſcendere, cum hominibûs converſari, vitæ nobis ideam relinquere, & ſalutis æternæ leges inſtituere voluiſti? atque, ab illîs ipsîs, quos adjuturus veniebas, negligendus, vilipendendus, rejiciendus, hoſti tuo poſtponendus, & graviſſimîs injuriîs afficiendus, nè quicquàm tamen, â conſiliô tantæ dilectionis, avocari te, vel detineri ſuſtinuiſti? Mihi perſuaſum hactenùs fuerat: per tuæ Paſſionis infinitam humilitatem, universô de Mundô Mundi Principem ejectum fuiſſe. Video tamen, ex ejus nutu, copioſum famulatum nobiliſſimi ſplendoris, &, ultroneâ voluntatê, pendere! Credidi: quòd *JEſus Chriſtus vênit in hunc Mundum, & mortuus eſt: ut, & qui vivunt, non jam ſibi vivant*, nec Mundo; *ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt*, &, qui vicit Mundum. Quid verò Chriſti? imò, quid non Anti-Chriſti, ſpirat hæc vita? quæ nec unicum in capitê pilum, vel conſecrare, vel conformare vult Chriſto? Dilecti Diſcipuli divinam antitheſin, ùt inexpugnabilem, altâ ſemper impreſſam habui mentê: *Si quis diligit Mundum, non eſt charitas Patris in eô. Quoniam omne, quod eſt in Mundo, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ; quæ non eſt ex Patre; ſed*

Joan. 12. v. 13.

2. Corinth. 5. v. 15.

1. Joan. 2. v. 16.

ſed eſt ex Mundo. Quid autem video? quid audio? quid omnis pietas popularis accuſat? Ejectus Mundi Princeps eſt â Servatore: ſub legem tamen ejus, &,ab obſequio Chriſti Servatoris pleraquè capita per Capillos abſtracta contuemur! Æternus Dei Filius mortuus eſt, pro Mundi vitâ: nequè tamen, ut, qui ſunt in Mundo, DEI potiùs, quàm ex Mundi velint ſpiritu vivere, etiamnùm habere videntur in Capitê! Cohabitare, Mundi cum amore charitas Patris non poteſt: nequit igitur aliud prudens conjectura decernere; quàm: abeſſe procul omnem DEI cultum, & amorem; ubi totô nihil in capitê cernitur; niſi vanus, ex Mundi geniô, cultus: cultus, inquam, qui Chriſti Caput illudit, & vultum: cultus, qui Chriſtiani nominis, & legis formam infamat: cultus, qui curam carnis in deſideriîs, tantò manifeſtiùs prodit; quantò minùs de ſpiritu Chriſti, per capillos apparet, tam cogitationibus cordis ineſſe, quàm capiti.

XXII. Id nunc poſtulo: quænam vobis æternæ ſalutis, non niſi per Chriſtum obtinendæ, fiducia poſſit eſſe, tam alienis â Chriſto? tam, cordê, cultûque, repugnantibus Chriſto? Chriſtúmque negantibus, & impugnantibus? Opponite! ſed, vanis veſtris perſuaſionibus obſiſtenti gentium Apoſtolo, ſi poteſtis, opponite! Non cedet ille de ſuâ ſententiâ, nè pilô quidem: *Sapientia carnis*, ipsô arbitrô, *inimica eſt DEO: legi enim DEI non eſt ſubjecta. Qui autem in carne ſunt, DEO placere non poſſunt.* Auditis hoc? qui curam carnis, per capitum veſtrorum ſuggeſta, manifeſtam omnibus objicitis? Quid porrò? *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet*, (cui convenire cum ſpiritu Mundi, carnísque curâ, non poteſt) *hic non eſt ejus.* An vos in hâc, ampliſſimæ vanitatis, faſtuosâ, ſublimatâque jactantiâ, de Chriſti ſpiritu, qui ſpiritus humilitatis eſt, atquè modeſtiæ, ſpiratis aliquid? An vos in hîs, apertiſſimæ libidinis, laboriosîs, & ſtudioſiſſimîs illecebrîs; de Chriſti ſpiritu, qui ſpiritus puritatis eſt, & caſtitatis, etiam per ipſas candidiſſimas pulverum inſperſorum nives, quicquam affectatis? An vos in tam ſolicitâ contentionê, quâ caput omne, cum immodicîs impensîs, temporis, ac facultatum, oculis, votisque mundanis accommodare ſatagitis, & conformare, de Chriſti ſpiritu, qui Mundum, ùt hoſtem, exoſus eſt, unicum verum impulſum, ac motum animi Chriſtiani teſtamini? *Qui ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritûs, ſentiunt,* ait ſpiritu Chriſti plenus Apoſto-

Rom. 8. v. 7. 8. 9. 12.

Idem. Ibid.

Rom. 8. v. 5.

lus. Ejuſdem oraculô, *qui Chriſti ſunt, carnem ſuam*, non ornaverunt, ſed, *crucifixerunt, cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis.* His, his *Mundus crucifixus*; nec aliud in corde votum eſt; quàm: *gloriari in Cruce Domini JESU!* Denique: *qui dicit, ſe in ipsô manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Quis verò tam cæcô ſit judiciô? quis tam perversâ mentê? quis tam præpoſterâ fidê? de vobîs ut credat: majorem vobis eſſe conſcientiæ; quàm, comæ curam? impenſiùs vos animæ vacare ſaluti; quàm, capitis cultui? flagrare magìs; ut virtutibûs fulgeatis; quàm, gemmîs? conari potiùs; ut bonus odor Chriſti ſitis; quàm, Cypri? quærere ſolertiùs: ut rectô ſit ordine cogitatio mentis; quàm, crinis? Quis hôc apparatu (quem nemo non improbat; niſi, mala qui probat) impletum â vobis aſſeret; quod omnibûs â ſectatoribûs Chriſti Paulus exegit? *Ab omnî ſpeciê mala abſtinete vos: ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus, ſinè querelâ ſervetur.* Quis, vos conſpicatus, non cum eôdem Apoſtolô, ſuper abominationê tantâ, támque patentibûs vicinæ perditionis indiciîs, lamentans exclamabit? *Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem, & flens dico) inimicos Crucis Chriſti! quorum finis, interitus; & gloria, in confuſionê ipſorum; qui terrena ſapiunt.* Deniquè, dum in omnem partem ea, quæ Mundo placent, ſtudioſâ capitis veſtri, non conſenſionê ſolâ, ſed etiam concinnitate probatis: quî vobis de Chriſti ſpiritu, Mundum redarguentê, vel nomen etiam arrogare tentatis? cùm ſurdîs auribûs, minùs nihil, quàm illud Apoſtoli, crinibûs veſtrîs obſtantibûs, in animum unquam admiſeritis: *Probantes, quid ſit beneplacitum DEO? nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum: magìs autem redarguite!*

Galat. 5. v. 24.
Galat. 6. v. 14.
1. Joan. 2. v. 6.
Ephes. 5. v. 11.
Theſſalon. 5. v. 21. 22. 23.
Philipp. 3. v. 18. 19.

XXIII. Tanta tamen Evangelii opprobria, tantas fidei Chriſtianæ contumelias, tam apertam cum inimicîs Crucis Chriſti conſenſionem; &, exploratam adeò perſecutionem omnis externæ moderationis, demiſſionis, continentiæ, cum hoſtilî profligationê veræ pietatis, & puritatis, & pudoris conjunctam, vacare culpâ contendiſtis? â cenſurâ publicæ redargutionis eximi voluiſtis? noxâ carere, nequè criminationi, nequè condemnationi, vel obnoxia, vel ſubjicienda cenſuiſtis? & prætendiſtis? Eos verò, quos DEI, Chriſtianæquè diſciplinæ, tantùm non obtritæ, zelus, mutâ diſſimulationê tantis fidei noſtræ probris connivere paſſus non eſt, ùt, œſtrô quôdam fanaticô concitatos; ùt, furore quodam inſanô correptos; ùt, abſtruſæ Thebaidis exoticos Paphnutios,

in

in humanæ converſationis excidium conjuratos; ùt, vacuos cerebrô, rationis inopes, diſcretionis omnis expertes, incultos, barbaros, rudésque balatrones, innumerîs calumniîs diffamatos, exoſi, perſecutíque non ipſi ſolùm, ſed cæteris etiam odioſos, inviſos, & execrabiles reddere, ſuîs cum ſacris exedrîs, conati ſuiſtis? Nec exigui temporis fuit hæc inſolentia veſtra; quâ, quod libebat, licere vobis, cum divinæ legis, & veſtræmet ſalutis fraudê, voluiſtis. Jam totus, (non exaggero: quod patet, accuſo) totus jam hôc in malignô Mundus eſt poſitus! Nimirum, *ſubſannabant nuncios DEI, illudebántque Prophetas: donec, aſcenderet furor DEI in populum ejus; & eſſet nulla curatio.* 2. Paralip. 30. v. 16.

XXIV. Atque hoc non poſtremum fuit; cur præſentem ex officiô ſuſceperim actionem: ut tuæ quidem, æquiſſime DEUS! cum primis morem gererem voluntati: tum verò etiam; ut malum illud (cui nulla jam ſupereſſe curatio videtur; dum per nimium exceſſum viribûs correctionis noſtræ prævaluit) juſtitiæ tuæ, reîs cum capitibûs delatum, accuſatúmque ſiſtatur, pro ſuorum criminum enormitate judicandum priùs; quàm læſa tua Majeſtas in populum univerſum, etiam inſontem, eíque maledicentem, per plagas, pœnásque communes animadvertat, in diê furoris tui, nullîs tùm ampliùs precibûs mitiganda. Terrent me divinæ cominationes, & indicta ſuppliciorum, â Vatê tuô nominatorum, horrenda judicia, *pro eô, quòd elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extentô collô*, libidinem omnem de capitum ſuorum elaboratô ſuggeſtô, tot vehementibûs impreſſionibûs perſuadentes; quot nutibûs, per gemmarum fulgorem â longè conſpicuîs, cordium ſuorum vota, crinium pro qualitate, laſciva, curioſis oculis, & animis prodere, propinaréque laborârunt. Nisì de Capitum ſceleratâ vanitate, criniúmque fumosîs, ac fœtentibûs nubibûs, aſcendiſſent in cœlum irritamenta juſtitiæ tuæ; nequaquàm ſententia judicii tui terribilem illam, in Capita, vindictam fulminâſſet: *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion; & Dominus Crinem earum nudabit.* Unde princeps, eminentiúsque flagitium ſurrexit; illuc primum, evidentiúsque ſupplicium tua vindex manus direxit: nequè tamen ità ſatiata conquievit. In omnem populum, & univerſam urbem, illius publicæ corruptelæ participem, vindicatum iri Vates prædixit; adjungens: *Pulcherrimi quoquè viri tui gladiô cadent; & fortes tui in prælio. Et mœrebunt, & lugebunt portæ ejus; & deſolata in* Isaiæ 3. v. 16. Ibid. v. 17. Ibid. v. 25. & 26.

ter-

terrá ſedebit. Hoc eſt, quod metuo: nè pro publicô ſcelere veniat in omnes commune ſupplicium; &, cum capillatîs nimiùm, tumidîsque tam enormî vanitate Capitibûs, vel epidemicæ luis falcê, vel hoſtilis furoris gladiô, vel aliarum, occultarum caſtigationum fatalibûs ictibûs, procul extensîs, reliquus etiam populus, internecionê communî ſuccidatur; inducatúrque ſuper univerſam terram, per iram tuam, ſalis inſtar effuſam, ſterilitatis omnî pabulô deſtitutæ triſte calvitium, in pecorum, hominúmque perditionem.

XXV. Non ſunt hi metus inanes, aut anxietatis cujusdam imprudentis vanæ trepidationes. Quòd enim idcircò, Mater urbium, Roma, cladem olim ſit paſſa, Syneſius luculenter aperuit. Illa calamitas, quæ florem Italiæ, Florentiam florentiſſimam, inſtar grandinis, pruinæquè decoxit, non alteri cauſæ fuit â B. Simone Caſſiano tributa; niſi, *quia fœminæ aliquæ relictô decorê fœmineô, virorum appetentes effigiem, attonſæ ſunt comam. Aliquæ capita ſtercore vermium perornantes, cùm capillîs alienîs proprios fulcientes, tegenda detegunt, &, non prodenda, produnt, magiſtræ perditionis ſêe natis exiſtunt!* Sigebertus haud obſcurè de Tornaco faſſus eſt: Epidemicam ibi luem non deſiîſſe priùs extinctam; ac, â Præſule, Radbodô, ſuperiorî de locô (Cathedrâ videlicet Epiſcopalî) pro muneris hujus debitô, vanus ejus temporis, & exceſſivus capillorum cultus, atquè ornatus, graviſſimè reprehenſus, & adeò fuit efficaciter exprobratus; ut continuò milleni, reſectam illam, irritantis, & irretientis libidinis capillaturam, ad S. Præſulis pedes execrati conjecerint. Vaticinium regium non poteſt non formidinem terribilis alicujus vindictæ concitare: *DEUS confringet capita inimicorum ſuorum; verticem capilli* (ſeu, quod Symmachus legit: *verticem capillatum*) *perambulantium in delictîs ſuîs.* Vertex capillatus, caput eſt inimici, tum illius, quem Dominus odit, & averſatur; tum ejus, qui Domino totô Capitê contrarius incedit, & adverſatur. Eſt autem averſio tanta Domini, criſpatîs illîs â verticibûs, comatâque ſuperbiâ (prout ſacer innuit Pſaltes verbîs præmiſsîs) *ut, licèt Chriſtus ſit DEUS ſalvos faciendi; & ipſius ſint exitus, ſeu, evaſiones mortis: tamen ſalvet tantùm, & â morte eripiat amicos ſuos: inimicos verò, & in delictîs ſuîs ambulantes, & gloriantes, confringit, & conterit: pedê victorê, & triumphante calcans ſuperbum, & ornatum eorum verticem*; unde potiſſimùm (interpretê Thomâ Remensî) Capitalis inimicitia con-

Pſalm. 67. v. 23.

Symmach. in Græc.

Le blanc in locum cit. Tom. 4. num. 100. pag. 454.

Syneſius de Regno.

B. Simon de Caſſiâ Epiſt. ad Opera ſua.

Sigebertus in Chronicis ad Ann. 1090.

Idem le Blanc. loco cit.

conſurgit, adeò quidem hoſtilis; *ut illos dæmonis poteſtati permittat; qui eorum cincinnis, & criſpantibus comis adhæret, veluti Dominus, illis inſidens.* Quare non exaggeratè, ſed veriſſimè, dicere quisquè cincinnatorum iſtorum debet: *iniquitates meæ multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei*! dum ſingulîs in capillîs plura ſimul connexa flagitia ſunt; quibus nec aliud quicquam, nisì fumus Inferni, vel, utì S. Hieronymus cenſuit, ipſius gehennæ, ſub candidîs cineribûs, latens, & abſconditus ignis ineſt. Hîs ab ignibûs tartareîs, & Peſtilentiæ cathedrîs, Dæmonúmque, libidinúmque cuniculîs, quid non formidandum? *Sanè, *propter hæc venit ira DEI in filios diffidentiæ.* Sic Apoſtolus pronunciavit; nec aliud â nobis judicari voluit: cùm omnem vindictæ divinæ mitiorem interpretationem, præmonitionê factâ, ſecluſerit, inquiens: *Nemo vos ſeducat inanibûs verbis*! Indubium enim eſt Hugoni purpurato: *Mulieres, & etiam homines, qui ornant caput, & capillos ſuos, DEUM ſuô capitê perſequuntur: unde tales ſunt inimici DEI.*

*dem ibidem. *ag. 355. *num. 103.*

Pſalm. 39. v. 13.

S. Hieron. ad Lætam. de Inſtit. filiæ.

Hugo. Cardinal. in Pſalm. 67. v. 23.

XXVI. Et erunt, qui ſe, criminis omnis expertes, indéque metuendo nequaquàm obnoxios judicio cenſebunt ex eâ, quam patentibûs argumentîs iræ divinæ ream fecimus, conſtrictámque tenemus, exoticâ, laſcivâque capillorum protervitatê? Cùm de crimine quæritur, nequaquàm ex reorum arbitrio, Mundiquè ſpiritu, qui perverſus, & virtutis, ùt veritatis, inimicus eſt, ulla peti, vel expectari ſententia debet. *Spiritus, qui judicat omnia,* DEI ſpiritus eſt: hic enim *arguet Mundum de peccatô;* quamvìs ille ſe, multîs obtentibûs, laboraverit ejuſdem criminationi ſubtrahere. Nihil igitur juvat, â plurium receptô jam uſu patrocinium forſan aliquod prætendere licentiæ. Multorum enim prævaricatio, quos ducit, ſeducit ad Infernum: *Spatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem: & multi ſunt, qui intrant per eam.* Nec, inclytîs â Majoribûs accepta præſumtio, quicquam excuſat: cùm, inter electos, *non multi ſapientes ſecundùm carnem; non multi potentes, non multi nobiles* inveniantur. Fruſtrà quoquè latentem, ſub hôc apparatu manifeſtæ, fœdæquè ſuperbiæ, puritatem cordis, modeſtiam animi, demiſſionémque perſuadere contenditis internam. Purpuratus occlamat Actor: *Criſpi crines ſignum ſunt corporis diſſoluti. Si DEUS fuerit in pectorê* (Tertullianus opponit) *cognoſcetur & in capitê. Lenocinia formarum, non, niſi proſtitutis, & impudicis congruunt: & nullarum ferè pretioſior cultus eſt; quàm, quarum pudor vilis eſt. Non de integrâ conſcientiâ venit ſtudium, placendi per decorem: quem, naturaliter,*

Ephes. 5. v. 6.

Matth. 7. v. 13.

1. Corinth. 1. v. 26. 27.

Hugo Cardinalis in Pſalm. ſuprà cit.

Tertull. de Virgin. vel. cap. ultimô. Idem. Libr. de cult. fœminar.

 invi-

invitatorem libidinis ſcimus. Pudicitiæ Chriſtianæ ſatìs non eſt, eſſe; verùm, & videri: ut emánet ab intimô in habitum; & eructet â conſcientiâ in ſuperficiem. En, quid ab hâc, internæ juſtitiæ Chriſtianæ falſiſſimâ proteſtationê, tot præjudiciîs condemnatâ, ſperare ſuffragii cauſæ veſtræ valeatis, tantîs Patrum criminationibûs oppreſſæ? Non poteſt fallere veritas Evangelica; cujus oraculô, *non poteſt arbor bona malos fructus facere.* Malus eſt, & reprobus, & procax, & libidinem irritans, & modeſtiæ, legique Servatoris contumelioſus, veſter capillorum excеſſus; & vertices veſtri capillati, tanquam ambulantes in delictîs, & ſua delicta jactantes, accuſati jam, ac judicati, mali ſunt. Quis igitur tam abominanda bonâ credet in radicê ſubſiſtere? vel, inde germinare potuiſſe? *Ornatus affectatus animam, intùs ægrotantem, ſignificat*: ità clamat, omnî controverſiâ rejectâ, S. Clemens Alexandrinus. Nec aliud Claræ vallis Pater judicium admittit, niſi: quòd *exterior ſuperfluitas, interioris vanitatis judicium ſit.*

Matth. 7. v. 18.

S. Clem. Alexandrin. Lib. 3. Pædagog. cap. 1.

S. Bernard. in Apol. ad Guillel.

XXVII. Quòdſi jam, velut ad ultimum iniquitatis præſidium confugientes, exiſtimatis fortaſſe, ſub *Ratione ſtatûs*, judicii ſeveritatem, ſi non declinari penitùs, mitigari tamen â vobis poſſe? Tantùm hoc abeſt; ut inde diſtrictior ſit etiam expectanda damnatio. Nullius enim, DEO judicê, ſtatûs, in maligno deprehenſi, reſpectus eſt; nisì, potentius ut potentes tormentum patiantur. Eô conſiliô Providentia Numinis diſcrimina ſtatuum inter homines non inſtituit; ut, quos â cæterîs reſpici voluit, iiſdem (etiam cum divinæ legis injuriâ) negatam inferioribus, quodlibet audendi libertatem conceſſerit. Id unum allegatio ſtatûs evincit: quòd, *peccatum tantò in aliquâ perſonâ eſt gravius; quantò majorem obtinet locum.* Chriſtianæ legis, non obſervandæ ſolùm, ſed in cæteros promovendæ, debitum creſcit, ex muneris, & ſtatûs autoritate; quâ pro DEO, ſtatutîsque divinîs obligantur ſtare; qui rationê ſtatûs honorantur. Nihil igitur, in ſui defenſionê, hæc malitia damnata, de nobilitatis avitâ prærogativâ, conſtruere poterit. *Majores veſtri, tales non erant*; qui tamen veſtræ nobilitatis, & inſignium, unde vos jactatis, Autores fuerunt. Nihil effugii pariter, & fœminis, objecta maritorum dignitas conferet. Ut enim hâc illos, non mulier, ſed virtus, dignos effecit: ità ſplendor iſtius eam augere, conſervaréque ſolus valebit, obſcurandam indubiè; ſi mulieris ab ſuſpectô fulgorê penderet. *Mihi Phocion, Mundus*, dicebat illa; cujus totus, â mariti facinoribûs illuſtri-

Sapient. 6. v. 7.

S. Thomas. 2. 2. quæſt. 100. Art. 2. ad 7.

Pomponius. Lætus.

Plutarchus. in vitâ Phocionis.

luſtribûs, nullus, â ſui capitis pretiosô cultu, ſuprà cæteras mulieres, viſus eſt ornatus. * Deniquè, commoditatis veſtræ ficta prætenſio reatum potiùs gravat, quàm ſublevat: cùm, quòd culpæ vacuum non ſit; quod ſenſui, ſolius gratiâ voluptatis, conceditur: tum, quòd ** *mentiatur in Caput ſuum* iſte prætextus. Quid enim ineſſe commoditatis poteſt illi capitum oneri grandi, congeriei vaſtæ, conſtrictioni multiplici, continuæ libertatis violentiæ, cautelæquè perpetuæ: nè quid, unde concinnatus ordo turbetur, offendat: vel, nè temerè quæſita commoditas, aut, applicationê capitis, diffuſam crinium amplitudinem comprimat; aut, perfricationê cutis, jubar totum cincinnatum elidat? Nullus ergo locus effugio: nulla vindicat â crimine ratio: nihil eſt, quod excuſare, quod â judiciô divinô liberare queat accuſatum luxum illum capitalis ornatûs; qui ſuperbiam prodit, naturam offendit, modeſtiam chriſtianam violat, proximum ſcandalizat, naturæ conditorem, DEum, quem corrigit, vindicem expectat. Nihil his addo, dum audio graviſſimam Oratoris Afri criminationem, hæc ipſa ſtringentem: *Angeli apoſtatæ mutare adulterinîs coloribûs crinem, & expugnare omnem, oris, & capitis veritatem, corruptelæ ſuæ impugnationê*

* S. Thomas. 4. contrà gentes. cap. 87. n. 7. vide Domin. Viva. fol. 26. n. 6. parte 2. Damnat. Theſ.

** Daniel. 13. v. 55. & 59.

S. Cyprianus. Lib. de Diſcipl. & habit. Virgin.

docuerunt. Fœminæ manus DEO inferunt; quando id, quod ille formavit, reformare, & transfigurare contendunt: neſcientes, quia opus eſt omne DEI, quod naſcitur; diaboli, quodcúnque mutatur. Non metuis, oro, quæ, & qui, talis es? nè, cùm reſurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoſcat; & ad ſua præmia, promiſſáque venientem removeat? & excludat, increpans vigore cenſoris, & judicis? & dicat: opus hoc meum non eſt; nec imago hæc noſtra eſt: crinem adulterô colore mutâſti; expugnata eſt mendaciô facies; figura corrupta eſt; vultus alienus eſt: DEUM videre non poteris.

XXVIII. Fatuè jam ſibi de ſuâ blandiuntur innocentiâ; quos antiqua ſeveritas Patrum ad vultûs divini beatam viſionem, ex nullô capitê, judicavit acceſſum vel habere, vel ſperare poſſe, penitùs indignos DEO? Videntur quidem Urano-machiam, per Babylonica molimina, turritásque verticum elationes, altiora quotidiè machinantes, prætendere: ſed hos auſus inſanos horrenda confuſio, non minùs, ac infelicem illam præſumtionem fatuæ contentionis, expectat. Ut enim illa janua cœleſtis, quam Dominus virtutum humilitate ſuâ nobis aperuit, anguſta, non, niſi vehementer exinanitos, admittit; ſic, & humilis, ac demiſſa cùm ſit, tantîs abominationibûs exaltata capita non capit *perambulantium in delictîs ſuîs: magnîs,*

Geneſ. 9. v. 3.

Pſalm. 67. v. 3.

Pſalm. 130. & v. 1.

& mirabilibûs ſuper ſe. Non ſic itur ad aſtra, per Chriſtum Dominum noſtrum : qui factus eſt nobis via; per quam ſolam ad promiſſam vitæ chriſtianæ coronam, cùm tendere, tum pervenire debemus; poſtquam ità ſtatutum : *Per me ſiquis introierit, ſalvabitur.* Væ miſeris, cùm ingruerit extrema calamitas ! Non enim, ità capillati, periculum hoſtis undiquè perſequentis defugient. Hæſit iiſdem crinibûs implicatus quercui miſer Abſolon ; quibus nimium anteà cultum luxurioſè ſuperbus tribuerat : *& in verticem ipſius, iniquitas ejus deſcendit. Spectaculum* (ùt vocavit Antiochenus Orator) *admirabile ! Mulô enim equitans, ex pilorum comâ, â comâ arboris tenebatur: & coma tenebat comâ tyrannum; illic eum contundens : ubi paternum diadema geſtare contendebat.* Quàm optâſſet minùs capillorum tunc Abſalon ! quando *apprehenſum eſt caput ejus â quercu*, &, per ipſam quidem cæſariem; quam ſtultè coluerat in ſupplicium ſuum : inde detentus *inter cœlum, & terram*; quem nec terra ferre diutiùs, adeò jam elatum, nequè cœlum poterat recipere, tam inſolentem : *ideò vidit ſub ſé apertam gehennam.* Hôc locô merentur excipi; qui contrahere ſe nolunt, & exceſſus capitum tam enormes ad modeſtiam chriſtianam reſtringere. Sic ille magnus Angliæ Cancellarius, pro cœlô, ac zelô, ſuô capitê diminutus (utì quondam pronunciavit adversùs puellam, quam vidit, maximô cùm labore, tum dolore, crines complicare, torquere, ſurrigere, variéque diſtendere) nunc deſuper ſingulis, eôdem â mê de criminê poſtulatis, tanquàm Aſſeſſor divini judicii, de ſuâ ſententiâ dicit : *Niſi DEUS pro hôc tantô labore tibi Infernum reddat; magnam profectò tibi faciet injuriam.* Scio conſpectam, in illô barathrô damnationis, candentî cum pectinê, cultûsque capillaris horrendîs inſtrumentîs, matronam infelicem, propterea ſe perpetuò damnatam indicâſſe, confeſſámque fuiſſe. Nequè tamen creditis? aut, indignè feretis adhuc? quòd, ex officiô juſſus agere contrà vos, cum S. Clemente dixi : *Alienorum capillorum appoſitiones* (prout hâc ætate, tantô ſcandalô, luxu, mollitiê, laſciviâque, magìs invaleſcunt, & inſoleſcunt indiès) *ſunt omninò rejiciendæ: &, externas comas* (eâ ſcilicet rationê) *capiti adhibere, eſt maximè impium.* Væ capillis, & capitibus his ! cùm exibit ignis, non tam de rhamnô, vel ſpinîs, quàm, de capitê Servatoris, coronatô ſpinîs.

XXIX. Abſit ! hoc ut petam, actionê præſentî ; quâ magis, emendatos, quàm, condemnatos, eos omnes contendo ; quos non

Faann. 10. v. 9.

2. Regum. 18. v. 9.

Pſalm. 7. v. 17.

S. Chryſoſt. Homil. in Pſalm. 7.

Chald. in loc. cit.

2. Reg. 18. v. 9.

Toſtat. in locum cit.

Cornelius à Lapide in 1. Timoth. 2. v. 10. fol. 771. D. 2. in fine.

Guillelm. Pariſienſis. Tract. de Univerſ.

S. Clemens Alexandr. in Epiſt. 1. S. Petri.

Judicum. 9. v. 15.

non tam accuſare, quàm, in ſui reatûs agnitionem, deteſtationem, & execrationem, in ſuâ conſcientiâ redargutos, convictósque deducere, tot criminationibûs pertinaciter hactenùs defenſæ cauſæ (ſoliciti potiùs Procuratoris partibûs, pro ſalute cunctorum, quàm Actoris, â mê ſuſceptîs) laboravi. Nullus dubito; quìn unum omnium votum ſit: in causâ tam inclinatâ, tam aggravatâ, proximâque perditioni, juvari, vindicari, ſervari! cùm perſuaſum jam ſit: quòd in illô ſupremô tribunalî, etiam *capillus habet umbram ſuam*. Promtus ad hoc præſtandum eſt Advocatus Peccatorum; qui, quod pro vobis allegare conſtituit, impreſſit jam, non papyro, ſed peplo: cùm divinîs, non humanîs, expreſſum typîs, vivum ſui ſpinîs coronati capitis typum reliquit, pro criminosîs crinium exceſſibûs, & omnibûs vanitatis hujus, tam laſcivæ, quàm exoticæ delictîs Patri ſuppliciter exhibendum, cum efficacî ſubſcriptione: *Reſpice in faciem Chriſti tui*! Nihil ille verò magis, & impenſiùs â vobis expectat (ut integræ ſint res veſtræ) quàm; quod vepres ab ovibûs exigunt in anguſtô conſtitutîs. Vix ità quicquam â tranſeuntibus, etiam hominibus, ùt crines, & capillos, &, quod villoſum eſt, attrahunt, ſibique vendicant ſpinæ. *Comtos igitur capillos, & madentes cincinnorum fimbrias*, cum capillamentorum veſtrorum ſcandalosîs, exoticîs, & execratis retibûs, ac irritationibûs, aut irritamentîs vitiorum, non jam inſtar pœnitentis mulieris, Domini veſtri pedibus impendite; ſed coronato ſpinis capiti, vultuíq; ſacroſancto, cum S. Veronicâ, ſudoribus ejus abſtergendis conſecrate. Quis cunctabitur id, quod nolenti violentia mortis abſtrahet, ſuæ ſalutis aſſertori, volens impendere? Si manus abſcindenda, ſi pes amputandus, & oculus, quô nihil homini charius, pro ſervandâ eruendus eſt animâ? num capillamentum adſcitum, Caliendrum confictum, aut fimbriatam, capillatam, cornutámque capitis criſtam, ùtùt gemmîs, & mundô totô muliebrî coruſcantem, animâ ſuâ potiorem habebit quæquam? Quæ tam graviter delirat, ſubinde non ampliùs hîc, inter meliora jam ſapientes, compareat. Quos autem, ità ſapientes, jam ſeriò pœnitet, hos verbô V. Bedæ piè ſecuros eſſe jubeo: *Chriſtus ſpineâ coronâ ſuâ noſtrorum ſpinas abſtulit peccatorum*. Amen.

Cicero in Pisonem.

Pſalm. 83. v. 10.

V. Beda. in Evangel.

FERIA V.

POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ.

SERMO VIGESIM: SECUNDUS.

In Forô IV. Justitiæ Divinæ,

Viâ publicâ Crucis, ad usquè Calvariæ montem.

Actio XVI. quæ Condicta, de Obstinatione:

Contrà Hæreticos, & Infideles omnes;
Qui, Catholicîs in regionibûs, & urbibûs degentes,
Velut in ipsô meridiê constituti,
Quamvis affulgentem omnis doctrinæ lucem in oculîs habeant,
Prodigiorum insuper, ac Sanctorum factîs illustrentur,
Magìs tamen tenebras diligunt, quàm lucem;
Agnitæquè veritati fidei, Christiano-Catholicæ,
Pertinaciter, & obstinatâ voluntaté reluctantur.

Condicta, ex cap. ult. dist. 47 de obstin. Et cap. Quia 4. in fine. Distinct. 82. Confer. Can. 4. & 9. Caus. 23. q. 5. Matth. 12. v. 42. Regina Austri surget in judiciô cum generationê istâ, & condemnabit eam: quia venit â finibûs terræ, audire sapientiam Salomonis.

Actor XVI. Regina Austri,

Ab ipsô Dominô nominata in Evangeliô,
Hæreticos omnes ævi nostri, cum Infidelibûs, accusat;
Qui doctrinam Evangelicam, patenter etiam convicti,
Non tantùm, salvificâ cum Fidê, non amplectuntur;
Sed per obstinationem, æterni judicii ream, aspernantur.

Mysterium XVI. Actionis hujus Argumentum.

Simon Cyrenæus, homo gentilis, & extraneus,
Crucem eandem, quam omnes Judæi coràm oculîs habuerunt,
Conspectam autem, agnitámque non susceperunt,
Sed, etsi consecratam â Dominô, execrati tamen contempserunt,
Suos, desuper illustratus, recipiens in humeros,
Itáque salvatus, exprobrat Judæorum pertinaciam,
Meritò condemnatam: quia, contrà Domini lucem, obstinatam.

Tessera. Invenerunt hominem Cyrenæum, nominê Simonem: hunc angariaverunt; ut tolleret Crucem ejus. *Matth. 27. v. 32.*

I. AH! dura corda! corda, ſaxîs duriora! corda, ferîs immitiſſimîs ferociora! ferociſſima, duriſſima, ſæviſſima corda! Si non omnis jam ſenſus humanitatis in ferociam, brutîs immaniorem efferatus, aut penitùs in vobis extinctus eſt? miſeremini tantæ, quam cernitis, nunquàm ullô in hominê conſpectæ miſeriæ! vitæquè, tantùm non ſingulos ad paſſus deficientis, tantùm non proximô quôque cum lapſu corruentis, tantùm non, anhelitu quôlibet ultimùm ſpirantis, & expirantis miſeremini! Pilate! ecce homo! &, ſi homo es adhuc? nec totus, per Judæorum invidiam depravatus jam es? miſerere miſerabilis hominis! quem nullius hominis opitulans miſeratio reſpicit; nullius, ùt par eſt, ſublevans compaſſio reficit; nullius, tot inter angores, nè ſub immanî pondere collapſus occumbat, piè ſolicitus miſeratur affectus! Miſerere Præſes, & impera, pro poteſtatê Prætoriâ (cùm pietatis officia deſunt) ut ex officiô, per adminiſtros tui Tribunalis, eô Crucis onerê ſublevetur oppreſſus; quod humanas ejus vires tantò magìs excedit; quantò minùs illi ſupereſt humani roboris, in corpore tam concuſſò, tam exhauſtô, tam vitalî vigore, quàm cruore deſtitutô! Cerne vulnera; quæ ſinè numerô dolor exaſperat. Vide plagas; quas cum tumore livor exulcerat. Non eſt, â plantâ pedis, in eô ſanitas, ad uſquè verticem: ſolîs â ſpinîs, laceratâ cutê, transfixôque craniò, jugis fluit cruor de capitê, per vulnera depluus duo ſuprà ſeptuagena; quæ, veſtigiô vacillante, per illapſum fatalis trabis in caput, ad ſingulos propè paſſus altioris puncturæ tormentum exaggerat!

II. O vos, pietatis Antiſtites, legis Doctores, & ſacerdotalis miniſterii Principes! miſeremini, jam invalidi! cujus â virtute tam protritâ metuendum nihil, nequè vobis, nequê regno veſtro, jam cernitis! Ên *frater veſter eſt*, *& caro veſtra*! Si veritatis aſſertorem, ſi depravatæ veſtræ vitæ cenſorem, ſi legum violatarum zelatorem, ac vindicem; ſi populi votîs, ac você proclamatum Regem; ſi Meſſiam, prodigiîs, & virtutibûs confirmatum, exoſum habuiſtis? miſeremini, jam undequaquè miſerabilis, nullôque non miſeriæ nominê miſerandi! Si fixum animô ſtat, crucifixum intueri? portandæ crucis onerê liberate! Si ſupplicii locum illi cum reîs vultis eſſe communem? inſtrumentô ſupplicii, nè ſub eô deficiat, ſublevate! Jam tertiô prolapſum caſu vidiſtis: &, heu! quàm terribi-

Genes. 37. *v.* 27.

Lyræus de Imit. Chriſt. Pat. Lib. 4. *cap.* 1, *fol.* 165.

ribiliter proſtratum, quàm graviter oppreſſum, quàm periculosè colliſum, quantâ dolorum, & vulnerum omnium exaſperationê, lethaliter obrutum, afflictúmque conſpicitis! En tam immenſi ponderis patibulum humeris, per flagella jam dilaniatis, incumbit; ut nè robuſtiſſimi quidem hominis validæ vires eidem, niſi difficillimè bajulando, ſi ſolæ ſint, pares cenſeantur. Quis labor? obſecro; quis cruciatus, â tam immanî crucis trabê, corpori, viribûs deſtituto, merúmque jam in vulnus exulcerato? Quis penitùs attritis, &, ad oſſa jam uſquè patentia, carnê nudatis, eôdem enormî cum pondere dolor ſcapulis incumbat? expendite! Nè, quæſo, ſaxîs ipsîs aſperiores, duriorésque permanete, Pontifices! Illa, credo, veſtigiorum Chriſti tam graviter impreſſorum, emollitas fuiſſe ſenſû, divinôque cruore conſperſa, mutâſſe rigorem: nequè tamen veſtrô de pectore, ſilicis, aut marmoris, aut chalybis pertinax induratio molliri, ſolvi, liquarique cœpit? Proh immanitatem! *Ex naribûs, & orê cruentô, ſanguinem emittebat, dum impiiſſimîs Judæîs, hinc inde impellentibûs, cadebat in faciem JESUS: impiiſſimi tamen canes nullam faciebant illi miſericordiam; nullâ compaſſionê movebantur: ſed, quicquid excogitare poterant injurioſum, faciebant.*

S. Vincent. Ferrer. in Paraſceve.

S. Anſelmus in Dialog. de Paſſione.

Landſperg. de Paſſione. art. 47.

III. Tandem video deſideratum ſolatium! quod quidem nequè Præſidis juſſu, nequè Pontificum votô, ſed, militum providentiâ (piâne, vel impiâ, non eſt, quod inquiratur) inventum eſt. *Invenerunt hominem Cyrenæum, nominê Simonem: hunc angariaverunt; ut tolleret Crucem ejus.* Accuſat quidem ex hôc ipſô Præſul Burgenſis milites duplicis impietatis, & injuriæ, tùm ipſi primùm Chriſto, tum adacto ſub infame lignum Simoni, per hanc providentiam, tam intentatæ, quàm irrogatæ; quâ favere videbantur, pro ſuæ ſcilicet crudelitatis ingeniô, geniôque, ſævientes etiam, dum parcentes. *Cùm nullus adeſſet, qui infame, nefaſtúmque lignum vel pretiô portare vellet (tantæ erat ignominiæ, in illô ſpectaculô Crucem ferre!) milites, quâ fuére audaciâ, virum hunc ruſticum, ignobilem, & pauperem in itinere inventum, coëgerunt, ut ferret: non, ut JESU parcerent; aut eum onerê levarent; ſed, ut majoribus eum ſuppliciis, robore integrum, ſervarent: &, ut minori impedimentô ipſi illuderent. Deniquè, ut feſtinantes citiùs abſolverent negotium occidendi.* Nihil ergo pietatis, aut favoris huic tribuendum ſolicitudini; quâ, ſuccubiturum humanitùs, itáque ſupremam infamiam ignominioſiſſimæ necis evaſurum, ſublevari milites, â ſubactô per vim Simone, Dominum conati ſunt, providi magis de,

Lucas Burgenſ. in Matth.

S. Vincent. Ferr. cit. à Gregorio à JESU Maria. Tom. 2. Divinit. & Innocent. Chriſti &c. fol. 199. num. 11.

de, ſui furoris, extremô ſuppliciô ſatiandi, quàm, obſequioſô Chriſtum juvandi, fovendiq; miniſteriô. Mirabile tamen, plenúmque videtur eſſe myſterii; neque fortuitum, ſed arcanâ diſpoſitionê divinæ providentiæ conſtitutum: quòd, Judæîs in. popularem ſuum, in Doctorem, ac Thaumaturgum benefactorem ſuum ſævientibûs, ad ejus obſequium peregrinus, & gentilis occurrerit; &, ſacratiſſimo Servatoris opprobrio, non Hebræus aliquis, vel Iſraëlita, ſed alienigena, fuerit angariatus, & coactè ſubactus. Iſte, de villâ veniens, non in urbe, ſed foris occurrens, affectu miſerationis compatiens, juſtique ſupplicio ſpectator adeſſe deſiderans, nihil minùs, ac de Crucis participationê præcogitans, quin & ejus ignominiâ, vel attactu ſolô contaminari, magis, quàm, ipſius onerarî ponderê formidans, unus, ex omnibûs innumeræ turbæ ſequacibûs, *apprehenſus*, utiquè manibûs militum violentîs, & attractus, compulſúsque fuit in obſequium Servatoris.

Dionyſ. Carthuſ. locô cit. Lect. 43. num. 3.

Lucæ 23. v. 2.

Marci. 15. v. 21.

IV. Altius hîc quidpiam indagandum eſt; quod â Divo Matthæo nequaquàm temerè dictum, ſed vigilantî verbô videtur fuiſſe notatum: cùm de Simone Cyrenæô, per milites angariatô, præmiſit: *Invenerunt hominem*: illum ſcilicet hominem. invenerunt; qui ſuá quidem voluntatê tendebat in urbem; ſed, arcanô DEI conſiliô, vocatus erat in conſortium Paſſionis Dominicæ: qui villici negotium. agreſtî gerebat in animô; ſed â Negotiatore ſalutis, ad ferendum deſtinatus erat Crucis opprobrium. Quem ergo, præ tot millibûs, ex omnî gentê Judæorum, providentia cœleſtis elegerat; &, ut opportunâ prætereret horâ, ſubmiſerat; illum, ad ſalutiferæ Crucis onus in ſe ſuſcipiendum, divinitùs præparatũ, *invenerunt hominem*. Nemo nunc ex mê poſtulet: cur, deficientibûs Chriſti viribûs (*qui, quamvis, ùt DEUS; portet omnia verbô virtutis ſuæ, naturam tamen humanam, perinde, ac ſi DEUS non eſſet, pati permittebat*) infame crucis pondus non in otioſos, & vacuos oneris humeros, unius, è duobus, qui cum eô ducebantur, latronibûs (quod citrà cujusquàm alterius injuriam, opportuniſſimum factu fuiſſet) per milites translatum, impoſitúmque fuerit? Poſſet quidem aliqua conjectura, ſuper hâc excluſionê latronum formari: cùm perſpectum habeamus, cuivis eorum ſuas, in horridô ſupplicii locô, Cruces â judice fuiſſe conſtitutas. Eâdem enim conditionê metuendum videtur omnibus eſſe; quicunquè per hujus vitæ viam, Crucis onerê liberi, tendunt ad mortem; eos in extre-

Marci: tendebat civitatem verſùs.

Maldonatus in cap. 27. Matth.

Hebr. 1. v. 3.

Tauler. de Paſſione. cap. 29.

Matth. 27. v. 32. Franciſcus Lucas. in cap. 15.

tremô tandem ſupplicii communis terminô, ſuas cum latronibûs, quas noluerunt portare cum Chriſto, non ſalutiferas perinde, ſed ferales, horrendô diſcriminê, manere Cruces. Aliud autem illius arcanæ diſpoſitionis, de Simonis interventu, conſilium, ex divinâ Providentiâ S. Paſchaſius annotavit: Factum ſcilicet id, *ideò: quia magnum in eô formatur Sacramentum. Erat enim ex gentibûs, qui non fortuitò obviam venit; ſed ex Providentia DEI: ut in eô jam monſtraretur; quòd gentes Crucem Chriſti portare deberent, & comparticipes Paſſionis ejus fieri. Indignus enim erat quilibet Judæus, Crucem Chriſti portare. Simon vocatur; quod interpretatur obediens. Hic poſt JEſum crucem portare feſtinat: obediendo promeruit; ut tantô dignus munerê eſſet.* Mirabilem hanc Providentiæ divinæ diſpenſationem (quæ nequè Latrones, eâdem licèt mortê damnatos, nequè judæorum ullum, innumerabilî frequentiâ paſchalibûs tunc pro ſolenniîs congregatorum, ſed hominem Cyrenæum, alienigenâ, & gentilem, ad obſequium Crucis elegit; &, ut occurreret opportunè, ſubmiſit; &, ut inveniretur in tempore, præparavit) nemo non Patrum antiquorum, ùt grande myſterium, veneratus eſt. Ità S. Leo: *non fortuitum*, inquit, *ſed figuratum, & myſticum fuit: ut, judæîs in Chriſtum ſævientibûs, ad compatiendum ei, peregrinus accurreret.* Idem S. Ambroſius, cum Hilariô, Remigiô, Bedâ, atquè, cum hîs, Beatus quoquè magni P. Auguſtini Caſſianus, ex ethymologiá nominis, ac loci, de Simone Cyrenæô, mirabili conſenſionê docuerunt: *Indignum judæis erat, Chriſti crucem ferre; quia fidei gentium erat relictum, &, Crucem accipere, &, compati. Simon interpretatur obediens; Cyrenæus, hæres: unde per eum populi gentium deſignantur; qui quondam peregrini, & hoſpites teſtamentorum, nunc, obediendo, facti ſunt hæredes DEI.* Ità nimirum par fuit eventus Davidis oraculo: *Dabo tibi gentes hæreditatem: &: Populus, quem non cognovi, ſervivit mihi: in auditu auris obedivit mihi. Circumciſio enim* (utì M. Albertus doctiſſimè ſuggeſſit, Judæos per circumciſionem pungens) *Crucem Salvatori paravit; & hanc Gentilitas ab humeris Domini portandam aſſumſit.* O profundum divinæ providentiæ conſilium! & pavendum divinæ Prædeſtinationis myſterium! *Felix Simon! qui in Cruce ferendá JEſu ſocius fuit. Nam, ſicut ſocius fuit Paſſionis, ſic fuit & gloriæ.*

V. Neque verò Sacramentô vacuum videtur eſſe: quòd hominem, quem invenerunt milites, &, ut ſuos Cruci ſubderet humeros, angariaverunt, priùs *Cyrenæum*, ſubinde *Simonem*, ſacer Hiſtoricus appellaverit. Quòd enìm de Cyrenê vocatur, originem

S. Paſchaſius in Matthæum Lib. 12.

S. Ambroſ. S. Hilar. S. Remigius. V. Beda. B. Simon de Caſſia cit. á P. Gregor. loc. cit. fol. 194. num. 8.

Pſalm. 2. v. 8. Pſalm. 17. v. 44.

B. Albertus M. cit. á Manſ. Tom. 3. Bibl. Tract. 64. Diſ. 6. num. 4.

Lucas Burgenſis in Matth.

S. Leo. ſerm. 8. de Paſſ. cap. 2.

nem patriæ gentilitatis oſtendit: cui, cùm ignominia Crucis viſa ſit, inſtar eſſe ſtultitiæ, mirum cenſeri non debet: quòd, *hunc angariaverunt, ut tolleret Crucem*; qui de villâ venerat, atquè Cyrenê, non terrenîs tantùm cogitationibûs, ſed paganîs inſuper tenebrîs occupatus adhuc, & occæcatus. Non diù tamen, nec obſtinatè reluctabatur; qui, non Cyrenæus tantùm, ſed, etiam Simon advenerat. Angariatus eſt Cyrenæus &, Crucem in ſe ſuſcipere, portaréque coactus eſt, *angariâ ſalutarî* (prout Origenes ei gratulatus fuit) *& felicî neceſſitaté; quæ ſic ad meliora compellit*, applaudentê Burgensî. Nam vix dum, ignarus myſteriî, ſalutísque, cum Cruce conjunctæ, probrum, quod *Cyrenæus* abhorrebat, adactus in obſequium fidei, *Simon* obſecutus accepit in humeros, incepítque portare, continuò ſecutus eſt DEUM: ſtatim enim (advertentê magnô Patre, Hypponensî) ùt Crucem attigit, ex ejus adeò fuit illuminatus virtute; ut eam cum multô obedientiæ, & compaſſionis fructu portârit. Quod innuere pariter S. Paſchaſius per illa ſua, ſuperiùs adducta verba, voluiſſe videtur: *ideò Simon*, ſcilicet, obediens, *poſt JEſum Crucem in angariâ portare feſtinat.* In *angariâ* ſcilicet; quia Cyrenæus: *feſtinans* autem; quia Simon: ità, per Crucis virtutem, in Crucis obſequium, non jam cunctanter ſecutus, ſed feſtinanter obſecutus eſt.

1. Corinth. 1. v. 23.

Franciſc. Lucas in Acta Apoſt. cap. 2. de Cyrenaicis, voluptatis amatoribûs, Crucis inimicis.

Origenes. citat. à P. Gregoriô à JEſu Maria, locô cit. num. 10.

Lucas Burgenſ. in Matth.

S. Auguſtin. ſerm 34. ad FF. in Eremo.

S. Paſchaſius locô cit.

VI. O felix! ac ter beate, Simon! cedò, quis tibi ſub Crucê, de Crucê ſenſus? Num gravis, & oneroſa? num vilis, & probroſa? num adhuc tibi ſtulta videtur, & contumelioſa, quæ tuis incumbit humeris, â Deô, tibi deſtinata; â militibus, in te translata; â Dominô, ſoli tibi relicta Crux? An cum vatê Regê confiteris ex animô? *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt!* An reâ- *Pſalm. 22. v. 4.*
ipſe, veréque perſentiſcis? quod veritas æterna perſuaſum nobis evangelicè voluit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos: & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum, ſuave eſt; & onus meum, leve.* An- *Matth. 11. v. 29.*
tua, Pauliquè mens, in unô conſentiunt votô? *Mihi autem abſit gloriari; niſi, in Cruce Domini noſtri JEſu Chriſti!* Meâ quidem ſententiâ primus hic, ità ſi ſentis, ligni ſalutiferi prodigioſus effectus nuncupandus eſt: quòd, extraneus â Domini doctrinâ, peregrinus in Evangelii legê, remotus à cathedrâ Synagogæ, nullîs Prophetarum oraculîs inſtitutus, nullîs myſteriîs divinarum ſcripturarum eruditus, in veſtigia Servatoris lætus, cum Crucê, non, ùt improperium portans, ſed, velut cum trophœô, triumphan- *Galat. 6. v. 14.*

phantis instar, sequens progrediatur. Quid non exsultationis, & jubili, palàm ostentâsset primus iste Stauro-phorus? si fuisset illi, quod nobis, notum ex Africanô Doctore: *Crux Christi nobis totius causa benedictionis est, & omnium bonorum thesaurus.* Si scivisset ex Doctorê Seraphicô: *Crux, est porta Paradisi, Mundi medicina, salus animarum, fortis armatura, perfectio secura, dæmonum expugnatio, captivorum redemtio, DEI Patris placatio.* Si dictum illi, quod nobis, â Cassiodorô fuisset: *Crux, est humilium invicta tuitio, superborum dejectio, Victoria Christi, perditio Diaboli, Infernorum destructio, cœlestium confirmatio, mors infidelium, vita justorum.* Si didicisset ex nomenclaturâ sancti Chrysostomi: *Crux, est spes Christianorum, resurrectio mortuorum, cæcorum dux, desperatorum via, claudorum baculus, consolatio pauperum, destructio superborum, devictio Diaboli, esurientium panis, sitientium fons; gloria nostra, libertas, & corona; hasta, quâ lethale vulnus dæmon suscepit, nudorúmque protectio.* Si Damascenum audivisset? vel, Damiani Purpuratum, in elogia Crucis profusum? & intellexisset, ex utriusq; prædicationê, de Cruce: quòd sit, *Clypeus, atquè armatura, & trophœum, adversùs diabolum: Sigillum, ut nè exterminator nos Angelus tangat; jacentium excitatio, stantium fulcimentum, infirmorum baculus, ovium virga, animæ, & corporis salus, malorum omnium depulsio, bonorum omnium causa, vitæ æternæ lignum.* Si novîsset: quòd in eâ sit, *cœlestis figura Victoriæ, mors vitiorum, & omnium fons, ac vita virtutum.* Denique, si magni Leonis oraculum Vaticanum illud audivisset: *O admirabilis potentia Crucis! in quâ & Tribunal Domini, & judicium Mundi, & potestas est Crucifixi. Quæ omnium fons benedictionum, omnium causa gratiarum: per quam medentibus datur virtus, de infirmitate; gloria, de opprobriô; vita, de morte.* Quantô gaudiô, quâ spiritûs exsultationê, quô solatiô cordis, & jubilô Simon, ista si novîsset, alleviatus, & sublevatus iivisset?

S. Augusl. serm. 1. in Parasceve,

S. Bonavent. in Laudismo de SS. Cruce. pag. 423. Idem in Diæta Tit. 10. cap. 3.

Cassiodor. sup. Psalm. 4. v. 7. fol. 8. col. 4. à mediô.

S. Chrysostom. Homil. de Cruce post med. Tom. 3.

Idem homil. 55. super Matth. post. med.

S. Damasc. lib. 4. de fide orthod. cap. 12.

S. Petr. Dam. Epist. ad Damian. Monach. circa med. Tom. 1. pag. 95. col. 1. D.

S. Leo. serm. 8. de Pass. Dom. post. med. fol. 47. p. 1.

VII. Verùm, erántne pariter eadem & Judæis, & Pontificibus, Principibúsque Sacerdotum, & Scribis, legísque Doctoribus, & Pharisæis perspicua; qui veteris testamenti religionem omnem, velut suis insertam phylacteriis, arcanáque mysteria, quasi suorum fimbriis vestimentorum intexta, jactitantes circumferebant? Illi sanè Prophetarum libros quotidiè versabant in manibûs, prælegebant in Synagogîs, explicabant è pulpitîs, firmandæquè suarum superstitionum autoritati, pertinacissimè juxtà, ac solertissimè, licèt perperàm, ac cæcè, scrutantes, discutientésque pervolvebant. Quid igitur de lignô vitæ, quod invenerant in mediô Paradisi, nisi, latentem

Genes. 2. v. 9.

temNuminis providentiam adorare debuerant? quæ corruptioni (per abuſum ligni ſcientiæ, boni, ac mali)contractæ,mirabilî pietatis conſiliô, remedium vicinum ſic adjunxit: ut, unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret; &, qui vincebat in lignô, rurſùs in abſconditæ virtutis lignô vinceretur. Legerunt illi ſuîs in ſcripturîs, vel â limine conſpectîs: in machinâ ligneâ, per Noë fabricatâ, ſervatam juſti familiam, &, in eâ, genus humanum univerſum ab interitu, ſuperabundantis malitiæ vindice, vindicatum fuiſſe. Quid verò poterat aliud eô myſteriô præfiguratum cogitari: quàm, futuræ per lignum totius Mundi ſalutis, in arcâ datum fuiſſe, DEO præludentê, ſolatium? Non latuit illos, Abrahæ non minùs, ac ipſius Iſaac filij, Propheticîs exaltata præconiîs obedientia; quâ non tantùm pius Pater, *tulit ligna holocauſti; & impoſuit ſuper Iſaac, filium ſuum*: ſed ipſe quoquè filius humeros oneri promtè ſubjecit, & in locum holocauſto deſtinatum portavit. Quid ex illô mirabilî ſpectaculô tentati cœlitùs Abrahæ, puerique, lignorum baſuli, mens ulla poterat arcanorum divinorum indagatrix arguere? niſi divinæ pietatis, in Unigenitô ſuô, ſacrificium juſtitiæ per lignum olim conſummaturæ, dulciſſimam adumbrationem, internâ quaſi você perceptam. *Dum in Iſaac lignorum congeriem cernis*, ait S. Ephrem; *crucem mihi animadverte.* Quoties illis occurrit geſtiens peregrinus, &, ſuper felicî tranſitu Jordanis, cum ſuô, quô fultus iverat, baculô plaudens Jacob? Ecquid tum in hôc, tum & in illô baculô, quem regius quoquè Vates inter ſua ſumma ſolatia retulit, cogitandum aliud erat? quàm, Cretenſî cum Præſule: *Crucis typus fuit Patriarchæ Jacob virga, quâ tranſivit Jordanem.* Noverunt: per lignum, â Domino Moyſi monſtratum, aquas Marath, ab amaritudinê mirabiliter expiatas, dulcorem ſuaviſſimum accepiſſe. Cur autem inde noluerunt intelligere: *Amaritudinem gentium, per lignum Crucis, in uſum dulcedinis, quandóque eſſe vertendam?* Obſtupuerunt non ſemel ſuper thaumaturgâ Moyſis virgâ: quæ magicos devoravit ſerpentes; maris obſtaculum pervium reddidit; obſtinatam caſtigavit Ægyptum; Pharaonem domuit, & Iſraëli ſitienti de petrâ potum excuſſit. Stupida quis eorum non incuſet ingenia? ſi majorem aliquam, vilis, & infirmi ligni virtutem, per virgam illam, tot prodigiîs roboratam, â divinâ manu inde uſquè non expectârunt, cum Servatoris promiſſi mirificâ Cruce venturam: utì cum Andreâ Cre-

S. Ambroſ. Lib. de iis, quæ initiantur.

Heſichius in 14. cap. Levit.

S. Hieronym. in Joël.

Geneſ. 7. v. 6. 17.

S. Thom. in Geneſ. cap. 8.

Geneſ. 22. v. 6.

Origenes homil. 8.

S. Ephrem. in Abraham, & Iſaac.

S. Eligius. homil. 5.

Geneſ. 32. v. 16.

Pſalm. 22. v. 4.

S. Andreas Cret. Orat. 1. de Exalt. S. Crucis.

Exod. 15. v. 25.

S. Iſidor. Comment. in Exodi cap. 21.

Exod. 7. 8. 14. 16.

Cretenſi V. Beda nos erudivit: *Crucis virtutem habuit virga Moyſis, in ſerpentem converſa. Eadem virga, per quam Ægyptus corripitur, & Pharao ſuperatur, Crux Chriſti eſt; per quam Mundus vincitur, & Princeps hujus Mundi triumphatur.*

S. Andr. Cretenſ. Orat. in Exalt S. Crucis. V Beda in Exod. cap. 7.

VIII. Quid exaltatus in patibulô ſerpens æneus, &, in ſalutem populi, morſibûs venenatîs percuſſi, reſpiciendus; niſi, futuram ex lignô ſalutem, per exaltandum in eô Servatorem, debebat legentibus polliceri? Quid, expugnaturus pertinaciam Sichimitarum, Abimelech, ſuſceptîs in humeros arborum truncîs, & militarem turbam in ſua ſic ſubſequi veſtigia jubens, niſi, bajulum funeſtæ trabis, novæ legis Ducem, poterat cogitantibus adumbrare? Nonnè de Samſone legerant: *Apprehendit ambas portæ fores cum poſtibûs ſuis, & ſerâ; impoſitásque humeris portavit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron?* Nonnè de palmâ Debboræ, victoriarum auſpicê; de clavâ Jahel, Siſaræ debellatricê; de paſtoritiô baculô, Goliæ terrorê; de citharâ demùm David admirandâ, nonnè notum illis, perſpectúmque fuerat: in hîs, Deô præludentê, myſtica latere, contrà maligni ſpiritûs hoſtiles inſultus, præſidia? Non potuêre non ſuſpicari grande myſterium, geminis illis lignis, Dominô diſponentê, conjunctum; in quibûs vidua Sareph-

Num. 21. v. 8. S. Ambroſ. Liò. 3. de Spir. S. cap. 8.

Judicum. 9. v. 48. 49.

Judicum. 16. v. 3.

Judic. 4. v. 5. & 21.

S. Iſidor. Anaſtaſ. Sinaita. lib. 12. Hexæm. 1. Reg. 17. v. 43. 1. Reg. 16. v. 23. S. Proſper. de promiſſ. DEI. p. 2. cap. 25.

tana, ſuæ, ſuíque filii ſupremæ neceſſitati, quæſitum reperit, adverſûs mortem imminentem, ſolatium? Quoties audiverunt, occini ſibi, regii Vatis oracula, myſteriorũ Servatoris, per Crucem regnaturi, prænuncia? Quid enim illud: *Dicite in gentibus: quia Dominus regnavit â ligno?* cum adjectô ſolatiô: *Tunc exultabunt omnia ligna ſylvarum?* Quoties in Synagogâ reſonuit evangelicum Iſaiæ canticum? *Parvulus natus eſt nobis; & filius datus eſt nobis: & factus eſt Principatus ſuper humerum ejus!* Quoties occultâ cum exprobrationê vindicis gladii, ſuum in caput accerſendi, compungi ſe perſenſerunt ab Ezechiele, divinæ miſerationis indicium, in ſignô Crucis, per ſignum Thau, frontibus electorum inſcriptum, præſignantê? Non fuerunt hæc, ejuſdémque myſterii infinita alia, tam obſcura, tam ab oculîs, & animîs eorum aliena, remotáque: quin (ſi voluiſſent intelligere; nec avertiſſent mentem â lumine; nec obfirmâſſent in contraria voluntatem; nec per obſtinatam pervicaciam evertiſſent ipſi Prophetarum ſenſus) potuiſſent ex umbrîs illîs, præmiſsîsque ſanctiſſimîs figurîs, cùm ſalvificæ Crucis, tum &, per eam conſummandæ ſalutis felicitatem, exploratam habere, & cum Simone complecti. Nec enim dubium patitur ullum Ter-

3. Regum. 17. v. 12. Pſalm. 95. v. 10. S. Auguſt. in Pſalm. cit. apud Bellarmin. Pſalm. 95. v. 12. Iſaiæ. 9. v. 6. Tertull. Libr. ad verſus Judæos. Ezechiel. 9. v. 4. Cornel. à Lapide. in loc. cit.

tul-

Tertullian. in Apolog. cap. 18.

tullianus: quòd, *qui audierit, inveniet DEum: qui etiam ſtuduerit intelligere; cogetur & credere.* Hæc autem eſt perfidæ gentis, & obſtinationis Judaicæ, nullâ ſat exaggerabilis criminationê, damnatio: quòd ſuîs ipſa ſe gladiîs, vatum ſcilicet ſuorum, ſibi notîs, & apertîs oraculîs perimat, extremóque judicio vindictæ cœleſtis obnoxiam reddat: cùm, ùt loquitur S. Auguſtinus, *ubiquè portet Codices ſuos: ità, ut Prophetiæ teſtimonium ab ipſis proferatur*, adverſùs ipſos, in ipſorum perditionem, & auctiora tormenta. Dum enim *dilexerunt magìs tenebras, quàm lucem*: nunquid *hi ſunt, quibus procella tenebrarum ſervatur in æternum*? ut, qui figurarum, & vaticiniorum ſacrorum veritatem, teſtimoniîs in unum omnibûs convenientibûs, adeò colluſtratam, non videre tantùm, ſed palpare potuiſſent, oculos tamen ſuos obſtinatâ perfidiâ clauſos tenuerunt; atquè iîs propterea plecti tenebrîs digniſſimi facti ſunt; quas præoptaverunt.

S. Auguſt. Epiſt. 3. ad Voluſianum.

Joann. 3. v. 19.

Jude. v. 13.

IX. Adeſt, non hanc ſolam veterum Hebræorum, ſed cæterorum omnium, pertinaciter errantium, tam Judæorum, quàm hetero-doxorum, & quorumlibet, in fidê, viâque ſalutis delirantium, perfidâ Obſtinationem, in crimen adductura graviſſimum, & ſeveriſſimâ perſecutionê ream extremæ damnationis actura, *Regina Auſtri*. Non eſt, adverſùs Actionem exceptio, de Perſonæ qualitatê, vel cogitatu, minùs verbô, facienda. Quamvis enim humana tribunalia ſuîs arceant â cancellîs mulieres; cauſîsque publicîs, ex officiô prohibeant, accuſandîs perindè, ac procurandîs: quia tamen, quibûsdam in eventibûs, etiam eadem civilia jura fœminis actiones criminales indulgent; * &, quod ampliùs eſt, *Privilegiô, vel Principis indulgentiâ, mulier magiſtratum, ac judicandi munus* ** obire quoquè, nec accuſare ſolùm, ſed accuſatos poteſt inſuper judiciali damnare ſententiâ: nemo præſumet, ùt alienam â judiciorum, ac tribunalium uſu, præſentem Actionem, Sabææ Reginæ tributam, aut indultam, in invidiam trahere, vel ſugillare. Nec enim illa venit â nobis inconſultè vocata; nec ſuômet auſu temerè concitata; ſed, autoritatê ſupremi Judicis adeſt, pro poteſtate jam inde acceptâ: cùm ex Domini verbîs evangelicam deſê factam indictionem cognovit: *Regina Auſtri ſurget in judiciô cum generationê iſtâ; & condemnabit eam: quia venit á finibûs terræ, audire ſapientiam Salomonis.* Advertite animos, quicunquè Domini Crucem veſtris objectã oculis, & in eâ ſalutis myſterium juxtà, atquè remedium, cum totius Chriſtianæ veritatis, ac fidei, per DEI Filium

*D. l. 2. de reg. Jur. d. recta. 4. extrà. de confirm. util. cap. mulieris. 2. de judicio. in 6. * L. de accuſat. L. finali. §. ſin. ad L. Jul. de Annonâ. Perez. C. de Mulier. in quo locô. n. 9. ** vide Philipp. Matth. in d. l. 12. n. 2. de R. J. Facob. de S. Georg. in l. cum antiquioribus. n 19. verſ. an autem filia. l. de jure dellb. Dec. Conſ. 81. n. 6. verſ. præterea col 4. Matth. 12. v. 42.*

lium

lium revelatæ, doctrinâ, ſolis inſtar meridiani coruſcantê, percepiſtis: tantâ verò pertinaciâ ſupernis illuſtrationibus obnixi ſemper, obſtinatique reſtitiſtis; ut veritatem Evangelicam, Chriſti Crucê firmatam, tantôque ſuô ponderê, cordibus veſtris illapſam, velut Crucis, ac eâdem inſignitæ fidelis Eccleſiæ pervicaces inimici, contentionê perpetuâ repreſſam excluſeritis; &, nequè miraculorum copioſô fulgore præſtricti, nequè Doctorum evidentî perſuaſionê convicti, nequè Prophetarum divinâ conſenſionê ſtupefacti, nequè grandium exemplorum prodigioſâ cooperationê percuſſi, ſalutarem in ſenſum emolliri, vel â pravîs, perfidîsque ſententiîs duritiem animorum veſtrorum averti, flectique ſuſtinueritis. Hoc enim eſt, quod accuſat, quod vult eſſe damnatum.

Franciſcus Lucas cit. à Cornel. à Lapide in locum hunc. Adrichom. in deſcript. terræ ſanctæ. in Manaſſe.

X. Ego Mulier gentilis, â remotîs finibûs regni mei, ſexcentîs, ac ſenîs leucîs emensîs, ex Arabiâ Sabæâ, Solymam contendi, nullîs erudita doctrinîs cœleſtibûs, nullîs DEI legibûs vel â cunabulîs exculta, vel per ſalutare præconium imbuta (quamvis negotiîs ampliſſimi regni diſtricta) ſolâ tamen ſapientiæ famâ, quæ de Sálomone meas ad aures pervenit, excitata (cùm primùm ejus audiendi cupido mentem inceſſit) continuò difficillimum iter aggreſſa ſum, periculîs omnibûs inſuper habitîs: ut periculum facerem ejus oraculi; quod vilibûs tantùm, terrenîſque de rebûs, ex ore Regis illius, cum omnium gentium excipi ſtupore cognoveram. Qualis ergo vel ſtupiditas veſtrarum fuit, vel voluntaria mentium dementia, Judæi? qui Solymæ, vicinîſque locîs, aut in oppidîs contribulibûs nati, divinîſque litterîs perpetuâ traditionê exculti, Sapientiam illam, â ſeculîs æternîs abſconditam, in carne revelatam, non ſolùm auribûs excepiſtis; ſed ſpectatores etiam admirabilis Verbi facti fuiſtis; de quô, Baruch vaticinantê prædictum erat: *Deus noſter adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Jacob puero ſuo: & in terrîs viſus eſt; & cum hominibûs converſatus eſt.* Vos Chriſtum, DEI virtutem, ac ſapientiam, in quô ſunt omnes theſauri ſapientiæ, ſcientiæque reconditi, Salomonê majorem, DEúmque Doctorem, qui regni cœlorum, & æternæ ſalutis, abſcondita Mundi ſapientibus myſteria, publica vobis, & liberalî prædicationê manifeſtata, non tantùm ultrò propoſuit; ſed, ut reciperetis, invitavit humaniſſimè, ſolicitavit benigniſſimè, rogavit manſuetiſſimè, ſpreviſtis, rejeciſtis, repuliſtis, & onerê maledicti prægravatum, ex-

Baruch. 3. v. 36. 37. 38.

Coloſſ. 2. v. 3.

Tit. 2. v. 11.

Deuteron. 21. v. 23.

extremô ſuppliciô ſuſtuliſtis. Næ vos, etſi tacerem ego, veſtrîs ipsîs in librîs, indubiam contrà vos, mortis æternæ ſententiam, ad hoc judicium, ùt ſuîs olim tulerat in litterîs Urias, adſertis, eô ſolô diſcriminê; quòd ſuam ille, clausîs, veſtram verò vos mortem, patentibûs, in litterîs teneatis. Tam enim obruti, convictíque fuiſtis certitudinê completorum in Chriſto, legis antiquæ vaticiniorum; ut, ſi non fuiſſent ad eam uſquè veſtram ætatem impleta; nullus exinde locus, iiſdem adimplendis remanſiſſet ampliùs: nec aliud porrò ſupererat; quàm, ut, aut veſtros Vates pronunciaretis mendaces; &, oraculorum inſtar, adorata ſemper, omnia vaticinia, velut inſuper habita, commentis accenſeretis: aut, ut Chriſtum, æternæ vitæ verba cum ſalutis legê tradentem, tanquam verè, DEI virtutem, & Sapientiam increatam, & Verbum caro factum, promiſſúmque Meſſiam fateremini. Cujus doctrinæ veritas, per imperterritam libertatem, palàm omnibus prædicata; per prodigiorum operationem, in omnes Judææ regiones divulgata; per ægrorum reſtaurationem, divinîs præconiîs exaltata; per edomitæ mortis, dæmonúmque ſubactorum trophæa, publicè roborata; per vitæ demùm (nè de minimi quidem ſuſpicionê mali, culpabilis) integerrimam ſanctimoniam, &, humanîs viribûs majorem, cùm injuriarum, tum tormentorum ſuſtinentiam, admirabiliter confirmata, ſicut inexcuſabiles vos de ignorantiâ tenet; ità damnabiles de obſtinationê perfidæ voluntatis conſtringit.

2. Reg. 11. v. 14.

XI. Omnes ego Judæos hâc meâ criminationê, meritam in damnationem voco: non eos tantùm; qui ſanguinem innocuum Jeroſolymîs, ubi fundebatur, pollutîs pedibûs, & immanitatê, quàm cæcâ, tam crudelî, conculcârunt: ſed eos pariter; qui, Patrum veſtigiis miſerabiliter inhærendo, ſeducti, nequè poſt ſuæ quidem diſperſionis, & prædictæ deſolationis conſummationem, Chriſtum, DEI Filium, agnoſcere voluêre; cujus tamen majeſtatis adorandæ ſenſum, â Crucis exaltatæ triumphô, totus Mundus, jam indè uſquè receptum conſervat, confitetur, atquè gentium omnium fidelî conſenſionê tuetur. Ecquid enim de veterum vaticiniîs non adimpletum optatis adhuc, aut inquirentes expectatis, præter veſtram duntaxat perditionem? quæ quidem, dubiô procul omnî, vos manet, & obſtinatos proximè tenebit. Meſſiæ tempus, ablatum domui Judæ ſceptrum oſtendit. Hôc igitur amiſsô, quid expecta-

Geneſ. 49. v. 10.

Michæ. 5. v. 2. Isaiæ 7. v. 14. Psalm. 71. v. 9. 10. Isaiæ 60. v. 1. 2. 3.

re, nisi pervicaces, ac stolidi potuistis? cùm & locus Nativitatis, Bethlehem; & puerpera Virgo, Propheticis fuerit conformis oraculis. Quos David, cum Isaiâ, præcinuit honores, eos longinquîs de regionibûs venerabundi Reges, adorato, suîs cum muneribûs exhibuerunt, & obtulerunt infanti. Præcursorem habuit secundùm Malachiæ præsagium; sicut & stirpem, ex tribu Judâ, per deductum â David sanguinem, ad Joseph usquè, cognatámque Matrem, cum futurâ regni, nunquàm terminandi, perpetuâ mansionê: sicut â Daniele prævisum, prædictúmque fuerat. Nonnè dimensum ab eôdem Prophetâ tempus hebdomadarum duarum, suprà sexagenas, accuratissimîs calculîs, cum vestræ perfidiæ consummationê collatum, utì, & aperta jam tum, populi, cum negationê, defectio, Messiæ prædictam occisionem in hebdomadæ dimidiô factam, satis, supérque confirmavit? Diffiteri nemo vestrûm potest eam, quæ subsecuta Deicidium illud crudele fuit, cum totius gentis vestræ dispersionê, sacrificiorum, & hostiarum ablationê, cùm templi, tum urbis desolationem, abominationémque terribilem; qualis erat â Vate, Deô præminantê, descripta. Legistis in Isaiâ: qualis esset Messiæ prædicatio futura? quibûs ex prodigiîs agnita Divinitatis virtus indubiam Redemtoris præsentiam esset ostensura? Cruciatus acerrimos, cum ignominiîs, & opprobriîs infinitîs, quibûs, ùt vermis, & abjectio plebis, iniquis associandus, & extremô tandem foret supplicio tollendus, novistis ex eôdem Evangelicô Vatê, cum singularibûs, præcipuorum dolorum, & contumeliarum indiciîs, tam ab ipsômet, quàm, â regiô Prophetâ descriptîs: per quos Judæ proditoria traditio, cum infamî pretiô vilissimæ venditionis; malignantium concilia, contrà Dominum, &, in perditionem justi cogenda; captivitas probrosa, multiplexque vinculatio, cum frementis insultationê petulantiæ; percussiones immites, consputationes graveolentes, alapæ contumeliosæ, flagra sævissima, cum totius corporis dilaceratione, futuris exinde, dinumerationi spectantium, ipsîs etiam ossibûs conspicuîs, non semel vobis prælegi percepistis. * Ipsa turpissimam ad mortem condemnatio; Barabbæ iniquissima præoptatio; Crucis onerosa bajulatio; corporis, in publicô, probrosa denudatio; manuum, pedúmque terebratio; sitis aridissimæ per fel propinandum, atrox aggravatio; vestimentorum injuriosa sortitio, petulánsque divisio; populi spectaturi derisio; Patris, inter

*Isaiæ 35. v. 1. & cap. totô. Isaiæ 52. v. 14. Idem. 53. v. 2. & seqq. Psalm. 40. v. 10. Zachar. 11. v. 12. Sapient. 2. v. 12. & seqq. Psalm. 21. v. 13. 14. Psalm. 118. v. 61. Job. 16. v. 11. Isaiæ 50. v. 6. Michæ. 5. v. 1. Psalm. 34. v. 15. Psalm. 21. v. 18. * Sapient. 2. v. 20. Isaiæ. 46. v. 5. Isaiæ. 9. v 6. Psalm. 37. v. 18. Psalm. 21. v. 18. Psalm. 68. v. 22.*

Ibidem. v. 26. & 27.

Isaiæ 42. v. 1. 5. 6. 8. &c.

ter extremos dolores, angorésque mortis, derelictio; deniquè mors acerbiſſima, poſt ſuſas, pro tortoribûs, preces, ab Ipſô, velut victimâ communî pro delictîs omnium, in ſe ſuſceptîs, oblationê ſui voluntariâ toleranda, nimiùm vobis nota fuit, ac præcantata.

Pſalm. 21. v. 19. *Ibidem. v. 8.* *Ibid. v. 2.* *Iſaiæ 53. v. 12.* *Iſaiæ. 53. v. 7.*

XII. Nunquid autem, & ſacri, diviníque cadaveris immunitas â corruptione,* cum ſepulchri** gloriâ? tum & anaſtaſis ad vitam immortalem, diê tertiô ſecutura? &, in cœlos triumphalis regreſſus? &, ad Patris æterni dexteram, perpetua ſeſſio? regni verò, nominíſque, ſuper omne nomen futuri, cum Evangelii, cœleſtísque doctrinæ fidê, mirabilis per Mundum univerſum futura propagatio*; atque inde, uſquè ad conſummationem ſeculi, contrà quosvis Inferorum incurſus, & inſultus, Eccleſiæ, ſeu Regni Servatoris, permanſura ſtabilitas, ùt antiquorum Vatum oraculîs promiſſæ vobis fuerant, & partim verbîs, iîsque non obſcurîs, partim figurîs, & hîs, nulli, præter Chriſtum, DEI Filium, præludentibûs, indicatæ; ſic etiam ex ordine, &, ad amuſſim cum ceterîs univerſis, completæ fuêre? Quid igitur, in tantâ manifeſtationê, conſentientium utriúsque teſtamenti tabularum? quid, poſt Vatum omnium prædictiones, eventu rerum earum, quas veſtrîs oculîs conſpexiſtis, & auribûs percepiſtis, & manibûs ipsîs prehendere potuiſtis, omnem in partem abundè confirmatas? quid, inquam, poſt hæc, tot, ac tanta, pertinaci veſtræ perfidiæ, Servatorem jam acceptum, obſtinatè tamen renuenti, deteſtantíque, prætendi poſſe putatis? Sunt enim hæc tam expreſſa, tam cohærentia, tam omnia Chriſto propria, ſolôque jam in eô adimpleta; ut, ad veritatem non agnoſcendam, ſatìs nequaquam ſit, cum noctuîs, contrà ſolis fulgorem oculos claudere: ſed neceſſarium eſt, oculos ipſos eruere penitùs; &, quàm obſtinatâ, tam deliberatâ pereundi voluntaté, tenebras ad eas condemnare ſemet; quas vindex DEI juſtitia, tanquàm pœnam omnium funeſtiſſimam, illis eſt minata; quos æternùm abjicere decrevit, & â vultu ſuô repellere. Vos enim oculos habuiſtis, & luminê divinô colluſtrati fuiſtis: quia *venit lux in mundum*: ſed, intueri noluiſtis; quod proprium obſtinatæ mentis delictum eſt: *in conſiliîs ſalutaribûs nolle acquieſcere. Obſtinatus enim eſt*, hominum judicantê cenſurâ, *qui poſt inſpirationem, & revelationem factam, in eô, quod erraverat, perſeverat*: & ideò, *indignus eſt veniâ; quia peccat ex malitiâ.*

Pſalm. 15. v. 10. ** *Iſaiæ. 11. v. 10.* *Jonæ. 2. v. 1.* *Pſalm. 67. v. 9.* *Pſalm. 105. v. 1.* *Pſal. 8. v. 2.* * *Pſalm. 18. v. 5.* *Pſalm. 144. v. 13.* *Daniel. 2. v. 44.* *Judæ, v. 13.* *Joann. 3. v. 19.* *Cap. ult. Diſt. 47.* *Cap. penult. §. ignoſci. Diſtinct. 8.* *Cap. quia 4. in fine. Diſt. 82.* *Can. 4. & 9. Cauſ. 23. q. 5.*

XIII. Non eſt huic excuſandæ malitiæ quicquam, quod ſuffra-

gari valeat. Clariſſimæ revelationis ortum lumen fidelis Excitator Solymæis omnibus indicavit, altiſſimæ vocis contentionê clamans, Iſaias: *Surge, illuminare Jeruſalem! quia venit lumen tuum; & gloria Domini ſuper te orta eſt!* Poterátne manîfeſtius quicquam dici; quàm, quod ille prædixit, & veſtris oculis illuxit? *Super te orietur Dominus; & gloria ejus in tê videbitur: & ambulabunt gentes in luminé tuô; & Reges in ſplendoré ortûs tui!* Si vidiſſem ego ſtellam illam; quæ, natô Mundi Redemtorê, Jeroſolymæ totius, &, impii tunc Regis, Herodis oculis, inſolitô fulgorê micans, admirabile lumen illud animis etiam ingeſſit; quod olim, deſuper illuſtratus, oriturum poſt ſecula; procul â ſe remota, Baalam prænunciavit: *Dixit Auditor ſermonum DEI; qui novit doctrinam Altiſſimi, & viſiones omnipotentis videt: Videbo eum; ſed, non modò: intuebor illum; ſed, non propè. Orietur ſtella ex Jacob!* Properâſſem ego de Sabâ, majori ſanè cupiditatê videndi, adorandique DEI ſapientiam, in humanâ carnê divina loquentem; quàm, illam Salomonis, terrena docentem. Vobis autem lux orta eſt illa: nequê tamen ductum ejus (etiam locô nativitatis, per Scribas exploratô, declaratôque: *in Bethleem Judæ: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam*) pro reperiendâ cum Salvatore ſalute, minimô conatu ſecuti, ſed, imperio potiùs crudelitatis obſecuti, Meſſiam perſecuti fuiſtis! Quod indoluiſſe Baalam gemens videtur; dum, præſcius inde conſecuturæ calamitatis, exclamavit eôdem locô Vates; *Heu! quis victurus eſt; quando iſta faciet DEUS?* Quî verò tam admiranda prædictorum, cum iis, quæ ſunt ſubſecuta, conſenſio, veſtrîs ipsîs ſcripturîs, veſtrîs â Scribîs declarata, pronunciatáque, quî potuit, inquam, non divinum aliquid, & omninò verum, abſquè ullâ ſiniſtrâ ſuſpicionê, vel obſtantê dubitationê, videri? *Numquid* (proh! quàm ſapienter magnus ille, ex Manichæo, Chriſtianæ Doctor legis interrogavit?) *nunquid, ut iſta homines, antè, per Prophetas prædicerent, Chriſtus magicîs artibûs fecit? Aut Diſcipuli iſta finxerunt; ut dilataret Eccleſia locum tabernaculi ſui, omnes nationes, & linguas occupans?* Illud nimirum in hâc obſtinatâ veſtrâ fatuitatê palpatur; quô vos îdem acutiſſimus Pater pupugit: *Librarii noſtri facti ſunt!* (Judæi ſcilicet; dum, Chriſtum confitentibus, & prædicantibus, ipſi ſcripturas de Chriſto ſuggerunt, in exaggerationê obſtinationis, & ſuæ cumulum damnationis) *quomodò ſolent ſervi, poſt Dominos codices ferre: ut cit. illi, portando deficiant; iſti, legendo proficiant.*

Iſaiæ 60. v. 1. 2. & ſeqq.

Matth. 2. v. 7.

Numer. 24. v. 16, 17.

Iſaiæ 60. v. 6.

Matth. 2. v. 5.

Micheæ. 5. v. 2.

Num. 24. v. 23.

Daniel. 11. v. 13.

S. Auguſt. lib. 2. de Conſenſu Evangel.

S. Auguſt. in Pſalm. 56.

Idem. locô cit.

XIV. Sed,

XIV. Sed, quid ego ſpem omnem evadendi, tum & excuſationem omnem, perfidiæ tam obſtinatæ præciſam contendo? Satìs hanc ei deſperationem ipſa Veritas, orê ad os locuta, revelavit: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccatô ſuô. Si opera non feciſſem in eîs, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt* prodigia; & audierunt æternæ vitæ verba: facti ſunt igitur *inexcuſabiles*! O ſi divini Verbi dogmata meîs ego percepiſſem, utì vos, auribûs! Et, viſibilis Deitatis orê, præceptum eſſe noviſſem: *Diligite inimicos veſtros; ut ſitis filii Patris veſtri; qui in cœlis eſt! Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judiciô! Attendite; nè juſtitiam veſtram faciatis coràm hominibus; ut videamini ab eis! Non poteſtis* DEO *ſervire, & Mammonæ! Nolite judicare; ut non judicemini! Intrate per anguſtam portam! Non omnis, qui dixerit mihi: Domine! Domine! intrabit in regnum cœlorum; ſed, qui fecerit voluntatem Patris mei! Niſi abundaverit juſtitia veſtra, plùs, quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*! Hæc ſi cœleſtiſſimæ * veritatis præcepta meas in aures ab orê divinô perveniſſent; quàm ſanctam ego vivendi normam ſtatuiſſem! quàm legi tantæ meas omnes, cùm intentiones, tum actiones conformare ſtuduiſſem! Si conſpicua meis oculis, utì veſtris, è diductîs nubibûs deſcendens, cum ſonitu paternæ vocis, columba fuiſſet! Si ſubſtantias, in conviviô nuptialî mutatas; ægros, ac paralyticos, non deſertîs tantùm, ſed ſublatîs etiam, ſuos in humeros, ablatîsque grabatîs ambulantes, cum leprosîs, momentô mundatîs; * cæcîs quoquè, ac ſurdîs, mutîsque, derepentè videntibûs, audientibûs, rectéque loquentibûs ego vidiſſem! Si, præſentê mê, de corporibûs afflictîs migrare juſſa dæmonia, **continuò, ſacræ vocis imperio paruiſſent! Si de quinque, ſeptémque panibûs, pro paſtu, jam quinorum, * aliàs, quatuor millium hominum, inter manus diſtribuentium auctîs, aut buccellam ipſa guſtâſſem; aut prodigioſi ſpectatrix incrementi fuiſſem; aut locum, & urbem incoluiſſem; ** in quâ, quæ ſinè vitalî ſpiritu jacuit, Archi-ſynagogi filia ſuſcitata circumivit; & Filius viduæ, ſurgere de ſcandapilâ juſſus, matrem, populô ſpectantê, * ſecutus eſt; &, quatriduanâ jam â ſepulturâ fœtens, cadaver Lazari, meis animatum occurriſſet obtutibus: adhæc, ſi cohortem armatam unicô tonitru vocis (*Ego ſum*) in hortô proſterni, corrueréque vidiſſem *: ſi ſummam innocentiam, & ſanctitatem,

Joann. 15. v. 23. & 24.
Rom. 1. v. 20.
Matth. 5. v. 43.
Matth. 5. v. 22.
Matth. 6. v. 1.
Matth. 6. v. 24.
Matth. 7. v. 1.
Matth. 7. v. 13.
Ibid. v. 21.
Matth. 5. v. 20.
* *Vellejus Pater. 2. Hiſtor.*
Matth. 3. v. 14.
Joann. 2. v. 11.
Joann. 4. v. 50. & 5. v. 2.
Matth. 9. v. 2. & 15. v. 28.
Lucæ. 17. v. 12.
* *Matth. 20. v. 29.*
Joann. 9. v. 1.
Marci. 7. v. 34. 10. v. 46.
Matth. 12. v. 22. 21. 14.
Matth. 9. v. 27.
** *Marci. 1. v. 23.*
Matth. 8. v. 28.
Matth. 9. v. 27.
Matth. 12. v. 22.
* *Joann. 6. v. 11.*
Matth. 15. v. 36. 38.
** *Matth. 9. v. 18.*
Lucæ. 7. v. 11.
Joann. 11. v. 1.
* *Joann. 18.* cum *v. 6.*

cum omnipotentê Majeſtatê, facultatêque conjunctam, inter injurias enormes, atrociſſima verbera, crudeliſſimas perſecutiones, nè verbô quidem oppoſitô querulam, in majorî, viribûs hominum, patientiâ conſpexiſſem: ſi terrarum Orbem univerſum, â Solis, ac Lunæ fulgoribûs deſtitutum, & horrendîs opertum tenebrîs; templi velum, â ſummô deorſum uſquè, terribilî ſciſſionê diſtractum; terram, inſolitâ concuſſionê trepidantem; petras, crepitantê fragorê diruptas; & non monumenta ſolùm aperta, ſed, ipsîs illîs de tumulîs, animata prodire mortuorum ſanctorum corpora ſpectâſſem; & obſervâſſem: *quia, ſic clamans*, piè, placidè, ſuaviter, &, *factus obediens uſquè ad mortem, expirâſſet*: percuſſiſſem & ego meam, cum pectore, conſcientiam, & conteſtata, cum Centurionê fuiſſem: *Verè filius DEI erat iſte*! Non erubuiſſem ampliùs, nequè Crucem, nequè Crucifixum: ſed petiviſſem, cum Joſeph, JESU corpus â Pilatô; nec ullum luctui, nec lacrymis, nequè pietati, nequè pœnitentiæ modum indulſiſſem: ſed, cum inconſolabilî Magdalenâ, me vivam abdidiſſem in horridiſſimam cavernam, futurum, cum tam amabilî Servatore, cœleſtis conjunctionis tempus, in terrenarum omnium deliciarum contemptu, perpetuâque, meîs de membrîs, exactionê pœnarum expectatura! Quid vos, in eô calorê, fuſi pro vobîs, fumantisque ſanguinis Chriſti, prodigiîs innumerîs, ejus vitæ divinæ, mortisque, ſtupefacti? Quid vos?

Luc. 23. v. 9.

Matth. 27. v. 45.

Marc. 15. v. 39.

Philipp. 2. v. 8.

Matth. 27. v. 55.

Ibidem. v. 58.

XV. Nequè verò ſolos debeo criminari Judæos, obſtinatos in ſuâ perfidiâ: cùm, etiam Evangelicâ de profeſſionê, non paucos eſſe noverim, erroribûs, âb avitâ fidê, conſenſúque totius Eccleſiæ, tam alienîs, & abominandîs adhuc involutos; ut, alii quidem, non ſtolidè minùs, quàm impiè, divina quæquè, tam, quæ facta, quàm, quæ futura ſunt, in vana deliria referant, atquè deriſa contemnant: alii verò, prout libet, de ſuo ſibi credendi regulam arbitratu fabricent: alii nihil, præter, quod ſcriptum DEI Verbum explanat, autoritatê traditionum exploſâ, ſuſcipiant: alii verò, ſcripturarum arrogatâ ſibi diſcretionê, quidquid, Mundô totô credentê, non æquè cum ipſorum ſententiâ congruit, hæreticæ diſſenſionis audaciſſimâ temeritatê condemnent. Næ verò manifeſtum iſti ſeſe præcipitant in judicium (licèt ego tacerê) accuſati, gravatíque nimiùm, per Evangelium ipſum, quod habent, & univerſô jam Orbe vulgatum eſt: cujus tamen mihi veritas nulla revelata fuit unquam, aut prædicata.

Non

S. Gregor. homil. 9. in Evangel.

Non vanô terrorê Gregorius, ex Evangelii lectionê, commonitos unà ſecum, omnes voluit: *Nè, qui plùs cæteris in hôc mundô accepiſſe aliquid cernimur ab Autore Mundi, graviùs inde judicemur. Cùm enim augentur dona; rationes etiam creſcunt donorum*, ajebat ille. An verò majus donum aliquod cogitari, deſideraríque poteſt; atquè illius fides Eccleſiæ, fideíque, per Evangelii prædicationem, in totum jam propagata Mundum, & omnibus gentibus impreſſa veritas, perceptáque cognitio? quæ, Deô autorê cœpta, cùm nihil, in omnem partem, niſi divinum, ſibi demonſtret ineſſe, ſola pariter ſalutis viam, & modum, & media, non poteſt non, procul omnî dubiô, polliceri. Quid igitur omnes illi, qui tam apertâ, tam fulgentê, meridianâque â veritate, vel diſſentiunt opinionê, vel diſcedunt voluntatê, vel actionê, vitæquè deformitatê diſtorti ſunt penitùs, atquè contrarii? Non illi contrà ſe, mecum omnes, in priſcâ gentilitatê defunctos, acerrimos Actores, obſtinationisque ſuæ Diabolicæ ſeveriſſimos accuſatores habere, patíque promerentur?

XVI. Nihil equidem nunc, non plenum errorê, non delirum, non â viâ ſalutis exorbitans, & perniciosè, perditéque ſeducens manifeſtè deprehenditur, in quibuſcúnque ſectariorum, ſeu ſecùs arbitrantium, opinionibûs; per quas ab univerſalî, ſivè, catholicâ religionê, Chriſtique Crucifixi legê, per crucem ejus, mortémque ſtabilitâ, diverſas in partes, privatámque ſentiendi licentiam, &, inde præſumtam credendi libertatem diſceditur: poſtquàm etiam, *teſtimonia tua*, *Pſalm. 92.* quibûs, viam unicam ſalutis, â *v. 5.* tê revelatam, confirmâſti, *credi-* *Rom. 1.* *bilia facta ſunt nimis: ità, ut ſint in-* *v. 20.* *excuſabiles*; qui, tantîs in fulgoribûs, Chriſti crucem non adorant; ejus onus leve, jugúmque ſuave non amplectuntur; &, per ejus veſtigia, divinô cruorê ſignata, ſalutis viam non ingrediuntur. Sciunt enim verò (per quod, os *loquentium iniqua*, potenter *obſtructum eſt*) quod ipſi quoquè Dæmonum cultores ingenuô calamô teſtati ſint: obmutuiſſe ſuîs in idolîs oracula, fruſtrà votîs, & oblationibûs poſtulata: cùm primùm Autor novæ legis, & viſibilis in carnê DEUS, adhuc infans, vagire cœpit in cunîs. Vident (per quod opinionum præſumtuoſa varietas conſtringitur vehementer, ſimúlque confunditur) diſperſam Orbê totô doctrinam unius Evangelii, diverſiſſimîs â gentibûs, & populîs, & nationibûs, in quibûs omnia, quæ ſunt externa, diſſentiunt, unô tamen fidei conſenſu, & eôdem intellectu,

Pſalm. 62. v. 12.

Plutarchus. Suidas. Porphyrius. vide. Drexel. in Chriſto naſcente. Euſebius. in vit. Conſtan. lib. 2. cap. 49. & 50.

ctu, cultúque, credi, teneri, & obſervari. Nôrunt (per quod animorum pravitas, &, quidlibet agendi libido, ſicut omniũ diſſenſionũ cauſa, ſic & corruptiſſima fidei norma, validiſſimè perſtringitur) nihil non ſanctum, & immaculatum prædicari, per eam legem, atquè doctrinam; cujus infallibilis aſſeritur, & eſſe debet ad æternam vitam directio; ſicut eſt ejus, & eſſe debet, ab increatâ Sanctitatê principium. Nequit enim illa, quæ, *Lex Domini*, nuncupatur, alia, vel eſſe, vel dici; ſed, *Lex Domini immaculata, convertens animas.*

Pſalm. 18. v. 8.

XVII. Habent ad hæc, miraculorum illud omnium ſummum, &, quod nemo, ſicut non admirari non poteſt, ſic, & non venerari non poteſt, &, non adorare non poteſt, atque, divinum non agnoſcere, non credere, non confiteri, tuerique non poteſt: quia *Digitus Dei eſt hic!* Illeſcilicet omnipotens DEI digitus, eâ prædítus vî; quam de ſê, ſuâque Crucê, fidei Conditor ipſe prædixit: *Et ego, cùm exaltatus fuero â terrâ, omnia traham ad me ipſum.* An autem potuit, niſi divina vis (cui ſoli terrena non tantùm omnia, ſed, quæ voluntatis libertatê, vehementiùs, quàm cætera cuncta creata, quibúsque motibus illatis reluctantur, mentes hominum, pro mirificâ gratiæ poteſtatê ſubjectæ ſunt) an, inquam, potuit alia, niſi vis omnipotens, atquè divina, Mundum univerſum, in abyſſô fœdiſſimorum flagitiorum, &, perverſiſſimorum dogmatum abominabilî confuſionê jacentem, reducere novam in formam, totô cœlô contrariam veteri turpitudini? convertere legem in aliam, &, ab antiquâ membrorum, excæcatæqúe rationis, perperàm firmatâ jam legê, non moribûs externîs tantùm, ſed intimîs etiam affectibûs, & votîs alienam prorſus? ex quâ, ſenſuum omnium oblectamenta defugere, velut inimica; pauperiem complecti, tanquàm veras divitias, & ſolidam felicitatem; injurias, & contumelias, præconiis, ac ſummis honoribus anteferre; malefacta, compenſare beneficiîs; perſecutiones, & odia, favoribûs, & amoris obſequiîs jubebatur reciprocare: atquè inde ſtudium omne, totúmque ſuum ingeniũ, in id unum, cum affectu toto convertere; quô queat audaciam ſubigere, per modeſtiam; ambitionem frangere, per ſubmiſſionem; vindictam extinguere, per charitatem; iram ſupprimere, per manſuetudinem; libidinem frenare, per continentiam; ingluviem, ac intemperantiam omnem, per victûs, vitæquè totius moderationem compeſcere. Quænam alia po-

Exod. 8. v. 19.

Joann. 12. v. 32.

potuit vis, tam efficax, ab obſtinatâ naturæ corruptæ perverſitatê tantas mutationes hominum obtinere; ſi divina non fuiſſet? ea ſcilicet, quæ ſuo ſubjectos habet omnes arbitrio, ſic eorum intima ſuâ poteſtate continens, & ſuaviter, in quam voluerit partem, inclinans; ut nullam ullius liberæ voluntati violentiam inferat. Hæc autem, adeò naturæ contraria, tam inſolita, perſuaſa tamen, non ſimplicibus, nec ineruditis, nec imbellibus, verùm, Regibus, regnísque potentiſſimis, & Philoſophis acutiſſimis, omniúmque ſcientiarum ùt eruditionê, ſic, & ſuperſtitionê prævalidis, quis non, *Digitum Dei*? quis non, *Opus Excelſi*? quis non, tractum, per Crucem exaltati jam â terrâ, DEI Filii, & ſedentis ad dexterâ Patris, confitebitur? Atquè id quidĕ inde vel maximè: cùm totâ hanc metamorphoſin, non armorum vî, non ingeniorum præſtantiâ, non eloquii prævalentiâ, ſeu, *perſuaſibilibûs humanæ ſapientiæ verbîs*, aut aliô, fulgoris cujusquam præſtringentis, faſcinô; ſed, per bis denos viros, exiles, inopes, nullîs dotibûs, aut ſcientiîs, vel viribûs humanîs præſtantes, confectam, peractámque fuiſſe cognoverit? & eô quidem ſucceſſu; totus ut Orbis terrarum, decurſu tricenorum annorum, ne dum exactô, jam Chriſti ſe religioni ſubdiderit; ignotáque Mundo (quin, tum etiam execrata) Virginitas, in ſolius Ægypti clauſtrîs, Palladii ſeculô, vicena jam, ſuô ſub labarô, millia Virginum numeraverit. *Palladius. circa ſecull 4. finem.*

Exod. 8. v. 19.
Eccli. 43. v. 2.
1. Corinth. 2. v. 4.
S. Chryſoſtomus.

XVIII. An non iſta, ſi non evincunt, &, in fidei tam potentis, admirandæquè vincula, temerariam, credendi quidlibet, libertatem, redactam conſtringunt, obſtinatæ tamen perfidiæ reatum aggravant? &, meritæ vincula damnationis tantò fortiùs attrahunt; quantò juſtiùs exigunt? Urget hoc, energiâ ſuâ vehemens, Auguſtinus: *Quis tantam multitudinem, ad peccata pronam, ad legem, contrariam carni, & ſanguini, ſervandam induceret, niſi DEUS?* Inſtat, &, ex manifeſtâ DEI virtute, veritatem, ſinè judicii reatu, negligi non poſſe. Catholicam, exaggerat Chryſoſtomus: *O rem novam, atquè inauditam in naturâ! Judæorum innumera millia Romani tunc vicerunt, atquè cæperunt: &, â duodècim virîs, nudîs, atquè inermibûs ſuperati ſunt! Quæ oratio exponere poterît tanti miraculi magnitudinem?* Veriſſimè pronunciavit Aquinas: *Eſſet omnibûs ſignîs mirabiliùs; ſi, ad credendum tam ardua, ad ſperandum tam alta, ad operandum tam difficilia, Mundus, absquè mirabilibûs ſignîs, inductus fuiſſet, â ſimplicibûs, & ignobilibûs hominibûs.* Cùm igitur, quidquid fidê Catholicâ docetur, & Orbê totô creditur, divinam exhi-

S. Auguſt. contra Epiſt. Fundam.
S. Chryſoſt. homil. 76. in Matth.
S. Thom. 1. p. quæſt. 111. art. 2. Id. cont. gent. Lib. 1. c. 6.

hibeat, loquatur, ingerat ſenſibus, & univerſæ rationi perſuadeat virtutem: ejus virtutis veritati, tam exaggeratæ, tam conſpicuæ, tam exploratæ, quisquámne, non reus obſtinationis (quæ damnationis character eſt) &, judicantê Divinâ juſtitiâ, ſupplicîs abſolvetur extremîs?

XIX. Tantùm autem abeſt; ut ab hâc inſimulationê perfrictæ pertinaciæ vindicare ſe quisquam eorum poſſit; quos undiquè, miraculorum ſplendoribûs, &, lucentis in omnem partem Evangelicæ veritatis fulgoribûs, illuſtratos, hâc meâ perſequor Actionê: cùm omnis excuſationum prætextus novum in illîs crimen accuſet: & indè culpæ magìs obnoxios, intricatósque reddat; unde ſperari videbatur extricatio potuiſſe. Quid enim? ſublimia nimiùm, &, humanô majora captu, chriſtianæ fidei myſteria cauſamini? Talia verò, divina cùm ſint, ut ſint, neceſſarium eſſe, vobis dictũ, demonſtratúmque, quoties ad evidentiam fuit? Quoties Auguſtini dogma, curioſæ divinorum illorum, non ſciendorum, ſed, credendorum arcanorum perſcrutationi fuit objectum? *Fides debet præcedere intellectum; ut ſit intellectus fidei præmium.* Nam: *Intellectus, merces eſt fidei. Ergo noli quærere; ut credas: crede, ut intelligas.* * *Res magnas, & apprehenſu difficiles, non, niſi fidê conſequi datur.* Deniquè, quod ex Pauli tubâ Mundus totus audivit, obſcurum vobis eſſe non potuit: *Fides, eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Sed, ardua nimìs, & impoſſibilia (quibus vires naturæ, per corruptionem infirmatæ, nequè ferendis, nequè ſuperandis, robur par habent) exiguntur ab Evangeliô, dicitis. Sic vos divinam Sapientiam accuſatis? &, quod nec humana prudentia (quæ ſapit) aut ſolet, aut poteſt, vel agendum decernere, vel prætermiſſum vindicare; vos tamen expoſtulatis, DEum ab homine poſtulare; eúmque in illius crimen, pœnámq; vocare; quod per eum non ſtabat, aut, non committere, aut, non omittere? Sed obtuſum eſt os inſaniæ veſtræ, per juſtam Auguſtini cenſuram, & exprobrationem Gregorii ſeveram: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt: impoſſibile aliquid homini á DEO eſſe præceptum. Non juberet DEUS; quod ſciret, ab homine fieri non poſſe.* * *Qui verò divina mandata, quaſi dura, & importabilia reſpuunt; importabilis pœnæ oneré, in futurô deprimuntur.* Aliud eſt, quod ab Evangelicæ veritatis confeſſionê, tum, & â vitæ, ſecundùm legem ejus inſtitutæ, ſanctâ profeſſionê vos, obſtinatè perfidos, avertit, & perdidit: illud nimirum, quod ſuis olim improperavit Chryſoſtomus: *Malè viventes, nè futu-*

cap. 7. Tom. 9. D. pag. 166.
** S. Athanaſ. de Incarn. Verb. Tom. 3. col. 547. A. Hebr. 11. v. 1.*
S. Auguſt. ſerm. 3. de Trinit. Tom. 10. in ord. ſerm 191.
Idem. de grat. & lib. arb. cap. 16. Tom. 7.
** Gregor. M. Lib. 5. moral. in 1. Reg. c. 2. Tom. 2.*
S. Chryſoſt. in 1. Ti-

futu-moth. 1.

S. Auguſt. de verbis Domini. erm. 51. Tom. 10. pag. 134. Idem. Tract. 29. in Joann.

futurorum metu, & expectationê crucientur, perſuadere ſibi omnî ſtudiô curant: falſa eſſe omnia, quæ Religio continet, de peccatîs, reſurrectionê, & judiciô futurô, &c. Nullum eſt autem ex hâc perſuaſionê tam ſtultâ ſuffragium: dum adverſùs affectatam ignorantiam infinita propè teſtimonia, credibilis nimiùm veritatis, ineluctabile conclamant judicium: *Vias ejus intelligere noluerunt*: quia *noluerunt in viis ejus ambulare.*

Job. 34. v. 27. Iſaiæ. 42. v. 24.

XX. O me infelicem! cui tam ſalutaris abſcondita ſcientia fuit, avidæ licèt, &, â terræ finibûs, ad audiendam ſapientiam Salomonis, famâ ſolâ divulgatam, cupidiſſimâ contentionê Solymam feſtinanti! Nulla me gaudia Mundi, nullæ voluptatum illecebræ, theſauri nulli Sabæi, nulla me, regni mei majeſtas, nequè potentia, potuiſſent avitîs in erroribûs, perverſâque, quâ perii, detinere viâ: ſi de Salomonis orê percepiſſem ea ſalutis oracula, veræque ſapientiæ dogmata; quæ familiaria vobis, atquè tenerîs ab annîs, tum ex Evangeliorum, tum ex Apoſtolorum, ac Prophetarum perpetuâ lectionê, velut maternô cum lacte, fuerunt inſtillata. Si mihi Salomon, ſuum ad ſoliũ proſtratæ, dixiſſet: arctam eſſe viam, quæ ducit ad vitam; eámque non paſſim, ſed, â paucîs inveniri. Relinquendum eſſe munus ad altare, divino paratum honori: nec priùs offerendum; quàm privata fratris offenſio, per debitæ charitatis officium, reconciliata fuiſſet. Non poſſe conjunctum eſſe, mammonæ ſimul, & Numinis obſequium. Frigidæ potum, uni minimorum, intuitu DEI datum, æternæ voluptatis torrentê compenſatum iri. Quærendum, primâ ſemper curâ, Dei regnum, ejúſque juſtitiam, cum certâ fiduciâ: nihil cæterorum, non tantùm non defuturum; ſed &, omnia votis inſuper adjectum iri. Nunquam, niſi de poſtremô tantùm, & noviſſimô certandum locô, cum parvulîs: certum inde fore, non ad ſumma tantùm hujus Mundi, * ſed in ipſum cœleſte regnum, aſcenſum. ** Faciliùs, per foramen acûs, camelum, quàm, divitiîs oneratum, cœli januam tranſiturum. *** Regnum ſupernum vim pati: nec â quôpiam occupari poſſe; niſi, qui per violentiam arripuerit: nec animam ab ullô ſuam inveniri; niſi, qui perdiderit: nec eam â quôpiã, niſi, qui oderit, in vitam æternam cuſtodiri poſſe. Poſtremò: ſic eſſe Servatoris in tabulîs, & æternâ legê decretum: ut, qui particeps, aſſerti per Crucem, ipſius eſſe Regni voluerit, ſemetipſum abneget, crucem ſuam tollat, patrêque, matrêque, cum cæterîs cognatîs, intervallô, poſt ſe,

Matth. 5. v. 23. Matth. 6. v. 24.

Matth. 10. v. 41.

Matth. 6. v. 33.

* *Matth. 18. v. 3. Lucæ 18. v. 14. Joann. 3. v. 13.*

** *Matth. 19. v. 24.*

*** *Matth. 11. v. 12. Joann. 12. v. 24.*

Matth. 7. v. 14. Lucæ. 13. v. 24.

Lucæ. 9. v. 23. Matth. 10. v. 36. & 37.

longô relictîs, eundem ſequatur. Totius verò Mundi nè quicquàm ulli profuturum eſſe lucrum; qui ſuæ neglexerit animæ profectum: nec agnitum iri coràm Patrê quenquam; qui Chriſti ſermones, tum & Eum ipſum, confiteri coràm hominibûs, erubuerit.

Lucæ. 9. v. 25.
Ibidem. v. 26.

XXI. Hæc vobis, quàm perſpecta? ſed, quàm pariter neglecta, deſpecta, rejectáque fuerunt? &, tantùm non, etiam execrata? O! ſi mihi per ſapientiam Salomonis innotuiſſent; quæ vos ex Apoſtolô, divinîsque prædicationibûs cognoviſtis! Migrantibus hôc de ſeculô, cum debitîs, non ex aſſe ſolutîs; nec ex integrô puris, piacularé eſſe locum, flammîs horrendîs, & pœnîs ineffabilibûs refertum, deſtinatum: ut inde priùs liberi non dimittantur ad ſua præmia, coronásque recipiendas cœleſtes; donec, vel ipſi per paſſionem expiati, vel, per meritoria viventium opera, DEO fuerint, chriſtianæ charitatis, congrua in earû auxilium, oblata ſuffragia. Si ſciviſſem: Beneplacitum eſſe ſupremæ Majeſtati, placarique juſtitiam ejus, Sanctorum imploratîs, & obtentîs interceſſionibûs: Præſidium, viventibus datum, & robur ingens, ab ejus invocatô* nomine; ab ſuſceptâ, ſignatâque crucê; de corporis, & ſanguinis comunicatô, ſub ſpeciebûs admirandîs, vivificô, divinôque nutrimentô, cum perpetuô ſacrificiô, non, niſi cum ſeculi conſummationê ceſſaturô. Compendium grande meritorum, ** de voluntariâ carnis vexationê, membrorúmque macerationê cumulari; de corporis integritatê, cum profeſſionê virginitatis, illuſtrari; de rerum omnium terrenarum contemptu, per voluntariam paupertatem, augeri; de perſecutionum iniquiſſimarum, per contumelias, opprobria, ſuppliciáque toleratarum invictâ patientiâ, ſuſtinentibus exaggerari ſi noviſſem. Si tam perſpicua mihi, per Salomonis eruditionem, ùt vobis, è divinîs oraculîs, futura corporum, terræ jam commixtorum, anaſtaſis, ** & glorioſa beatitudo fuiſſet; & vitæ ſempiternæ felicitas; & ſuppliciorum, nullô finê terminandorum horrenda calamitas, cum infinitîs aliîs, ** quæ pro virtute certantibus, &, in finem uſquè perſeverantibus promiſſa, cedentibus autem, ac deficientibus in bonô, ſicut & cordê duris, & incredulis, & obſtinatis, comminatoriô terrorê prædicta ſunt? Ego ſanè Divinæ Juſtitiæ (ſi parî vobiſcum pertinaciâ meis nihilôminùs erroribus inhæſiſſem) ipſa me, ream æternæ maledictionis accuſâſſem, & ſtitiſſem condemnandam. In ardentes, obſtinationi Diabolicæ paratos, rogos abjecta, nè quicquá reluctata, pro-

1. Corinth. 3. v. 15.
Matth. 5. v. 25.
2. Macbab. 12. v. 46.
Job. 5. v. 1.
Jerem. 29. v. 7.
Ibid. 42. v. 2. 4. & 20.
2. Machab. 15. v. 14.
** Rom. 10. v. 13.*
Philip. 2. v. 10.
Ezechiel. 9. v. 6.
Galat. 6. v. 14.
Joann. 6. v. 54. 55. 56.
Matth. 28. v. 20.
*** Galat. 5. v. 24.*
2. Corinth. 11. v. 2.
Apocal. 14. v. 4.
Matth. 19. v. 21.
Matth. 5. v. 10. 11.
Hebr. 11. v. 35.
*** Job. 19. v. 25*
Isaiæ 26. v. 19.
2. Mach. 12 v. 44.
Matth. 25. v. 46.
*** Eccli. 4. v. 33.*
Matth. 10. v. 22.
Eccli. 2. v. 16.
Eccli. 3. v. 27.
Apocal. 21. v. 8.
Actor. 7. v. 51.

proruiſſem; unáque mecum, in Tartari fauces, compreſsîs faucibûs obmuteſcentes abiîſſent, Paganorum, & infidelium plurimorum turbæ; quibus, præter ſomnia ſua, vanæquè ſuperſtitionis impoſturas, & inſpiratam rationis, ac naturæ legem, nihil doctrinæ cœleſtis, nequè de Servatoris, in humanâ carne viſibilis, adorandâ divinitate; nequè de procuratâ, per mortis ipſius infamiam, humanâ ſalute; nequè de religionis Ipſius, unô ſub Capitê, ſanctiſſimîs inſtitutîs, & unâ, per charitatem operoſam, in unâ tantùm Eccleſiâ, ſalvantê fidê, quicquam illuxit.

XXII. Ultrò darem ego, vinciendas, dæmonibus manus meas, & æternâ captivitatê ſtringendas: ſi, pariter vobiſcum erudita, Chriſtianæ fundamenta fidei, Sacramenta, non credidiſſem. Si Virgineam DEI parentem, ùt ſalutis mediatricem, â Filio nominatam, non coluiſſem. Si cœleſtis regni Palatinos, pro ſuîs meritîs coronatos, ùt gratioſos gratiæ miniſtros, & favorum divinorum Proxenetas, non honorâſſem. Si cordis munditiam, caſtimoniæ ſanctitatem, demiſſionem animi, moderationem affectuum, ſenſuum caſtigationem, poſt Evangelii prædicationem, in poſtremis tamen, & inſuper habuiſſem; &, pares inſaniæ cenſuiſſem, DEI verbô perſuaſas, abnegationes: ipſa me, ſpirituum ſpurciſſimorum æternâ dignam ſocietatê, condemnarem! Fateor, & fatebor, ùt ùt exul, & perpetuâ jam deſperationê concluſa: *Magna inſania eſt* (ſed, & ingens, & ineffabilis damnatio!) *Evangelio non credere; cujus veritatem ſanguis Martyrum clamat, Apoſtolicæ reſonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, dæmones confitentur. Sed longè major eſt* (majoris etiam damnationis) *inſania; ſi de veritatê Evangelii non dubites: vivere tamen, quaſi de ejus falſitatê non dubitares.* Quæ jam, o DEus! adeò pertinaci, nullîsque rationibûs expugnabili malitiæ, vindex tua longanimis juſtitia pœnarum tormenta, ſuppliciáque, tantæ condigna pervicaciæ, decernet? Audiunt, quod ſanctum, quod verum, quod ex omnî partê ſecurum; & quod, niſi Deô inſpirantê, teſtantê, confirmantêque, nec inchoari, nec propagari, nec perpetuari potuiſſet. Agnoſcunt, quod rectæ rationi, quod ſacris utriúsque teſtamenti tabulis, quod autoritati, ſanctitatíque divinæ conveniens; &, quod ad animæ ſuæ ſalutem, ab interitu vindicandam, neceſſarium eſt. Vident etiam, ac tantùm non manibûs palpant, ſanctiſſima manifeſtatæ tuæ voluntatis præcepta, ſeveriſſimîs comminationibûs aggravata; quæ tamen

Mirandulan. Epiſt. 1.

men obſtinatâ renitentiâ nolunt amplecti: nè ſuîs â Balatronibûs calumniam deſultoriæ levitatis, convitium perfidæ mutabilitatis, infamiam intellectûs non ſani, criminationem voluntatis non rectæ, geniique, ſibi non conſtantis, & vertiginoſi, fatuique cerebri, corruptæquè mentis opprobrium, divina ſapientibus proprium, &, maximè glorioſum, audire forſan cogantur!

XXIII. Quòdſi ſuis iſti prætextibus vaniſſimis, imò criminoſis etiam, involuti, tuô forent, æquiſſime DEus! â judiciô tuti; tuæ ſubſiſterent â fulmine damnationis protecti: non inde meritò gravis injuria, me, damnatam, in æternam juſtitiæ tuæ maledictionem ſtimulîs urgeret horrendîs? cui nihil eorum, quæ per obſtinationem ab hîs ſpreta, neglectáque fuerunt, per mei Salomonis, tantâ quæſitam aviditatê, ſapientiam innotuerat? Nonnè millenos alios, Inferni tormentis alligatos (quibus, præter naturæ ductum, lumen aliud, quod in ſalutis viam dirigeret, non illuxit) intolerabilî cruciatu ſua damnatio torqueret, horum indemnitatê nimiùm exaggerata? cùm iſtis, omnis juſtitiæ ſplendor, in mentem tamen, obſtinatè clauſam, nunquam admiſſus, illuxerit. Num denique tuæ non derogaretur, & plurimùm quidem, veritati? cujus, ab infallibilitatê ſententiæ, divinus hucúsque fuit ſemper, & neceſſarius fulgor: ſi deficeret, iſtorum impunitatê, quod ſancitũ eſt: *Ille ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multîs?* Luc. 12. v. 47.

XXIV. Abſit! ut inclinatæ jam, & conclamatæ cauſæ, locus adhuc detur proteſtandi: nequè convictum, ſat ſtringentibûs credibilitatis motivîs intellectum; nequè redactam exinde, in obſequium fidei, fuiſſe voluntatem. Quid enim convincere, flecteréque potuit, ac debuit vehementiùs, obduratæ cervicis pertinaciam, in demiſſionem fidelis aſſenſûs? atquè demonſtrata, fidei Catholicæ, tentationibûs innumerîs infeſtata, nunquàm tamen inclinata, ſed fortiùs, & altiùs erecta ſemper ſtabilitas? *quæ non minuitur perſecutionibûs* (ùt ex Leonê probatum) *ſed augetur.* S. Leo. ſerm. 1. de Nat. SS. Petri & Pauli, AA. Quid magis convincere credendi cunctationem potuit? atquè, coràm poſitus, ille copioſus cruor; quem innumerabilia Martyrum ſanctorum agmina, ſpretîs honoribûs, & voluptatibûs, & ingentibûs præmiis, illâ pro doctrinâ, quam DEI Filius, acerbiſſimâ crucis mortê conſecravit, concitatîs etiam, in ſuorum corporum lanienam ſæviſſimîs tortoribûs, cum exſultationê, jubilôque profuderunt? Non illis igno-

ignotum, quia præconum ſacrorum você vulgatum ſuit: Eccleſiam Catholicam, Apoſtolorum â Capitê Romæ fundatã, tantâ Martyrum ſanctorum, qui pro Chriſti confeſſionê vitam per tormenta poſuerunt, abundare copiâ; ſingulîs ut anni diebûs, partitîs æquè cultibûs, trecenta poſſent millia, venerationi fidelium commendari. Quoties illis ex Ambroſii ſententiâ repetitum eſt? *Non ſinè magnô diſcriminê de Religionis veritatê dubitamus; quam tantorum ſanguinê confirmatam videmus. Magni periculi res eſt: ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt Martyrum vulnera, veterem fidem, quaſi novellam, diſcutere præſumas; &, poſt tam manifeſtos Duces, in errorê permaneas; &, poſt morientium ſudores, otioſâ diſputationê contendas.*

Arlas. de imit. Chriſt. Lib. 3. cap. 31. & 35. Revelat. S. Birg. lib. 3.

S. Ambroſ. ſerm. 14. in Feſto SS. MM. Nazarij, & Celſi.

XXV. Hæc tanta, non jam vos, artubûs contremiſcere; viribûs omnibûs obſtinatæ præſumtionis deficere; omnem ad excuſationem obmuteſcere, perhorreſcere, ſperatámque pertinaciæ ſalutem deſperare fecerunt? Adhuc vultis, & expectatis, convinci? ſed, unde? quâ vî? quô modô? per quos? An, per dæmones ipſos? Quoties hi manifeſtum, in confertô populô, divinâ coacti voluntatê, teſtimonium veritati Catholicæ præſtiterunt? An per inſipientia jumenta, brutáque animalia? Quoties, poplitibûs in terram flexîs, coràm Euchariſticô numinê proſtratum, ruditati veſtræ, Præcones evangelici jam objecerunt, aſinum Antonii Patavini, cum oviculâ Franciſci? Quoties, Mogorum Regis univerſô conſiliô ſapientiorem, ſi fas dicere, ſimiam, laudatam audiviſtis? quæ, miſsîs in urnam Legislatorum diverſorum nominibûs, ex illâ confuſionê, ſalvificæ Doctorem legis juſſa tollere, ſortê tertiùm repetitâ, ſemper Chriſti nomen, ſtupentibus univerſis exhibuit. An verò per Virgineam Dei matrem convinci flagitatis? Quot eam Ethnici, gentiles, heterodoxi, prodigioſam, de pictîs imaginibûs, & adjutricem in ſalutis viam, vel, fulgentibûs exinde radiîs, vel, diſertîs perceptîs alloquiîs, vel, manibûs etiam indè protensîs attracti, deductique, fuerunt experti? An per ipſum tandem Crucis, &, eidem affixi Servatoris prodigioſum ſimulacrum, non tam convinci, quàm perſtringi deſideratis? Hoc verò nunquid audiviſtis, non in angulô, privatos inter parietes, ſed, Mundô ſpectantê, ſplendoribûs micuiſſe, cruorê manâſſe, vel oleum, vel ſalubres liquores ſtillâſſe; & oculos, in intuentes vertiſſe; & caput, ergà ſupplices inflexiſſe; & manus, tam ad beneficia diſpenſanda, quàm ad minas intentandas, de crucê, clavorúm-

P. Roſignoli Cent. 3. de Deo mirab. in ſanct. Mirac. 3.

Bagatta. in admirand. orbis Chriſt. Nierenberg. in Troph. Mar.

Lyræus. Lib. 5. de Imit. Chr. Pat. cap 8. fol. 319. & ſeqq.

Tertul. cap. 11. Apolog.

vorúmque fixurîs ſolviſſe ? Tenet ergo vos, omninò damnabiles, illa vetus, Auguſtini cenſura: *Quisquis adhuc prodigia quærit, ut credat: magnum eſt ipſe prodigium* (dico: monſtrum damnabile!) *qui, Mundô credentê, non credit.*

S. Auguſt. Lib. de utilit. credendi, cap. 8.

XXVI. Itanè totius expers auxilii, veniæquè, præſens eſt cauſa, contumacis, & obſtinatæ perfidiæ ? Nihil hîc Advocatus ingeret auxilii, vel patrocinii ? Num, ſicut in acceſſu montis Calvariæ terribile minatus eſt judicium, Crucis contemptoribus, & irriſoribus, cum perperàm plorantibûs mulieribûs; ità derelinquet hos omnes in diem malum, etiam clamantes, & ſalutem poſtulantes? Heu, *Domine! Domine!* Proh! reſponſum acerbum! *Non omnis, qui dicit mihi: Domine! Domine! intrabit in regnum cœlorum: ſed, qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ ?* Domine ! miſerere!

Luc. 24. v. 29.

Matth. 7. v. 21.

Pſalm. 88. v. 50.

Multi dicent in illâ diê, Domine! Domine! Et tunc confitebor illis: quia nunquam novî vos. Diſcedite â mê; qui operamini iniquitatem. Domine! ſalva nos! perimus! Dixi: *Quæretis me; & non invenietis; & in peccatô veſtrô moriemini. Qui non bajulat Crucem ſuam, & ſequitur me; non eſt mê dignus.* Hócne poſtremum, per Servatorem Advocatum, ſalutis obtinendæ remedium? Hócne ſolatium extremum, hactenùs obſtinatis dicendum? Ad Crucem igitur ſacroſanctam ociùs confugite; qui perfidiæ veſtræ, quàm obſtinatæ, tam, ſinè Crucis amplexu, deſperatæ, patrocinium efficax Advocati, JESU Chriſti, Servatoris expectatis. Hìc unâ mecum você teſtemini: *Non judicavi me ſcire aliquid, niſi JESUM, & hunc, Crucifixum.* Amen.

Ibidem. v. 22. Matth. 8. v. 25. Joann. 7. v. 34. Idem. 8. v. 21. Lucæ. 14. v. 27.

1. Corinth. 2. v. 2.

IHS

FE-

FERIA VI.

POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMÆ.

SERMO VIGESIMUS TERTIUS.

Clauſô Forô IV. Juſtitiæ Divinæ;

Viâ Crucis, uſquè ad locum ſupplicii.

JUSTITIUM QUARTUM.

In quô, Peccatorum, hactenùs defenſorum, compatiens Devotio,
Dolores Advocati ſui, Crucem bajulantis, miſerata,
Ex occaſionê vini myrrhati,
Eidem, in montis Cavernâ propinati, ſed non potati,
Aliud illi, pro ſuppliciô Crucis, fortiùs tolerandô,
Et reliquîs adhuc, in poſtremô Forô, Causîs non deſtituendîs,
Ex collectîs, in myrrhæ faſciculum, dolorosîs myſteriîs,
Non in memoriâ tantùm ſuâ, ſed fidelî ſemper imitationê retinendîs,
Confectum offert, Cordiale ſolatium.

Commemoratio IV., Dolorum omnium ſummaria;

Quos, in Urbis exitu, Crucem bajulans,
A Prætoriô Præſidis, ad uſquè Calvariæ montem,
Non animô minùs, quàm afflictiſſimô corpore,
Patientiſſimus, noſtrî cauſâ, tulit Servator.

Teſſera. Dabant ei bibere myrrhatum vinum.

Marci 15. v. 23.

Baptiſta Egnatius.

I. NOn hominis, niſi barbari, niſi ſanguinarii, niſi carnificis, vel, belluæ potiùs imperantis, votum cenſendum eſt illud; quô Caligula cervicem unicam totius optabat eſſe populi Romani: ſimul ut vitam omnium, & univerſæ reipublicæ felicitatem, unô ſucciſam ictu poſſet interimere. Quantùm hôc Myſanthropô coronatô mitior, aut humanior, cum Fulviâ ſuâ viperinâ, fuerit M. Antonius, Ciceronis interfector, inde pronunciandum eſt; unde communis populi de Ciceronê ſenſus, & præpotentis ejus eloquii cenſus, ac linguæ, tantùm non divinæ, fama clareſcit. Cùm enim

enim Orator ille maximus, ob patriam universam suâ servatam linguâ, *primus patriæ Pater meruerit nuncupari*; tantáque fuerit ejus oris æstimatio; solus ut ipse, *Fori, legum, ritûsque, togæquè Publica vox*, audierit Severô Corneliô testê: (velut si populi totius, & omnis, tam sacri, quàm profani senatûs, eô solô loquente, vox omnium una loqueretur: nec una tantùm vox, sed, *Romani Senatûs lingua, Romana ora, Romæ caput*, M. Tullius censeretur, *ob linguam elegantissimam: quâ, cùm Cicero loqueretur, ipsa Roma loqui videbatur*) inde difficilè jam non erit, geminam inter crudelitatem, quænam atrocior earum sit judicanda? discernere, ac definire. Num illa forsitan; quæ solô tantùm cervicis unius votô, capita Romæ totius, unicâ detruncationê desideravit abscindere? An verò ea, quæ factô prorsùs immanî (quod nec nominari quidê infamiâ parî, pro suâ satis barbariê, potest) in unô patriæ *Patrê*, in unô Romæ totius *orê*, in unâ Senatûs, populiquè *linguâ*, in unô cùm Romanæ reipublicæ, tum universæ felicitatis *Capitê*, M. T. Ciceronê, capita simul omnium atrocissimô sustulit ictu? Non est, quod, hôc de criminê, pluribûs, exaggeratio nostra perstringat M. Antonium; quem, præter ipsam, eô parricidalî scelerê sublatam, Ciceronis linguam, nemo satìs accusare, satìs persequi, satìs posset extremum in crimen, illô de damnô vocatum, accusatúmque damnare: quod miseris omnibus, de fortunîs, opibûs, vitâque periclitantibus; quod populo, potentiorum oppressionibûs violentîs afflicto; quod senatui, partium studiîs, occultîsque corruptionibûs, ab arbitrii salutaris necessariâ consensionê, quàm seditiosè sæpè, tam periculosè distorto; quod, universæ demùm patriæ, reipublicæquè saluti subtractô, causarum omnium, privatarum juxtà, atquè communium, popularium æquè, ac Consularium, ùt criminalium, ità & sacrarum Advocatô, rectíque communis, & juris Assertorê, tutorê, ac vindicê sublatô, non secùs, ac, si singulorum cervicibus inflicta crudelis illa sicca fuisset, illatum est.

II. Inde nemini non erit manifestum, & exploratum abundè; quàm vafrum, ingeniíque fuerit hostilis, postulatum illud, Macedonum Regis, Philippi? quô, se quidem obnoxium Atheniensibus fore semper; secum autem ipsos arctissimô fœdere pariter junctum iri, nequissimâ simulationê benevolentiæ (si suis concedere votis annuerent) pollicebatur. Gliscebant ipsum inter, & Athenas, perpetua, de jure dominatûs, ex vicinæ potestatis

Franciscus Serra in Apparat. Synon. V Cicero, antè medium. Cornelius Severus ibid. circà finem. Martialis Lib. 3. Epigr. 65. & Lib. 5. Epig. 70. Franciscus Serra. locô cit. in fine.

Godefr. A Lit. in sacr Vestert. Conc. 2. Proœm.

ſtatis infeſtâ præſumtionê, diſſidia. Philippum Areopagi ſapientia, tantúmque non divina, ſententiarum inde pronunciaturam autoritas, & graviſſimorum ora Cauſidicorum, oraculorum inſtar, quàm famoſa, tam adorata terrebant. Athenienſibus armorum vis, & augeſcens inde Macedonis potentia, quàm ſuſpecta, tam odioſa vicini molimina reddiderunt. Hoſtilitas utrinquè perpetua; nunquàm non bella; vel, quæ pejora ſunt bellîs, infeſtationis hoſtilis opinio, formido, periculáque. Tandem ſibi, finitimísque conſulturus, utì videri volebat (poterátque forſan; ſi non cum Athenienſibûs, virîsque ſagaciſſimîs negotium fuiſſet) id unum, firmandæ perpetuæ paci (græcâ ſcilicet, fidênè dicam, an fraudê?) poſtulavit Macedo: ſimul ut Athenîs excederent cauſarum omnium Actores, Advocati, cunctíque, cum populi Ducibûs, Oratores: ità demum ſibi cum Athenienſibûs perpetuæ pacis uſum fore tranquillum; quidquid autem eò uſque fuerat hoſtilitatis, miſſum iri. Quid, amabo, poterat aliud in fraudem Athenienſium, perniciosiùs ab ipſis exigere, ſuæmet proditor inimicitiæ Philippus; ut, procul omnî laborê, ſuæ poteſtati ſubjectas Athenas ipſas haberet? cùm eos, indè volebat exactos; quorum in orê, linguâ, você, ſalus omnium, & univerſæ civitatis felicitas unicè conſtare; cuncta verò, ſublatîs duntaxat ipsîs, movenda pariter, & evertenda ſimul videbantur.

III. Talî conſiliô Philiſthæi totum Iſraël, â ſe, nullô negotiô ſuperatum, ac perditum iri confidebant: ſi, quà ſe fines extenderent Palæſtini, nullus, inter illos, armorum faber, nequè mallei quidem ſonus, cum ſuſpicionê fabrilis operis toleraretur. *Caverant enim Philiſthiim: ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam.* 1. Reg. 13. v. 19. Quod enim in armorum fabricationê, paratôque muniminê, contrà quosvis incurſus hoſtium, ſuæ, rerúmque ſuarum ſecuritati vindicandæ præſidium, imbecillitas humana conſtituit; id ipſum ab eloquii prævalentis tutelâ, fortîque reſiſtentiâ, miſerorum inermis, &, quæ ſuam ipſa tueri cauſam nequit, afflicta conditio præſtolatur. Huic quisquis Oratores, & Cauſarum patronos, per invidiam, fraudémque ſubtrahit; is fabros ei tollit, quorum verbîs, & armatîs allegationibûs, adverſariarum accuſationum impetus retunduntur; &, propè jam perdita, deſperatáque jura vindicantur. Paritaquè Macedonis Caduceator illô cum lupô poſtulatum attuliſſe videtur; qui fœdus perpetuum ovi-

Demoſthenes cit. à Godefr. Lit.

bus perſuaſurus, id unum ab illîs, in amicitiæ mutuæ, fideique teſtimonium optavit: ut, ſuîs cum paſtoribûs, omnes quoquè canes miſſos facerent: quô ſcilicèt aditus ei liberior, atquè ſecurior, ad eas invadendas, rapiendas, devorandásque foret. Nec ab hôc alienum ingeniô conſilium Imperatoris Anaſtaſii fuit. Totam ille fidem, omnéque Chriſti nomen in univerſâ Perſiâ, perditum ut iret; omnes Epiſcopos non mutilari tantùm linguîs, verùm, ipsîs planê de faucibûs, per manus carnificum evulsîs, privari juſſit: nè qua ſupereſſet, etiam balbutiendi, pro veritatê, virtutêque Chriſtianâ facultas. Ità, & Julianus, populum Chriſtianum in diſcrimen ultimum adducturus, & penitùs abducturus â Chriſto (quem ipſe jam fuerat execratus) execrandus apoſtata, cunctîs urbibûs exactos, & finibûs imperii totius proſcriptos voluit, Præſules, ac Sacerdotes omnes; quorum, orare pro populô, vigilique curâ pro Domini ſui gregê ſtare, eúmque pugnando protegere, ac conſervare, noverat intereſſe. Sic enim exiſtimabat actum iri, quod ſua vovebat impietas; cùm præſidia pietatis fidelium populo ſubtracta cum ſacrîs Oratoribûs forent: nec inde difficulter id etiam â ſe obtentũ iri ſperabat: ut ſectariæ ſuæ perfidiæ quàm plurimi ſubderentur, abſtracti Chriſto; quos nec Presbyterorum patrocinia, ſuîs apud ſupremum Numen interceſſionibûs, adversùs hoſtiles inſidias obarmarent; nec autoritas prævalentis doctrinæ, contrà violentos nequitioſæ pravitatis incurſus, pro debitô fidelis Advocati munere roboraret; ad quem, judicê D. Thomâ, *pertinet, ut condemnationem impediat.* *S. Thomas in Epiſt. ad Roman. c. 8. v. 34.*

Nicephor. Lib. 16. cap. 36.

IV. Et verò, ſi de ſapientûm, & clariſſimorum virorum calculô, quanta ſint, in Advocatorum, tam profanorum, quàm ſacrorum tutelâ, periclitantibus miſeris beneficia, Numinê providentê conſtituta, metiamur; fatendum eſt: humanô majus aliquid, ac divinum quidpiam omnibus, in crimen vocatis, cum Advocato ſubvenire; proùt ipſe S. Cyrillus, Enoch dilaudans, teſtatus eſt: *Suîs temporibûs, magnîs virtutibûs admirandus, nominatus fuit DEUS, ob juſtitiæ magnitudinem: quòd illa foret communis omnium gentium opinio: nihil eâ ſanctiùs, nihil, juſtitiæ patronîs, diviniùs reperiri.* Hôc nominê reperimus etiam ſanctum Gregorium, ad omne, pro viribûs, auxilium, tam corporis, quàm, animæ ſalutê periclitantibus commodandum, hortatum fuiſſe: Quia *nihil tam divinum habet homo; quàm, de aliîs benè mereri. Fac calamitoſo ſis DEus, Dei miſericordiam imitando!* Secundùm hoc divinum præconium

S. Cyrillus Alex. Lib. 1. Glaphyr. cit. ab Engelgr. Cœl. Emp. p. 1. in Feſt. S Joann. §. 1. poſt. med.

S. Greger. Naz. Orat. de Pauper. amore.

Hiſtor. tripart. Lib. 6. cap. 27.

Præfat. Inſtit. Ulpian. de Juſtit. & jure. Symmach. in relat Caſſiodor. Lib. 1. Epiſt. 12. Theodoſ. & Valent. cap. unico. Inſtit.

nium Advocatoriæ protectionis mirum nemini videri poterit: Cauſarum patronos ab Juſtiniano Cæſarê vocatos: *Templa juſtitiæ*; ab Ulpiano: *Juris Sacerdotes*; â Theodorico: Aſyla ſacra, ſeu, *Templa innocentiæ*; imò, *totius juſtitiæ linguam*, ab Imperatore magnô Theodoſiô nominatos fuiſſe: *quòd glorioſæ vocis muniminê, vitam, & fortunam hominum defendant.* Quid autem ex hîs tantîs elogiîs aliud prudens arguere conjectura poterit? niſi, quòd, Advocatorum ſublatô præſidiô, clientibus miſeris, laborantíque reipublicæ, vicarium DEI ſubſidium, ultimum oppreſſæ calamitatis levamentum, ſacra quædam vis, &, ipſi grata Numini, tantúmque non, etiam veneranda cœlo, ſacerdotalis tutela; quìn, & populi totius univerſale refugium, communisque lingua, præciſa ſimul ſit, atquè ſubtracta.

Valentin. Novell. de Poſtul.

Quòdſi Valentiniani Cæſaris arbitræ magnæ menti viſi ſunt, Cauſarum vindices, *ij tandem eſſe; qui vitâ, & eloquentiâ, reipublicæ commodis ſerviunt*, ad vitam, & facultates omnium aſſerendas: eos qui perſequitur, & ſublatos eſſe contendit; eâdem crudelitatê cor ipſum reipublicæ, ſuîs evulſum fibrîs, & unum omnium funus intendere, cenſendus eſt. Jam verò, ſi Friderici Cæſaris

In Autent. habitâ C. ne

você magnâ, Cauſidicorum *ſcientiâ totus illuminatur Orbis, &, ad obediendum DEO, vita ſubjectorum informatur?* Si * *non minùs iidem providént humano generi; quàm, ſi præliîs, atquè vulneribûs patriam, parentésque tueantur*, effatô Leonis, & Anthemii? nihil ſanè minùs de rerum humanarum univerſitate malè meretur; qui miſſos in exilium, aut violenter exactos, aut ſublatos penitùs vult, & laborat, Cauſarum Patronos; atquè, qui Solare lumen extinctum, & omnibûs armorum, ac militum præſidiîs exutum, deſtitutúmque cupit Orbem terrarum, non inhumanô tantùm, ſed, avernalî, diabolicôque conſiliô.

filius pro Patre. Col. de proceſſ. execut. p. 2. c. n. 119.

L. 14. C. de Advocat. diverſ. jud. vide Carpz. 3. conſ. 2. num. 2. 3.

V. Forſan id ipſum, in Traditore, Servator accuſare voluit; cùm ejuſdem, â dæmonê ſuſceptum, perfidæ proditionis intentum (quod *Diabolus jam miſiſſet in cor: ut traderet eum*) Diſcipulis cæteris indicaturus, aſſeveranter pronunciavit: *Unus ex vobis Diabolus eſt?* Quis enim Iſcariotæ mentem adeò potuiſſet evertere? quis alius, Pontificum ſacrum ſenatum, & illud, adoratum aliàs, conſultationis, quàm antiquæ, tam religioſæ Synedrium, in pernicioſiſſimum univerſæ genti conſilium decernendum, niſi veritatis hoſtis, & ſalutis inimicus, & perditionis Autor univerſæ, Dæmon, eô uſquè præcipitatum impellere valuiſſet? ut infamî mortê damna-

Joann. 13. v. 2.

Joann. 6. v. 72.

mnatus, exire cum opprobriô juberetur urbê, ductúsque cum ſceleratîs, horrendô patibuli, turpiſſimôque ſupplicio tolleretur ille; qui Verbum erat, per quod facta ſunt omnia; per quod & revocanda rurſùs in integrum, quæ perdita jam erant, & reſtituenda fuerant omnia? cui communem omnium hominum, afflictiſſimam, & humanîs omnibûs præſidiîs deſtitutam, deſperatámque cauſam aſſerendam, conſilium æternum divinæ dilectionis commiſerat? Verbo dicam: Ille noſter omnium Advocatus perversô, per dæmonem, utrôque Jeroſolymæ tribunalî, Crucis mortê tollendus, urbê jam exactus, & ad infame maledictorum theatrum redactus eſt; de quô nemo non noſtrûm, cum S. Bernardô, ſortem quidem ejus, dolens, at, ſuam gratulans, ex animô confitetur: *Meam ad hoc induit formam; ut ſuſcipiat cauſam.* Nam (ùt ex verô quondam, aureus miſerorum Tutor, Chryſoſtomus) *ſicut Advocatus, à malefactoré inſtructus, ad tribunal accedit, & perſonam gerit ejus, cui patrocinatur; & omnia crimina ejus, qui judicatur, in ſe aſſumit; &, quaſi pro ſeipſô, apud Judicem, cauſam agit, tametſi criminum minimè reus ſit: eum in modum Dominus noſter, JESUS Chriſtus, venit è cælîs, impeccabilis; & pro mè intercedit.* Miſeret me ſanè plebis corruptæ! quæ ſuum cæca non agnoſcit interitum; nec ſuam ſibi cum Chriſto ſalutem, eripi per optimates, intelligit. Si cognoviſſent infeliciſſimi: quòd, cum Dominô, quî *regnavit â lignô*, *Pſalm. 95. v. 10.* ſimul *auferatur ab* ipſis *regnum DEI?* quòd è mediô tollatur, Mediator conſtitutus â Patre, JEſus, ille, *Matth. 21. v. 43.* juſtitiæ divinæ Sacerdos magnus, *Zachar. 3. v. 1.* quem coronavit Dominus? quòd, per ſacerdotum invidiam, ſubtrahatur Verbum; quod ſolum ſalvare poteſt animas: Os; per quod omnes loquimur Patri: Via deniquè ſalutis, & veritas, & omnium vita: non illi tantô fremitu, nec adjudicari morti poſtulâſſent; nec pro ſupplicii conſummationê feſtinâſſent. *Facob. 1. v. 21.* *S. Ambroſ. Lib. de Iſaac. cap. 8.*

VI. Quid autem perditos ploro; qui, nec ab ipsô moniti Servatore, reſipiſcere voluêre? Quid incuſo querulus Jeroſolymitanæ perſecutionis tyrannidem; quæ nec precibûs ullîs flecti, nec admonitionibûs averti, nec objurgationibûs abſtereri ſe patitur â Diabolicô ſuô conſiliô, Servatorem omnium, & Advocatum, tollendi de mediô? Jam ad extrema telam, quam texuit, ſtropham, quam ſtruxit, iniquitas conjurata deduxit. Tantùm non affixus Cruci pendet, & ſpectatur jam, exaltatus in apicê montis; cujus in aditu conſtitutus, ab ipsîs adminiſtrîs diri ſupplicii, reſpirantibûs,

S. Bernard. ſerm. 28. in Cant.

S. Chryſoſt. ſerm. contrà hæret.

Do-

Dominus detinetur. Quis verò mons iſte? an unus ex illîs cenſendus eſt; è quibûs Jeſſæus Vates, olim â longè conſpectîs, grande ſibi, ſuæquè laboranti cauſæ, venturum aliquando pollicitus auxilium fuit? *Levavi*, inquit, *oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi*! Qualis iſta Prophetæ Regis admiranda fiducia? Nec in ipsô ſupremi ſupplicii terminô, mortê licèt jam imminentê (cùm nihil non crudelitatis, â carnificum viribûs, in extremum Juſti tormentum congeri, ſociatus, & conjuratus exigit invidiæ furor) ſpem tamen vel ſuam ipſe, vel noſtram patitur minimùm vacillare, de ſolatiô nequaquâm defuturô; quamvìs omnia defeciſſe videbuntur, undecunquè poſtulata. Macti animîs igitur, malè factorum quorumvìs graviſſimâ redargutionê preſſi! Non deſtituet ſuô vos patrociniô, licèt jam conſtitutus in Calvariæ montê; veſtram qui ſuſcepit in ſe cauſam, ad ultimum uſquè ſpiritum, conſummaturus omnia, fideliſſimus æquè, ac efficaciſſimus Advocatus. Manus quidem ſuas ille, pedésque, cum univerſô corpore crucifigentium atrocitati concedet, ſecundùm Patris æterni voluntatem, horrendô cruciatu torquendus, diſtendendus, crucíque affigendus: poteſtatem verò, miſerorum cauſas, pro ſui pietate muneris, ab interitu vindicandi, per nullam pœnarum atrocitatem, nullam dolorum immanitatem, nullam tortorum crudelitatem, aut inimicorũ, dæmonúmve ferocem, ac ſæviſſimam hoſtilitatem tolli ſibi, vel diminui patietur; donec noviſſimum trahet ſpiritum, pro malefactoribûs locuturus. Ità per Prophetam præmiſſa ſperare jubet promiſſio; quâ ſe, Patri ſupplicem, pro miſerîs Advocatum, ùt, antè condita tempora, in æternâ providentiâ miſeratus exhibuit; ità perpetuâ tenéri recordationê poſtulavit: *Recordare: quòd ſteterim in conſpectu tuô; ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis*! Quòdſi tam pia, tam ſolicita divini Mediatoris interceſſio, per vatem expreſſa, perſecutoribus Judæis non denegata, ſed promiſſa, deſponſâque fuit; qui clavos, & malleos in manibûs, blaſphemias, cum ſputîs in orê, livorem, & odium in cordê, crucem, ac mortem in votîs, perfidîsque mentibûs exhibuerunt? non eſt nobis eâdem de benignitatê minor concipienda fiducia; qui totius illius apparatûs terrifici, per noſtra crimina contrà Servatorem fabricati, convincimur quidem autores fuiſſe malefici; ſed, invenimur etiam pœnitentes, intimîs

Pſalm. 120. v. 1.

Jerem. 18. v. 20.

mîs nunc viſceribûs contriti. Loquetur ſanè (ſic ejus de pietate ſecuros eſſe nos jubet gentium Doctor) *cum clamore validô, & lacrymis*; ubi fuerit exaltatus â terrâ. Loquetur; cùm raucæ factæ fuerint fauces ejus. Loquetur; cùm aridâ ſitî lingua deficiens, ægrè motum in verba, ſonúmque concedet. Loquetur; cùm, inclinatô jam capitê, noviſſimum vitæ ſpiritũ expirabit: &, tum adhuc, você magnâ clamans, loquetur in mortê, locuturus inſuper, & poſt mortem, *in cauſis animarum* (utì ſecuros eſſe vult omnes S. Thomas) *ſua merita allegans Patri pro nobis.*

Hebr. 5. v. 7.

Pſalm. 68. v. 4.

S. Thom. in 2. Joann. 2. v. 1.

VII. Quis verò corporis, non tantùm ex arduô nimiùm itinere fatigati, ſed vulnerum, percuſſionibûs urgentibûs exaſperatorum, tormentîs jugiter auctîs, penitùs exhauſti memor, non ipſe jam aſſequitur: quàm exiguæ vires, ad noviſſima pro nobîs, in Crucê, proferenda verba, noſtro ſint Advocato futuræ; cui vix ad reſpirandum, officio par eſt imbecillitas naturæ, tot plagîs attritæ jam, & exinanitæ? Video quidem indultum aliquid intervalli, pro modicá quietê, prout Ludolphus meminit, in carcere Golgothæô, ſeu, patentê montis cavernâ (quod â Quariſimio notatum invéni) ubi, donec ad ultimum ſupplicium, & Crux, &, quæ neceſſaria ſuerant, ad mortem illam omnium atrociſſimam, inſtrumenta, ſuo quælibet pararentur officio, ſuper lapidem, ſedere Dominum, crudelitas miniſtrorum, an indulgens, an, alterius afflictionis intentionê fermentans, tantisper ſuſtinuit. Nec temerè nobis novæ vexationis eſt objecta ſuſpicio: nam certum eſt, occaſionê quietis illius, antè diræ confixionis tormentum, oblatum Domino myrrhati vini potum fuiſſe; quod Marcus Evangeliſta teſtatur: *Dabant ei bibere myrrhatum vinum.* Expendit hoc, morê ſuô, piê non minùs, quàm eruditè B. Simon de Caſſiâ, collatum alterô cum potu; quem, jam in Cruce fixo, ſitim teſtanti, petulantia militaris, acetô, fellêque mixtum, & exaſperatum obtruſit. Inde ait: *Intentâ cogitationê legentibus in dubium vertitur: an ſemel tantùm, vel bis, Chriſtus fuerit amarè potatus? Nam ex Matthæô, & Marcô, bis Chriſtum potatum legimus: ſemel, antequàm configeretur in Crucê, non petentem: & iterum, circà horam nonam: cùm, ſecundùm Joannem, clamaret, ſe ſitientem. In primâ, vinum myrrhatum: in ſecundâ verò, acetum tantùm exprimitur.* Quod verò vel maximè geminam hanc potationem diſcriminat, in eô conſiſtit; quòd utrique per evangelicam expreſſionem adjunctum eſt. Nam, de myrrhatô vinô ſubnexuit Marcus: *& non accepit*, nec ullâ

Adrichom. in Deſcript. Terræ ſanct. num. 250. in Jeroſol.

Marci. 15. v. 23.

B. Simon de Caſſia. cit. à P. Gregor. à JEſu Mar. Tom. 2. p. 2. Lect. 52. num. 3.

Ludolph. de Saxon. in vitâ Chriſti. cap. 63. Quariſimius. in Elucidat. Terræſanct.

Marci. 15. v. 23.

ullâ mentionê, delibati tantùm, potûs illius myrrhati relictâ. Mistum verò cum fellê vinum, acetosum scilicet, affirmat S. Matthæus gustatum: *& cùm gustâsset, noluit bibere.* Dilectus quoquè Discipulus, ultimi testis, & spectator, supplicii, confirmat insuper: quòd *accepisset JEsus acetum.* Hinc variæ Doctorum opiniones de primô fuêre potu; quem Baronius, per alios inductus, ipse credidit, ex aromaticô vinô, myrrheum in poculum infusô fuisse: quòd ex Plinio constet: id olim consuevisse, delicatè cænaturos: ut fictîs de myrrhâ poculîs uterentur, ad hausiûs delicias, per ipsius etiam vasis, unde potabatur, odorem augendas. Ad hæc Burgensis Præsulis pia quoquè consideratio non videtur, nequè prætereunda silentiô, nequè supprimenda omninô: *Moris erat*, inquit ille, *qui & hodiè apud nos in usu est; ut sceleratis, ad locum supplicii adductis propinaretur vinum, & quidem præstantissimum, juxtà illud: Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amarô sunt animô, &c. (sicut jam circà latrones observatum fuisse, haud dubium est) ut potu exhilarati, mortem, & minùs considerarent, & faciliùs tolerarent.* Subinde Præsul idem, prosecutus D. Marci verba, de myrrhatô vinô, subjunxit: *Amantes JEsum attulerunt vinum præstantissimum myrrhatum, (de quô hîc S. Marcus) Maria fortè Magdalena, aut Soror ejus, Martha, vel alia ex illis, quæ JESU ministrabant. Et non accepit: noluit vel gustare.*

Matth. 27. v. 38.

Joann. 19. v. 30.

Plin. lib. 14. Histor. natur. cap. 12.

Lucas Burg. in Matth.

Proverb. 31. v. 6.

Lucas Burg. in Marcum.

Verùm, ùt communiorem sententiam ipse Baronius, priorî retractatâ, complexus est, in exitu suorum Annalium; ità Patrum plurimorum è consensu videtur utrôque de potu statuendum; quod Burgensis Antistes, hostium judæorum observatô rancorê, judicavit. *Judæi igitur eâ quidem speciê, quâ pium morem observarent, rê autem verâ, ut JESU rursùs illuderent, vappam evacidam, mucidam, atquè acidam curârunt afferri; nequè hoc solum, verùm etiam fellê mixtam. Unde videmus, ex compositô non agi cum Dominô JESU; ùt cum aliis, damnatis mortê: sed omnia, quæ excogitari queant, ludibriorum genera, in ipsum edi.* Et hâc rationê, Matthæum inter, ac Marcum, optimè convenit. Nec enim illud, quod attulisse secum piæ mulieres pro morê creduntur, JEsus accepit myrrhatum vinum: *quòd nullam vellet admittere consolationem inter afflictiones.* Alterum verò, fellê intritô amaricatum, & acetosum, per ludibrium in Crucê, sitim indicanti, pro novissimô sui gustûs tormentô suggestum, gustâsse, Matthæo, atquè Joanni credendum est,

Baron. Tom. 10. Annal. in fine.

Lucas Burg. in Matth.

Burgens. in Marcum.

VIII. Mansit itaquè, roboratîs, aromaticum per vinum, ad patibuli cruciatus extremos latronibûs, in suâ tantisper cavernâ sedens,

dens, omnis expers liquidi ſolatii vitæ fons, totius Autor, atquè ſcaturigo dulcedinis, aliud, animo ſuo confortando, pro verbîs ultimîs, inter horrendas mortis anguſtias, & exaggeratos Crucis dolores proferendîs, â noſtrâ devotionê, dulcius omnî, tum ambroſiô, tum aromaticô liquorê, cupiens, & expectans Cordiale. Dicam ex animi mei piâ conjecturâ: quid, Cruci mox affigendus, poſtremô pro ſolatiô depoſcat â nobis. Vult eſſe, non tam de piô ſenſu cordis, quàm conformis vitæ noſtræ geminatâ pietatê ſecurus: &, quâ fuerimus eum hàc tenùs, ad usquè montem hunc myrrhæ, mentê ſecuti, noſtrâ cupit ex confeſſionê cognoſcere; ſimul autem, & intelligere: quid, ejus amorê, cui tantô cauſa noſtra laborê ſtetit, ac dolorê, de divinîs ejus veſtigiîs, tam ſaluti, quàm inſtitutioni noſtræ relictîs, per omnem exinde vitam, imitationê perpetuâ conſectari deliberatum habeamus? Ut enim â Dilectâ, quondam, poſt ſuæ dilectionis, in arboris mali lignô tandem conſummandæ, divinam fidem, ſponſionibûs fideliſſimîs obfirmatam, pro ſui ſolatiô cordis id unicum poſtulavit: *Pone me, ùt ſignaculum, ſuper cor tuum; ùt ſignaculum, ſuper brachium tuum*: (quô certus foret: non in piâ tantùm cordis, dolores recogi-

Cant. 8. v. 6.

tantis memoriâ; ſed inſuper, in conformatâ ſemper, vitæ laborantis actionê, ſe, ſuîs cum doloribûs, â ſponſâ ſuâ conſervatum, & expreſſum iri) ſic, & â noſtrâ devotionê, geminam hanc fidei, manu pariter, ùt corde, firmatam ſponſionem, ùt optatiſſimũ ſibi Cordiale depoſcit, & expectat.

IX. Videor mihi, de veſtrâ nequaquàm temerè pietatê perſuaſus, ex devotîs, quæ jam percepi, ſuſpiriîs, omnium vota pariter concepiſſe: neque ſingulorum ab animîs, piîsque voluntatibûs alienum fore, velut exploratum jam habeo; quidquid, omnium nominê, Servatori, (Cordiale ſolatium ſuis â clientibûs, peccatoribûs omnibûs, noviſſimum anhelanti) pro cauſâ noſtrâ, poſtremum ad uſquè ſpiritum non deſerendâ, ſed efficaciſſimè, verbîs ultimîs aſſerendâ, de geminâ deinceps, tam ſingulorum, quàm omnium, cordis, & operis, deliberatâ jam, firmatâque voluntatê ſpopondero. Afflictiſſime JESU! jam omnium eſt una, conſentiens in mea verba devotio, pro tui ſolatiô cordis, in ejus vicem confortativô; quod ipſe quidem detrectâſti; de ſuô verò rancorê, tui tibi perſecutores, non invidioſè minùs, quàm petulanter amaricârunt. Cùm nihil te dulciùs paſcat, nihil gratiùs afficiat, nihil

hil delicioſiùs reficiat; atquè, devotæ compaſſionis, cum imitationê, confeſſio: ſic animîs comparati ſuimus, inde jam; ubi primùm tibi, Præſidê decernentê Prætorii, ſupplicii probroſa trabs, ad hunc bajulanda montem, impoſita fuit. Cùm enim humeros, â Tê, ſinè cunctationê, tanto ponderi ſubjectos, ipſúmque, levatîs in cœlum oculîs, & manibûs in amplexum extentîs, non ex tortorum, aut hoſtium, ſed Patris æterni divinâ voluntatê ſuſceptum cognovimus: id, continuò cogitavimus, eô animô fieri; quô, poſitus in agoniâ, decreveras: quam natura reluctans horruerat, & â ſê tranſire petierat, ex paterni nutûs imperiô, Crucem, ejúsque mortem, obtemperando tolerare. Tam efficax nimirum, illa tua nobis hinc pateſcit, Oratio fuiſſe; quâ ſeorſim â dilectîs omnibûs, tum ipſâ quoquè piiſſimâ matrê, Diſcipulîs, ad hæc enormia, quæ noveras jam eſſe vicina, te præparâſti: pariter, ſeparatus ab omnibûs, ad conſummandum noſtræ ſalutis negotium, in montem exiturus.

X. Hoc eſt, quod â Baſiliô quondam, ut legis inſtar obſervaretur (cùm ad ſacra loca contenditur; & ad aras, diviná-que peragenda myſteria, precésque faciendas, chriſtiana ſe devotio confert) cautum, præſcriptúmque meminimus: *Quandocúnque conſtituis orare, conjugem, liberos, téque ipſum relinquito: terrá procul abſcedito: cœlum ſuperato, & naturas omnes, tam, quæ cerni, quàm cerni non poſſunt, relinquito.* Talis enim precandi ſolitudo, cùm ea, contrà quæ firmare mentem intendit (dum alienæ ſpecies nihil ſui, quô diſtrahunt, interponunt) ſibi præfigat, animôque contempletur vivaciùs; tum, ad impetrandũ è cœlo robur, longè vehementiùs urgere, ſupplicî pietatê contendit. Ità ſacrificium in montê, ſibi demonſtratô, peracturus Abraham, ſolus, cum deſtinatâ victimâ, relictîs in vallê, procul â sê, cum aſinô, puerîs, ad locum ſe contulit indicatum. Ità populi Dux, & Rector, Hebræi, pro communî ſalutê DEUM precaturus, non tantùm populum univerſum, ad montis radicem, ſed & ipſos, in montis aditu, ſeniores, & Joſuen, miniſtrum ſuum, in ipsô montê, nubem ingreſſus, & ad faſtigium evocatus, reliquit: ut nullius hominis obtutus divinis colloquiis interveniret. Sic ad arcanos divini Numinis affatus, Elias admiſſus, nè quicquam offenderet animum (per ſpeciem ſenſibus injectam, ab optatâ cum DEO communicationê diſtringens) *operuit vultum ſuum palliô, & egreſſus, ſtetit in oſtiô ſpeluncæ.*

S. Baſilius Monaſt. Conſtit. cap. 1.

Geneſ. 22. v. 5.

Exod. 24. v. 4. 13. 14. 18.

3. Reg. 19. 13.

Sic & in Sunamitidis domô, DEUM pro mortuô puerô rogaturus, Elisæus, *ingressus clausit*
4. Reg. 4. v. 33. *ostium super se, & super puerum, & oravit ad Dominum.* Sic Sara, Raguelis filia, pondus animi, quô tantùm non oppressa defecerat,
Tobiæ. 3. v. 10. 11. precibûs levatura, *perrexit in superius cubiculum domûs suæ; & tribûs diebûs, & tribûs noctibûs, non manducavit, nequè bibit: sed, in orationé persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum.* Sic demùm & Amazon Hebræa, mulierúmque longè omnium fortissima, priùs, quàm victrices manus adversùs hostem, jussu Numinis, confi-
Judith. 9. v. 1. denter exeruerat, *ingressa est oratorium suum, & inducns se cilicio, posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum*; probè gnara: nullô validiùs apparatu, conflictaturam armari mentem, ac roborari; quàm, si receptu sacrô, solitariæquè precationis fuerit præmunita præsidiô.

XI. Inde, potiùs nihil duximus esse statuendum, usûque firmandum perpetuô; atque id, quod orê divinô, docens ipse,
Matth. 6. v. 6. commendaveras: *Cùm oraveris, intra in cubiculum tuum; &, clausô ostiô, ora Patrem tuum in absconditô.* Quantùm enim per occasionem licuerit, etiam corporê, semper autem animô, terrenîs â curîs, & negotiîs, & cogitationibûs, & â creatarum rerum omnium incursationê molestâ, quàm longissimè subductô, nostra deinceps instituetur omnis oratio: nec erit ullius in mentê momenti consilium (præsertim, cui reluctantur adversa, nec defutura prævidentur pericula) quod non per arcanam, animi DEO supplicis, deliberationem expensum, &, in omne decretum supernæ providentiæ priùs fuerit orando præparatum. Imbecillis est omnis, terrificans etiam si censeatur, vis dæmonum; quæ tentaverit, orationê præmunitos obruere: quin imò; *si dæmones nos conspexerint deprecationé munitos*, assecurat Orator aureus, *illicò resiliunt.* Quàm grave, quàm intolerabile fuisset scapulis tuis, Crucis pondus, invidiâ conclamantê decretum, &, injustitiâ collaborantê, non latronibus, qui rei fuerant, sed innocentiæ tuæ, vix vulnera, per vires nimiùm attritas, portanti, crudeliter injectum? nisi, quæ præmissa fuerat in Oliveti monte, per iteratam orationem, expensio, quàm amabile, tam facile reddidisset illud, secùs importabile, pondus, onúsque terrificum. Non est ulla, tam arcta necessitas; quam non relaxat oratio; non est ulla, tam importuna tentatio; quam non repellit precatio: nullum periculum, adeò terri-

S. Chrysost. Lib. 1 de orando Deum.

terrificum eſt; quod ex illâ non ſpernitur: nulla calamitas, adeò cumulata; cui ſuperandæ non ſufficiat, quod illa ſuppetit, robur. Nam, *divinam gratiam impetrat, prævas concupiſcentias extinguit, hoſtes proſternit, tentationes ſuperat, calamitates lenit, mœrorem fugat, lætitiam infundit, pacem concilia:, hominem DEO conjungit*: inde verò, quid auxilii ſpes noſtras, in hâc tam felici conjunctionê deſtituere? quid ad omnem, cùm operationem juſtitiæ, tum acceſſionem ſupernæ gratiæ, deficere nos poſſe, cogitandum eſt? Ità perſuaſi ſumus, auriloqui Ravennatis, tum & Juſtiniani Patriarchæ, tantùm non divinîs oraculîs eruditi, certiquè: *qui per orationem fuerit communitus, jacula peccati, Diaboli tela, Mundi machinas, vitiorum cuneos, mala carnis, voluptatum laqueos, arma mortis non timebit.* Quia ipſa, *eſt animæ ſanctæ ſubſidium, Diabolo ſupplicium, DEO gratum obſequium, laborum ſolatium, compunctionis cauſa, omniúmque ſpiritualium bonorum interventrix.* Verbô: *Nihil tam validum reperitur, ad hoſtium noſtrorum conterendam rabiem.*

Bloſius. in Parad. animæ, c. 7.

S. Petrus Chryſologus. ſerm. 43.

S. Laurent. Juſtinian. de Orat. cap. 2.

Idem, Ibid. cap. 6.

XII. Hôc uſus cœleſtî ſtrategematê, vires deſuper obtinuit, hoſtium ſuorum exercitu, prout apparebat, inſuperabilî ſuperiores, humanîs, in deſertô, ſubſidiîs deſtitutus, populi divini Ductor imperterritus. Inſtructîs ad prælium, Joſue manibûs, ipſe cum Aaron, & Hur, ſuper verticem collis aſcendit: *cúmque levaret Moyſes manus, vincebat Iſraël: ſin autem paululùm remiſiſſet, ſuperabat Amalec*: donec, per Aaron & Hur, ad occaſum ſolis uſquè, ſuſtentatîs orantis manibûs, tandem Amalec in ore gladii, cum univerſô populô ſuo, fugere coactus eſt, & ſuperatus â Joſue. Sic oravit, &, invocatô DEI nominê, feliciùs, quàm jactô de fundâ lapidê, Philiſthæum inſolentem, ac malè dicentem proſtravit, orationê ſuâ magìs, quàm omnî fortium armaturâ, Victor David. Sic, ad Moabitici Martis nomen trepidans, & horrificîs minîs Ammon perculſus, Juda Rex, Joſaphat (cùm *totum ſe contulit ad rogandum Dominum*, congregatúsque cum univerſô populô, ſupplex factus eſt, in domô Domini, virtutem, & robur, quæ deficiebant in armîs, ex altô, per unanimem deprecationem implorans) admirandam retulit ab hoſte conjuratô victoriam: quia *vertit Dominus inſidias eorum in ſemetipſos, filiorum ſcilicet Ammon, & Moab, & montis Seir: & mutuîs concidére vulneribûs.* Judas deniquè Machabæus, cùm oravit, inimicorum, & minas, & iras, & vires, & quidquid bellici fuerat, cum poteſtate, terroris, orandô validiùs, quàm dimicando, ſuperavit. *Nihil enim*, præ-

Exod. 17. v. 11. 12.

1. Reg. 17. v. 49.

2. Paralip. 20. v. 4. & 22. &c.

Ibid. v. 23.

1. Machab. 4. v. 10. & 30.

Sic & in Sunamitidis domô, DEUM pro mortuô puerô rogaturus, Elisæus, *ingressus clausit ostium super se, & super puerum, & oravit ad Dominum.* Sic Sara, Raguelis filia, pondus animi, quô tantùm non oppressa defecerat, precibûs levatura, *perrexit in superius cubiculum domûs suæ; & tribûs diebûs, & tribûs noctibûs, non manducavit, nequè bibit: sed, in orationé persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum.* Sic demùm & Amazon Hebræa, mulierúmque longè omnium fortissima, priùs, quàm victrices manus adversûs hostem, jussu Numinis, confidenter exeruerat, *ingressa est oratorium suum, & inducns se cilicio, posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum*; probè gnara: nullô validiùs apparatu, conflictaturam armari mentem, ac roborari; quàm, si receptu sacrô, solitariæquè precationis fuerit præmunita præsidiô.

4. Reg. 4. v. 33.

Tobiæ. 3. v. 10. 11.

Judith. 9. v. 1.

XI. Inde, potiùs nihil duximus esse statuendum, usûque firmandum perpetuô; atque id, quod orê divinô, docens ipse, commendaveras: *Cùm oraveris, intra in cubiculum tuum; &, clausô ostiô, ora Patrem tuum in absconditô.* Quantùm enim per occasionem licuerit, etiam corporê, semper autem animô, terrenîs â curîs, & negotiîs, & cogitationibûs, & â creatarum rerum omnium incursationê molestâ, quàm longissimè subductô, nostra deinceps instituetur omnis oratio: nec erit ullius in mentê momenti consilium (præsertim, cui reluctantur adversa, nec defutura prævidentur pericula) quod non per arcanam, animi DEO supplicis, deliberationem expensum, &, in omne decretum supernæ providentiæ priùs fuerit orando præparatum. Imbecillis est omnis, terrificans etiam si censeatur, vis dæmonum; quæ tentaverit, orationê præmunitos obruere: quin imô; *si dæmones nos conspexerint deprecationê munitos*, assecurat Orator aureus, *illicò resiliunt.* Quàm grave, quàm intolerabile fuisset scapulis tuis, Crucis pondus, invidiâ conclamantê decretum, &, injustitiâ collaborantê, non latronibus, qui rei fuerant, sed innocentiæ tuæ, vix vulnera, per vires nimiùm attritas, portanti, crudeliter injectum? nisi, quæ præmissa fuerat in Oliveti monte, per iteratam orationem, expensio, quàm amabile, tam facile reddidisset illud, secùs importabile, pondus, onúsque terrificum. Non est ulla, tam arcta necessitas; quam non relaxat oratio; non est ulla, tam importuna tentatio; quam non repellit precatio: nullum periculum, adeò terri-

Matth. 6. v. 6.

S. Chrysost. Lib. 1 de orando Deum.

terrificum eſt; quod ex illâ non ſpernitur: nulla calamitas, adeò cumulata; cui ſuperandæ non ſufficiat, quod illa ſuppetit, robur. Nam, *divinam gratiam impetrat, prævas concupiſcentias extinguit, hoſtes proſternit, tentationes ſuperat, calamitates lenit, mœrorem fugat, lætitiam infundit, pacem concilia:, hominem DEO conjungit*: inde verò, quid auxilii ſpes noſtras, in hâc tam felici conjunctionê deſtituere? quid ad omnem, cùm operationem juſtitiæ, tum acceſſionem ſupernæ gratiæ, deficere nos poſſe, cogitandum eſt? Ità perſuaſi ſumus, auriloqui Ravennatis, tum & Juſtiniani Patriarchæ, tantùm non divinîs oraculîs eruditi, certiquè: *qui per orationem fuerit communitus, jacula peccati, Diaboli tela, Mundi machinas, vitiorum cuneos, mala carnis, voluptatum laqueos, arma mortis non timebit.* Quia ipſa, *eſt animæ ſanctæ ſubſidium, Diabolo ſupplicium, DEO gratum obſequium, laborum ſolatium, compunctionis cauſa, omniúmque ſpiritualium bonorum interventrix.* Verbô: *Nihil tam validum reperitur, ad hoſtium noſtrorum conterendam rabiem.*

Bloſius. in Parad. animæ, c. 7.

S. Petrus Chryſologus. ſerm. 43.

S. Laurent. Juſtinian. de Orat. cap. 2.

Idem. Ibid. cap. 6.

XII. Hôc uſus cœleſtî ſtrategematê, vires deſuper obtinuit, hoſtium ſuorum exercitu, prout apparebat, inſuperabilî ſuperiores, humanîs, in deſertô, ſubſidiîs deſtitutus, populi divini Ductor imperterritus. Inſtructîs ad prælium, Joſue manibûs, ipſe cum Aaron, & Hur, ſuper verticem collis aſcendit: *cúmque levaret Moyſes manus, vincebat Iſraël: ſin autem paululùm remiſiſſet, ſuperabat Amalec*: donec, per Aaron & Hur, ad occaſum ſolis uſquè, ſuſtentatîs orantis manibûs, tandem Amalec in ore gladii, cum univerſô populô ſuo, fugere coactus eſt, & ſuperatus â Joſue. Sic oravit, &, invocatô DEI nominê, feliciùs, quàm jactô de fundâ lapidê, Philiſthæum inſolentem, ac malè dicentem proſtravit, orationê ſuâ magìs, quàm omnî fortium armaturâ, Victor David. Sic, ad Moabitici Martis nomen trepidans, & horrificîs minîs Ammon perculſus, Juda Rex, Joſaphat (cùm *totum ſe contulit ad rogandum Dominum*, congregatúsque cum univerſô populô, ſupplex factus eſt, in domô Domini, virtutem, & robur, quæ deficiebant in armîs, ex altô, per unanimem deprecationem implorans) admirandam retulit ab hoſte conjuratô victoriam: quia *vertit Dominus inſidias eorum in ſemetipſos, filiorum ſcilicet Ammon, & Moab, & montis Seir: & mutuîs concidére vulneribûs.* Judas deniquè Machabæus, cùm oravit, inimicorum, & minas, & iras, & vires, & quidquid bellici fuerat, cum poteſtate, terroris, orandô validiùs, quàm dimicando, ſuperavit. *Nihil enim*, præ-

Exod. 17. v. 11. 12.

1. Reg. 17. v. 49.

2. Parallp. 20. v. 4. & 22. &c.

Ibid. v. 23.

1. Machab. 4. v. 10. & 30.

S. Chryſoſt. Tom. 5. ſerm. 57.

conê Chryſoſtomô, *nihil inquam, precationê ignitâ, & ſincerâ, validiùs eſt. Ipſa, & præſentia mala diſſolvit, & âfuturîs pœnîs*, earúmque, perniciosiorê frequenter formidiné, quàm paſſionê, *nos eripit*: dum in omnem adverſæ ſortis impetum, rationem excitat, mentem obarmat, animum firmat, & impares inevitabili congreſſui vires, comparatîs è cœlo ſubſidiîs, non corroborat ſolùm, ſed præſtare quoquè validioribus efficit.

XIII. Ità de tuâ nobis Orationê, patientiſſime Servator, perſuaſimus: inde Crucem tantô tuô ſolatiô ſuſceptam in humeros, portatámque fuiſſe; quam cordê jam priùs, per voluntatem, cum Patris nutu conformem, orando receperas, cùm

Matth. 27. v. 40. Luce 22. v. 42.

dicebas: *Non ſicut ego volo: ſed, ſicut tu! Non mea voluntas; ſed tua fiat!* O! ſi talis fuiſſet Oratio noſtra! quàm vacua querelarum omnis Crux, &, è ſupernæ diſpenſationis arbitriô nobis impoſita, qualicúnque premens onerê calamitas, quàm fuiſſet jugum ſuave, & onus leve? Statuimus autem, inde ab intuitu tuæ divinæ tolerantiæ, per Orationem, ad illud enorme pondus, æquanimiter, & gaudenter jam priùs inclinatæ, ſinè tergiverſationê, ſinè cunctationê, promtô ſemper animô ſtare, ſuſcipiendîs, de paternâ providentiâ, cujuslibet adverſitatis crucibûs comparati. Si voluntas illa ſuprema geminô nos, utriúsque, tam interni, quàm externi ſolatii, privatos oculô, tenebrîs, animi pariter, corporísque triſtiſſimîs, involutos, nullô cœli lumine dignabitur intueri? non aliud oris noſtri, quàm conformati cordis, illud, cum Tobiâ, ſuſpirium audietur: *Juſtus es, Domine; & omnia judicia tua juſta ſunt! Fiat voluntas tua!* Si vitalem hanc auram, & vitæ proſperæ dulcem uſum, in ipſô rerum optatiſſimarum affluxu, libuerit, peremtoriô decretô ſuccidere, florentîque de corporê ſpiritum, ſeros annos cogitantem, evocare raptim? non ille diverſum ab Helî, nuncio tam ferali, quicquam ſubjiciet, aut aliud; quàm: *Dominus eſt: quod bonum eſt in oculîs ſuîs, faciat! Fiat voluntas tua!* Si totam ſtomachi bilem, acerrimúmque fermentantis odii rancorem, in faciem, & caput egeret, nullâ miteſcens opprobriorum eructationê, nullô defervescens maledictionum vomitu, furor malevolus? quod Rex Iſraël, Semei maledictis oppoſuit; noſtræ æquanimitatis teſtimonium erit: *Dimitte eum; ut maledicat: Dominus enim præcepit ei: & quis eſt? qui audeat dicere: quare ſic fecerit? Obmutui, & non aperui os meum: quoniam tu feciſti! Fiat voluntas tua!* Vis excidere nos dignitatê? deſtitui honoribûs? inſuper

Tobiæ 3. v. 12. Matth. 6. v. 11. 1. Reg. 3. v. 18. 2. Reg. 16. v. 10. Pſalm. 38. v. 10.

ſuper haberi? nomen diffamari? facultatibûs cunctîs orbatos, extremam ad inopiam, & mendicitatem redigi? viribûs inſuper omnibûs attritîs, ægram diù vitam, perpetuîs in doloribûs pati? demùm, & â familiaribûs deſeri, & â cognatîs vexari, & â vicinîs illudi, & ab inimicîs exſibilari, ſi vis? quod ſuô Job in ſimetô præcinuit, noſtræ patientiæ reddet Echo fidelis: *ſicut Domino placuit, ità factum eſt: ſit nomen Domini benedictum!* Ut S. Thuringiæ Princeps, Eliſabeth, repentè mendica; & pius Hiſpaniæ Monarcha, Philippus alter, exeſum â vermibûs pectus, antè mortem intuitus; & magnus Auſtriacæ pietatis, ùt felicitatis, Fundator, Ferdinandus, undique conjuratâ perfidiâ ſeptus; & ſancta demùm Gertrudis, auctîs morborum cruciatibûs, inter ſæviſſimos dolorum ſenſus, quinquies, ultra ſexagies, animi conformati ſenſa, quotidiè, teſtata Verbô fuit unicô: *Fiat!* Ità, firmatîs omnes jam animîs: (*Fiat! fiat! fiat!* ad Crucis cujuslibet occurſum dicturi) tuîs in veſtigiîs, patientiſſime Servator! ſubſiſtimus.

Job. 1. v. 22.

Rader. Tom. 1. Bavar. S. Didacus de Yeppes, in vit. Nierenberg. in virt. Coron.

Bloſius. Lib 4. Div. Inſtit. c. 23.

XIV. Hoc devoti Cordialis, tibi de noſtrâ compaſſionê, fixâque jam imitationê, debiti, principium eſto: quia verò totum affectum noſtrum, quô te ſecuti ſumus, memoriâ pœnarum, & voluntatê conjuncti, tuæ placitum eſt Pietati, de noſtrâ confeſſionê cognoſcere; quæ reliqua ſuerint noſtra, cunctorum vota, procul exaggerationê depromo. Nemo unus tantô fuit ex numerô; qui non ſuum optabat cor, pro laxîs in viâ moleſtîs, calcandum ſubſternere veſtigiis tuis: ut molliûs ambulare, ſub immanî ponderê poſſes. Offendit nos ictus quilibet militaris pugni, ferratâ chirothecâ gravis; unde ſpineæ coronæ, ſi non altiùs in cerebrum adactæ, recentî tamen cuſpidum irritationê, lethiferi dolores adaucti ſunt. Senſimus, velut ipſi concuſſi, percuſſiones, fuſtibûs & lanceîs, ab illâ cohortê lictorum, ſaucio tuo, laniatóque corpori certatim inflictas: nec unquam truculentæ manus tortorum, vultum tuum, livorê, cruorequê confuſum, audaciâ frequentatâ læſerunt; quin ex palmîs illîs, & alapîs participatus quidam dolor, noſtras quoquè, cum vultu, genas accenderit excuſsô ruborê. Tum enim recruduit in animîs noſtrîs illius ictûs, & alapæ, Pontificis in aulâ primùm impactæ, memoria; cujus quidem â tê cæterîs in ſuppliciîs, tacentê, grandî myſteriô poſtulata, nunquàm tamen tibi reddita fuit, aut allegata ratio. Inde, non ſinè gemitu (quid non audeat petulantia communis, pravô ſemel, vel

unius

unius duntaxat exemplô concitata) perpendimus. Nisi Ministrorum unus ictum sacrilegum præsumsisset adversùs Christum Dominum; nunquàm ferocia militaris, & petulans plebis furor, tantâ contumeliâ, tantam sanctitatem, & majestatem offendere contempsisset: nec ausus fuisset ullus, non tantùm distringere manum in palmarem injuriam: sed, nec in vultum illum divinum conferre sputa; nec in verticem, Deô plenum, lutulentas injicere sordes cumulata scurrilitas attentâsset: nisi majorum furor impudens, audendi quidlibet, sceleratam omnibus vecordiâ suâ licentiam præstitisset.

XV. Vidimus hos infrunitæ temeritatis impetus â Tê, inde jam, â Pilati Prætoriô, fatigatâ nunquàm insolentiâ, tuâ verò nè minimùm diminutâ patientiâ toleratos: &, tantùm non pudorê defecimus, tam enormium opprobriorum intuitû; quæ tacitâ nos objurgationê, suavissimè quidem, redarguebant: *Sustinetis enim* (scilicèt) *si quis vos in servitutem redigit; si quis devorat; si quis accipit; si quis in faciem vos cædit?* Intelleximus inde sugillari nos, proh! quantùm ab illâ tuâ divinâ doctrinâ remotos? *Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Ad hæc & illud nobis, in tui considerationê, dolenter occurrit; quod aliàs, ex magnô Præsulê Mediolanensî, persuasum quidem, sed minimè fuit impletum: *Quàm bonum est*, (Tecum scilicèt) *ferre convitium; &, convitium non referre! DEUM præsulem acquirit: qui convitianti nescit irasci.* Tum verò percussit nos haud levis increpatio conscientiæ nostræ, differentem, â divinâ tuâ patientiâ, cujuslibet offensæ sensum, in eâdem turpissimè deprehensum accusans. Quis nostrûm enim, ullum hactenùs ictum alapæ, palmarísque contumeliæ, non ultum accepit: sicut accepit, ac pertulit, sê major ipsô, per Christianam animi moderationem, S. Christophorus? qui nihil, nisi validam suam, grandémque, sed nominis, ac Passionis tuæ memoriâ ligatam, audaci percussori manum exhibens, unum id ingessit: *Vindictam, mihi crede, abs tê reposcerem: nisi Christianus essem.* Quis alapam, etiam sacrilegâ temeritatê, præter vehementiam ictûs, gravissimam, animô non solùm placidô toleravit; sed insuper excusavit: sicut mansuetissimè tulit, & omnem â sceleratâ manu vim prohibuit S. Bernardus? etsi continuò maxilla tumescens, & ignescens, circumstantes in vindictam incenderet. Quis unquàm eâ fuit animi magnitudinê; quâ verè se Christianum ostendit, &, â Deô non

2. Corinth. 11. v. 20.

Matth. 5. v. 39.

S. Ambros. in Psal. 118. cit. à Lyr. de Imitat. fol. 86. col. 1. C.

Metaphras. in vitâ S. Christoph.

Vit. S. Bernard. L. 3. cap. 16.

non vanè nominari, confirmavit S. Joannes, ille ſui Primipilus ordinis ? qui pro ſalubrî conſiliô, quô libidinoſum â ſcelerê juvenem coërcere conatus eſt, excuſſiſſimam palmam accepit; & continuò projectus ad pedes, alteram quoquè genam exhibuit, pro expugnatâ libidinê depalmandus, ùt ùt libuiſſet. Quis, ità fortè percuſſus, eâ tamen tranquillitate mentis, & ſapientiâ ſanctorum, injuriam irrogatam gratulabundus expendit; ut, cum Bernardinô, Camilli, non tam viæ, quàm virtutis comitê, quas potuit, uberrimas referret gratias, pro gloriâ; cujus participem ſe factum, in tuarum injuriarum aliquâ compaſſionê gauderet?

Vita S. Joannis â Deo.

Hadrianus Lyræus. de Imit. Chr. Pat. Lib. 2. c. 8. fol. 86. D. 2.

XVI. Sed, quid ego verberum, adeò contumelioſorum, impatientem ſenſum noſtrum deteſtor, & incuſo pœnitens ? qui, leviter, etiam imprudentis cubiti tactus impactu, velut ſilicê percuſſus chalybs, quìn, & ferventiùs, non ſcintillas tantùm, ſed flammas, & ignem reddidi? Nivium flocci, temerariô jactu, præter mentem, voluntatémque projicientis, pallio forſan adhærentes, Ætnæ quoties pares nobis, internos videlicet, ardores excitârunt? Nec lutô fuit opùs, aut ſaxô, ſed chartæ foliô, vultum offendentê: læſus ut animus arma cogitaret, & in vulnera ſtringeret. Nec, iracundiæ ſuccendendæ, ſputum, ut in os, aut faciem injiceretur, expectandum erat: inſtar olei, vel unicum perſæpè verbum, quantum incendium de noſtrîs igniculîs excitavit ? quamvìs ignotum nequaquam fuerit Apoſtoli, cum dogmate, monitum: *Exhibeamus nosmetipſos, ſicut DEI miniſtros, in multâ patientiâ, in tribulationibûs, in anguſtiîs, in plagîs, in carceribûs &c.* 2. Cor. 6. v. 4. *Patientia enim vobis neceſſaria: ut, voluntatem DEI facientes, reportetis promiſſionem.* Hebr. 10. v. 36. Novimus tuum ipſius, infallibilis veritatis decretum: *In patientiâ veſtrâ poſſidebitis animas veſtras.* Luca 21. v. 19. Nequè peregrina nobis, tam Caſſiodori, quàm Hugonis, axiomata fuêre ſacra: *Patientia eſt, quæ omnia vincit adverſa; non colluctando, ſed ſufferendo: non murmurando; ſed gratias agendo.* Et hæc, *magna virtus eſt: ſi non lædas, â quô læſus es. Magna gloria: ſi, cui nocere potuiſti, parcas.* Caſſiodor. in Pſalm. 83. Hugo. L. 3. de animâ.

XVII. Pudet jam, adeò fuiſſe nos tanto nomini, quod profitebamur, injurios! & adeò degeneres, atquè, ab illâ tuâ virtutê, ſinè quâ gloriæ tuæ participatio nulla conceditur, hâc tenùs alienos adeò nos fuiſſe, tantò magìs exhorreſcimus; quantò minùs, etiam ethnicos, injuriîs commotos, aut, ab officiô rationis, decoris, debitæquè moderationis præcipitatos fuiſſe, non ſinè vehementî confuſionê noſtrâ re-

perimus! Quàm ſordidô lixiviô totum Socratis caput, & omnem ejus Philoſophiam inſana Xantippe perfudit? Quot, in faciem eam, univerſæ ſapientiæ venerandam, illa, Cyclopum etiam atris moribus execranda mulier, ſeptem, ſuprà vicenos, annîs continuîs, opprobria, Cerberi fellê, ſpumâque amariora evomuit? *Hæc* verò, Senecâ teſtê, *uſquè eò animum Socratis non moverunt; ut nè vultum quidem mutaverit.* Quidquid magnum illum in Catonem, vel inſolens petulantia, vel hoſtilis licentia, de ſui ſentinâ furoris congeſſit unquàm, probroſum, & contumelioſum, extrà Catonis animum remanſit; &, infrà viri tanti rationem, altioribus intentam, ſinè mentis agitationê, in ſemetipſô defer-
Idem Seneca loco cit. buit: quia *nemo mutatum Catonem vidit: eundem ſe in omni ſtatu præſtitit.* Ità novimus & Periclem, diem integrum, inter convitia, Solis inſtar, inter nominata Zodiaci
Drexel. in Roſ. p. 2. Cap. 5. §. 4. n. 5. monſtra, progreſſum: plenus verò conſputationê maledicâ (nè, ſicut linguâ, ſic & pedibûs deficiens, aberraret â rectô Convitiator) ſervo ſuo præcepiſſe fertur: facem ut eidem, ad propria revertenti, præferret. Pudet, eheu! (eccur non pudeat?) nos, evangelicîs documentîs eruditos, inferiores eſſe Philoſophiæ gentilis alumnîs! Quid non ſuis perſuaſit Cordubenſis ille Cenſor morum, Annæus? cùm ſuaſit:
Seneca, cit. à Lohner. Tit. Patient. in miſcellan. num. 36. *Si beatus eſſe vis; hoc primum cogita: contemnere; &, ab aliis contemni.* Quanta nobis tuæ ſunt, O patientiſſime JESU! non jam dicam præcepta, ſed patientiæ divinæ documenta, vel in ſolâ tolerantiâ tot opprobriorum relicta; quæ noſtrîs & percepimus auribûs, & perſpeximus oculîs? Nos tamen, pyrobolorum inſtar, vix ùt modicam ſcintillam ſenſimus, continuò ſuccenſi, & fatuâ fuimus agitationê conſumti! Nos, lacunis non eramus abſimiles; quas lapillus etiam injectus exagitat, & in multiplices circulos diſturbat. Nos, utì vitra defecimus; quæ, minùs providè tacta, mox fracta diſſiliunt. Nos incendiariæ veluti campanæ fuimus: unicus, in illîs, ictus linguæ ſufficit: ut ingens excitetur tumultus, & concurſus in publicô.

XVIII. Hæc erat imbecillitatis noſtræ, nimiùm delicatæ, miſerabilis, ac deploranda, probroſaque conditio! Sed non ſic erit in poſterum. Aliud pro Cordialî, tibi debitô, jam univerſim, omnibûs â nobîs conſtitutum eſt. Nôvi mutata ſingulorum ſenſa, tuâ de tolerantiâ, nihil non ad patiendum, accenſa. Nunquid vos, animæ piæ, ſeculi voluptates exoſæ, ſenſuum illecebris inimicæ, nulliúsque gaudii, niſi quod è Crucê ſcaturit, aviditatê flagrantes? nun-

quid

quid eôdem deſideriô, quô B. Magdalena dePazzi, confitemini? *Deſidero diù vivere: quia deſidero, amore ſponſi, ac Domini mei, diù pati!* Nunquid vos, animoſi Dæmonum impugnatores, & indefeſſi laborantium animarum adjutores, vindices, & aſſertores? nunquid laborũ veſtrorum præmium, nor aliud; conflictuum veſtrorũ coronam, non aliam; victoriarum veſtrarum trophœum, non aliud, aut anhelatis, aut expectatis; atquè B. Joannis Crucij illud: *Domine! pati, & contemni pro tê?* Nunquid & vos, Evangelii zelotes, & veritatis divinæ præcones imperterriti, nullîs contemptibûs dejecti, nullîs calumniîs conturbati, nullîs, doctrinæ veſtræ, vel ſiniſtrîs interpretationibûs, vel inimicîs cavillationibûs, vel impiîs depravationibûs, vel inſolentibûs obtrectationibûs fatigati, concuſſi, fracti, nunquid aliud firmiùs nihil animis veſtris impreſſiſtis? ac illud, ardentiſſimi S. Patris Ignatii paradoxum: *Dulciùs nil eſſe; quàm, pati propter DEUM: eò, quòd dulciùs eſſe nil poſſit; quàm, amare DEUM: nequè amor major; quàm, pati pro DEO!* ſeu: *pro nominê JEſu contumeliam pati!* Nunquid vos quoquè, virtutis amantes, ac inter Mundi perpetuas infeſtationes, fideles tamen, &, ex Evangelii legê, perſeverantes DEI ſervi, ſervæquè? nunquid (cùm undique, lapidum inſtar, illuſio pietatis, exprobratio devotionis, veſtræquè fidelitatis continuæ perſecutiones in vos congerentur, infinitîs contumeliîs, & ſubſannationibûs aggravatæ) vos, in ſinum intemeratæ conſcientiæ veſtræ grandinem illam coacervantes, cum Aſſiſinatê Seraphicô dicetis: *iſtæ ſunt gemmæ noſtræ!* Vos verò, quàm natalium ſplendorê, tam virtutum fulgorê nobiles, conſpicuæquè matronæ, ſeu ligatæ, ſeu vinculîs abſolutæ conjugii, nunquid veſtra jam omnium concordia vota ſunt, cordáque concordata, canticum ad illud, ſub quôvis adverſæ perſecutionis tactu concinendum? quod S. Princeps Eliſabeth, ſoliô dejecta, palatiô ejecta, redditibûs privata, cúmque liberîs chariſſimîs, ad inopiam redacta, & â ſuâ ditionê in exilium exacta, você, mentêque lætiſſima cecinit: *Te DEUM laudamus!* Audin', Servator afflictiſſime! quàm liberalî pietatê, de ſuâ ſubinde, nunquàm immutandâ, nec ampliùs defecturâ ſuſtinentiâ, contributum jam ſit ab omnibûs, pro confortativô ſolatiô tui cordis, ad ultima pro nobis verba, cruciatibûs etiam auctîs, proferenda? Mobilem noſtrorum animorum levitatem (nè relaxetur in iîs firmum adeò, cuncta tolerandi,

Hadrian. Lyr. in Apophtheg. S. Ignat. axiom. 3.

In vit. B. Joannis de Cruce. cap. 21. mihi, fol. 144.

Compend. Vitæ S. P. Ignat. c. 8. poſt med. &, in fine. Actor. 5. v. 41.

Drexel. in Roſt. p. 2. c. 1. §. 6.

propoſitum) conſtringet injecta nobis â D. Cypriano memoranda veritas: *Tunc omne fidei robur expenditur: tunc credulitas comprobatur: cùm in ſermones vulgi, atquè in opprobrium veneris: cúmque te contrà illas populares infamias firmaveris.* S. Cyprian. Lib. de Laud. MM.

XIX. Aliud nunc eſt, quod in admirationê divinæ tuæ patientiæ penè fecit obſtupeſcere nos, &, inde quidem, horrorê, ſtuporêque magis attonitos reddidit; quòd mulierum plangentium deplorandam cauſam (tui velut immemor) miſeratus, nè ſalubrî miſeras admonitionê deſtitueres, Verbum ſalutis in tempore mœroris impenderis, tuâ tamen in afflictionê, nec ullum pro conſolatione verbum ad amicos, nequè pro liberationê, mitigandisve tormentîs, quicquam ad judices, tortorésque locutus. Fuit hoc admirandum ſilentium tuum, ethnicus ipſe Prætorii Præſes, ob inexpugnabilem, tot injuriîs, conſtantiam, non ſinè virtutis, humanâ majoris, immodicâ ſuſpicionê veneratus. Fuit & Herodes adeò taciturnitatis tuæ prodigioſâ continentiâ ſtupefactus; ut, qui ſenſum pietatis in animô nullum habuerat, unde ſumere de tuâ divinâ virtutê conjecturam potuiſſet (ex eorum, qui divina quæquè ſpernunt, perverſô, cæcôque judiciô) quod adorare debuiſſet, fatuitati tribuerit. Nos verò non illud ſolum ſilentium, quô criminationes invidorum iniquiſſimas, vexationes malevolorum inſolentiſſimas, percuſſiones, & verbera, dilaniationem innocentiſſimæ carnis, & vulnera, conſputationes, & probra (*factus, ſicut homo non audiens, & non habens in oré ſuô redargutionem*; & *ſicut ovis, coràm ſe tondentê obmutescens*) conſtantiſſimè ſuſtinuiſti, ſtuporê tantùm non abrepti, ſuſpeximus: verùm & illud attonitîs animîs immodicè veneratî ſumus; quô, Crucis immenſô ponderê preſſus, indéque non ſemel oppreſſus, & lapſus in terram, neque virgineæ Matri, dilecto cum Diſcipulo dolenter occurrenti; nequè Veronicæ, de ſuô capitê peplô, abſtergendo ſudori cruento, miſsô militum, hoſtiúmque timorê, generoſâ pietatê ſuggerenti; nequè Cyrenæo Simoni, tuæ Crucis intolerabile pondus officioſâ ſuccollationê bajulanti, verbum vel unicum indulſiſti: unde, aut dulce, Mater: vale! aut gratam, Veronica, mentem; aut benevolum Simon, ad ſocietatem Crucis invitatus, affectum percepiſſent. Fuerit primum illud, inter opprobria, verberáque ſilentium, latentis Divinitatis manifeſtum indicium; & patientiæ, plùs, quàm humanæ, *triumphale ſilentium*: alterum nobis, perpetuum erit magiſterium, & continen- Pſalm. 73. v. 13. Iſaiæ 53. v. 7. S. Ambroſ. ſerm. 17. in Pſal. 118.

tinendæ linguæ documentum; quæ nullum antè hàc pati frenum, nullum loquacitatis moderamen, nullam admittere tacendi legem, nequè neceſſitatê, nequè religionê ſeſe cohiberi ſuſtinuit ullâ, ab audacî, quidlibet, & ubilibet, effutiendi licentiâ.

XX. Quantùm erubuimus, hâc indomitâ noſtrâ de levitatê, garrulitatêque (proh! utinam non, frequentiùs etiam, infrunitâ de ſcurrilitatê) per tuam, adeò prodigioſam, ſub Crucê, ſacrîs etiam ab alloquiîs abſtinentiam, objurgati! quibus nulla conſecrati loci veneratio, nulla myſteriorum divinorum adoratio, nulla temporis DEO deſtinati religio, linguæ prurientis inſanos impetus prohibere ſatis, & compeſcere, cohibere, conſtringeréque potuit. Fuit nobis templum, utì forum; altare, non ſecùs, ac menſa; miſſarum ſacroſancta myſteria, nihil â ſpectaculorum repræſentationê diverſa: tuimet ipſius adoranda præſentia, nec tantùm â noſtrâ pravitatê devoti reſpectûs obtinuit; quantùm humanæ, formidatæ forſan majeſtati, per diſſimulationem, ſi non omnimodam loquacitatis compreſſionem, tribuere ſolemus. Non eſt hîc locus accuſandi cæteras, tuæ perſpicuas omniſcientiæ, linguarum noſtrarum prævaricationes: quibûs, adverſùm te, blasphemi; contrà proximum, calumnioſi; in veritatem, perjuri; innocentiæ ſcandaloſi, publico perniciioſi, & adverſûs virtutem omnem, honeſtíque debitam obſervantiam criminoſi tenemur, & indigni; tuas nunc ut ad aures admittere verba noſtra (quamvis lacrymîs diluta, gemitibûs caſtigata, dolorémque per pœnitentem, non emendata tantùm, ſed ad conficiendum inde deſiderati tui ſolatii Cordiale, penitùs emundata) digneris. Quòdſi verò firmatâ jam legê ſtatuendum, ex tuæ taciturnitatis adoratô myſteriô, moderamen illud linguæ noſtræ forſan expectas; quod præſcripſit Ambroſius: *Alliga ſermonem tuum; nè luxuriet, nè laſciviat, & multiloquiô peccata ſibi colligat*? Si, quod Gregorius voluit, noſtrîs omnium â linguîs exigis: *Tempus tacendi, & tempus loquendi: diſcretâ viciſſitudinê penſanda ſunt tempora*? Non hâc tantùm parati ſumus religionê loquacitatem noſtram cohibere: plùs ultrà tui Cordialis perficiendi devota nos cura ſolicitat. Novimus: quàm parca verborum, unigeniti Mater Verbi, tua ſacroſancta genitrix fuerit: indè verò tantò tibi charior etiam, quantò ſilendi tenacior fuit. Conſtat, adeò probatum tuæ ſanctitati ſilentium fuiſſe; quô ſeraphica Thereſia ſuas voluit filias obligatas eſſe: dignatus ut ipſe fueris, otioſè

S. Ambroſ. Lib. 1. de Offic.

S. Gregor. lib. 7. Moral.

S. Bernard. ſerm. in ſignum magnum.

Ribera. in vit. S. Thereſ. lib. 5. cap. 4.

otioſè forſan colloquentes, januæ pulſu, tertiùm repetitô, ſuæ memores obſervantiæ reddere. Nec ignoramus, religioſum D. Gertrudis, tam gratum extitiſſe cordi tuo ſilentium: ut nullô non diê, divinîs eandem dignari præſens ipſe, dulciſſimîs alloquiîs, integri novennii decurſu volueris, undenîs tantùm diebûs tuam deſiderari viſitationem ſuſtinens; quibûs videlicet ipſa, mundanîs contaminata ſermonibûs, tantâ ſe conſolationê fecit indignam. Quin, & adeò B. profuit Ogniacenſi Mariæ (quòd magni jejunii dies, quibûs tuæ dilectionis, per mortem nobis impenſæ memoria celebratur, ſilentiô religioſò coluerit) nihil ut, ab exactâ vitâ, pœnæ ſuerit illi reliquum, in flammîs expiandum.

Inſinuat S. Gertrud. lib. 2. cap. 2. & 25.

Surius, in vit. 23. Januarii.

XXI. Nemo noſtrûm unus eſt; qui non jam dixit: *cuſtodiam vias meas; ut non delinquam in linguâ meâ. Poſui ori meo cuſtodiam: cùm conſiſteret peccator adverſùm me. Obmutui, & humiliatus ſum.* Ecquis tuô tantillum ſolatium pro Cordialî contribuere, verborum tuorum tam indigus, nec, niſi tuæ patrociniô linguæ vindicandus, aſſerendúsque, cunctabitur? cùm indubiâ fidê traditum acceperimus: id aliquando poſtulatum â tuâ pietatê fuiſſe; cùm ſanctorum aliquis exploratum optaverat: quô devotæ mentis officiô ſuam ergà te gratitudinem, pro toleratæ Paſſionis infinitâ dilectionê teſtari poſſet, quàm acceptiſſimam? Viſus enim ſibi continuò fuerat, hæc diſertæ tuæ vocis verba percipere: *Inimici mei me totum vinxerant; ſed linguam ligare non potuerunt: hanc verò ego ligavi, ſummâ patientiâ, & manſuetudinê. Tu ergo linguam tuam liga, cùm mala paſſus fueris; &, nihil ſtultum loquaris: & ſic mihi ſatisfacies patienti pro tê, pro modulô tuô.* Sic, Domine, ſic noſtras jam omnium habes linguas, & habebis obligatas perpetuò: tantùm tuâ nos non deſtitue linguâ! ſed, *loquere pro nobîs*! cùm nullus in causâ noſtrâ ſufficiens eſſe poterit Advocatus. Jam legê ſanctum eſt: ligatæ noſtræ linguæ ſunto, ad frequentandas orationes in templis; ad conſolandum deſolatos, in doloribûs, & luctu; ad abſtinendum otiosâ confabulationê, in compitîs: nequè, niſi propter te, vel de tê, vel tecum, erit ullum deinceps noſtræ locutionis officium. Patere, dulciſſime JESU! tuis vulneribus (utì quondam linguæ canum elingendis ulceribus Lazari) noſtræ quoquè linguæ, pro demulcendîs eorũ doloribûs, ut applicare ſe delinitionê devotâ ſic audeant; illáque demulcere piîs oſculîs ora; quæ pro nobîs tantùm jam locuta ſunt, & adhuc locutura!

Pſalm. 38. v. 1. 2. 3.

Oſorius. Domin. 11. p. Penteceſt.

Vide Lyræum in Imit. Chriſt. Pat. lib. 2. cap. 10. B.

Eſther. 15. v. 2.

XXII. Sed

XXII. Sed obrigeſco propè, dilaceratæ tuæ carnis, &, per innumera vulnera, patentium etiam oſſium (tantúmque non viſcerum ipſorum) intuitu miſerabilî ! Deficit me vigor animi, tanto pœnarum ardori, quô ſacratiſſima tua membra, nullîs adjuta delinimentîs uruntur, diutiùs expendendo, multùm, per omnes vires, inferior: cùm non, niſi merum vulnus, te cogito, ſub ſpinarum incuſſarum tormentô, graviſſimôque torcularî Crucis, ad noviſſimam propè ſanguinis guttam, auctîs per momenta, ſingulos ad paſſus, itinerê tam longô, cruciatibûs expreſſam ! O quoties, te ſic intuentes in viâ, (ſtillantê jugiter, è plagîs, cruorê) confuſi magìs, quàm erubeſcentes, cogitavimus: *Pudeat ſectari gloriam, membra; quibus Caput ſuum tam inglorium exhibetur ! Pudeat ſub ſpinoſô capité membrum fieri delicatum !* Quoties, invicem percontati, ſuſpiravimus: *Quantus dolor venerandum illud caput, aculeîs tot confixum afſecerit? cùm nos, vel ad unius ſpinæ punctúram, intolerabilî ferè doloré vexemur !* Cupiebat continuò noſtra devotio, ſub quâvis crucê ſupernæ diſpenſationis, partem in omnem cruorê diffluere; quô noſtrum amorem liquidô poſſemus doloré teſtari! Sed ſanguis, erant lacrymæ; quas erubeſcentia vitæ noſtræ, tam parùm caſtigatæ, tam ſenſibus, eorúmque commodis addictæ, dolenter exegit: cùm ſubiit noſtros in animos illarum recordatio pœnarum; quibûs iñocua ſua membra (perpetui tortores) innumeri fideles alii, tenerè nati, delicatè nutriti, culparum vacui (ſolâ tui dilectionê, tyrannidis illius piæ concitatricê) perſecuti fuerunt: ut, etſi non æquè, tamen aliquâ tibi poſſent ex partê, per voluntaria ſua vulnera conformari !

XXIII. Quàm inclemens flagellator ſui, S. Prædicatorum Patriarcha, Dominicus, atróxq; perſecutor fuit? Triplicî vigiliâ nocturnæ quietis tempus ille diſpunxit, ſeverâ totiès, membrorum ſuorum caſtigationê, tuorum flagellorum excuſor devotiſſimus. Quàm conſtans fervoris ejuſdem imitator S. Vincentius Ferrerius fuit? Quod adoleſcens conſuevit, ætatê proficientê tam ſacrum habuit, ſanctúmque; nullus ut morbus, etſi vires ei negaret ad percutiendum, voluntatem infirmaret ad ſuſtinendum. Ut enim ipſe ſe cædere nullâ non noctê ſolitus erat; ſic, id in ſe fieri, fidîs â ſociîs poſtulavit; eos per JEſum Chriſtum obteſtans: nè quid parcerent, validîs eum ictibûs perſequendo! Quantus hâc in ſeveritatê fuit, ejuſdem ùt ordinis, ità conſors rigo-

S. Bernard. ſerm. 5. in Feſt. OO. SS.

S. Vincent. Ferr. ſerm. in Paraſ.

Theodoric. de Apoldiâ. L. 4. c. 9. & 11. Vita S. Vinc. Ferrerii. vide Lyr. de Imit. Chr. Pat. Lib. 3. c. 4. fol. 131. D. 1.

In vit. V. Henrici Susonis cap. 16.

rigoris, Henricus? Trisulcîs ille, ſuum in corpus, flagrîs, bis quotidiè, crudelî propè pietatê, deſæviit; ut ſingulîs verberibûs triplex in carnê vulnus aperiretur, præter eam lanienam; quam, totô nudatus corporê, ſæpiùs â membrîs omnibûs exigebat, cruorê tam undantê; ſimilis ut ipſe ſibi videretur, illi tuo ſupplicio; quod, alligatus columnæ, ſuſtinuiſti. Quàm immitis tortor ſui, S., Gandiæ quondam Dux, Franciſcus erat? Ille lumbos, humerósque ſuos flagellationê ſæviſſimâ, perpetuâque perſecutus, adeò dilaniaverat; ut putreſcere viderentur. Quàm piè ſævus membra ſua Tyrannus afflixit, Stephanus Tuccius, vocationis ejuſdem, verúsque JESU ſocius? Noctê quâlibet horrendîs flagellorum ictibûs, tantùm non, ſe dilaceravit: cùm, poſt aliquot verbera, quinorum vulnerum tuorum piâ veneratione, pedibus primùm, ſubinde manibus, lateri demùm inflicta, corpus totum, ab humerîs, ad pedes uſquè deſcendendo, diſſecuit adeò; nullum ut ampliùs, in universô corporê, vacuum reliquerit verberum, plagarúmque locum.

Ribadeneira vit. lib. 4. cap. 5.

Janus Nicius Erythræus, in Pinacotheca

XXIV. Jam, ſi reliqua cruciatuum, piarúmque caſtigationum voluntaria ſacrificia revocemus in memoriam; quibûs tuæ ſe Paſſioni ſtuduit ingenioſa magnarum animarum devotio conformare: toti penè deficimus, non tam horrorê, quàm pudorê! Pungunt nos illæ ſpinæ; quas altè ſuo capiti, doloris exinde diuturni patiens, Catharina Senenſis impreſſit! Torquent non minùs, acutîs exaſperatæ clavîs quàm plurimîs, nudo Suſonis tergo perpetuâ confixionê conſtrictæ cruces! Nec poſſumus, absquè lenitatis, & indulgentiæ noſtræ ſeverâ reprehenſionê, ſeveriſſimæ perſecutionis meminiſſe; quâ virgineum ſuum corpus, in omne dolorum tuorum, pœnarúmque participium aſſimilare contendit Seraphica Virgo, Patrísque Seraphici Filia, Crucis cognominê, quàm celebris, tam digna, Joanna. Conſuetîs vexationibûs dilecto ſe ſuo conformem reddere, ludus illi videbatur, &, velut exercitatio ſcenica. Prominentibûs, è ligneâ grandi crucê, clavîs, amanter apprehensîs, ità, diductîs latè brachiîs, adhærebat Cruci ſuæ; ut, inde corpore libratô, ſuſpenſa penderet. Aliàs, inter ſpinas volutata, vicinam inſiliebat in paludem; ut acrior ex uliginê lutulentâ recentium eſſet vulnerum ſenſus. Totum te, totô voluit in corporê ſuô, cum omnibûs cruciatibûs circumferre. Ferreâ igitur in laminâ, cuncta tuæ Paſſionis inſignia, ſtylô excuſſa, eâque partê, quâ pertuſa

Nicol. Burgheſius, in vita.

Horenbecius in vita.

Autor vitæ V. Joannæ de la Cruz.

tuſa bractea lacerabat, nudis applicatâ membris, aſperam, horrendámque tunicam ità geſtare conſuevit; ut verè, cum Apoſtolô, dicere, gauderéque potuerit: ſemper in ſuô corporê tuam â ſê circumferri mortificationem.

2. Corinth. 4. v. 10.

XXV. Quantîs intervallîs ab hâc pœnarum expreſſionê noſtra fuit, per omnem propè vitam, inertia, nimiúmque mollis, & ſenſualium ſtudioſa commodorum indulgentia? Leviter offenſa valetudo, vel minimos dolores, quot votîs, atquè gemitibûs â ſé tolli flagitavit? Vix unicum, per omnem adhuc vitam, eô, quô par eſt, rigorê, Quadrageſimale jejunium, ut obſervaretur, tuæ ſitis amaræ pia memoria, jejuniúmque ſtrictiſſimum, â nobis potuit impetrare. Quantâ cuticulæ noſtræ curâ fuit? nè quid eam (nè dicam rigidum, aſperúmve) ſed, in ipsîs deliciîs, minùs fortè blandum, offenderet? Jam, ſtricta nimiùm, jam, amplior ſolitô, veſtis afflixit. Contractæ forſan inplicam lodices, quantîs non querelîs accuſatæ? Vel modicus æſtus omnem â collô modeſtiam, & verecundiæ velamen abſtraxit: atquè tantùm abfuit; ut lumbos hirſutô ciliciô, vel hamatîs catenîs conſtringeremus: vel, ut aliquid moleſtiæ, Crucis in vicem grave ſibi, corpora noſtra ſuſtinerent: ut nec tenuem in pectore ſindonem, eidem tegendo, minimi caloris impatientia ſuſtinuerit; quâ ſacrum illum omnem, diſciplinæ pœnitentialis apparatum, ùt ſatuas delirantium inventiones, exploſimus.

XXVI. Alia nunc ſunt noſtræ devotionis conſilia; poſtquàm tuæ dilectionis exceſſum, in tantarum pœnarum voluntariâ tolerantiâ contemplati ſumus, cauſæ noſtræ ſublevandæ, per infinitam liberalitatem impenſum. *Nolo, Domine!* (mens hæc eſt, omnium una, voluntas eadem, &, ex hâc horâ, cum Seraphicô Doctorê, perpetua, talis erit vita) *Nolo, Domine! vivere, ſinè vulnerê; quia te video vulneratum!* Stat firmiſſimîs animîs ex Auguſtinô conſtituta ſententia: *Congruit devotioni noſtræ: ut, qui Domini Crucifixi paſſionem celebraturi ſumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem, nobis ipſi etiam faciamus.* Immutabilis erit noſtra, quam fecimus, cum tibi dilectô, Claræ vallis mellifluô Patrê, concluſio: *Hôc ſolô non immeritò ſibi vendicat vitam noſtram; qui pro nobîs poſuit ſuam. Nemo igitur ſibi vivet; ſed ei, qui pro* (nobis) *mortuus eſt. Cui enim juſtiùs vivam, quàm ei; qui, ſi non moreretur, ego non viverem?* Deniquè, legê ſanximus æternâ, non ex Codicê Cæſaris Juſtiniani; ſed, ſancti Venetorum Patriarchæ:

S. Bonav. apud Lohner in Bibl. Tom. 1. Edit. 1. Tit. 91. §. 3. num. 32.

S. Auguſt. in ſerm. Quadrag. ibid. cit. n. 31.

S. Bernardo de dilig. Deo.

S. Laurent. Juſtinian. de Caſt. Connub. cap. 8.

chæ : *Nullus â doloribus Christi debet fieri alienus : nemo extraneus sit communionè sponsi ; si gaudii illius cupit esse gustator. Verecundum quippe est : ut, irrumpentè Ducè cuneos tribulationum, reliqui imitari dedignentur. Non est abjectum in servô ; quod præcessit in Dominô. Dolorem servi dolor lenit Domini. Passio Passionè vincitur ; & cruciatibûs cruciatus superatur.* Nulla, supplicii vacua, posthàc â nobis exigetur dies : ut, nullâ non diê, tuæ Passionis memoria, sicut jugî sacrificiô pro nobis iteratur in arâ, nostrâ pariter exprimatur in vitâ christianâ : cùm esse, dicíque verè, nequeant Christi ; nisi, *qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis suis.* *Galat. 5. v. 24.*

XXVII. Hæc dum pro Cordialî tuô consummandô ex obligatâ nostrâ devotionê conferimus ; illud omittere non admittit nimiæ tuæ depressionis impressio ; quod, adjunctæ tibi societatis iniquitas, partim admirabile, partim execrabile nobis reddidit. Detestandum videbatur, judaicæ simul, & Prætoriæ perversitatis consilium ; quô, tuam innocentiam, ùt patibuli ream, populo persuasuri, geminos inter latrones, quos nemo non oderat, odiôque publicô, Crucê damnaverat, medium, Te, licèt virtute divinâ, doctrinâque famosissimum, ad supplicii locum educi voluerunt inimici tui. Non invisa tantùm, sed inaudita videbatur nobis, hæc demissio tua ; quâ latrones criminosos, & abjectissimos homines, utì per omnem vitam benevolè, sic, & mortem aditurus, &, in Crucê moriturus, non patienter solùm, sed patheticô mysteriô, conjungi tibi sustinuisti. Quantæ fuerit nobis fiduciæ benignitas tanta, quantóque gaudio, deficit explicando lingua. Sed reprehendit, è conversô, nos abominabilis nostra superbia, de probrosâ diversitate, proh ! quantùm jam detestatâ ! Nunquid omnem natalium humilitatem, exiguam quamquè vitæ conditionem, &, sordentem è plebê sortem, aversati sumus ? Nunquid â laterê nostrô procul esse debuit, &, violenter etiam sæpiùs abactus, si non, ad jumentorum stabula, vel (quod magis pœnitendum) ab ipsô brutorum animantium contubernió secluśus, &, ad ostii limen redactus, excluśúsque, stare cum gemitu coactus est : quisquis, non bullatus, non togatus, non mitratus, non illustris, non perillustris, non excellens, celsúsque, vel serenissimus advenit ? Vix homines, ac semi tantùm homines (infamî contumeliá) visi sunt (si visi tamen ?) invisi maximè ; qui, præter conditionem hominis, & christiani nominis (primam omnium, summámque nobilitatem) nihil aliud

vani

vani ſplendoris, & mundanæ coruſcationis attulerunt! Ità nimirum eramus immemores proverbiorum divinorum: *Abomina-*
Proverb. 16 v. 5. *tio Domini eſt omnis arrogans: etiamſi*
Prov. 11. v. 2. *manus ad manum fuerit, non eſt innocens. Ubi fuerit ſuperbia; ibi erit, & contumelia.* Nequè terruit nos, divinorum oblitos, Prophetica comminatio: *Juravit Dominus*
Amos 6. v. 8. *DEUS in animâ ſuâ (dicit Dominus DEUS exercituum) Deteſtor ego ſuperbiam Jacob, & domos ejus odi; & tradam Civitatẽ cum habitatoribûs ſuîs.*

XXVIII. Non iſte poſthàc vitæ noſtræ, qui primus damnatorum omnium, ſanctóque Spiritui rebellis fuit, ſpiritus erit: ſed ſpiritus humilitatis, tuô nobis commendatus præceptô, magis autem inſpiratus exemplô, noſtræ ſubin' vitæ futurus eſt ſpiritus. Talis erat Gallicani; qui, magni Conſtantini gener, ſpeciale tamen in hominum generê, præter Chriſtianum nomen cenſuit nihil; ex quô, viliſſimum genus hominum, propter te, ſi ſuô fovere miniſteriô potuit, apprimè gaviſus, & unicè gloriatus eſt. Ejuſdem ſpiritûs magnus ille, Cantuariæ Præſul, Thomas fuiſſe cenſendus: qui non videbatur ſibi Chriſtianè vixiſſe: niſi quotidie denis, ac tribus inſuper pauperibus, poſt ablutos eorum pedes, ut vivere poſſent, ſuâ de menſâ præbuiſſet alimenta. Pontificalî tiarâ præfulgens omnibus

Terent. in Paſſionê SS. MM. Joann. & Pauli.

Surius. Tom. 6. in vit. S. Thom. Cant. Arcb.

Clemens octavus, hôc vel maximè ſpiritu Vicarium ſe tuum probavit; quô viliſſimos homines, ex Orbê peregrinos, in eôdem ſecum triclinio, nullô non diê, ſuarum voluit eſſe dapum participes, & convivas. Nec aliô S. Radegundis animata ſpiritu fuit, ùt ùt Regina. Nam, noſocomia ſubire, ſordésque contingere, plenásque ſordibûs, inde ſecum ad regium conclave mulieres educere, nec non, familiaribûs, & obſequioſîs manibûs eaſdem fovere, lavare, perungere, baſiûsque recreare, potius illi regiîs omnibûs deliciîs erat; cui peregrinum non erat, baſilicum verè, magni Baſilii dogma: *ſe animô ſcire ſubmittere, eſt, ſcire: Chriſtum imitari.*

Baron. Tom. 4. ad Annum 367.

Surius. Tom. 4. 13. Auguſti.

S. Baſilius. in ſerm. aſcet. de Abdicat. rer.

XXIX. Hæc impreſſa nobis veritas, cum vitâ, permanebit; &, cùm Te, latronibus aſſociatum nobis exhibeat, neminẽ, â noſtrô ſubinde laterê rejectũ, noſtrô prohibitum acceſſu, vel auxiliô, favorêque, per ſuperbiam, deſtitutum patietur. Id univerſim, Te contemplati, ſtatuimus: *Quis tam irreligioſus; qui non compungatur? quis tam inſolens; ut non hamilietur? quis tam iracundus; ut non indulgeat? quis tam delicioſus; ut non abſtineat? quis tam flagitioſus; ut non contineat? quis tam malitioſus; ut non pæniteat?* ut non, â ſê jam alius, contentionẽ totâ conformari tuæ ſatagat Paſſioni? AMEN.

S. Bernard. ſerm. 4. in Hebd. ſanct.

FERIA II.

POST DOMINICAM V. QUADRAGESIMÆ.

SERMO VIGESIM: QUARTUS.

In Forô V. Juſtitiæ Divinæ.

Publicô ſupplicii locô, ſeu, Calvariæ Montê.

Actio XVII. Condictio, ex L. 1. C. de Aleatoribûs.

T. t. ff. & C. de Aleator: & alluſ. vide Barb. in loc. Com. Axiom. 2. Lib. 10. cap. 42.

Contrà Aleatores, & omnes, immodico Ludo deditos;
Qui, nullô temporis ullius diſcriminé;
Nequè ſui Statûs, aut Vocationis, habitá rationê,
Maximè verò, queſtûs, lucrique cupiditaté,
Commercium quoddam ex Ludô conſtituentes,
Alearum, atquè foliorum, infamî, vetitôque luſu,
In omne, Divinum etiam, ac Naturale jus, *
Damnabili prævaricationé delinquunt.

* L. 14. L. 16. de Condict. indeb. L. 6. §. 6. ff. de negot. geſt. Rauchbor. p. 2. q. 25. n. 36.

Actor XVII. Theologus Antiquus;

Qui ſeculi noſtri nimiam in ludendo licentiam,
Et enormem, exinde quæſiti, queſtûs perniciem,
Non privatam ſolùm, ſed publicam;
Tum verò protervam eorum quoquè temeritatem accuſat;
Qui ludendi libidinem, omnibus retrò ſeculis infamem,
Excuſare, culpæquè vacuam tueri contendunt.

Myſterium XVII. Actionis præſentis argumentum.

Rupertus Abbas L. 15. in Joannem.

Ludus Militum in locô ſupplicii;
Qui lucrum, ex veſtimentis Domini ſperantes,
Ab ejuſdem forſan amicîs recipiendum,
Nec in illô Crucifixionis, terribilî, miſerandôque ſpectaculô,
Alearum â luſu, pro veſtibûs tam ſacrîs, abſtinuerunt.

Teſſera. Poſtquàm crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus, mittentes ſortem. *Matth.* 27. *verſ.* 35.

I. Libe-

I. DIberâne dicendum orationê, quod in Golgothâ, ſeu, Calvariæ montê, Judæorum imperantê malitiâ, militum obtemperantê ſævitiâ, crudeliter, &, omnem ultrà modum, atrociſſimè factum accepi? Si ſtandum ab evangelicâ relationê? geminîs duntaxat verbîs nominabitur, minimè tamen ſatìs (ùt intelligi plenè queat) indicabitur myſterium tragicum; quod, niſi divina, vel angelica fuerit, alia nulla, nec Orbis totius lingua, condignè, pro cruciatûs immanitatê, tum & injuriæ enormitatê ſufficiet explicare. *Poſtquàm crucifixerunt eum*: ſunt verba Matthæi. Prorſùs eadem Joannes notavit: *Crucifixerunt eum.* Verbîs iîsdem uſus, illud ſpectaculum horrendi cruciatûs etiam Lucas definivit: nec aliud Marcus, nisì ſolâ loquendi rationê mutatâ, dixit, primùm: *Crucifigentes eum*: deinde verò ſubjunxit: *Et crucifixerunt eum.* Hæc ab Evangeliſtîs de ſupplicio Crucis noviſſimô, tormentorum omnium atrociſſimô, non ſinè vehementiſſimâ Patrum, Evangeliique Præconum, admirationê relata ſunt. De sêmetipsô S. Bernardinus teſtatus eſt: *Inter cætera evangelica ſcripta, quæ admirationé animum meum pulſant, hoc potiſſimum eſt; quòd tantum, &, tanti hominis, Crucifixionis myſterium, ſolum edicitur factum!* Tandem verò, poſt allatas, diſertæ magìs explicationis, ab Evangeliſtîs prætermiſſæ, cauſas, in hanc deſcendit, inquiens: *arbitror, id factum eſſe: quia Spiritus S. ſic breviter ſcribi voluit: ut pia conſideratio, non expreſſa per atramentum, piâ meditationê ad meritum fidelium remaneret.* Inde claret: liberum omnibus patere deſcenſum in profundiſſimam abyſſum illius pœnæ; quam nulla poterit explorare conſideratio; nulla contingere perſcrutatio; nulla vis contemplationis conſtringere; nullius profuſio qualiscunquè ſermonis exhaurire. Non ideò tamen, quia condignè cuncta referre non poſſumus, omnia ſunt prætereunda ſilentiô; quæ, cum tormentô crucifixionis, acta, conjunctáque fuiſſe, non contemnendâ, ſed venerabilî, ſapientûm non minùs, ac devotorum traditionê tenemus: quorum piæ conſiderationi, reſtrictîs Evangeliſtarum calamîs, amplitudinem tanti myſterii liberrimè disquirendam, expromendámque, pro cujuslibet pietatis affectu, ſanctus ipſe Spiritus reliquit. Quòdſi vel eos duntaxat manifeſtare (prout omnî procul dubiô liquet) incepero; per quos nominatæ jam crucifixionis inchoatum, conſummatúmque terribile ſupplcium fuit; eósque, de quibûs dictum audivimus:

Matth. 27. v. 55. *Joann. 19. v. 18.* *Luce 23. v. 33.* *Marci 25. v. 24. & 25.* *S. Bernard. Senenſ. Tom. 1. ſerm. 15. Art. 4. c. 3.*

vimus: *Crucifixerunt eum*, perſonaliter appellare, dein' & accuſare, ſicuti deliberatum eſt, aggreſſus fuero: vel inde ſolùm immanitas tolerati Cruciatûs, ineffabilis, &, omnî noſtrâ cognoſcetur inveſtigationê fuiſſe crudelior.

II. Nec opùs eſt, ut in tortorum illorum perſpectam notitiam veniamus, oculos procul extendere. Juxtà Crucem conſiſtunt, manibûs adhuc, ex impiâ, divini cruoris, crudelísque ſacrilegiî contaminationê, fumantibûs: &, quod eſt omnium acerbiſſimum, ludunt inſuper carnifices truculenti, fæx militum, & abjectiſſimæ conditionis homines petulantiſſimi: ludúntque (cum illuſionê, ſubſannantes Crucifixum) pro veſtimentîs ejus vilibûs, attritîs, lutô, ſputôque ſordidîs, &, ex præcedentium vexationum innumerîs injuriîs, haud modicè dilaceratîs, itáque, nec ad induendum opportunîs, nec alium ad uſum adhibendîs. Nullus Evangeliſtarum copioſiùs, & accuratiùs, inſolentiæ militaris auſus iſtos ludicros, illuſoriósque, quàm S. Joannes, omnium útiquè ſpectator, perſtrinxit, verbîs vigilantibûs, eoſdem, Crucifixiores pariter, ac Luſores, & illuſores, milites accuſans: *Milites ergò, cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus (& fecerunt quatuor partes; unicuíque militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergò ad invicem: non ſcindamus eam; ſed, ſortiamur de illâ; cujus ſit? &c. Et milites quidem hæc fecerunt.* *Milites hæc fecerunt* (inquit, ex græcorum traditionê Patrum, Franciſcus Lucas) *in oculîs ipſius JESU, etiam contumelias, & ſannas, in ipſum obliquè jacientes: quòd, pro regalibûs, Regis Judæorum indumentis, certarent. Vidítque ipſe ſuîs oculîs, & coràm aſpexit in tormentîs.* Necdum erat ſatiata crudelitas conſummatæ Crucifixionis dirô ſupplicîô: tormentum enorme viſum eſt inſuper alearum luſu (luſuquè ſacrilegô) pro ſacratiſſimîs, multôque Dómini ſanguinê pretioſiſſimîs veſtimentîs, exaggerandum eſſe. Quid enim aliud â luſoribûs, & aleatoribûs, imò (quod preſſit ſignanter prænominatus Lucas) *ab Aleatorum Ducibûs*; quàm, innocentiæ perſecutio, verecundiæ denudatio, DEImet ipſius Crucifixio, tum, & illuſio petulantiſſima Crucifixi, vel debebat, vel poterat expectari? *Poſtquàm* (ait S Matthæus) *crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes*, non tantùm ſuprà tunicam (quod â Joannê notatum audivimus) verùm etiam ſuprà reliqua, quatuor in partes, jam diſciſſa veſtimenta. *Cùm enim partes non poſſent eſſe ità æquales; ut nullum eſſet diſcri-*

Joann. 19. v. 23.

Franciſ. Lucas. cit. à P. Gregor. à JEſu Maria, in Divinit. & Innocent. D. N. Tom. 2. p. 2. lect. 14. num. 6.

Franciſc. Lucas in cap. 27. Matth.

Matth. 27. v. 35.

Idem in cap. 11. D. Marci.

discrimen (inquit interpres Divi Marci, qui suprà) *sorte diremerunt omnem controversiam, jactâ aleâ.* Quod, quia cæteris omnibus præmissis cruciatibus insuper adjectum, &, *postquàm crucifixerunt eum*, tum demùm factum fuisse memoratur; velut auctarium. forsan anteactæ totius crudelitatis adstruitur: ut intelligeremus: non tantùm; quid omnibûs in tormentîs, priùs illatîs, lucri cupidus aleatorum furor intenderit? sed quantùm, suprà cunctos, atrocis, & ignominiosi supplicii cruciatus, ludentium petulans avaritia fixum in Crucê Servatorem afflixerit?

III. Non est hæc mea, de militum lusorum avarâ lucri cupiditatê, temeraria cogitatio. Nec enim obiter, &, sinè causâ, notatam â Joannê, studiosissimus ejus Interpres credidit, particulam: *Ergo: Milites ergò, cùm crucifixissent eum. Particula, ergò, non solùm est continuativa orationis antecedentis; sed etiam est illativa facti: & hîc significat: ex eô, quòd crucifixissent eum, ùt carnifices, ad ipsos spectabant vestes, in mercedem operæ; juréque hæreditariô (ùt ait D. Cyrillus) illis conveniebant.* Habebant enim eas *in bonîs panniculariîs*: qualia, propriè dicuntur, omnia; quæ reperiuntur apud reos, cùm afficiuntur supplicio. Confirmat avarum, ex vestimentîs percipiendi lucri desiderium, persuasa, notáque virtus eorundem; quam non semel, obtentâ per attactum prodigiosâ sanitatê, beneficam ægri fuerant experti. Inde Rupertus Abbas natam credidit vestium illarum, sortê, ludôque percipiendarum, cupiditatem. *Quia lucrosè venundare poterant vestimenta ejus: idcircò, pro magnæ victoriæ spoliîs ea, sortê, milites acceperunt. Non enim vilia putabantur vestimenta; de quorum fimbriîs contactîs virtus exire consueverat. Nec utiquè tunc in illô spectaculô deerant; qui, ad comparandum ea, certatim se ingererent.* Nullus ergo dubio locus; quin susceptî, peractique supplicii solatium, de Domini vestibûs, ludi sortê partiendîs, obtinendi spes lucri fuerit: sed, proh! quantô criminê? quàm enormî sacrilegiô? quod silentiô præterire nullus Evangelistarum voluit; utì Paulus de Palatiô notanter expressit. *Res tanta visa est Evangelistis hæc vestium divisio; ut nullus eam tacuerit. Et equidem, non nisi grande sacrilegium fuit: quòd vestes sacratissimæ manibûs gentilium, eorúmque, infimæ fæcis hominum, tractarentur: nec id utcúnque: sed, quòd ludi fortunâ eas sibi vendicarent. Si enim sibi eas, in sacras reliquias divisissent, tolerandum erat: sed, quod sortium ludo res tantas exponerent, grande fuit scelus!*

IV. *Grande scelus*, omninò credendum est: res DEI, ludo com-

Ulpianus. in l. Divus. de bonis damn.

Rupertus Abbas. lib. 13. in Joann.

V. Blosius. In locum hunc. P. Gregor. à JESU Maria. locò cit. num. 5.

Paulus de Palatiò. in Matth.

S. Cyrill. Alexandrin. in Joannem.

Grethser. lib. 1. de Cruce, cap. 24.

committere. Sed, quid horrendum, quid, execrandum, & abominabile, non præſumendum luſoribus, comittendúmque viſum fuit unquàm? Satis eſt, nôſſe: Luſores fuiſſe, milites illos; qui JESUM, DEI Filium, totius Mundi Servatorem, & Advocatũ crucifixerunt. Nunc enim nihil perſuadere ſibi quisquam poteſt aliud; ac, atrociſſima quæquè, ſuprà, quàm ulla poſſit humana concipere conjectura, in eâ, quam Luſorũ furor conſumavit, horrendâ Domini crucifixionê, ſuſcepta, peractáque fuiſſe: cùm nihil tam immane; quod, alienum â Luſorê, cenſendum ſit. *Lucas Burgenſ. in Matth.* *Antè omnia* (Burgenſis Præſul hoc ait) *detraxerunt veſtes, nudaverúntque Eum: ſed, non ſinè pudorê, & dolorê. Dum enim, ſaucio corpori, & concreto ſanguini inhærentes, veſtes vî abſtractæ ſunt; renovata ſunt vulnera, non minorê cum dolorê, quàm fuerant inflicta.* Non potuit juſtam indignationem, adverſùs tam inſolentem veſaniam inverecundi furoris, M. Albertus comprimere; quin eos de Præcurſoris inſtitutô poſtularet: *Ubi eſt, O milites! O ſatellites Diaboli! quod vos docuit Joannes Baptiſta: Neminem concutiatis, nequè calumniam faciatis?* *B. Albert. M. in Lucam. Lucæ 3. v. 14.* Non abſterruit ab impudentiſſimâ veſtium avulſionê, nequè perſonæ, plurimùm ab omnibûs priùs honoratæ, famoſa conditio; nequè corporis, undiquè vulnerati, ſecutura de vulnerum exaſperationê crudelis afflictio: ſed, quod, non niſi de viliſſimis hominibûs, exigere ſupplicii conſuetudo ſolebat (ut, veſtibûs nudati, plùs abominationis contraherent, & magis redderentur inviſi) nullô judicê præcipientê, ſolâ rabiê præcipitantê, petulantiſſimi milites auſi ſunt, omnis honeſtatis Autori, manibûs truculentîs, in auctarium ſcilicet confuſionis, ac doloris, inferre, judicantê magnô Aquinatê. *Hoc factum in magnum vituperium*, ait ille. *Conſuetudo enim erat: quòd condemnatus non denudaretur; niſi viliſſimus homo foret.* *S. Thomas. cit. à Manſi in Bibl. Tom. 3. Tract. 64. Diſc. 10. n. 1.* Sed, Luſores erant; qui, protritô pudorê, veſtes omnes, inter ſe dividendas, abſtraxerunt. Antiquum id ludentibus, imò, & hodiernum eſt, accuſantê Cantipratanô: *Ardor tantus luſoribus eſt; ut omnem verecundiam perdant*: quæ quidem tunc, audaciùs, non tam perditur; quàm, abjicitur, & profligatur: cùm, inardeſcens lucri cupido (quod folia, vel taxilli, pro votô, non adferunt) aperti ſinûs illiciô pertentat: ut, quem deficiens chartarum ſors, vel alearum oculi, votis minores expugnare non potuerunt, eum denudati pectoris procax lucretur objectio, ſuperétque ſic deluſum; ut, quod multiplex aleæ jactus, obtinere nequivit, *Cantipratanus. lib. 2. cap. 48. §. 8.*

unius

unius ictus oculi conferat, per illecebram proſtitutæ nuditatis attractus. Nihil ſacrum, ſanctúmque luſorum avara cupido reveretur: quæ ſacrilegas manus, non ſolùm in auream tantùm fictæ cujusdá divinitatis chlamydem, ſed in ipſa, Sancti ſanctorum, ſacra velamina, religionis omnis oblita protendit: nec erubeſcit, aut pertimeſcit, aras etiam, & conſecrata divinis officiis vaſa, tum, & innumerîs â prodigiîs venerandas, divinæ Matris, ipſiúsque Numinis imagines, amictibûs denudare ſuîs; & (ne ludo deſit, quod perdat) impietatê ſacrilegâ profanare.

V. Nec iſtâ, tam immitî, dolorosâque denudationê ſatiata, ſtetit crudelitas avaritiæ militaris. Abſtractîs in ſpolium indumentîs, quidquid augendîs, cruciatûs aliunde ſæviſſimi pœnîs, ad invidiam Pontificum, & judæorum, paſcendam, concitatus inde furor ſuggeſſit, manibûs, ad ſæviora ſemper ſupplicia, vigorê per dæmones inſpiratô, roboratîs, aggreſſi ſunt, & ſinè fatigationê proſecuti, Crucifixores, Luſores. Pium Beatæ Veronicæ ſenſum, de piâ Servatoris, ad ultimum tormentum ultrò feſtinantis voluntatê, non tantùm non improbo; ſed, quod illa ſibi devotâ teſtatur objectum in contemplationê

Bollandus. in vitâ B. Veronicæ de Binaſco. 12. Januarij. fol. 912.

fuiſſe (*quòd ſuprà Crucem, in terrâ poſitam, ſe Salvator extendens, renibûs lignô hærentibûs brachia lubens extenderit*) ùt ſacrificium voluntariæ Paſſionis ipſe complector, eâ tamen tortorum non exclusâ ferociâ; quâ titubantem, & procumbere parantem, atrociter apprehenſum, funeſtam dejecerunt in trabem, ipsâ vulnerati corporis violentâ proſtrationê non minùs, quàm impactionê temeri lapsûs offenſum: prout videtur etiam S. Laurentius Juſtinianus meditatus fuiſſe (quamvis integrè verbîs idem non expreſſerit) cùm dixit: *Redemtoré nudatô, illum ſupinum ſuper Crucis ſtipitem poſuerunt*: eô ſcilicet, quô, qui fremunt, & irâ, vindictâque ſuccenſi, ſuum exerere furorem concitati ſolent, modô poſuerunt; impetu factô proſternentes, pronúmque proruentes, utì Beatus Caſſianus affirmavit: *Furibundè capitur, & applicatur Cruci; quamvis in nullô renitens.* Inde, quæ brachiorum, ad conſtituta fixuræ foramina, (cum pedibûs, pariter per funes attractîs) quæ fuerit inquàm, id eſt, quanti, cùm furoris torquentis, tum doloris patientis, diſtenſio? non eſt, qui dicere, vix, qui cogitare ſufficiet. Monuit quidem Ecſtaticus ille Carthuſianus Aſceta: *Hoc diligentiſſimè debemus perpendere: quàm dolorosiſſima fuit Chriſto violentiſſima illa*

S. Laurent. Juſtin. de triumph. Chriſti agone. cap. 16.

B. Simon. de Caſſia. de Paſſ. lib. 13.

Dionys. Carthuſ. in Lucam.

corporis sui sancti in Crucé distensio: ità, quòd ossium ejus solvebatur compago. Nullum membrum in naturali, aut pristinô locô, seu situ permansit; & nervi disrumpebantur. Contremisco totus, cùm hæc refero. Quid enim, intensîs quatuor militum robustorum viribûs, extensum non fuisse, tam viscerum internorum, quàm artuum, externorúmque delicatissimi corporis membrorum, enormî cum cruciatu, censendum est? *Apparuit* (utì supernè docta B. tradidit Angela) *in junctûris illîs benedicti corporis tanta dissolutio compaginis, & unionis, in junctûris omnium membrorum, ex dirâ, & crudelî protensionê, & tracturâ horribilî membrorum virgineorum, factâ ab illîs homicidîs manibûs perfidorum, super patibulum Crucis: quòd nervi, & junctûræ ossium omninò videbantur luxari â debitâ corporis harmoniâ.* Confirmat hujus diræ distractionis inexplicabile tormentum ipsa Servatoris, explorata supplicî pietatê, totô de Cruciatu divina confessio: quâ testatus est: ultimæ passionis potissimum, &, omnium in Crucê dolorum acerbissimum, illum fuisse; quô corporis universi, cum crepitu, fragorêque distentis membrîs, etiam pectoris ossa, totúsque thorax præcordialis, violenter â naturalî suâ conjunctionê distortus fuit.

B. Angela de Fulginio. Bolland. 4. Januarij. fol. 201.

Vita S. Catharin. Senens. lib. 3. cap. 3.

VI. Huic torturæ, quanta fuerit insuper &, quàm audaucta, per clavorum applicationem, ac manuum, pedúmque districtorum perforationem, clavorum incussionem, nervorum diruptionem, carnisque, per clavos excussæ, divulsionem, & malleorum, non certô semper ictu, temeréque percussorum frequentationem, totiúsque saucii corporis, quàm arctissimè, tam atrocissimè distenti confixionem (unde nullus, ulli membrorum, in perpetui spasmi rigorê liber motus indultus est) quanta fuerit, inquam, &, quàm terribilis, auctâ semper carnificum vexationê, sociata discruciatio? solâ nobis ex conjecturâ, piis animabus indultâ, suspicari magìs, quàm judicare licebit. Fatetur enim illa, quam suprà nominavi, Fulginii Virgo angelica: *Cogitabam de magnô doloré; quem Christus in Crucé sustinuit: & cogitabam de illîs clavîs; de quibûs audiveram, dici: quòd clavi illi, de manibûs, & pedibûs, carnem portaverunt intùs in lignô: & desiderabam videre vel parum illud de carné Christi: & tunc habui tantum dolorem de illá pœnâ Christi; quòd non potui stare in pedibûs.* Juvabit autem jam clavîs affixum, itáque de terrâ sublatum, & è patibulô, tum in scrobem immissô, tum, in eâdem, per iteratas concussiones firmatô (proh! quàm exaggeratô dolorum omnium cruciatu!) pendentem expendere

B. Angela de Fulgin. Bollandus loc. cit.

Sal-

S. Anſelmus in Dialog. de Paſſione.

Salvatorem, præſertim: *quòd propter ponderoſitatem corporis* (ùt ſupplicii particeps ex compaſſionê Mater Anſelmo, ſuo dilecto, per familiare colloquium indicavit) *vulnera lacerata ſunt, & aperta: & tunc primò ſanguis de manibûs, & pedibûs copioſus emanavit.* Expendit in hâc Servatoris afflictionê carnificum perſecutionem V. Taulerus, itáque cenſuit factum: quòd, *ubi Cruci jam affixerant, immitiſſimi carnifices, magnô mox cum furorê, ſublevârunt Eum cum Crucé; ipſámque Crucem ferociſſimè, in petram exciſam impegerunt, & decidere permiſerunt; ità, ut hôc caſu cuncta Chriſti membra, atquè interiora, inhumanô quôdam dolorê concuterentur, & colliderentur.* Adeò, ferocior in momenta, Tortorum crudelitas exaſperata cum impietatê fuit; ut ludere ſibi viderentur in ipſâ ſævitiâ: quæ, dum ſacrilegũ jam, pro lucrô, luſum perſuaſit, ità miſeros illos luſores, protritâ, cum rationê, conſcientiâ, præcipites in omne facinus atrox, & nefandum impulit; ut catenatâ flagitiorum violentiâ, quaſi quâdam tracti neceſſitatê, non aliud jam, quàm, perire vellent. Ità quidem de militibûs, Domini Crucifixoribûs, nemo temerè judicaverit; qui Tortores fuiſſe noverit, eoſdem, ac Luſores. Cùm enim luditur, nil ſecùs agitur: non ſacris Domini veſtibus, non ſacratioribus Domini membris, non ipſi parcitur ſacratiſſimæ Domini, Divinæquè majeſtati. Videtur hæc mea criminatio, quâ, cum crucifixoribûs JESU, pariter ludentium impudentiam, ſævitiámque perſtrinxi, per acrem cenſuram Sancti, magníque Præſulis Florentini, paucîs hîs fuiſſe pridem verbîs expreſſa: *Luſor non ſolùm dat medietatem chlamydis, ſed etiam tunicam, corrigiam, camiſiam* (denudari ſcilicet non erubeſcens; utì, denudare, non perhorreſcens) *& nudus ſequitur Dominum ſuum, Mundum, vel Diabolum. Et* (*quod pejus eſt,*) *DEum negat, & vindicat ſe de eô, qui eſt absquè culpâ*: dum in ipſum conſurgere, manúsque truculentas diſtringere non veretur; per quem omnis abſolvitur culpa.

V. Taulérus de Paſſ. Dom. c. 36.

S. Antonin. in Summâ p. 2. Tit. 1. cap. 23. § 6.

VII. Hæc tamen, non ex atræ mentis umbrîs, aut acidô commotæ bilis fermentô, temerè magis eructata, quàm deliberatô prolatâ judiciô, cenſenda ſunt. Nec ipſi, quos inſimulamus, inficias ire poſſunt: obnoxios quosquè pravæ ludendi conſuetudini, non mares tantùm, ſed mulieres pariter, dum ſanctum nihil habent, ſacrúmquè, præter ſolam, quam ſolicitè venantur, & fœnerantur, fortunam, nulli non flagitio pares animos fovere; paratíſque ſemper, ad enormia quæquè, manibûs, & auſibûs eſſe: dum

eò ſe libidinis hujus furor extendit: *quòd in illô* (ludô ſcilicet, quem, factâ velutì de profeſſionê, quâdamque negotiationê ſordidiſſimâ, nimiùm intemperantem criminamur) *fruſtatim illius cæduntur membra; qui propriô ſanguinê nos redemit.* Quàm non ſint hæc, utì quibusdam fortè videntur, â nobîs exaggerata, Lovanium, pro millê teſtibûs, abundè vindicabit, id unum ſuîs è tabulîs adſtruendo; quod probo, fideíque non minùs, ac pietatis integræ viro, ſacrâ, lugubrîque noctê Paraſceves, â peractîs quibûsdam privatæ devotionis officiîs, ad ædes fortè ſuas per forum tendenti, miſerabilî ſpeciê, nihílque, præter vocem, & gemitus, hominis exhibens, occurrit. Vulnus enim erat omne, quod viderat; & cruor undiquè, quaſi de venîs recenter apertîs, cunctîsque membrîs, crudelî lanienâ laceratîs, undatim dimanabat: ut ægrè vultus, poſt vicinum alloquium exploratus, in tam horrendâ carnificinâ, ſui diſcrimen, virique gravis, prorſùs quidé ignoti, lineamenta quædam prodiderit, inter querula, cùm de vulnerum immanitatê, tùm dolorum acerbitatê, ſuſpiria. Commovit ea ſpecies, cum lamentîs conjunctîs altiſſimè penetrans, adeò pii civis animum; ut, non tantùm (velut ipſe ſauciatus) horrendos plagarum dolores, cœperit compatiendo ſentire; ſed, adverſùs truculentas manus illorum ſicariorum, etiam vehementer excandeſcere; qui tantæ crudelitatis inhumanum facinus, in hominem (formâ, per alloquiũ, ſemper magìs luculentâ) venerandum, innocuúmque, & illâ, tam ſacrâ, Dominicæquè propter necis memoriam, religiosâ noctê, perpetrâſſent. Percontatus igitur: quos in latrones, tam ſævos, tam propriæ ſalutis, & Salvatoris immemores, incidiſſet? &, quò ſe, truculenti percuſſores, veſtibûs tam impudenter abſtractîs, poſt inflicta vulnera recepiſſent? ex gemente percepit: Sævitiem iſtam ab adoleſcentibûs illîs peractam eſſe; qui vinariâ proximæ domûs in cellâ conſepulti, noctem eam ſacro-ſanctam, infamî teſſerarum ludô profanarent. Illicô, periculi cujusvis metu contemptô, cellam ingreſſus, animôque, per zelum, dolorémque concitatô, ſuccenſus, quàm ardentiſſimâ contentionê luſores impios adortus, eoſdem increpare, objurgare, criminari, geminúmque, luſûs intempeſtivi, cum innocentis viri crudeliſſimâ perſecutionê, flagitium, eiſdem, æterni ſupplicii meritâ vindicandum pœnâ, minitari non priùs deſtitit; atquè, reprehenſionê tam acrî perterritos, &, â luſu, teſſe-

S. Bernard. Senenſ. Tom. 1. ſerm. 42. Art. 2, c. 1.

Manſi. Tom. 3. Biblioth. Tract. 46. Diſ. 3, n. 5.

teſſerîsque damnatîs abſterritos, paventésque, velut â numine percuſſos intuitus, intellexit: eos inſimulatæ crudelitatis, non tantùm innocuos, verùm, & penitùs ignaros, atquè, ſi modus, facultásque ſuppeteret, vindices inſuper ejuſdem unà omnes futuros. Funeſtum igitur ad ſpectaculũ, ſuô cum cenſorê, ſuîsmet oculîs, quod intellexerant, inſpecturi, ſe confeſtim proripiunt: nihil verò, totâ triſtî de ſcenâ ſuperfuit, exploratîs in omnem partem, angulîs omnibûs, niſi gravis, in cordibûs univerſorum, ex lusûs adeò ſcelerati divinâ redargutionê, percepta compunctio; quæ toti mox urbi manifeſtum fecit: idem ipſum, quod in Servatoris tortoribûs chriſtiana pietas execratur, â ſceleratîs iterari luſoribûs; quibus nullus ludendi modus, nullum in luſu, temporis, religionísque diſcrimen, nulla juſtitiæ, nulla conſcientiæ, nulla pietatis ullius obſervatio; ſed una duntaxat imperat, cum libidinê ludendi, cupido lucrandi.

VIII. Hoc illi quidem Luſores, in flagrantî tanti criminis atrocitatê deprehenſi, cùm diffiteri nec potuerunt, neqùè, convicti, voluerunt, reſipiſcentes agnoverunt. Noſtri verò temporis obſtinata ludendi contumacia, profeſsîs in luſoribûs (quorum omnis ex aleâ vita, totiúsque diſciplinæ ſtudium, de pictîs tantùm chartarum foliîs exigitur) adeò per inolitam pravitatem occæcata jam eſt; ut, etiam antè ſupremum juſtitiæ divinæ tribunal ſtare juſſa, nullius ream ſe perverſitatis agnoſcat; queratúrque, ſibi crimini dari: quod nullîs, nec divinîs, nec humanîs legibûs interdictum, arbitrii cujúsque libertati relictum, internâ vitii contaminationê penitùs vacuum, nec ab ullô, niſi, phantaſmatum diſcuſſorê, culicum exenteratorê, ſcrupulorum ponderatorê, vel in ſuſpicionem ullius unquàm culpæ ſuſceptum, vel reatûs accuſatum, aut æternæ damnationis poſtulatum fuiſſet. Ità nimirum omne jam judicium in luſoribûs (*poſtquàm æſtimaverunt, luſum eſſe, vitam noſtram*) teſſerarum perpetuâ concuſſionê, ſtrepitúque, vertiginem inducentê, præcipitatum eſt: ut innocuum culpæ non ſolùm, ſed etiam expertem cenſuræ, velint eſſe, luſum ſuum immodicum, inolitum, inveteratũ; cæterísque vitæ, non chriſtianæ tantùm, ſed ejus etiam, quam ab homine ratio ſola depoſcit, negotiîs omnibûs, velut ex quâdam conjuratâ profeſſionê, potiorem. Objiciatur illis, ità dementatis, magni ponderis veritas, aggravata per auctoritatem Petrarchæ; cujus aſſertô, *in luſu, vitiorum omnium regnum eſſe*, pronunciatum eſt.

Sapient. 15. v. 12.

Petrarcha. Lib 1. de Remed. utr. fort. Dial. 27.

Illudunt, cùm eludere nequeunt. Ingeminetur illis, tàm fatuè deceptis, ex Comitolô : *Ludus eſt cunctorum flagitiorum ſeminarium*. Nihil, præter calumniam, explodendæ magis, quàm expugnandæ veritati, tam exploratæ, de ſuâ, reprobîs axiomatîs vitiatâ perſuaſionê reponunt. Barbarum illis eſt, & inhumanum; indoctum, & rude, tantúmque non fatuũ, Trophonii certè magis ex antrô, quàm Theologicâ de cathedrâ, pronunciatum explo-ditur; quidquid adversùs immodicam ludendi licentiam, non pro corruptâ jam ipſorum opinionê decernitur; ſed, in crimen vocatur, flagitii accuſatur, ſempiterníque reum ſupplicii condemnatur.

Comitolius. Reſp. mor. Lib. 3. q. 8. n. 14

IX. Adeſt autem, qui nullâ nunc ampliùs offendi, vel irritari contumeliâ poteſt, antiquæ ſeveritatis juxtà, & ſinceritatis Theologus; qui procul ab omnî ludentium perſonarum intuitu, nullâ conditionis ullius, nullâ cujusvis prætextûs, aut quæſitæ, coactæquè rationis habitâ rationê, luſum ipſum (qui jam infame negotium, lucríque turpis auctor, &, ùt omnium vitiorum, ſic totius corruptionis, atquè perditionis occaſio factus eſt) ità coràm ſupremi Numinis Tribunali perſequetur; prout illa diſtricti judicii cenſura, diſcuſsîs humanarum perſuaſionum impoſturîs, in ſupremo mortis articulô, luſores ipſos arctiſſimè conſtrictos obruet, atquè confundet, ùt, violati naturalis, atquè divini juris reos, ideóque ſempiternæ damnationis fulminê (ſi quod ullum aliàs crimen eâ dignum pœnâ repertum hàc tenùs fuit) juſtiſſimè percutiendos. Percipite criminationem, Theologicîs argumentîs gravem; ſanctorum Patrum antiquîs judiciîs, graviorem; divinîs tandem præjudiciîs accumulatîs, ad Inferni noviſſima graviſſimè deprimentem.

Vide Barboſ. Loc. Com. Axiomat. L. 10. c. 42. Axiom. 2.

X. Vetus, & omnibûs in cauſîs, quàm uſitatum delatis, tàm eſt Actoribus notum axioma: *Reorum eſt, fugere.* Nemo reus, ùtùt eſt, eſſe vult; aut, quod eſt, eſſe ſe, fateri vult. Hinc omnium una, quamvis criminoſiſſimorum, primáque contentio (nec ipſa perſæpè criminis expers) judicii cenſurâ, ſe, quibuscúnque tandem, nequiſſimîs etiam ſtudiîs, vel extricare jam conſtrictos; vel ſubducere perſtringendos: nihílque potiorî ſolicitudinê declinare perpetuò; quàm: nè culpa ſemel imputata ſententiæ reddat obnoxios; & exploratô de criminê damnet. Id, quod humanîs pro tribunalibûs (quibus in abſcondita cordium, occultósque reatus, utì vis nulla penetrandi, ſic & judicandi præciſa po-

L. Ultima, §. ubi autem. C. de bonis maternis.

poteſtas eſt) vafris aliquando ſuccedit flagitiis; fruſtrà cogitatur, nec, nisì ſtultè, vel, adverſùs fidem impiè ſperatur, eô coram judicê; qui *videt in abſconditô; & nôvit abſcondita cordis; &, omnium corda ſcrutatur.* Cùm enim ad apertum tribunal DEI delata ſtat hominis cauſa: nulla tum ſimulatio juvat; velamina nulla conſtant; excuſatio fruſtrà quæritur; effugio nusquàm eſt locus: nudâque, notâque partem in omnem conſcientiâ, negare ſi velit, *mentita eſt, iniquitas ſibi.* Nequè tamen, etiam in tam certâ confuſionê, degener eſt humanæ malitiæ genius, ab ingeniô maligni, malitiæ totius Autoris. Par utriúsq;, nè dicam unũ, delicti corpus, â magno Chananæorum judicê repertum, proditúmque tenemus: *Corpus illius, quaſi ſcuta fuſilia.* Quô fit: ut, quemadmodum ille ſcelerum omnium Incentor, millê ſcutîs, iniquitatum ſuarum virulentum corpus, non ſolùm tegit, ſed protegere contendit, & ſatagit; ità, per ipſam peccandi temeritatem participatâ Veteratoris pravitatê, reus nemo non, ſui corpus delicti, millenîs obtegere prætextuum ſcutîs, tuerique laboret: utì magnus Gregorius, illa fuſilia ſcuta dæmonis, de peccatoribûs interpretatus, aſſeruit: *Nulla correctionis jacula ſe penetrare permittunt: quia in omnî peccatô, quod faciunt, ſcutum ſuperbæ defenſionis opponunt.* Sic â primâ corruptionê tranſivit in omnem poſteritatem peccantem, cum hæreditariæ culpæ contagiô, prævaricationis paternæ ſuſcepta conditio. Vix admiſſi reatûs cognitio conſcientiam perculit Proto-plaſti; ſuâ continuò cum conſortê, quô tegeret erubeſcenda, ſolicitus inquiſivit: eôdem velaminê culpam ſperans opertum iri coram Numinê; quô ſuismet oculis, non tolerabilem ampliùs, absquè confuſionê, nuditatem abſconderet. Ea propter *conſuerunt folia ficûs; & fecerunt ſibi perizomata.* Quod Proto-parentibus transgreſſionis primæ pudor, & conſciæ culpæ metus ingeſſit; idem omnibus hodiè delinquentibus, delictísque cognatum eſt. *Quem dabis*, D. Bernardo poſtulanti, *de filiîs Adam? qui, quod eſt, non dico, velit, ſed, vel patiatur, videri?* Nihil aptius, horum explodendo conatui, quisquam dixerit, atquè illud; quod â Socerô Moyſes, inanibus nimiùm curis intentus, audire debuit: *ſtultô labore conſumeris!* Ut ùt enim exculationes in peccatîs, & obtenta velamina ſubducere quidpiam iniquitatis, atque ſubtrahere, judicio valeant Mundi: nihil tamen proficient omnia, licèt ex ipsîs orci tenebrîs texta commenta, vel uni nequitiæ divinis

Matth. 6. v. 4. *Pſalm. 43. v. 22.* *1. Paralip. 28. v. 9.* *Pſalm. 26. v. 12.* *Job. 41. v. 6.* *S. Gregor. Lib. 23. Moral. cap. 24.* *Geneſ. 3. v. 7.* *S. Bernard. ſerm. 82. in Cantica.* *Exod. 18. v. 14.*

ocu-

oculis eripiendæ: quorum cenſuræ tantô quisquè nocentior, magísque fit obnoxius, reus; quantò ſuâ ſe magìs in perverſitatê tueri, contrà judicium illud, quàm infallibile, tam inevitabile contendit. Quod quidem admonitionê ſuâ paternâ videtur innuere voluiſſe, magnus Mediolani Præſul: *Erubeſcere debemus, & condemnare peccatum; non, defendere: quoniam, pudorê culpa minuitur; defenſionê cumulatur.*

S. Ambroſ. Lib. 2. de Cain. c. 7.

XI. Hoc ergo primum eſt; unde, cùm alioquin jam graviſſimorum criminum vinculîs innodati, tum eô præcipuè de reatu divino tuo judicio ſiſtuntur, etiam tacentê mê, Luſores damnabiles: quòd, etſi colluviè flagitiorum, ex ipsâ lusûs infamiâ gravati, ſuôque fœtorê deteſtabiles, &, ad ſordes hominum, nec ipsâ, quâ turpiter abuntur, vitâ dignorum rejecti, cenſeri tamen geſtiant, innocentes, & accenſeri fidelibus velint. Quâ quidem de præſumtionê non eos arceſſo; qui ſolatium ex ludô quærunt animis, mœrorê contractis; aut mentê cupiunt, cumulatîs nimiùm curîs, vel ſtudiîs acervatîs oppreſſam, adminiculô ludicræ ſublevationis erigere; vel, per aſſumta ludorum intervalla, ſpiritus, intenſionê, plùs æquô diuturnâ, fatigatos revocare; tum, & ad conatus, mitigatîs per diverticulum breve laborũ faſtidiîs, alacriùs repetendos excitare intendunt, eâ conditionê; quâ, non ſe luſus ipſis, velut imperans, ingerat; ſed ipſis ludus, ùt famularis, obtemperet: indè verò, nec ab ipsô quicquam aliud ludô, præter ludum, appetatur; ſed abſit, omnî cum perversâ conſuetudinê, tam, profeſſionis inſtar, condicta ludendi neceſſitas; quàm avara lucri, non exigui, ſed immodici, ſed enormis, extortique, negotioſa quædam, & intentioni ſociata, cupido. Sunt enim ea, quæ ſtatui, moderamina, ludis receptis conjuncta, ſicut legibûs nullîs interdicta (quia naturalis infirmitatis remedia, reſtaurandisque viribus non ſolùm opportuna, ſed interdum etiam neceſſaria fomenta) ſic divinâ quoquè diſpenſationê conceſſa; ut, eâ ratione, non vacare tantùm culpâ luſus, innocénsque ſit cenſendus; ſed, laudabiliter etiam, &, cum virtutis propoſitô, meritôque ſuſcipiendus.

Abulenſ. Toſtat. Queſt. 55. in Matth. cap. 6. Leſſ. Libr. 2. c. 26. n. 6.

XII. Quod crimini datur, &, hâc meâ criminationê perſtringitur, id ludi genus eſt; cui nemo non ſapientûm, ſanctorúmque virorum, qui Theologicô libraminê momenta moralium cauſarum expendunt, æternæ damnationis pondus, & illud quidem, ex ipſâ ſupremi judicii, divinæquè

que ſententiæ deliberationê ſuſceptum, adjudicavit. Nec eſt ad unam, alterámve duntaxat ludi ſpeciem, ſeu differentiam, accuſatio præſens conſtricta: quidquid enim, in qualicúnque ludô, tam teſſerîs, quàm foliîs, aut, alio quôvis modo, vel in juſtitiam, vel adversùs charitatem, ſeu, contrà rationis dictamen, debitúmque moderamen, exceſſu vitioſô delinquitur, ùt maleficum, generalî criminationê perſequimur, ex Angelici cenſurâ Doctoris: *nimius ludorum exceſſus, cùm contrà rationem ſit, peccatum mortale contingit eſſe.* Quod igitur hâc in Actionê, diſtrictîs verbîs, in aleas, aleatorésque, de Patrum aſſeverationê torquebitur; non eâ debet ſingularitatê, contrà teſſeras pronunciatum intelligi; tanquàm ſolæ forent, &, non pariter, cæteræ ludorum ſpecies, aut execrabiles, aut eâdem convitii cenſurâ damnatæ. Sic enim ipſa quoquè civilis animadverſio ſtatuit, apud Schardium, ex jurê communî: *Aleatores eſſe; quicunquè ſeſe, quôcunquè ludendi generê, varietati fortunæ committunt: &, pecuniam, & tempus (aliquando, etiam vitam) amittentes.* Hinc, quàm ſit procul, in omnem exceſſivi luſûs temeritatem extendenda, parî ſeveritatê, ſententia S. Præſulis, Theologique Florentini, claret ex ipſâ parilitatê rationis; quâ ſic de foliîs, quâcunquè picturâ ſignatîs, uti de taxillis intelligi poſſunt, ac debent ejus verba,* legibus etiam civilibus inſerta: ** *Vix eſt, dare actum, in quô concurrunt tot mala; quot ex ludô. Quot enim in taxillis ſunt puncta; tot ſcelera ex eô procedunt, unum gravius alterô.* Nec ſolius eſt hæc Antonini, tam exaggerata cenſura, contrà luſûs immoderati commercia ſcelerata. Senenſis Bernardinus, ab ejuſdem ſeverâ ſententiâ nequaquàm diverſus, deficientê (quô mentem, ùt par erat, explicare poſſet) eloquiô, vocavit ludum: *admirabile impietatis opus, & iniquitatis.* Nec aliô Rhetor Africanus judiciô luſum, nisì, tanquàm *alveum omnis mali*, cum S. Chryſoſtomô condemnavit; cujus, oraculo par, oris aurei criſis, atquè (de luſu, ludendíque malignitatê perperàm arbitrantium) Epiſcopalis cenſura cenſenda eſt: *Non videtur*, inquit, *multis, peccatum eſſe manifeſtum: ſed, infinita vitæ mala ſolet inferre.*

XIII. Ecquis perſuadere ſibi, ſanô præditus arbitratu, poſſet: quòd Romanâ purpurâ clariſſimus ille, Mediolanenſis Eccleſiæ Gubernator, Carolus, quàm ſanctitatê, tam ſapientiâ, paucos inter, Eminentiſſimus, tantô rigorê decreviſſet ea, quæ ſtatuit, in ludum, &, ejuſdem infamî commerciô ſordidos: niſi, de conſcientiâ contaminationis iniquiſſi-

S. Thom. 2. 2. quæſt. 68. Art. 2.

Schard V. Aleator. ex L. final. cap. de Relig. & ſumt. fun.

* *Menoch. l. 2 arbit. jud. caſ. 399.*

** *S. Antonin. in Summ. Theol. p. 2. Tit. 1. c. 23. §. 6.*

S. Bernard. Sen. Tom. 2. ſerm. 16. Art. 3. c. 2.

S. Cyprian. ſerm. de Aleat.

S. Chryſoſt. ad pop. Antioch. Hom. 15.

Concil. Prov. Med. 6. Ca. 316. Item p. 7. Lit. poſt C. 1060.

quissimæ, tam cum ludo conjunctæ, quàm per lusum contractæ, persuasus, ac certus? Vetuit autem S. Cardinalis: nè limina sacrîs benedictionibûs, ex Ecclesiæ ritu consuetîs, expiarentur illa; quæ, vetiti lusûs infamî profanationê, quasi prostituta, viluêre. Pari severitatê privatas voluit iîsdem solatiîs, officinas omnes; in quibûs illi, qui lusui serviunt, chartarum fasces (iniquitatum infinitarum instrumenta) pingebantur: indignum existimans; ut in ea loca, Sacerdotis benè precantis votô, benedictio Numinis advocetur; in quibûs omnis maledictionis panoplia, cum injuriâ supremi Numinis constructa, detinetur. Nôrit utiquè vir sanctus: quàm acutè Seraphicus Doctor, pariter purpuratus, ac sanctus, calamô suô Theologicô ludendi temerariam, avaram, immodicam, abjectissimámque negotiationem perstrinxerit. *Cùm ludus* (ità S. Bonaventura) *satìs videatur, ex radicé, rationem habere mortalis peccati* (*quia, scilicet, ex avaritiâ videtur procedere: &, quia ludo multa communicantur peccata; scilicèt, fraus, mendacium, perjurium, blasphemia, scandalum, amissio temporis, & ira, frequenter*) *ideò, hæc causa, prohibitionis ludi, esse videtur.* Necdum istam, adeò detestandæ malitiæ medullam, id est, intrinsecam, ac, de radicê susceptam perversitatem, in præsens exagitare, consilium est: præsumtionê solâ noxios primùm, lusores, delatos exhibeo; quam sanctorum juxtà, doctorúmque virorum auctoritas veneranda persuadet, eô de delictô; quod universim pariter vapulat, & unanimî persecutionê damnatur. Nequit enim divinæ non esse conforme justitiæ; quod, indè susceptа, magnorum virorum, rationê sulta consensio, sanctè decrevit: &, si civilibûs in controversiîs *præjudicia summarum Curiarum sequi convenit*: imò, si *ab* * *Auctoritaté sumitur necessarium argumentum*, sententiâ juris communis: quantò magìs in iîs (quæ vitam, & mores hominum ad salutis normam restringere, periculôque subtrahere, perditionis æternæ contendunt) fidenter insistendum effatis illis est; quæ non unô, sed plurimorum judiciô decreta promanârunt? Huic enim autoritati *eâ legê credendum* censuit, audactérque definivit, Vincentius Lyrinensis: *ut, quidquid, vel omnes, vel plures, unô, eodémque sensu, manifestè, frequenter, perseveranter, velut quôdam sibi consentientê Magistrorum consiliô, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint; id, pro indubitatô, certô, ratôque habeatur.*

Gloss. & DD. in l. nemo. C. de Sentent. & Interloc.

* V. Barbos. in loc. comm. L. 1. ax. 2. cap. 87.

S. Bonav. Tom. 7. in Spec. c. 2.

Vinc. Lyrin. contrà hæres. cap. 39.

XIV. Suadet igitur Auctoritas: omnis vacuam controversiæ lusûs immodici pravitatem, & criminis non modici, sed gravissi-

viſſimi, ream eſſe; quam, tantô judiciô, tantâque ſanctitatê celebres Theologi, Thomas, cum Antoninô, Bonaventura, cum Bernardinô, Divos, Cypria-num, atquè Chryſoſtomum ſe-cuti, cum Archi-Præſulê Me-diolanenſî, peccati mortalis culpâ damnârunt; &, ſacrorum Eccleſiæ ſuffragiorum partici-pem fieri, vetuerunt. Imò, quantæ gravitatis noxa, Sancto-rum illorum arbitriô librantê, conjuncta ludo ſit, cenſerique debeat; exinde clareſcit: quòd judicium illud, omnî ſanctius Areopagô, non ipsos tantùm, qui ludendi conſuetudinê depra-vati, primum ferè vitæ nego-tium conſtituerunt luſum; ſed eos unà, tuo, DEUS æquiſſime, voluerit eſſe ſeveriſſimo tribu-nali, præcisâ quâvis effugii viâ, ſubjectos (utì magnus ille, Se-nenſis Exedræ propugnator, Bernardinus annotavit) qui ſuæ jura poteſtatis, quâ fungi pro munerum autoritatê deberent, ùt publicâ, ſic privatâ, vel igna-vâ diſſimulationê non exerunt in Luſores; vel formidinê con-trariæ temeritatis ità reſtrin-gunt: ut, quamvìs notum illis, vulgatúmque ſit: ludis dicatas eſſe, pro nefandîs eorum com-merciis, ædes certas, velut autoratas (in quibûs, perpe-tuâ contentionê, nullóque, temporis ullius, profani, ſa-crive diſcriminê, taxilli ſoli, chartarúmque pictarum folia, lucri crudelis, &, in proximi grave detrimentum, ſævâ cupi-ditatê, cum aliorûm plurium, quæ ſociata ludis eſſe conſueverunt, ſcelerum appendicê celebrantur) nequè tamen, vel interdictîs obſtent; vel, comminationi-bûs abſterreant; vel, gravibûs etiam pœnîs inflictîs, in eam apertæ malitiæ profeſſionem, ut penitùs extirpetur, animad-vertant. Quis enim liberos il-los â divinô tribunalî pronun-ciabit; quibus id ipſum civilia jura minantur? *Caveant ſibi judi-ces; qui palliant delicta eô prætextu; quaſi de iîs non ſatìs conſtaret. Non enim evadent æterni judicis condemna-tionem.* Si verò tam gravis, ex hujus tantùm officii neglectu, conſcientiæ metuendus reatus eſt? ut ſanctus Antoninus Theo-logici voluerit eſſe pulpiti do-gma: *Rectores, qui iſta diſſimulant, & non puniunt, quantùm in eis eſt, graviter offendunt.* Eritne, qui graviſſimam abeſſe culpam pru-dens judicabit, ab eô delictô; cujus vel ſola diſſimulatio vin-dictæ cœleſtis fulmen, per crimi-nis enormitatem, in ſe provocat; nec, unde ſe tueri queat, vel, ictui ſubducere, deprehendit?

Jul. Clar. §. ult. q. 4. in fin.

S. Bernard. Senenſ. T. 2. ſerm. 19. Art. 3. c. 2.

S. Antonin. in ſumm. Theol. p. 2. Tit. 1. cap. 23. §. 6.

XV. Verùm, non ità totus alieno ſum arbitrio ſubſtrictus; ut violentiâ quâdam occupatus, auctoritati ſoli, nullâ ratione ſul-

fultæ, concedam ea; quæ ſalutem alienam, protritam exigunt, ac deſperatam eſſe contendunt. Quamvis enim, *Autoritati credere, magnum compendium*, ùt ait S. Auguſtinus: ejuſdem tamen ipſius conſiliô, * *Autoritas rationi præparat hominem*; dum *Autoritatem ratio penitùs non deſerit*: nec eſt, per autoritatis præmiſſæ robur, quæſita fides, niſi vehemens, & fundata præſumtio validiſſimæ rationis. Eos igitur, quos hàc tenùs ab Autoritatê, Sanctorum juxtâ, atquè ſapientiſſimorum virorum, velut congeſtô graviſſimô ponderê, tantùm non jam ad inferiorem Infernum depreſſi, præjudiciîs condemnatos; nunc, rationum, ex ipſâ Ludi cauſâ, ludendíque perverſitatê, ludentiúmque pravitatê, deſumptarum, adjectîs inſuper, ponderoſiſſimîs momentîs (quàm ſint enormibûs delictîs conſtricti; quàm flagitiîs horrendîs implicati; quàm obnoxii demùm ſint judicii divini ſententiæ, tot Sanctorum ſuffragiîs, eis jam adjudicatæ) ſtrictiſſimâ criminationê demonſtrabo. Primùm autem, leges, tam civiles, quàm ſacras, & has, Eccleſiaſticâ poteſtatê ſancitas, illas, in rationalis naturæ jurê fundatas oppono: quibûs, cùm ex utrôque forò conſtet: in republicâ chriſtianâ, luſûs immoderati, quem ſolum accuſamus, opprobrium, interdictum eſſe; debet ſanè non aliud, ex ejus abuſu contumacî, quàm, gravatùm geminæ legis transgreſſionê, delictum accuſari. *Lex* enim, *eſt de præceptô, & omninò obſervari debet; maximè,* * *ſi juſta, & honeſta, juríque naturæ conveniens ſit: cùm nihil aliud ſit; quàm, divinitùs animis noſtris inſcripta notio, per viros prudentes, in medium prolata, & ſocietatis humanæ vinculum: quô diſſolutô nulla reipublicæ tranquillitas retineri, nihîlque in totô Mundô incolume conſiſtere poteſt.* Quòd ſi verò debitam obſervantiam exigunt, quæ civilî ſunt legê præcepta? graviùs utiquè peccare convincitur; quisquis ea, quæ ſacrîs canonibûs ligata ſunt, & vicariâ Chriſti poteſtatê prohibita, cùm temerariô, tum pertinacî prævaricatur affectu. Cùm, alienus etiam ab orthodoxâ religionê, Corvinus, adeò tamen Canonicîs ab inſtitutîs non fuerit averſus; ut eadem, *neque originé, nequè rerum, quæſtionum, & deciſionum magnificentiâ, dignitatê, gravitatê, utilitatê, & neceſſitatê; nequè ordinis, diſpoſitionis, & connexitatis elegantiâ, nequè rationabilitatê, æquitatê, juri civili* (*quod maximè ex Ethnicorum legibûs compilatum*) *poſtponenda, imò in multis præferenda*, coñendaverit.

XVI. Jam, quæ legum, utriúsque cenſuræ, Decreta ſint, ſupervacaneum nequaquàm erit, ad obruendam pervicaciam (quæ nullum in luſu crimen fateri, nec, ob-

S. Auguſt. de Quant. animæ. c. 7 antè med. pag. 409. A. Tom. 1.
** Idem de verâ relig. cap. 24.*

Cap. 1. ubi Abbas, n. 4. de Conſtit. Carpz. p. 1. Conſtit. 28. defin. 1. num. 6.
** L. 9. ibique Cod. de Leg. Barboſa in loc. com. & Axiom. Lib. 10. c. 13. Axiom. 1.*

Arnold. Corvin. in Jur. Can. Præf. ad Lector.

Lex naturam imitatur. *§. minorem. Inſtit. de Adopt.*

objectum etiam, agnoſcere vult) adductîs legum ipſarum verbîs ingerere ; quæ negari non poſſunt: *Ludi jure ſunt prohibiti.* Percepiſtis generale proſcriptum? Intelligite nunc latæ ſententiæ rationes: *Ex ludis enim proveniunt blasphemiæ, perjuria, dilapidationes, lacrymæ*: tum, *& inimicitiæ, jurgia, cædes, & plurima alia incommoda.* Quid? quòd etiam, jurê communî, *nomen aleatorum* (quô, luſor quilibet, flagitiîs dictîs inquinatus, ex iîs, quæ jam præmiſimus, comprehenſus eſſe decernitur) *pro infamî teneatur* ? Imò, non tantùm pugnare cum jurê naturali,** quippe, qui alterum locupletiorem, cum damnó alterius, reddunt* (ùt inquit Barboſa) *luſores; ſed & divino juri contrarios eſſe****, vel ex corruptiſſimi cæteróquin Hæreſiarchæ doctrinâ, ſtatutum eſt: &, eâ quidem rationis firmitatê; quæ, *contrariam conſuetudinem, necinduci**, per ludorum adeò vetitam, perniciosámque licentiam patiatur. Adhúcne criminis expers illa, quæ jus omne proculcat, &, nullîs non, cùm naturæ, tum civilis converſationis, & Autoritatis etiam divinæ legibus adverſatur, infamis, proſcripta, perditionis totius conciliatrix malitia? Nihil his adjicio, præter grande pondus verborum Seraphici Doctoris; quod eluctari nemo poterit: *Ludus* (ait ille) *alearum, ſeu taxillorum, prohibitus eſt, tam jurê canonicô, quàm civili. Unde de hôc quidam dicunt: quòd ſit peccatum mortale: eò, quod ſit contrà jus Canonicum, & Civile.*

T. t. ff. & C. *de aleat. & alluſ.*

L. fin. C. de Aleatorib.

Hoſtienſ. in ſumm. de Eccl. Præl. verb. Cler. Petr. Greg. in Syntagm. c. 3. n. 10. lib. 13.

** L. 2. §. ult. ff. de bis, qui nat. infam. 225. de V. S. l. 26. de injur.*

*** contrà l. 14. l. 66. de condict. indeb.*

**** Rauchbar. ex Luth. p. 2. q. 25. n. 36.*

** Carpzov. 6. R. 96.*

XVII. Mihi quidem, è communi rectè ſentientium arbitriô, ſic viſum ſemper, perſuaſúmque fuit: quoties de peccati, vel ſubſtantiâ, vel qualitatê pronunciandum; id, ùt in cæterîs rebûs, neque toleratur, neque ſuſcipitur ab illîs, quorum cauſa laborat (*cùm, judex in rê propriâ quis minimè eſſe poſſit*; &, * *quod dictum, quoad judicem, procedit etiam quoad arbitrum*) ità minimè ferendum, & admittendum ex eorum eſſe judiciô; quorum intellectus vitioſâ contaminationê criminis ejuſdem ipſius depravatus eſt; cujus de pravitatê deliberatur. Illis igitur convenit, cùm adſtruere, tum diluere reatûs cenſuram; in quos eadem â Petrô poteſtas Domini commiſſionê tranſivit: *quodcúnque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlîs*: &, *quodcúnque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlîs.* Quòdſi libera, de peccatîs arbitrandi, penes Mundum, in malignô poſitum, ſtaret auctoritas: nec bonum, jam porrò bonum; nequè, quod malum, atquè vitioſum ipſa pridem ratio ſana damnavit, nunc (per affectus pravos, & ſenſuum faſcinationem, tum, & receptam, ex malîs moribûs, pejorem, peſſimámque conſuetudi-

L. 10. ff. de jurisd. 10. ff. de teſt.

** L. pen. ff. de recept. arbitr. fac.*

Matth. 16. v. 19.

S. Bonav. T. 7. in ſpec. cap. 1.

nem, corruptô nimiùm rectæ rationis arbitriô) malum ampliùs cenſeretur.

XVIII. Illud igitur ſupereſt; ut corroborem Theologicâ rationum gravitatê: quàm ſolidè, quàm juſtîs ex causîs, Luſores, cum ludîs, â magnîs virîs illîs, quorum graviſſima præjudicia priùs jam ſunt â mê commemorata, tuæ, juſtiſſime Judex! accuſati juſtitiæ fuerint, æternæ damnationis fulminê, velut extremô de criminê feriendi? Nihil autê penè laboris huic ineſſe propoſito videtur: quod, eò quidem demonſtratu facilius; quò patentior omnium eorum iniquitas eſt; quæ, vel imperant luſum; vel, in ejus obſequium collaborant: ut, nec ipſi quidem inficias ire queant; qui tam diræ ſunt conſuetudini mancipati: ſanctum â ſê nihil, ac juſtum, aut, quod officium hominis chriſtiani, negotiúmque ſalutis æternæ poſtulat, unquàm cogitari, vel in curîs, aut votîs eſſe: DEUM verò, cum omnibûs Pietatis exercitiîs, & participationê Sacramentorum divinorum, etiam, quæ citrà gravis peccati noxam negligi non poſſunt, in poſtremîs haberi: dum aliam vix nôrunt ampliùs, vel, ſi quidem nôrunt, profectò non colunt, nequè frequentant, aram; præter eam, quam *poſuerunt Fortunæ, menſam.* Hæc autem, adeò ſupina debitæ DEO ſervitutis prætermiſſio, quamvis cætera deforent (quæ tamen, quia conjuncta, catenatáque, nequeunt abeſſe) delicta; ſola ſanè judicium exigit, illius nequam, inutilísque ſervi: qui, dum omnî vacuus obligati laboris operationê deprehenſus, in tenebras exteriores, Domino judicantê, projectus eſt. Nec enim inanî comminationê remiſſa Chriſtianorum, in ſuæ ſalutis, & Numinis obſequiô, præcepta cura terretur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exſcindetur, & in ignem mittetur.* *Matth. 3. v. 10.*

Isaiæ 65. v. 11.

XIX. Jam autem ea ſe ſingulatim ingerunt accuſanda; quæ, luculenta cùm ſint, nec excuſari poſſunt, nec abnui, graviſſimîs eſſe cum reatibûs conjuncta. Et primum quidem, ùt ipſe S. Antoninus accuſat, *peccatum, quaſi primus punctus, quô ſine nunquam reperitur luſus, eſt amiſſio temporis.* Hæc verò jactura, cum ſit rei pretioſiſſimæ, cæterîsque cunctîs anteferendæ, quæ noſtræ ſunt utilitati, pro compendiis æternæ ſalutis faciendîs indultæ, tantô crimini data quondam, etiam â Senecâ fuit; faſſus ut ipſe ſit, animum commotum, indignantémque: *aliquos ex hôc temporê (quod ſufficere nè ad neceſſaria quidem poteſt, etiamſi cuſtoditum diligentiſſimè fuerit) in ſupervacua majorem partem erogare.* Qui tem- *S. Antoninus in ſummâ P. 2. Tit. 1. c. 23. §. 6.* *Seneca. Epiſt. 49.*

tempora, ſupervacuis impenſa queſtus, indignatúsque fuit; quô livorê, quânam objurgationê, ludîs perditam incusâſſet, non horam, non diem; ſed potiſſimam vitæ portionem? Quid enim annos multos, & longam â DEO poſtulant ætatem, tam injurii DEO? qui totum, quod vivunt, ævum, nulli minùs, quàm obſequio Conditotis impendunt? imò, majorî nullius, quàm ſupremi Numinis injuriâ corrumpunt? Cujus liberalî diſpenſationê, quæ millenis aliis diminuta, ſubtractáque ſunt, momenta temporum, ipſis tamen in annos plurimos prorogata fuerunt. Nec alius tamẽ hujus indulgentiæ, tam benignæ, finis, niſi, propter quem vivere cœpit homo, cenſendus eſt. Cùm autem ideò vitæ nobis, ac temporis uſura prima conceſſa ſit; ut, quod vivimus, movemur, & ſumus, gloriæ Conditoris totum, perpetua per obſequia redderemus: nulla ſufficiens indignatio, debiti tanti defraudationem iniquiſſimam poterit exaggerare; quâ, non tam temporê, quàm ipſô Numinê ſunt abuſi; qui tam benigni largitoris perpetua munera, perpetuâ depravationê vitiârunt. An famulũ, ullus veſtrûm, ſuîs in ædibûs tolerâſſet? qui conditis obſequiis adeò totus deſuiſſet; ut, ſuæ conditionis immemor, nec Domini quicquam agere pro voluntate; nec ea, quæ domeſticæ fuerant ex ordine diſciplinæ facienda, perficere; ſed omne tempus exigere luſu, pro ſuô tantùm arbitratu voluiſſet? Cujus autem, obſecro, famuli felicior ſors, & arctior obligatio fuit? Quantô divini Numinis dominatus omne dominium humanæ poteſtatis tranſcendit? cui, ſupremus quoquè totius Mundi Dominatus, titulô ſtrictiſſimæ ſubjectionis obnoxius eſt. Quod igitur in hominê ſervô, ſervus homo, rigidus horarum, obſequio ſubtractarum, exactor condemnat; id eâdem ſeveritatê ſibi perſuadeat, â ſê nunc, apertô divinæ juſtitiæ tribunalî poſtulatum iri: cùm amiſſa ludô tempora, non modica, nec profana, ſed ingentia, ſacráque, perditionis irreparabilis accuſantur. *O, quàm malè* (ſic veſtræ cauſæ metuit jam diù Doctor ſanctus) *poterunt reddere rationem de temporê; qui totos dies, &, aliquando etiam noctem adjungunt, circà ludum!* *S. Antoninus loco cit.* *Et, non ſolùm amittunt ipſi, ludentes, tempus; ſed, alios amittere faciunt; qui ſcilicet aſpiciunt.* Cautè præmonuit vir ſanctus, cum gemitu: *O, quàm malè poterunt reddere rationem!* Nam, ſi *tempus* (D. Bernardinô ponderantê) *tantùm valet, quantùm DEUS?* (*quippè in temporê benè conſumtô comparatur DEUS*) cùm, perditi per luſum DEI, non ſit *S. Bernard. Senenſ. Fer. 4. poſt Dom. 1. Quad. c. 4.*

ul-

ulla, quæ tanti damni damnationem declinare ratio possit: quid avertere criminis paris judicium valeat, assequi sanè non valeo? sed, justâ magis indignationê, quàm, piâ miserationê commotus, exclamare cogor, cum S. Ephrem: *Væ iis! qui tempus pœnitentiæ perdunt in jocis!* Audistis, in perditum pœnitentiæ tempus, *Væ!* pronunciatum? Sed, quis vobis animus, hâc percussionê præstrictis? Nunquid enim vos, Lusores estis illi; quos accusavit Florentinus Hierarcha? *Propter hoc, ut habeant magis tempus, lusores, negligunt divina, Missas, & Vesperas, & Prædicationes &c.*, sacræ scilicet pœnitentiæ tempora. Nunquid adversùm vos querulus ingemuit Senensium Ecclesiastes? *In diebus Nativitatis Domini* (quid, si nec Parasceves lugubre tempus, lusu vacuum fuit?) *solennissimis, & Dominicis, plus luditur!* Quid hîc? nisi, Væ! justus Actor subnectam?

S. Ephrem. Tom. 1. de var. torm. Inferni.

S. Antonin. locò cit.

S. Bernard. cit.

XX. Accedit altera meæ vindicis exactionis ratio; seu, (per Divum Bernardinum allegata) *secunda malitia: Spoliandi voluntas.* Hoc enim omne lusûs negotium est: aliena lucrari cum alterius jacturâ: fierique ditior, nemo non (pro lucrô qui ludit) ex alienîs bonîs concupiscit. *Quantâ verò crudelitatê rapina talis committatur* (ità pergit in suâ Theologicâ censurâ vir sanctus)

S. Bernard. Tom. 1. serm. 42. Art. 2. c. 1.

Idem, ibid.

ludentis intentio manifestat; &, sæpiùs, ipsum opus. Vix est antiquorum Theologorum ullus, ab eâ sententiâ diversus; quæ lucrum tale, cùm, ex intentionê rei turpis, & legibûs omnibûs interdictæ; tùm, ex ipsâ damni gravissimi, (quod præter privatorum bona, publicæ quoquè rei status, & incolumitas patitur) consecutionê, mortalis culpæ ponderê gravatum condemnavit. *Multi* (Paulô Comitolô testê) *in quibûs gravis, & innocentis vitæ, & doctrinæ est auctoritas, sentiunt, & probant: mortiferum hunc esse animæ ludum; quando, cupiditatê alicujus magnæ rei lucri faciendæ, instituitur.* Momenta, quibûs in id consilium inclinati sunt S. Raymundus, cum Hostiensî Cardinalê, cæterisque virîs doctissimîs, gravia, multáque recensentur â Tostatô; præsertim verò: quòd, *desiderium lucrandi, & cupiditas, mater est, omnium malorum*; in ludô verò, maximorum. *Hic enim non solùm est cupiditas divitiarum; sed, etiam cupiditas acquirendi eas, modô iniquô, sinè ullô titulô.* Adhæc, de læsâ proximi charitatê, quantùm aggravatur hæc impia lucrandi voluntas? *Quia* (prout exaggeratum est â S. Bernardinô) *ludens intendit, proximum spoliare, sinè causâ: & ideò, sive per lusum hoc faciat; sive, violenter auferendo; modicùm differt, quantùm ad Deum; qui respicit animum, plùs, quàm factum.* Ex quô tan-

Vide Manss. Tom. 3. Bib. Tract. 46. Dis. 7. n. 4.

Abulens. in cap. 6. Matth. q. 55.

Paulus Comitol. Resp. Moral. de lucrô, & ludô aleator. in Job. 7. quæst. 7.

Abulens. quæst. 55. in cap. 6. Matth.

S. Bernard. Tom. 1. serm. 42. Art. 2. c. 1.

tandem terribiliter vir ſanctus, & ſeraphicâ doctrinâ conſpicuus, ità concluſit: *Terribilior uſura, quæ fit in Mundô, & turpior quæſtus, eſt luſus. Nec hucúsque reperire nôvi in ſeculô iſtô lucrum, tot impietatibûs, & maledictionibûs plenum; ſicut eſt illud, quod per ludum acquiritur.* Ut meritò jam exclamare cum eôdem debeam: *O denarii infernales! O tremenda judicia, propter tales denarios, ſuper univerſa illorum bona juſtiſſimè præparata!* Si furibus, & avaris, & raptoribus clauſum Dei regnum, Apoſtolicâ doctrinâ vulgatum eſt? quâ rimâ patebit vobis in regnum illud acceſſus; quos terribilior uſura, rapináque condemnat? *Prima juſtitia*, ſic Theologicô judiciô concluſum eſt, *alienarum fortunarum prædones, omnísque juris hoſtes capitaliſſimos, ſuppliciis addicit ſempiternis.*

Idem Tom. 4. ſerm. 33. p. prin. & ſerm. 42. Art. 3. c. 3.

Ibid: cap. 2.

1. Cor. 6. v. 10.

Paul. Com. loc. cit. q. 8.

XXI. Nequè verò ſolum id, quod abſtrahitur aliis, accuſationê præſentî perſtringitur: ex ipſâ, poſſeſſionis propriæ temerariâ jacturâ, cùm & famæ, tùm, vitæ quoquè, non periculô ſolô, ſed, etiam frequentî diſpendiô, creſcit aggravatum cauſæ veſtræ judicium. *Ludere, latinis auribus, perdere eſt*, notantê Novariô. Sed, qualem inferat perditionem, ex pravâ ſuâ conditionê, luſus, lucri cupidus, de ſublimis ejuſdem, eruditiſſimíque Theologi criminationê notandum eſt: *Perdit enim*, ait idem, *frequenter ſua; perdit, non rarò, ſe; perdit, ſemper, tempus.* Et iſta quidem poſtrema jactura ſatìs jam ſuperiùs â mê fuit accuſata: perditionem alteram, nemo forſan alius exaggerare vehementiùs, vel copioſiùs; aut ulla, paucîs conſtrictam verbîs, diſtrictiùs tamen incuſare poterit, ùt Africani Rhetoris, energia; quâ, luſores increpans, exclamavit: *O manus crudeles! &, in periculum ſui armatæ! quæ bona paterna, & opes, avorum ſudorê quæſitas, ignominioſô ſtudiô dilapidant! Hinc, pauperes fiunt*, cum familiæ totius opprobriô: *hinc, opes ſuas perdunt*, cum hæredum, agnatorúmque diſpendiô: *hinc, jam conſumtîs omnibûs rebûs ſuîs, mutuîs pecuniis ſe obruunt*, cum fœneratorum injuriâ, fraudê, nec non, irreparabilî detrimentô. Num eum in finem exactus â ſubjectîs, & expreſſus eorum ſudor, cruórque fuit? ut, quod illi laboribûs duriſſimîs, inter millenas moleſtias, comparârunt; ſibíque, ſuísque (ne tribuendo deficerent) ſubtraxerunt, ludo commiſſum, unô perderetur aleæ jactu? Sic de pauperum fit ſanguinê luſus? Ità, quod violentia dominatûs extorſit, ludendi temeraria libido, velut folium, quod ventô rapitur, per unicum chartæ folium, prodigâ licitationê diſſipare non formidat? Et hæc ſinè criminê fiant? præſertim; cùm ea, quæ

S. Cypriani de Aleator.

Navarin. in Riſu Sardon. cap. 16. n. 125.

certos ad uſus collecta ſunt, abalienantur? aut ea, quæ familiæ, non tantùm ſuſtentandæ, ſed, artibûs etiam bonîs excolendæ debentur, indè deficiunt? aut, quæ publicam in rem, ob communem neceſſitatem conferri, pro ratâ, deberent, adeò non ſuppetunt; ut neceſſe ſit, reliquorum onera duplicare, graviorá-que facere; cogatúrque, parcioris, & caſtigatæ vitæ modeſtia, ſufficere; quod ſuæ commoditati ſubtraxit: cùm Luſor prodigus nequit ampliùs indigæ communitati ſuccurrere?

XXII. Quantis verò, ſic perditô temporê, perditâque ſubſtantiâ, vos criminibus obnoxios reddidiſtis (æternùm indè meritò perituri) quis compendiô referre ſufficiet? Nullius enim nominis vitium, atque flagitium eſt; quod ludum immodicum, inolitum, lucroſúmque turpiter, & quæſtuoſum, non conſequatur. *Abulenſ. loco cit.* *Sequitur*, ùt Abulenſis prodidit, *crimen falſi: quia in ludô multæ falſitates fieri ſolent.* Lucri namquè cupîdo, nihil non, in fraudem proximi, dum obtineat, occultè machinatur, ac tentat. Sequuntur furta, non profana tantùm, ſed *S. Antoninus loco §. 6. cit.* etiam ſacrilega. Nam, *qui ludo dediti ſunt* (utì S. Antoninus arguit) *cùm non habent ad ludendum, furantur.* Sequuntur ſuperſtitiones, & artes Diabolicæ; quibûs, in favorem lucri, ſatanicum quæritur, & expectatur auxilium; quod in patrocinium iniquitatis, divinîs, humanîsque legibûs interdictæ, nec ſperari poteſt, nec implorari. Quô fit; *ut ludus faciat hominem, apoſtatam*: quod S. Bernardinus exprobravit. Prætereo ſcandala; quæ S. Raymundus exaggeravit: mendacia, perjuriáque non commemoro; quæ ſuîs execratus lamentîs eſt Antoninus, cum adjectâ cenſurâ: mendacio *addunt juramenta; & fit perjurium: quod eſt ſemper mortale; ſi fit advertenter.* Perhorreſco diras, execrationes, & blaſphemas in Deum, Deiparam, Sanctósque cæteros, diabolicæ prorsùs impietatis eructationes improperare; quæ, dum publicîs piorum gemitibûs, & indignantê zelô, diù jam divino ſunt accuſata tribunali; quantò patientiùs â divinâ juſtitiâ tolerata, fuerunt hàc tenûs; tantò graviorem ſui vindictam expoſcunt. Adeò veſanus ludendi furor hominem exuit, nè dicam, Chriſtianum; ſed, rationis ex officiô, naturæquè ſolius tacitâ reprehenſionê viventem: ut in ludo, non tantùm homines facti ſint hominibus Lupi (dum vulneribûs mutuîs alter alterum, pro temporalî lucrô, perdiderunt æternùm) ſed, ut, extremam per impietatem, ſacrilegas etiam, quas in ipſum non potuêre Numen, in DEI, Sanctorúmque venerandas

S. Bernard. loc. cit. *ſerm. 33.* *S. Raymund. cit. ab Abud. loc. cit.* *S. Antoninus cit.*

ico-

icones, rabiê concitati, diſtrinxerint manus, prodigioſô nonnunquam, inflictîs de vulneribûs, promanantê ſanguinê, velut apertæ damnationis characterê terribilî contaminatas. Hæc enim ſunt, quæ de ponderê Sanctuarii, Theologicæ diſcuſſionis trutina ſuſcepit, pravitati veſtræ penitùs deprimendæ. *Ludus facit hominem* (ità D Bernardinus, exploratîs Luſorum tragicîs eventibûs, incunctanter aſſeruit) *blaſphematorem DEI, ejúsque Genitricis, & omnium Sanctorum.* Plùs ultrà preſſit eam, non pietatis tantùm, ſed omnis, in impietatê, profligatæ compunctionis enormitatem, Theologus, & Archi Præſul Florentinus, inſuper aſſeverans: *Odiô habent (quod pejus eſt) Deum; qui non facit, eos vincere: &, in tantum, exſurgit odium; ut, quod non poſſunt, ſceleſti homines, facere DEO in perſonâ, in figuris ejus faciant, percutientes, & exſpuentes in illas: & hujusmodi.*

S. Bernard. Tom. 4. ſerm. 33.

S. Antonin. in ſumm. Theol. p. 2. Tr 3. c. 23. §. 6.

XXIII. Unum iſtud nunc inquiro: Poſſúntne tanta ſcelera, tam enormia commiſſa, quorum vel auctor, vel complex eſſe, luſus intemperans convictus eſt, vacare, vel abſolvi damnationis reatu? Si verò nihil non horum, quæ, luſum interdictum, ſacríſque non ſolùm, ſed, civilibûs etiam legibûs proſcriptum eſſe voluerunt, juſtam in ſe vindictam, ſuâmet iniquitatê concitare deprehenditur? igitur, quot flagitiîs contaminatum eſſe luſum oſtendi; tot cumulatîs præjudiciîs eundem, â mê gravatum, confido jam per tuam æquitatem, juſtiſſime judex! æquiſſime DEUS! punitum iri. Recordare Domine judiciorum tuorum; quibûs olim in impios iſtos, morum omnium, & pietatis, ac religionis corruptores, non ſemel, illorum quidem in perniciem, aliorum autem in utilitatem, terribiliter animadvertiſti. Nunquàm ſanè pœnîs adeò ſævîs offenſam Bonitatem tuam vindicâſſes: niſi graviſſima Majeſtati tuæ, per Luſores, ex conjunctîs, eorum cum pravitatê flagitiîs, injuria fuiſſet irrogata. Gravia ſupplicia non, niſi gravibûs, infliguntur pro delictîs, ab illâ juſtitiâ; quæ miſericordiæ recordatur in irâ; nec unquàm flagella ſua, pro menſurâ delictorum, integrâ judicii ſeveritatê diſtringit. Tantas igitur offenſas, tam graviter olim vindicatas, an impunitas modò, cum publicæ pietatis interitu, maximôque detrimentô boni communis, tam ſacri, quàm profani, ſuſtinebit Æquitas tua? Quid autem ſuſtinebit, & patietur, diſſimulatâ ludi perverſitatê, juſtitia tua ſancta? Num innumera, quæ ſublatô luſu tollerentur, ac de-

ficerent mala, tolerabit? Num ineffabilia patietur impediri, virtutum, & religionis officia; quæ, dominantê luſu ſupprimentur? Hôc enim, per vindices pœnas, penitùs exactô, continuò major erit, ad obſequia tuæ majeſtati debita fervor; frequentior, ad ſacrificia tua devotio; copioſior, pro tui Verbi concionê cœtus. Habebunt educationem ſolertiorem, innocuæ proles; hæreditatem ampliorem, orphani filii; non tam gravia, nequè tot onera, ſubditi; plùs, pro republicâ, Princeps tributi; templa, tuis officiis conſecrata, majorem apparatum; noſocomia miſerorum, ſubſidium amplius; & hoſpitalia pauperum, eleemoſynas largiores: nec cinerem, tanquàm panem, comedent exhauſti ſuâ ſubſtantiâ ſubjecti; nequè potum ſuum cum fletu miſcebunt, egentes cum liberîs matres: nequè, lacerîs in centonibûs, debita ſibi ſalaria ſuſpirabit, per tot hiatus apertos, in cælum clamans familia. Quot rapinæ, quot furta, quot ſacrilegia, quot contentiones, & rixæ, quot vulnera, cædésque, quot execrationes, cum horrendîs blaſphemiîs, peremtâ ludendi licentiâ, continuò deſinent, penitúsque deficient? Nequè tam ignavè porrò, ſublimia deſidebunt ingenia: nequè tam noxiè corrumpentur, utilitati publicæ nata, tot adoleſcentûm eximia talenta: nequè colluvies hominum tam promiſcua, mutuô contagiô ſe contaminans, in popinîs, & ganeîs, ad aleas, & infamem fortunæ menſam conſidebit: ſed innocentiùs, & utiliùs, & ſanctiùs omnis hominum ætas exigetur.

XXIV. Nihil autem horum omnium, vel ex umbrâ tenuî ſpei cujusdam, polliceri mihi poſſe videor, etiam poſt accuſationé tam exaggeratam. Quod enim ſanctus ille verbi tui prædicator, Zelotésque prodigioſus, Joannes Capiſtranus, unicô ſermonê Parthenopolî conſecutus eſt; ego, nequè poſt decem ſeveriſſimas objurgationes, ex hâc urbê ſpondere mihi potero: ut illæ, maledictionibûs pluribûs, quàm punctîs, horrendæ teſſeræ, cum ſuîs tabulîs, totôque Dæmonum, luſui ſervientium, apparatu, cúmulum in unum conjectæ tradantur igni; perpetuis nè flammis addicantur Luſores. Ludetur itaquè (proh! ut fallar! ſed, ex vanô non loquor) Ludetur (niſi tua ſeveritas interveniat, & ſeſe, per decretorium ictũ, ludentibus ingerat) ludetur hodiè, ſicut heri; quiquè tuæ delati juſtitiæ, territi nunc, in iſtâ conſident concionê, poſt aliquot horarum intervallum, in aliam abrepti mentem, aleas repetent, ad fritilla reverſi; nequè

què satis persuasam sibi malitiæ gravitatem, etiam ab hâc meâ criminationê, jactabunt; nisi forsan, vel in semetipsîs, vel in aliîs experiantur, veritatem ab Antoninô prædicatam: *Aliquando terribilia judicia facit DEUS contrà tales. Aliquando oculi eorum cecidérunt super mensam lusoriam: aliquando vexati sunt fortiter à dæmonibûs; aliquando os inversum est terribiliter.* Cur autem id, non statim pariter in istos decernitur? Usquè quò, Domine! peccatores gloriabuntur? Nunquid gloriæ tuæ convenientiùs, publicam in rem optabiliùs, ipsorum autem pro salutê miserorum utiliùs foret: hîc, omnes, unà cum suarum iniquitatum instrumentîs, per temporaneam vindictam ignibûs expiari: quàm, æternîs eosdem ardere subinde suppliciis; nullâque satisfactionê, cremari debere perpetuò?

S. Antoninus in summ. p. 2. Tr. 3. c. 3. §. 6.

Psalm. 93. v. 3.

XXV. *Pater! dimitte illis!* Qualis ista deprecatio? Cruci jam affixus, & in eâ, velut cathedrâ, Servator exaltatus, clamat, & orat: *Pater! dimitte illis!* Quibus, obsecro, dimitti postulas? & quid? O benignissime peccatorum omnium Advocate! *Determinat illos* (ait, ex Bellarminô purpuratô, doctus Joannis interpres, Gregorius Augustinianus) *qui dividebant vestes, & sortiebantur super illas.* Pro Lusoribûs igitur iisdem, atquè Crucifixoribûs Patri supplicat, etiam adeò crudeliter offensus, Advocatus? *Quid hoc audio?* (plenus admirationê quærit ità S. Laurentius Justinianus) *Quid est, quod loqueris, O Domine? O Domine! Te isti filij Belial turpissimâ damnárunt mortê. Et ais: Pater! ignosce illis! Esnè oblitus irrogatæ injuriæ?* Fateor cum Arnoldô Carnotensî: *Charitatis argumentô prolatô in medium, inauditum dicendi genus novus Orator assumit; &, inimicorum in causâ allegans, ipsîs invitîs, atquè negligentibûs, parti contrariæ suffragatur. Pater! dimitte illis! Plùs eorum animas, quàm corporis mei magnipendo salutem!* (instat, ejus nominê, Passionis ex Codicê, S. Justinianus urgere postulatum.) *Nam, etsi cruciatus, quem patior, mihi gravissimus est; eorum tamen acerbior mihi esset perditio. An ignoras? quòd, non propter justos, sed, propter peccatores justificandos, in hoc seculum veni? Vis, ut sontes perdam? quis salvabitur? Dimitte illis! quia nesciunt, quid faciunt.*

S. Laurent. Justin. de triumphal. agon. c. 17.

Arnold. Carnotens. de 7. verb.

S. Laurent. Justin. locò cit.

Luc. 23. v. 34.

XXVI. Respirate nunc, tantùm non jam exanimati terrificæ criminationis argumentîs, humanæ defensionis eloquiô nullô, nullôque patrociniô dissolvendîs. *Nemo debet desperare de salutê suâ: siquidem nunc videt Dominum, orantem pro suîs persecutoribûs. Quid enim conversis, & contritis non ignoscetur; si sanguis Christi fusus agnoscitur?* Ità quidem solatium affulget è

Didacus de Stella. in Lucam.

R. P. Greg. à JEsu Maria. Tom. 2. p. 2. Lect. 14. n. 4.

Stellâ. Sed, unum adhuc inquiro, cum Claræ vallis Abbate: *Adhúcne ludes; & deludes?* Advocatus pro Lusoribûs interceſſit; ſed, ignorantibûs: *Non enim ſciunt, quid faciunt. Non oravit*, (attendite magni monitum Alberti) *Non oravit Chriſtus, nisi, pro ignorantibûs, &, animum á propoſitô revocantibûs.* Adhúcne ludes, conſcius jam: quantas habeas, per ludum, iniquitates? Adhúcne ludes? &, audita deludes? At, quamdiù putas ludenti tibi connivebit, in tantâ ſuâ pietatê, tam protervè, quàm petulanter illuſus, tuus, pro tuâ, nunc neſcientis, cauſâ perorans Advocatus; tunc autem (&, forſan cras?) inexorabilis, in tuâ, non ampliùs ignoranter, ſed, ex plenâ malitiæ perceptæ ſcientiâ, protervè ludentis, itáque, conſilium omne DEI deludentis, & illudentis, inexcuſabilî cauſâ, ſeveriſſimus futurus Judex? Nôſtin'? â Sapientê quid, ejus arcanâ de Providentiâ, pronunciatum? *Omnia in menſurâ, & numerô, & ponderé diſpoſuiſti!* Si quælibet, ejus ex diſpoſitionê quæ pendent (quid autem indè non pendet?) certô ponderê librata? numerô definitô concluſa? menſurâ deniquè conſtant, jam dimenſâ? quis aliud perſuadere ſibi, niſi fidê, rationêq; protritâ, poterit? atquè: ſingulorum de luſu, ſic, illâ jam æternâ legê concluſum eſſe: nihil ut indulgendum ſit ampliùs; ubi ſemel pondus graviſſimæ prævaricationis accumulatum; numerus, amiſſi per abuſum temporis, expletus; &, vetiti menſura lucri fuerit conſummata. Quantùm igitur poſſum, hortor, & obſecro: Ceſſa ludô! metuo namquè: nè, qui primus ab ultimô fuerit, ſit ludus noviſſimus: quô, quisquis luſeris, ludendo, non luſum, ſed ipſum te perdas, itáque ludendo pereas, eheu! deluſus, & illudendus, æternùm! Heu luſum!

S. Bernard. ſerm. 3. de Nativ. Chri. Luc. 23. v. 34.

Albert. M. in Lucam. cit. à Manj. Tom. 3. Tract. 67. Diſc. 3. num. 3.

Sap. 11. v. 21.

FE-

FERIA III.

POST DOMINICAM V. QUADRAGESIMÆ.

SERMO VIGESIM: QUINTUS.

In Forô V. Juſtitiæ Divinæ, ſeu Monte Calvariæ.

In quô,
Advocatus divinus, de Maleficorum ſaluté ſolicitus,
Factâ, contrà criminales Actiones, Exceptionê Dilatoriâ,
In Favorem cauſæ communis omnium Peccatorum,
Aperit eiſdem, antè mortem ſuam, Arcanum juridicum:
Quô ſuadet, ut (ipſô per mortem ſublatô) fidenter utantur;
Ad Cauſas ſuas, omnî Patrociniô deſtitutas,
(Etiam Ipſô, pro tribunalî, Judicis in perſonâ, ſedentê,
Itáque in extremâ neceſſitatê conſtituti)
Contrà quorumvis Actorum Accuſationes vindicandas:
Confugiendo videlicet, ad Mariam, *cum devotâ fiduciâ.*
Quam, ſui locô, non ſolùm conſtituit,
Humani totius generis, reorum omnium Advocatam;
Sed iîs inſuper gratiîs, ex Verbi ſui virtuté donavit:
Ut ab interitu, qualescúnque cauſæ, ſalvæ futuræ ſint;
Pro quibûs, implorata ipſa, allegaverit Advocata.

Innocent. Tract. de Exception.

Myſterium XVIII. Exceptionis Dilatoriæ Argumentum.

Chriſtus, inter extrema Crucis tormenta, ſolicitus,
Non tantùm pro Joannê, dilectô Diſcipulô;
Sed, pro totius humani generis reorum omnium cauſâ communî,
Suo tandem obnoxiâ judicio futurâ:
(Nè miſeris, tum accuſandis, Patrocinium deforet)
Mariam, dolorum omnium ſuæ Crucis participem,
Deſignando Matrem, Peccatorum omnium eſſe voluit Advocatam.

Teſſera. Cùm vidiſſet JEſus Matrem, & Diſcipulum ſtantem, quem diligebat; dicit Matri: Mulier! Ecce Filius tuus! Deinde dicit Diſcipulo: Ecce, Mater tua! *Joann. 19. v. 26.*

I. AN dies hodierna, quam totô celebrem orbê christiana jam colit Ecclesia, piô magis mœrorê, quàm gaudiô, recolenda sit? argumentique plùs conferat, pro dolorê, quàm jubilô? pro planctu, quàm exsultationê? necdum video deliberatum satìs, aut exploratum. Hâc enim diê, veterum ex Patrum doctrinâ, tempora calculantê Petaviô, formatus est, antè 5650. annos, de limô terræ, receptôque, per Conditorem, in faciem ejus inspirantem, spiraculô vitæ, primus primùm vixit homo. Quidnî fausta dies? quâ * *factus est homo in animam viventem*; & quidem, ad imaginem, & similitudinem ipsiúsmet Conditoris, originalî justitiâ, divinâque benedictionê repletus! Verùm eâdem ipsâ diê, miser, & infelix homo, pravô suæ Consortis amorê seductus, divini factus prævaricator mandati, cùm suo noluit appetitui dominari (nê vetitô, vel unicô tantùm, de fructu comederet) fructibûs omnibûs privatus est Paradisi; millenísque miseriis unà cum omnî posteritatê subjectus, pœnarum, quas hodiè-dum patimur, spinîs, tribulísque cognatam, prior ipse maledictionem experiri, cum inevitabilî mortalitatê coactus est. O diem infaustam! Hôc autem ipsô diê diuturnam afflicti sui populi calamitatem, sub Pharaonicâ persecutionê, Dominus, miseri-cors, & miserator intuitus, eundem, per Erythræi maris pervium fundum, fluctibûs utrínque stare jussîs, nè calcaneô quidem ab undîs madefactô, securum ad littus traduxit. Felicem Israëli diem! Sed, eôdem ipsô diê, totus Ægyptiorum exercitus, cum curribûs, & equitibûs Pharaonis, ab aquîs, in alveum suum de repentè collapsîs, opertus, &, nec unicô quidem superstitê, mediîs fluctibûs involutus, ineluctabilî DEI vindicantis judiciô periit. Proh! infelicissimum diem! quô rebellibus millenis animabus, eâdem viâ patefactus est in Inferni voraginem, & sempiternum ignem illapsus; per quam liber fidelibus, ad salutem, transitus patuit, & prodigiosus ab insidiîs Ægypti recessus. Hodierna dies est; quâ Verbum Patris, annîs abhinc 1691, Caro factum, ut nostræ mortalitatis reatũ cum ærumnîs omnibûs, tolerando tolleret, verum hominẽ, de substantiâ Matris, intrà virginea viscera, suæ divinitati mirabiliter unitum assumsit. O diem, ter beatum! quem jubilans extulit, & cum exsultationê totius Orbis prædicandum censuit S. Augustinus: *Adest nobis, dilectissimi, dies optatus!* ideò *cum sum-*

Factus est hic sermo, Festô Annunciationis B. V. quod in hunc diem incidit; nec unquàm, ullô annô, prætermissum ab Autore fuit: quin, materiæ Quadragesimalium Sermonum, pro solatio Auditorum, accommodatum, subserviret. S. August. lib. 4. de Trinit. c. 5. S. Chrysost. cit. à Salmer. Tom. 3. Tract. 5. Rupert. de divin. offic. lib. 3 c. 19. Petav. in Doct. Temp.

* *Genes. 2. v. 7.*

Genes. 1. v. 26 & 28. Vide Cornel. à Lapide in Genesis, c. 3. v. 23. Quæres: col. 1. C. ibique cit. S. Irenæum, S. Cyprian. S. Epiphan. & alios.

Vide eundem Cornel. in Gen. c. 1. de opere 3. diei fol. 48. Col. 2. B.

Exod. 14. v. 29.

Tirinus. Tom. 1. in cap. 13. Exod. Barrad. lib. 7. c. 6.

Hôc annô dicti sunt sermones hujus Suggesti, pro Concione.

Franciſ. Suarez. 3. p. quæſt. 35. in fine. ex S. Athanaſ. & S. Auguſt. & aliis.

S. Auguſt. lib. 4. de Trinit. cap. 5.

**S. Bernard. ſerm 1. de Circum.*

Idem. de Paſſ. cap. 3.

Rupert. Tuitienſ. Abb. lib. 3. de divin. offic. cap. 19.

ſummâ exſultatione gaudeat terra noſtra! Sed eſt hic idem dies, ille, totius Mundi piò luctu, quodámque diluviô complorantis univerſæ, tam angelicæ, quàm humanæ naturæ memorandus dies; quô, * *tam Angeli Salvator, quàm hominis*, in uterô virgineæ Matris, ex amorê conceptum, & jam tum grandî cum dolorê cœptum redemtionis opus in feralî trabê conſummavit: utì, pluribûs cum Patribûs, Tuitienſis Abbas Rupertus, ex veteris Eccleſiæ conſenſu tradidit: *Feriâ ſextâ conceptus eſt; diê, quâ veterem formavit Adam de limô terræ; novum ſic reformare cœpit hominem DEUS, de verâ carnê Virginis Mariæ; eâdem diê redemturus mortis paſſionê.* Heu diem! ſolis, lunæquè ſubtractîs luminibûs luctuoſum! de quô, non vates tantùm Zacharias ex verô dixit: *In diê illâ magnus erit planctus, in Jeruſalem*: ſed ſeverè jam olim exactum fuiſſe conſtat generale lamentum: *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit hâc diê, peribit de populîs ſuis.*

Zachar. 12. v. 11.

Levit. 23. v. 29.

II. Eſt igitur dies hic, dies ille lætitiæ; quô divinæ miſerationis Annunciator Archangelus, de cælô miſſus ad Virginem, Joſeph ſponſam, eidem, & ineffabilem prærogativæ maternæ dignitatem, demiſſiſſimâ veneratione ſalutans aperuit; &, ad peragendum divini conceptûs admirabile ſacramentum, ſuperventuram ſancti Spiritûs obumbrationem ſpopondit; quam continuò, poſt verbum virginis ex orê prolatum, in ejus uterô Verbum æterni Patris incarnatum, omnibûs Angelorum chorîs applaudentibûs, confirmavit. O diem, totius mundi votîs optatum! quô ſinceriùs licet hilaria confiteri Chriſtianis; quàm olim fuerat liberum, & ex uſu ſacrum, facere Romanis, *communi lætitiâ: quòd ſol cum incrementô lucis accederet. Potiùs enim nobis vera ſunt Hilaria, magnæ DEI matri, ac Virgini dicata, cum lætiſſimô, ad nos, veri Solis acceſſu.* Sic enim veraciter, ùt Macrobius memorat, *celebratur exordium lætitiæ.* Verùm hic ipſe dies, qui virgineâ coloſtrâ Mundum exhilaravit, eidem Virgini, prædictum â Simeonê Paſſionis calicem, completâ gladii transfixionê propinatum exhibuit: cùm, eadem DEI Mater, & Virgo, totius expers peccati, cui nunciatum ab Archangelo gratiæ verbum: *Ecce concipies in uterô & paries filium*; ab eôdem ſuô filiô, vivum, & efficax, & ancipitî quôvis gladiô penetrabilius, ipsâ de Cruce, datum accepit Verbum, ad animæ, ſpiritûsque ſenſum pertingens: *Mulier! ecce Filius tuus!* quô, nova conceptio, diverſa penitùs â priorê, cum onerê novæ ma-

P. Joann. Bapt. Maſculus in Faſt. Martij. 25. ex Lampridio, & Macrobio. Satur. lib. 1. cap. 21.

Luce 1. v. 31.

Joann. 19. v. 26.

ternitatis, plenáque dolorum oblata fuit: ut eôdem omninô diê, quô, cœleſtibûs repleta ſolatiîs, æterni Patris Unigenitum, virgineô cordê, gratiîs exundantê, concepit; etiam rebelles omnes, atquè maleficos DEI filios, Filii ſui conſummatâ mortê, de faucibûs Inferni ſubtractos, eôdem cordê maternô, primogeniti ſui dirâ mortê transfixô, cum ineffabilî dolorê reciperet, æternæ felicitati, feliciſſimè quidem, ſed extremos inter cruciatus, paritura. Quòdſi de primîs hujus diei gaudiîs, ac cœleſtibûs Hilariîs Carnotenſis Abbas, eloquium inter, atquè ſilentium piâ cunctationê deliberans, exclamavit: *Senſus humanus timet attingere, & hæret, ancipiti affectu: quia & ſtupori eſt Majeſtas operis; &, ingratitudinis foret, præterire ſilentiô, laudes Actoris. Res mira, & inaudita! Mater, Virgo! Verbum, Caro! DEUS, Homo! Quis in tam celebrî miraculô ſileat? item: quis hoc prædicare ſufficiat?* Mirum nulli videri nunc poteſt; ambiguîs hodiè S. Bernardinum affectibûs agitatum: an compati Matri dolorum, Verbô Crucis hôc diê transfixæ deberet? an gratulari potiùs eidem, hodiè pariter, incarnatô DEI Verbô fœcundatæ, conveniret? Iſtud enim videtur Incarnationis hodiernæ memoria, cum annunciatæ ſalutis principiô poſtulare: quia *cunctorum nobis bonorum principium* (utì Thaumaturgus Gregorius exſultavit) *annunciatio Mariæ, gratiá plena extitit. Hinc enim vita eſt æterna.* Primum verò præteriri non ſuſtinet, huic diei conjuncta, regenerationis noſtræ felicitas, per extremos virgineæ matris (filiô ſic diſponentê) dolores adjuta: quod Rupertus Abbas expreſſit, affirmando: *quia verè dolores tulit* (filiô ſcilicet, pro nobîs, morientê) *&, in Paſſionê Unigeniti, omnium noſtrùm ſalutem Beata Virgo Maria peperit; planè omnium noſtrûm Mater eſt.* Sed, quantîs doloribûs cruciata Mater? cui, virgineô lactatus ab uberê, ſanctus alumnus (gemini memor conceptûs, gaudioſi videlicet, quô DEUM; ac doloroſi, quô maleficos nos omnes, maternîs ſuîs viſceribûs abdidit) utriúsque differentiam ingerendo, compaſſus ingemuit: *Nunc ſolvis, O Virgo! cum uſurâ; quod in partu non habuiſti â naturâ. Dolorem pariendo filium non ſenſiſti; quem, millies replicatum, Filiô morientê, paſſa fuiſti!*

S. Gregor. Thaumatur. ſerm. 2. de Annunciat.

Rupert. Abbas L. 14. in Joann. cap. 19.

Arnoldus Carnotenſ. Lib. de Laud. B. V.

S. Bernard. in Lament. B. V.

III. Quis jam non videt, quod apertè claret: hôc diê Virginem, deliciîs redundáſſe divinîs; poſtquàm ex Angelô ſalutantê percepit: *Ecce concipies in uterô, & paries filium?* Cui verò non pariter jam perſuaſum, quod cumulatè monſtratum eſt: hôc inſu-

S. Bernard. Tom. 1. ſerm. 55. in princ.

Luc. 1. v. 31.

insuper diê, DEIparentem, immensîs in animâ doloribûs excruciatam fuisse; dum, loquentê supremùm de Crucê Filiô: *Joann. 19. v. 26.* *Mulier! ecce Filius tuus!* & iterum: *Ecce, Mater tua!* geminatô velut ictu, persentiscens agnovit: humani totius generis Causam, cordi suo materno, curæquè, pietatique commissam esse? Nec enim dubitare licet ampliùs (per Toleti purpurati calamum, explicatô consensu Doctorum.) *Toletus in Joannem.* *Quòd omnes nos curæ B. Virginis, & protectioni ejus, ac intercessioni commendavit; nobisque fiduciam dedit* Advocatus noster: *ut, tanquàm ad Matrem, ac Dominam dilectissimam, in omnibûs nostrîs necessitatibûs confugeremus.* Inde verò quàm sævus, quàm immitis, ac ineffabilis dolor, hâc annunciationê percussum divinæ Matris cor transfixerit, Bernardo consentiens, *S. Bernard. de Lament. B.V.* *non credo, planè enarrari, vel meditari posse: nisi, tantum fuisse credamus; quantùm unquàm dolere potuit, de tali Filiô, talis Mater.* Ut enim, tam suo conformis Filio, quàm nostræ salutis cupida, maternæ pietatis viscera continuò nobis, in sinum suum recipiendis, explicuit; ità, quantîs cruciatibûs eadem nostræ salutis assertio, per Crucis mortuale supplicium, â suo foret Filio consummanda, cognovit: &, quia solâ tormentorum illorum, in se transfusâ compassionê, participium sibi noverat, ad cooperationem de congruô, nostræ regenerationis indultum iri: quantùm, obsecro, doluisse credenda est; quæ totam in se, compatiendo, recipere voluit, recepitque Filii Passionem; ut Peccatorum omnium esse Mater, tantos per dolores mereretur? Mihi satìs est, V. Tauleri, truncata tantùm, verba memorâsse: *Quando Filii Passio tanta erat; ut secundùm justitiæ rigorem, cuncta Mundi scelera, quæ innumera sunt, & infinita, suô ponderê vincere eam oportebat (ideóque, & ipsa immensa prorsùs, & infinita fuit.) Inde, quia dolor Matris illius cruciatibus respondebat; fuit ea propter, & Crux ejus, & afflictio incomprehensibilis, & immensa! &c.* *V. Tauleri de Passione.* Nequè mirum: quòd sanctus ille Senensis Ecclesiastes asseruerit: *Tantus fuit dolor Virginis: quòd, si in omnes creaturas, quæ pati possunt, divideretur, omnes subitò interirent.* *S. Bernard. Senens. Tom. 1. serm. 61. Art. 3, c. 2.*

IV. Quid igitur dicam hodiè? cùm, salutatam ab Angelo DEI Matrem; & institutam â Servatore, peccatorum quoquè Matrem hôc diê Mariam, itáque diem simul eundem, lætitiæ plenum, atquè dolorum, deprehendam? Dicámne cum Oratore cœlestî: *Ave gratiâ plena!* Renuit hoc elogium, olim jam â suô Bernardinô dolorosa Virgo suscipere, deprecata: *nè, quæso, dixeris mihi: Ave! id est, sinè væ! quia, væ dolorum, & afflictionum, sola compatien-* *S. Bernard. Tom. 1. serm. 55. in princip.*

do ſupporto. Num ex uſu communî, Catholicâque pietatê dicam, adjunctô nominê: *Ave Maria!* Formidavit & iſtud exprimere Seraphicus Prædicator, metuens repelli pariter, vetuíque: *Nè dicas mihi: Maria! hoc eſt, illuminata: quia luminê oculorum meorum orbata ſum. Nec dici poſſum: Maria! id eſt, Illuminatrix: cùm locata ſim in tenebris, & in umbrâ mortis.* Occurrit aliquid; ex quô nequè felicitatis hodiernæ, per Angelum annunciatæ, per ipſum autem incarnatum DEI Verbum conſummatæ, dulcis, ac delicioſa commemoratio, cum hodiernæ ſolennitatis injuriâ, tacebitur; nequè ſeries myſterii doloroſi, quod hôc ſermonê perſequi conſtitutum eſt, opportunè ſe nobis ingerens offendetur. Nec enim â piiſſimâ Matrê minùs cordi ſumtum exiſtimo, Filii morientis, quàm, ſalutantis Angeli, Verbum: cùm ei nequaquàm ignotum fuerit: eâ ſe conditionê divinæ maternitatis excellentiâ fuiſſe donatam; quâ DEI Filius, ex ipſâ naſci decrevit, & Ipſius eſſe Filius voluit: ut nimirum ſic nos ipſa quoquè, per maternam ſuam pietatem cooperando, juvaret ad ſalutem; ſicut ipſe, per eam factus homo, divinæ ſuæ charitatis infinitâ virtutê, totius noſtri generis Cauſam aſſeruit. *Debebat* (utì Carthuſianus, æquè doctus loquitur, ac devotus) *piiſſima Chriſti Mater, ſub Crucê, nos parere filios adoptiónis: ut, quæ naturalis (hoc eſt, corporalis) eſſet Mater Chriſti; eſſet adoptionê, atque ſpiritualiter, omnium quoquè noſtrûm Mater.* Hâc ergo præſumtionê firmatus, non meô tantùm, ſed reorum omnium nominê, qui divini Tribunalis rigorem, & adverſariorum terribiles actiones formidant, ſupplex advolvor Magnæ Matri, non jam ſalutans cum Angelo, ſed ſalutem deprecans, ejúsque pro nobîs Orationem implorans: *Ora pro nobis peccatoribûs! nunc:* dum divinæ juſtitiæ tribunal, Causîs nôſtrîs diſcutiendîs, apertum eſt: *&, in horâ mortis noſtræ!* cùm ſcilicet id, quod modò per judicii formam accuſatur, eôdem ipſò judicê decernetur; quem Cauſæ noſtræ, ſolicitum non minùs, ac efficacem, de ſuæ Paſſionis Codicê pro nobîs allegantem, hâc tenùs experti ſumus Advocatum.

Idem ibid.

S. Auguſt. ſerm. de Virg.

S. Anſelm. Lib. de Excell. Virg. cap. 12.

Landſperg. Homil. 48. de Paſſ.

V. Hoc nimirum Arcanum eſt, non humanæ juris prudentiæ, ſed Advocati divini, pro noſtrâ ſalutê ſupremùm adhuc, &, in ipſâ Crucis agoniâ, ſoliciti. Dilatoriam per Exceptionem, hôc finê, criminales Actorum omnium Accuſationes, eôdem illô ſummi myſterii Verbô ſuſpendit; quô, jam jam defecturus, virgineæ ſuæ Matri Joannem, ùt Filium tradidit; & huic, de fidelî piiſſimæ Matris affectu

Fide-

Fide-juſſor ſpopondit: nunquàm eam officio ſuo defuturam: *Ecce, Mater tua!* Sic enim, è conſenſu Doctorum, Eccleſiæ conſtans hucúsque fuit fides, & conſolatio: Dilectum Diſcipulum, ità maternæ pietatis curæ, morientê commendatum â Servatorê fuiſſe; nullus ut non illi, cum ipſô, traditus intelligeretur, & crederetur electus, non, niſi per maternam ſolicitudinem, & prævalentem interceſſionem, Cauſam ſuam, tot ab hoſtibûs infeſtatam, ac, de ſalutê periclitantem, vindicaturus: *Voluit enim* (loquor ex Eccleſiaſtê Senensî) *Chriſtus, in Crucê pendens, antequàm moreretur, per omnia præoſtendere charitatem; & quantùm dignitatis humanæ naturæ contulerit: ut firma ſpes eſſet, remeandi ad Patrem. Unde, ſi dedit poteſtatem, filios DEI fieri, his, qui credunt in nominê ejus (quod non per naturam, ſed penitùs fit per gratiam.) Cur non dediſſet poteſtatem nobis: ut filii eſſemus Matris illius, quæ fit per gratiam?* Quid hinc veſtra pietas, ad fiduciam excitata, cùm ex Advocati divini voluntatê, tam providâ; tum, & ex Mariæ maternâ ſolicitudinê, tam certâ? quid, inquam, conſolationis, & gaudii non jam percepit? Nam, *ex hôc articulô, ubi dictum eſt: Ecce, Mater tua! intelligitur,* aſſeverantê Ludolphô: *quòd Virgo Beata, non ſolùm Beato Joanni in Matrem traditur. Imò, toti Eccleſiæ, universisque peccatoribus in Matrem aſſignatur, cùm dicitur: Ecce, Mater tua!* Quod ipſum, ubi Taulerus expendit, meô locutus è ſenſu, quæſivit ex afflictîs omnibûs, maléque ſibi, de reatuum accuſandorum horrorê metuentibûs: *Quid magìs conſolatorium â Chriſtô nobis dici poteſt? quàm, hoc ipſum: Ecce, Mater tua! tanquàm diceret: Ecce, Mater veſtra, miſericordiæ plena! ut vos, filios ſuos, nunqàm non ſuſcipiat: plena item & gratiæ; ut vos paſcat, foveat, & exſatiet.* Quantùm igitur Mariæ gratulamur hodiè, divinæ Maternitatis inexplicabilem prærogativam: tantùm de noſtrâ nobis exſultandum eſt felicitatê; cujus procurandæ ſolicitudo ſimul illi, cùm DEI Mater cœpit eſſe, commiſſa fuit: ut nullâ cadere Cauſâ poſſimus unquàm; ſed, ſuperiores adverſariîs noſtrîs omnibûs eſſe, prævaleréque neceſſe ſit, etiam in illô ſupremô, decretoriôque judiciô; quod contrà nos, pro ſuâ, quam dedit ei Pater, poteſtatê, Servator ipſe, non ùt Mediator ampliùs, aut Advocatus, miſericordiam de ſuæ Codicê Paſſionis allegaturus; verùm, ùt ſeverus, juſtúsque ſcelerum vindex, cuncta ſtrictè diſcuſſurus inſtituet.

S. Bernardin. Senenſ. Tom. 1. ſerm. 55. art. 11. part. princip. cap. 3.

V. Taulerus, cap. 44. de Paſſionê.

Ludolph. de Saxon. cap. 63. vit. Chr.

VI. Sic igitur conſultum nobis per Mariam priùs, quàm expiraret, Servator noſter voluit, Eam nobis, Matrem deſignans;

illi verò, nos, ùt filios, commendans: ut, cùm ipse fuerit Advocati defunctus officiô; *quem per suam salvare non potest meritissimam justitiam, illa, per suam salvaret pietatem, & misericordiam; accedens,* (uti solatur nos B. Petrus Damiani) *ad illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solùm rogans; sed imperans: ubi nihil resistit potentiæ; nihil repugnat viribus; omnia obediunt imperio; omnia serviunt potestati:* quemadmodum securos esse jussit S. Gregorius. Quid jam nostrîs in Causîs, ab omnium dæmonum infestationê, multásque per fraudes exaggeratâ malignorum illorum accusationê metuendum nobis est? Mariæ Matri, pro nobîs alleganti, quid non concedere filius? quid opponere totus poterit Infernus? *Detinet dæmones, nè noceant*, inquit Seraphicus; *detinet Filium; nè peccatores puniat.* Quidquid igitur humani, divinique juris; quidquid infernæ, supernæque comminationis; quidquid cœlestis, terrenique præjudicii, nostrorum criminum vindictam, &, ad extorquendam condemnationis nostræ sententiam stygius Actor, pro suæ malignitatis conferet ingeniô; tantùm abest; ut fiduciam nobis, obtentæ per Servatorem salutis, aut evertat, aut, causæ nostræ suffragantê Mariâ, diminuat: ut (quamvis enormium scelerum reatus, ex veterî conscientiâ desumtos, ingestura sit Inferni pertinax obtrectatio) nobis tamen omnis illa vis hostium explodenda potiùs, ac deridenda videatur, misericordissimæ Matris patrociniô, protectionê, defensionêque securis. Hujus enim, inexpugnabilis legum omnium scientia, malignantium objecta diluit universa. Hujus incomparabilis humanarum, divinarúmque rerum sapientia, nequissima quælibet argumenta confundit. Hujus ineffabilis ab incarnatô Verbô communicata facundia, præsumtionem omnis dicacitatis elinguat. Hujus demùm potestas, & gratia, tantùm non infinita, nihil non expugnabit, &, nostrîs â capitibûs aversum, penitùs annihilabit: cùm, *tanquàm Judicis Mater, & Mater misericordiæ, suppliciter, & efficaciter, salutis nostræ negotia pertractabit.*

VII. Quid enim, ad evincenda quælibet, in illô supremô divinæ justitiæ Tribunalî, Mariæ desit? quæ, gratiâ plena, quicquid partìm cæteris collatum est, cùm naturalis, tum spiritualis, ac supernæ gratiæ, sic una, de liberalî Dei dispensationê concepit; ut, quas multæ filiæ congregaverunt, sola sit supergressa divitias, naturæ, gratiæ, gloriæque: prout Ildephonsus, Encomiastes ille Marianus, paucîs

S. Chrysost. de Prærogat. Mariæ.

S. Petr. Dam. ser. 1. de Nat. B.V.

S. Gregor. Nicomed. Orat. de Oblat. Deip.

S. Bonav. in spec. Virg. cap. 7.

S. Bonav. in stimul. Div. Amor. p. 3. c. 19.

S. Bernard. serm. 1. de Assum.

Proverb. 31. v. 29.

cîs comprehenſum verbis expreſſit: *Cæteris electis ex partê gratia datur: huic verò Virgini tota ſe infudit gratiæ plenitudo.* Quòd eô velim â mê conſiliô dictum ſuſcipi: nè quisquam, de tantæ Virginis, & Advocatæ patrociniô, quâlibet in Causâ, licèt ab omnibûs deſertâ, deſperatâque, minùs aliquid ſibi perſuadeat; quàm, de mulierum interceſſionê prævalentê confiſi (quibus cætera cuncta deficiunt) humanîs tamen â Tribunalibûs, etiam latâ jam ſententiâ, ſupremis addicti ſuppliciis expectant: cùm ſuas illas Advocatas, elegantiâ vultûs conſpicuas, & ſplendorê natalium illuſtres, & affabilitatê facundiæ potentes, ad hæc, etiam cùm ſanguinis cognationê, tum familiarî gratiarum communicationê, cæteris omnibus præſtare noverunt. Hinc, etſi dubitare nemini liceat (Aquinatê docentê) *DEUM, quicquam gratiæ Mariæ non denegâſſe; quam, ſecundùm ſuam potentiam, puræ creaturæ dare poteſt.* Etſi controverſiam non toleret ullam S. Præſulis Mediolanenſis autoritatê graviſſimâ mitrata fides: *Credimus, Matrem Chriſti tantam habere gratiæ plenitudinem; quantam nullus recepit mortalium.* Etſi demùm Orbis chriſtiani conſenſu gaudeat Idiotæ non diſputabile dogma: *Cæteri ſancti juré quôdam patrocinij, pro ſibi ſpecialiter commiſsîs, plùs poſſunt prodeſſe, in curiâ altiſſimi; quàm, pro alienîs: B. verò Virgo Maria, ſicut eſt omnium Regina, ſic eſt omnium Patrona, & Advocata; &, cura eſt illi de omnibûs*: cura ſcilicet, non qualiscúnque, ſed felicitatê ſingularî divinitùs, ab immenſâ Potentiâ Patris, ab inſcrutabilî Sapientiâ Filii, ſancti demùm Spiritûs ab infinitâ Charitatê, mirabiliter adeò gratiîs dotata prædicatur Mariæ cura; certos ut eſſe voluerit S. Anſelmus maleficos omnes: *quòd, ſicut impoſſibile eſt, ut illi, à quibûs Virgo Maria oculos miſericordiæ ſuæ avertit, ſalventur: ità neceſſarium ſit; ut hi, ad quos convertit oculos ſuos, pro eîs advocans, juſtificentur, & glorificentur.* Hîs tamen omnibûs, devotæ fidei cum veneratione ſuſceptîs, quantùm, ſuprà memoratas mulierum omnium, apud judices prævalentium prærogativas, divinæ Matris, pro nobîs apud Filium ſuum Advocatæ, Pulchritudo, Nobilitas, Affabilitas inſuper, & Eloquentia, cum Virginei ſanguinis cognationê, gratiæquè ſuperabundantis familiarî poteſtatê, propter incomparabiles, Filiæ Patris æterni, Matris DEI Filii, Sponſæquè Divini Spiritûs eminentias communicatâ præpolleat, intelligite.

VIII. Juvabit autem, omnium primò, conclamatæ, deploratæquè cauſæ meminiſſe; quâ, ſtul-

S. Ildephonſ. ſerm. 6. de Aſſumt.

S. Thom. p. 3. quæſt. 7. Art. 10.

S. Ambroſ. ſerm. de Aſſumt.

Idiota. in Contemplat. B. V. cap. 2.

S. Anſelm. cit. à S. Antoninô. p. 4. Tit. 25. cap. 14. §. 7.

1. Reg. 25. v. 2. 3.

ſtultus ille, Maonis incola, maximarum in Carmelô poſſeſſionum dives, Nabal, pro ruſticô ſuô, durô ſcilicet, ac peſſimô geniô, pacificè ſalutantibus, &, ex nominê David, Regis, fauſta precantibus, non ſolum in extremâ famis neceſſitatê naturale ſubſidium, ſed, pro conſervatîs etiam, bellicas inter infeſtationes, rebûs integrîs, debitum ſtipendium, affectu ſubmiſſiſſimô, velut â Patrê, pro ſervîs, ac filiô poſtulantibus, malitioſè contumax, omnî panis, & carnis, &, ipſius etiam aquæ, licèt abundantis, auxiliô denegatô, mitiſſimi Principis juſtam indignationem adeò ſuccendit: ut Rex manſuetiſſimus, internecionê decretâ, continuò ſuccinctus armîs, ad pervicaciam Nabalis confringendam, 1. Reg. 25. v. 22. juſſerit: *Accingatur unusquisquè gladio ſuo!* Nec aliud in mentem Regis vindictæ juſtus rigor admiſit; quàm, univerſæ domûs, & familiæ Nabal, & omnis ejus, tam cognationis, quàm poſſeſſionis excidium. Implacabilis etiam fuiſſet, irritatus malitiâ tam craſſâ, Davidis animus, latâ Ibidem. jam ſententiâ: *Hæc faciat DEUS inimicis David; & hæc addat: ſi reliquero de omnibus, quæ ad ipſum pertinent, uſquè manè*: niſi, formâ potens, ac prævalens deprecatio mulieris, concitatum placâſſet, mitigâſſet iratum, ac interventu ſupplicî tenuiſſet, & expugnâſſet armatum. *Cùm vidiſſet Abigail David, feſtinavit, & deſcendit de aſinô; & procidit coràm David, ſuper faciem ſuam; & adoravit ſuper terram; & cecidit ad pedes ejus, & dixit: In me ſit, Domine mi, hæc iniquitas! Loquatur, obſecro, ancilla tua, in auribûs tuîs; & audi verba famulæ tuæ!* Quàm ſubmiſſa, quàm blanda, quàm pulchra (quid ajo?) quàm efficacia, quàm potentia, quàm fortia fuerunt hæc pulchra, pulchræ Abigail, verba? de quâ Regum Faſti memorant: *Erat mulier illa prudentiſſima, & ſpecioſa.* Quid non, oris formoſi, ſpeciosique vultûs eloquium, etſi barbarâ foret immanitate trux, & atrox, expugnare potens? Veriſſimum P. Æmilii judicium hîc pateſcit. *Forma corporis, oris dignitas, frontis gravitas, vultûs majeſtas, fulgor, vigor, ac lumen oculorum, ſpectantes movet, tenétque.* Movit ſanè Regem iratum, ad indulgentiam; tenuítque manum, vindices in ictus prorupturam, ab ultionê conſtitutâ tam diſerta mulieris forma. Videns enim David Abigail ſpeciem, tam eloquentem, dimiſsô confeſtim omnî furorê, placatus, captúsque (quânam adeò mutatus, & ſuperatus violentiâ fuerit) ipſe confeſſus eſt: *Benedictus Dominus DEUS Iſraël! qui miſit hodiè te in occurſum meum: &, benedictum eloquium tuum! &, benedicta tu! Niſi* Ibid. v. 23. P. Æmilius, lib. 8. 1. Reg. 25. v. 32. 34. 35.

citò

citò venisses in occursum mihi : non remansisset Nabal usquè ad lucem. Audivi vocem tuam ; & honoravi faciem tuam. Ea nimirum hujus tam speciosæ fuit Advocatæ, pro Nabal conclamatâ jam causâ, suppliciter perorantis, felicitas; ut, formâ quidem oculos, verbîs autem aures, geminâ verò conjunctâ, potentissimâ persuasionê, totum Davidem à vindictâ retinuerit, & ad veniam, gratiámque præpotenter inclinaverit.

IX. Quòdsi muliebris formæ tanta vis in Abigail fuisse cognoscitur, ad evincendam perituri mariti causam, protervâ mitissimi Regis offensionê gravatam; ut, (quamvìs ea pulchritudinê nequaquàm excelluerit; quæ, nec similem visa est, nec habere sequentem) experta tamen omninò sit; quod Jovius affirmare non dubitavit: *Magnam vim habet ad conciliandam aspicientium benevolentiam formæ venustas; quam etiam barbaricæ manus verentur : ut, ad amabilem aspectum, immanis oculus mansuescat.* Quid jam spei non concipiendum est etiam extremæ malitiæ Peccatorum, Nabalê stolidissimô tantò magis infrunitæ, quantò meliorem, atquè majorem adversùs Dominum protervæ? Cùm istius Causa sub Virginis illius patrociniô stet; quæ, *tota pulchra, pulchritudinê suâ* (quia *concupivit Rex speciem* ejus; ut cum Brunonê loquar) *Deum ipsum ad amorem sui provocare potuit. Cujus pulchritudinem*, D. Petrô Damiani judicê, *Sol, & Luna mirantur.* Denique; quæ, *sicut Christus fuit speciosus præ filiîs hominum; sic pulcherrima fuit*, utì Magnus asseruit Albertus, *inter filias hominum*; veréque, *pulcherrima pulchritudinum omnium pulchritudo.* Poteritne laborare, vel periclitari, vel excidere causâ gravissimus quisque, crassissimúsque Nabal, Peccator, tantæ Pulchritudinis intercessionê protectus? Aliâ prorsùs mentê, mellifluus ille pulcherrimæ Virginis, & Matris pulchræ dilectionis, alumnus erat : cùm aliud sibi patrocinium, illô terribilî pro tribunalî Christi Judicis, nec optavit, nec imploravit, atquè unum hoc: *Gratiosus vultus tuus, O Virgo beata! mihi appareat in extremîs! Formositas speciei tuæ lætificet spiritum meum egredientem!* Noverat utiquè, divinæ Matri notissimus, Bernardus: in Abigail prodigiosæ virtutis eloquiô, formâque, Suadîs omnibûs facundiorê, præludium quoddam Advocatæ Peccatorum omnium, & ejusdem, quàm pulchræ, tam DEO gratæ, tam efficacis intercessionis, præfulsisse. Maria quippè, purpurato Bellarmino visa est, *Abigail pulcherrima; quæ Davidis, id est, DEI iram, justissimâ indignationê succensam, contrà stultum Nabal, id est,*

S. Bruno. serm. de Annunciat. B.V. in Psalm. 43. S. Petr. Dam. serm. de Nat. B.V. M. Albert. Lib. de Laud. B.V. S. Bernard. serm. 2. de Adventu. Bellarminus Cancion. 2. super missus est.

Paulus Jov. Hist. Lib. 4. & 5.

Cant. 4. v.

hominem peccatorem, ſuis precibûs, & interceſſionibûs mitigavit.

X. Jam, quanta ſapientiæ muliebris energia ſit, ad eruendos â capitis extremô diſcriminê maleficos, ubi cætera deſperata ſunt omnia, prudens illa mulier Thecuitis, Abſalonis felix Advocata, patenter exhibet. Occiſi fratris horrendô criminê contaminatus Abſalon, paterni vultûs aſpectum, tertiô jam ſolis annui curſu fugitivus, declinaverat: nec adhuc ulla gratiæ lux, cœli luminê vertentê toties, affulgebat; etſi mitigatus interim offenſi Patris dolor hoſtilî perſecutionê filii deſtiterit. Ut igitur totus Davidis animus benevolos etiam in affectus adversùs Abſalonem inclinaretur, ſolicitus Joab, Oratoribûs miſsîs omnibûs, & exclusîs, *miſit Thecuam; & tulit inde mulierem ſapientem.* Adeò perſuaſum erat Joab: quod nullius, etiam diſertiſſimi poſſet Oratoris eloquentiâ, præſtitum, & obtentum iri mulieris Advocatæ prævalentê ſapientiâ. Nec fefellit concepta præſumtio: ſed, quod ſubindè Sapientis oraculô firmatum eſt, in ſapientiſſimæ mulieris interceſſionê præluxit: *Sicut Sol oriens Mundo, in altiſſimis DEI; &, gratia, ſuper gratiam; &, datum DEI, mulier ſenſata!* Fuit hoc ſanè Thecuitis Abſaloni; quæ, *cùm ingreſſa fuiſſet ad Regem, cecidit coràm eô ſuper terram, & adoravit, & dixit: Serva me Rex.* Tam opportunus autem iſte ſapientis fuit ſermo mulieris; ut ipſe Rex, aſtutâ verborum compoſitionê circumventus, non priùs captum ſe deprehenderit; quàm, prudentis eloquiô fœminæ ſe quidem ipſum, victum, vinctúmque, liberum autem, abſolutúmque vindicê pœnâ filium, ſuâmet ſententiâ pronunciâſſet: *Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & revoca puerum Abſalon.* Tantùm potuit mulier ſapiens, Thecuitis! Quid verò non poterit illa ſapiens Virgo? quæ, tanquam æternæ Sapientiæ ſedes, univerſam, ſibi ſupplicem, toties audit Eccleſiam; & contritô ſuſpirantes cordê, nunquàm non exaudit, omnî ſpê deſtitutos peccatores? Illa namquè verbum conſolationis mirificæ, per ipſam, aut cum ipſâ Sapientiâ, de ſuâ nobis efficaciâ, jam olim ſpopondit indubiè: *In mé omnis gratia viæ, & veritatis; in mé omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Hoc ſapientiſſimæ DEI Matri, quàm ſingulare, tam admirabile, de gratioſâ Filii Judicis diſpenſationê, munus commiſſum, & indultum pariter privilegium eſt: ut, quos à vindicê DEI gladiô nulla poteſt humana, nequè cœleſtium etiam Præſtitum, & Advocatorum, ſapientiſſima licèt, eloquentia ſubtrahere; ſola, per ſuam ſapientiam, ab interitu vindicare valeat Maria: prout ipſe quoquè faſſus

2. Reg. 13. v. 38. 39.

Ibidem 14. v. 2.

Eccli. 26. v. 18. 19. 21.

2. Reg. 14. v. 4.

Ibid. v. 21.

Lit. Lauret.

Eccli. 24. v. 25.

ſus eſt, ſequioris aliàs doctrinæ vitiatus infamiâ, de Sapientiæ tamen æternæ Matrê ſapientiùs arbitratus, Eraſmus, vocans Mariam, *certiſſimum terræ præſidium, ſpem unicam noſtrarum calamitatum; quæ quidem, inter cœlites una, tantùm, vel meritîs, vel gratiâ, vel autoritatê polleat; ut ſola Judicis iram poſſit reſtringere.*

Eraſmus in Liturg. Virg. Lauret.

XI. Et hôc ſenſu Doctor Seraphicus cenſuit, Archangeli verbô dictum DEIparenti, pro peccatoribûs electæ: *Dominus tecum!* Nec enim aliud, ex tantâ ſupremi Numinis conjunctionê cum Virginê, credidit; quàm ſumma, cùm poteſtatis, tum ſapientiæ, majoráque, quàm cæteris omnibus electis, dona fuiſſe communicata: quâ certâ perſuaſionê firmatus, rogare continuò cœpit: *Ecce, Dominus potentiſſimus ſic eſt Tecum: quòd Tu, es potentiſſima ſecum. Dominus ſapientiſſimus ſic eſt Tecum: quòd Tu, es ſapientiſſima ſecum. Eja ergo, potentiſſima Domina! eſto nobis, impotentiſſimis, Auxiliatrix! Eja, ſapientiſſima Domina! eſto nobis, inſipientibus, Auxiliatrix, & Conciliatrix!* Arguere fidenter nunc licet: quantum nobis patrocinium, ad inſanias noſtras excuſandas, & vindicandas, ab æternâ Sapientiâ relictum ſit, in Mariâ, mulierum omnium ſapientiſſimâ? Næ ſapiens illa mulier, Thecuitis, figura fuiſſe, noſtróque præluſiſſe ſolatio credenda? *Omnes enim liberationes, & indulgentias, factas in veterî teſtamentô, non ambigo* cum ſanctô Prædicatorê, Præſulê Florentinô, *Deum feciſſe; niſi ſolùm propter benedictæ Virginis reverentiam, & amorem; quibûs eam DEUS præhonorandam, in cunctîs ſuîs operibûs, ab æternô præordinavit.* Nec eſt hæc temeraria conjectura: quod enim, non formæ ſolùm Abigail, ſed ejuſdem prudentiæ ſimul, atquè ſapientiæ tributum â Richardo, Panegyriſtê virgineô, velut imagini Marianæ Sapientiæ, præludióq; fuit; id parî pietatis argumentô Philippus, Encomiaſtes Virginis, Eidem, conclamatas Peccatorum Cauſas per Sapientiam ſuam aſſerenti, per mulieris, Thecuâ, propter ſapientiam Advocatæ facundiam, veluti præſignatum adjudicavit, inquiens: *Thecuitis mulier, quæ veritit figuram verbi (quando Verbum Caro factum eſt) & impetravit à David Regê, id eſt, à DEO, Abſaloni, id eſt, peccatori, veniam*, veraciter eſt Advocata noſtra, Maria!

S. Antonin. ſerm. 2. de Coronat. Virg.

Richard. à S. Laurent. de Laud. V.

Philippus de Greve. ſerm. 275. in Pſal. 120.

S. Bonav. in Specul. B. V. c. 8.

XII. Gravior nunc, quia non unius rei, ſed populi, decretô mortis gravati, tantúmque non jam perditi neceſſitas, & extrema ſe calamitas ingerit. Quod enim invidus, Judææ totius gentis hoſtis, petivit, obtinuit, &, annulô quidem regiô ſignatum: *De populô age, quod tibi placet.* Heu! miſer populus! periîſti! Jam convocati ſunt

Eſther 3. v. 11.

ſcribæ Regis: jam ejuſdem nominê concepta ſunt peremtoria verba: jam regiô ſigillô graves epiſtolæ Satrapas ad omnes, & univerſas totius regni provincias, per Curſores delatæ ſunt: jam funeſtum pendet in Suſan edictum: Unô diê, duodecimi menſis tertiô decimô, quidquid Hebræi cultûs, & Judaici nominis eſt, vero, ſupremóque Numini ſacrum, *á puerô, uſquè ad ſenem*, cum parvulîs, & mulieribûs interemtum, Amanis invidiæ, ſuperbiæquè litabitur, triſtiſſima victima: *Ex nominê Regis Aſſueri litteræ, ſignatæ ipſius annulô, miſſæ ſunt per Curſores Regis, ad omnes provincias: ut occiderent, atquè delerent omnes Judæos, á puerô, uſquè ad ſenem; parvulos, & mulieres, unô diê.* Vah! ferale decretum! edictum crudele! Regis quidem nominê, ſed ambitioſi miniſtri truculentô conſiliô præcipitati, ſubſcriptum, ſignatum, & in populi fidelis internecionem auctoratum! Eritne, qui poterit, obnixam adeò voluntatem inflectere? ſententiam, coronatô gravem ſigillô, ſuſpendere? mandatum, ad omnes jam provincias delatum, revocare? præſertim illum apud Regem; ad quem, niſi, qui juſſus, ùt acceſſum non habet, ità nec in luctu ſperare poteſt remedium: *Non enim licitum, indutum ſaccô, aulam Regis intrare.* Quid igitur in rebûs tam anguſtîs, &, præcisâ ſuffragii, cùm occaſionê, tùm ſpê, quid, inquam, conſilii, Mardochæe? Nunquid placuit Aſſuero comitas, & affabilitas Eſther? Nunquid *placuit oculis ejus? dixitque ad Eſther, 5. eam Rex: Quid vis Eſther, Regina? v. 2. & 3. quæ eſt petitio tua? Etiam ſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* Nec ea fuit inconſultæ propenſionis oblatio: geminata promiſſio favoris decreti conſtantem voluntatem indicavit. Urget Rex, affabilî Reginæ ſuæ captus alloquiô: *Quid vis fieri? Etiam Ibidem. 6. ſi dimidiam partem regni mei petieris, v. 3. impetrabis.* Et verò, quod voluit, impetravit. Vix ſuaviſſimam Eſther vocem facundîs â labiîs dimiſerat, orans pro populô: *Si inveni gratiam in oculis Ibid. 7. v. 3. tuis, O Rex! &, ſi tibi placet: dona & cap. 8. mihi animam meam, pro quâ rogo: v. 8. & populum meum, pro quô obſecro!* Placuit obſecratio; ſuſcepta deprecatio; poſtulatio Reginæ tam charæ, tam affabilis, tam gratioſæ, quod nec univerſi regni datum precibus ſuiſſet, obtinuit. Revocatum crudele diploma; peremtoria ſublata ſententia; ſervatus ab excidiô populus eſt unius affabilis Eſther orê, ſuadâque ſuaviſſimâ; quem hiantia ſimul omnium ora, nec infinitîs lamentîs, atquè gemitibûs, ab interitu vindicâſſent.

Eſther. 3. v. 12. & ſeqq.

Ibid. v. 13.

Eſther. 4. v. 2.

XIII. Et hæc Eſther felix affabilitas, ùt Advocatæ noſtræ vir-

virgineæ plenum ſolatii prælu-
dium, quantùm noſtram jam
auxit fiduciam? *Hæc enim eſt illa*
S. Ildepb. L. de Excell. Virg. c. 1. *ſancta mulier; quæ pro nobis preces*
effundens, de inimicis amicos, de in-
juſtis juſtos, de peccatoribûs juſtifica-
tos, & de maledictis, á DEO longè
recedentibûs, ad ipſum pietaté ſuá re-
vocat benedictos. Nec aliô nobis
opùs eſt Advocatô; qui ſupremi
Regis offenſam juſtitiam placet;
qui rigorem tremendi judicii mi-
tiget; &, invidiæ contrà nos ob-
ſtinatæ criminoſas accuſationes,
in ipſum iniquitatis conjuratæ
caput infernale, facundiâ prævа-
lentê retorqueat. Satis eſt; ut
antè tribunal irati Numinis ap-
pareat Virgo: continuò divini
furoris virgam ſuis habebit
votis inclinatam: cùm ejus ar-
bitrio non dimidia tantùm Regni
pars, ùt conſtat, â divinâ libera-
litatê conceſſa; ſed (utì Floren-
tinus Archi-Præſul gaudens
S. Antonin. ſerm. 2. de Coron. Ma- aſſeruit) *omnis data ſit poteſtas, in*
ria. *cœlô, & in terrâ: ut, quicquid vo-*
luerit, valeat impetrare. Quidquid
humana, vel angelica potuit
lingua, non ab hominibûs tan-
tùm, ſed ab ipsô Deô, per ſuam
unquàm obtinere facundiam,
oris Mariani gratiâ tantô mi-
nus, ac inferius eſt; ut, quæ
prodigio par etiam videbatur,
Aſſuerum, quô volebat, infle-
ctens affabilitas Eſther, nunc
inſtar umbræ duntaxat appareat;
nec aliter, Advocatæ noſtræ cum
affabilitatê, DEUM ipſum, quô
voluerit, inclinantê, collata
(maximô ſolatiô peccatorum,
causâ penitùs deſperatâ laboran-
tium) cenſenda ſit; quàm, præ-
fulgens quidam ſplendor, & illius
conſummatæ lucis index; quæ
per Mariæ patrocinium, ſedenti-
bus in umbrâ mortis, reis omni-
bus, tenebras æternæ deſpera-
tionis mirabiliter diſſipavit. Hoc
Seraphici Doctoris fuiſſe judi-
cium ejus verba perſuadent;
quibûs, ab ipsômet *Maria, Eſther*
noſtra, dicta eſt; *quæ tantam gra-* *S. Bonav. in Specul. B. V. c. 5.*
tiam coràm Regê æternô impetravit:
quòd per hanc non ſolùm ipſa ad coro-
nam pervênit; ſed etiam generi huma-
no, morti addicto, ſubvénit: quæ ad-
judicatum morti populum liberavit.
Grandî privilegiô præſtat Eſthe-
ri Maria! Nec enim, ùt illa, ſic
iſta, de gratiâ dubia, ſui copiam
affatûs, â longè ſupplex, per
inclinatam in ſe Regis virgam
præſtolatur; ſed, *abyſſum divinæ* *S. Bernard. in ſerm. ſuper miſſus eſt.*
pietatis (melliflui Patris oraculô)
cui vult, &, quando vult, &, quo-
modo vult, creditur aperire; ut quivis,
enormis peccator, non pereat; cui San-
cta Sanctorum patrocinij ſui ſuffragia
præſtat. Quid ampliùs exoptari
poteſt? Non igitur mirandum:
quòd, gnarus tantæ poteſtatis,
â Deô Virgini conceſſæ, non
tantùm piè faſſus, verùm inſu-
per piiſſimè deprecatus DEIpa-
ram fuerit ille, multîs aliàs no-
minibûs infamatus, Eraſmus.

Erasmus Rhoderodam: Pane. Virg. dicendo.

Cùm enim dixisset: *Divinitati proxima es: nè illic nobis deesset Advocata. Plurimùm apud Deum vales: ut esset, cujus precibûs, & Autoritaté in nos iram suam posset domare.* Post multas tandem devotissimi sensûs preces, atquè suspiria, rogans, ità concluſit: *Per omnium, qui in tê spes fixêre suas, vota, obsecro, obtestórque, Virgo intemerata! Peccatoris hujus patrocinium apud Filium suscipe; ejus iram, quam meîs flagitiîs excitavi, deprecare!*

XIV. Jam verò, si, quod ad interpellandum pro maleficîs plurimùm semper, etiam inter barbaras gentes, Auctoritatis, & virium habuit, maternæ potestatis, aut specialis amoris præjudicium, in Advocatâ nostra divinum prorsùs, & suprà parentum omnium, conjugúmque dulcissima nomina (prout, cum inferiorî nostrô Mundô, superiores etiam Hierarchiæ venerantur) infinities excellens in Mariâ, lubet expendere: quô nimirum eam, tanquàm DEI Patris Filiam; tanquàm DEI Filii Matrem, tanquàm Divini Spiritûs Sponsam, omnia, quæ infrà DEUM sunt, adorant: quantùm hæc, tam sublimis, tam proxima cum divinâ Trinitatê cognatio, nostræ fiduciæ roborat argumentum? Sacra quidem Regum historia Salomonis majestatem, Bethsabeæ matri, non tantùm ad postulatos deprecatorios affatus obviam, sed, penè dejectam extollit; id, quod etiam, instar prodigiosæ benevolentiæ, demissæquè, præter morem, ergà matrem reverentiæ, refert: *Surrexit Rex in occursum ejus, & adoravit eam: positúsque est thronus matri Regis; quæ sedit ad dexteram ejus; & dixit ei Rex: Pete, Mater mea!* Non inanis mihi videtur, & mysterii vacua, toties repetita, *Regis* appellatio; totiès ingesta, *regiæ majestatis*, ergà matrem, inclinata propensio. Quid enim aliud indè calami sacri director, sanctus, divinúsque Spiritus, nisi certam, de divinâ Majestatê fiduciam, conceptam â nobîs esse voluit? ut crederemus: pietatem Filii DEI, quantô majestatê Salomoni præstat, tantô Regem illum etiam affectu, filialis ergà suam parentem observantiæ, superare: nec unquàm â Salomonê Bethsabeæ (proh! quantùm ab immaculatâ DEI genitricê diversæ?) tantùm indulgeri, tribuíque potuisse, vel officii, vel honoris, vel gratiæ; quantùm suæ Matri, præ omnibûs electæ; suæ Filiæ, super omnes dilectæ; suæ Sponsæ, pluribûs, quàm omnes, gratiîs dotatæ, Majestas divina (pro quocúnque perditissimô peccatorê supplici, vel innuenti duntaxat) omnî statim dimissô justitiæ suæ rigorê, dare constituerit. Quid? quòd & ipse

3. Reg. 2. v. 19. 20.

Salo-

Salomon (ùt ùt ſuæ matris magìs, quàm regiæ dignitatis obſervans, ejus arbitrio, quod vellet, poſtulandi, pronam ſuam voluntatem addixerat) nihil tamen ei minùs, quàm optatam Adoniæ gratiam, quamvìs humillimè deprecanti, conceſſerit? Quis autem audivit unquàm talem, Virginis Matris, ac Sponſæ divinæ repulſam, illô ſupremô de ſoliô vel cogitatam, nè dicam, vulgatam fuiſſe? de quô, Mariæ Matris eminentiâ priùs prædicatâ, Pater mellifluus certô certiùs affirmavit: *Nec omninò poteſt eſſe repulſa: ubi concurrunt, & orant, omnî linguâ diſertiùs, tanta clementiæ monùmenta* ! Nec dubitavit, piè jactabundus, aſſerere: *Sileat miſericordiam tuam, Virgo beata! ſi quis eſt; qui, invocatam Te, in ſuis neceſſitatibûs, ſibi meminerit defuiſſe.* Deniquè tantæ ſuæ ſponſioni, ſolidæ rationis argumentum ſubſtituens, exclamavit, omnémque peccatoribus omnibus, cum trepidationê puſillanimî, dubitationem excuſſit, inquiens: *Regina cœlorum eſt! miſericors eſt! deniquè Mater eſt Unigeniti filii DEI! Nihil enim ſic poteſt poteſtatis ejus, ſeu, pietatis ejus magnitudinem commendare: niſì fortè, aut, non creditur DEI Filius honorare Matrem; aut dubitare quis poteſt: omninò in affectum charitatis tranſiiſſe Mariæ viſcera; in quibûs ipſa, quæ ex DEO eſt, Charitas, novem menſibûs corporaliter requievit.*

S. Bernard. ſerm. ſuper Salve Reg.

Idem. ſerm. 4. de Aſſumt. B.V.

Idem ſerm. 1. de Aſſumt.

Et hinc, quanta nobis cùm pietatis, tum poteſtatis, ad interpellandum, & exorandum, in extremîs quibûsque noſtrîs, per infeſtiſſimas Actiones oppreſsîs, graviſſimîs causìs, de Mariâ Matrê, præſumtio facienda?

XV. Nequè devotionis tantùm hæc ſunt, aut pietatis argumenta. De divinîs quoquè ſcripturîs veritas, regiè coronata, ſuccurrit, & adſtipulatur fiduciæ, tot jam nominibûs erectæ Reginam exhibens, & ſtantem, & â dextrîs aſſiſtentem: *Adſtitit Regina à dextris tuîs, in veſtitu deauratô, circumdata varietatê.* Vellem, ut, & locum Vates regius indicâſſet, & perſonam; cujus â dextrîs? &, ubinam? aut, in quâ neceſſitatê, Reginam tanti ſplendoris, tam, ad omnem utilitatem, variæ facultatis, non ſedentem, & ſuâ quietê, gloriâque fruentem, ſed aſſiſtentem, adjuvantémque conſpexerit? Nam, *adſtare*, Præſul ait Africanus, *adjuvantis eſt, atquè auxiliantis, &, Advocati officium gerentis.* Reginam igitur, ex ipſô ſtantis, & aſſiſtentis munerê, tanquam Advocatam, antè Filii judicis thronum, peccatoribus fideliter aſſiſtentem à dextrîs, ad impetrandam ſcilicet veniam, gratiam, & gloriam omnibus, ejuſdem ſub tutelam confugientibus, & opem, ac defenſionem implorantibus, Propheta vidit ingentî ſplendo-

Pſalm. 44. v. 10.

S. Auguſt. in Pſalm. 109.

rê

rê circumdatam ? & omnî, ſuprà cæteros electos, ad opitulandum gratiâ præfulgentem ? Ità purpuratorum Eccleſiæ Patrum inclytus, paraphraſin pro DEIparâ poſuit Hugo: *Adſtitit Regina id eſt, Beata Virgo: adſtitit tibi, ad te juvandum. Unde benè ſubdit: à dextrîs tuîs: ut tibi proſpera, & ſalubria impetret. Indè dicitur, Advocata.*

Hugo Card. in Pſalm. 44. v. 10.

XVI. Sic è cœlô conſpicuam ſe DEI Mater, ſtans, & miſerorum cauſis aſſiſtens, exhibuit? Faceſſant igitur hoſtes, accuſatores Tartarei, noſtra nobis objicere crimina, reatus exaggerare, clamores intendere, conſcientiam obruere, damnationem exigere, deſperationem per anguſtias, in omnem effugii partem conſtrictas, ingerere! Vana ſunt hæc Inferni molimina; dùm noſtræ patrocinatur Cauſæ Maria. Hæc enim *potens eſt: unde ſecurè poteſt ipſi dicere ſervus ejus* (Richardô ſpondentê:) *Pone me juxtà te; & cujusvis manus pugnet contrà me!* Tanta verò potentia ipſius eſt; *ut*, Ildephonſô confirmantê, *potentiorem ad placandam iram Judicis, invenire non poſſimus.* Deſint, licèt, omnia Sanctorum in illô terribilî proceſſu ſuffragia: *ſcimus, & credimus*, Anſelmô fidejubentê: *quoniam, Tê pro nobis orantè filium tuum, cæteri omnes orabunt.* Sed, etſi deſtituat nos omnis omnium interceſſio Sanctorum; & accuſet nos omnis omnium infeſtatio Diabolorum: *Tu peccatorem, toti Mundo deſpectum, Maternô complecteris affectu; nec deſinis interpellare: quoúsque DEUS, per Te placatus, ipſum tuæ gratiæ recuperabit.* Nec eſt, quod, aut meritorum noſtrorum ex inopiâ formidemus; aut, iniquitatum noſtrarum apertâ, nec excuſabilî, malitiâ terreamur. Maria, pauperum eſt *Advocata; quæ pudorê ſuffundi non poteſt* (utì ſolatur Damaſcenus) *nec rejici: cujus orê noſtra dicitur excuſatio*; quemadmodum S. Gregorio, noſtrum in ſolatium, ſuffragatur S. Auguſtinus, ipſe Virginem ſic deprecatus: * *Sit per te excuſabile; quod per te ingerimus! Excuſa, quod timemus! Quia tu es ſpes unica peccatorum! Advocata ſanè potens eloquiô* (prout inquit Hondonius) *&, efficax apud juſtitiam DEI: quæ cauſas noſtras* (Bernardino quis non credat Senenſi?) *ſapienter incipit; inceptásque multis allegationibûs defendit; & defenſas ad proſperum finem deducit.* Deniquè nec rigor Judicis, umbram etiam tenuiſſimi pili diſcutientis, &, ſeveram in cenſuram, abditos quoquè mentium obtutus, obliquè forſan â ſê diſtortos, revocantis; nec verſutia Maligni, coactîs millê præjudiciîs gravata, pavidos nos, aut conſternatos efficere debent, ſub Advocatæ Virginis, Matris noſtræ, præſidiô conſtitutos. *Eſt enim,*

Idem Ibid.

S. Damaſc. in Con. SS. Trinit. Tom. 4. Bibl. SS. PP.

S. Gregor. Nicomed.

** S. Auguſt. ſerm. 2. de Annunciat. qui eſt. 18. de Sanctis.*

Hondonius in Invocat. DEIp.

S. Bernard. Senenſ. de Purific.

Richard. à S. Laurent. Lib. de Laud. Virg. p. 1. Job. 17. v.

S. Ildephonſ. ſerm 9. de Aſſumt.

S. Anſelm. Lib. ſuar. Orat.

enim, ùt Aquinatis Doctiſſimi Doctor, M. Albertus docuit, *Maria, Advocata ſapientiſſima, jura civilia, & canonica, & leges, & decreta, in ſummô ſciens: quæ contrà Judicem ſapientiſſimum, Deum; contrà Adverſarium callidiſſimum, Diabolum, in causâ deſperatiſſimâ, ſententiam optatam obtinuit.*

Albert. M. ſuper miſſus eſt. c. 13.

XVII. Itanè, jam obtinuit in cauſâ deſperatâ, contrà Malignum, *Fratrum Accuſatorem*, ſententiam optatam Advocata noſtra, mulierum omnium pulcherrima, ſapientiſſima, facundiſſima, gratioſiſſima, potentiſſima? Sed, qualem obſecro? & quando? & cujus protritam, conclamatámque Cauſam vindicavit Maria? Liber, mirabilium plenus revelationum, quibûs chariſſimam ſibi filiam, S. Birgittam, ſuô cum Filiô, DEI Mater honorare dignata fuit, ingentî cum librô Dæmonem exhibet, ad ſupremæ juſtitiæ tribunal properantem; ut ibi, contrà militem recèns defunctum, Actor funeſtus, meritam damnationem exigeret. Nullum non ſolium atrîs characteribûs, â ſummô usquè deorſum, ſcatebat; quibûs omnia malefici cogitata, dicta, factáque, ſtylô diabolicô, ſuîs cum notîs, & exaggerationibûs, atrociſſimè deſcripta patebant. Ad hæc alii, numerô ſepteni, congerebantur inſuper libri, triſtiſſimæ cauſæ nigerrimîs omnes literîs referti. Cùm de repentè dirus, & horrendus clamor ſtygii Delatoris infremuit, perditam exigens, tot ream criminum, ſibíque tradi militis animam! Nè quicquam autem tantîs etiam clamoribûs proficere potuit Malignus: dum eidem ſeſe, pro cauſâ miſeri, antè thronum Judicis, Advocata Peccatorum oppoſuit Maria; cujus admirandâ ſapientiâ, quicquid omnibûs illîs librîs, coràm explicatîs, objectum erat, adeò dilutum, exculpatúmque confeſtim apparuit; ùt nè veſtigium quidem ullius atri characteris in ullô librorum allegatorum conſpicuum ampliùs deprehenderetur. Abſolutô verò per Judicem reô triumphans Advocata contrà Dæmonem, ex omni partê confuſum, hâc demùm eſt honorata ſententiâ: *Tu verè rationabiliter obtinuiſti in hâc quæſtionê ſententiam; & lucrata es animam iſtam, cum juſtitiâ.* Quis de veritatê dubitare jam poterit Alberti Magni? *Maria contrà Diabolum, in cauſâ deſperatiſſimâ*, tot librîs, totôque Codicê prægravatâ, *ſententiam optatam obtinuit?*

Apocal. 12. v. 10.

Revelat. S. Birgittæ. Lib. 39.

Chryſogonus in Mund. Mar. p. 2. Diſc. 4. num. 49.

XVIII. Hâc autem Actionê, nequaquàm evacuata tota potentia, vel ſapientia, vel facundia Mariana cenſenda eſt. Vaticanîs Balinghenius ex manuſcriptîs fatetur ſe deſumſiſſe; quod hàc tenus allata confirmat

Balinghen. in Kalend. B. V. 26. Febr. ex M. S. Vatican.

ampliùs, & extollit altiùs. In Academiâ Cantabrigiensî Guilielmus Vidius, non angelicè, licèt Anglus, nec, ùt par erat, ſtudioſus æquè virtutis, utì liberalium artium alumnus, juvenilem ſuam ætatem, vitiîs plurimîs contaminatam, annîs pluribûs peſſimè tranſigens, unum illud, ùt cætera negligens, ſtudioſè tamen obſervabat: Mariam, DEI Matrem, peccatorum ultimum refugium, & Advocatam, nè, prætermiſsîs officiîs conſuetæ pietatis, unquàm offenderet. Nequè caruit emolumentô ſuô conſtans hæc, ùt ùt hominis improbi, ſceleratique, laudabilis tamen ex morê devotio. Noctê quâdam, ſopitus, obruitur horrendô pavorê Vidius; totúsque contremiſcere, gelidôque ſudorê madere, tùm & ingemiſcere, plangere, ſuíque terroris, ac metûs triſtiſſima ſigna, quibûs ponè dormientem ſocium, excitatum, tantùm non exanimavit, inſtanter edere non deſtitit, nihil proficientibûs, nec violentâ corporis agitationê, nec iteratîs acclamationibûs; quibûs trementem, & cum dentium ſtrídorê frementem, ad officium animi ſocius ab illuſionê ſomni, prout exiſtimabat, revocare conatus eſt. Vix cùm tandem, æſtu convulſionum deficientê, ſibi redditus Guilielmus, quô jaceret locô, dignovit, reſpirans tranquillùm: heu me! percontanti contubernali faſſus eſt, ægrâ você: Supremi Judicis abreptum ſe jam ad tribunal ſtetiſſe, totius vitæ rationes, objurgationê ſeveriſſimâ poſtulatas redditurùm. Nihil ibi, non aperiſſimè, ream conſcientiam, accuratiſſimîs notîs expreſſum arguebat, adeóque convincebat; ut nec excuſandis verbum occurreret; nec defugiendis criminationibus, inter anguſtias undique conſtringentes, modus appareret, ſtygiîs Actoribûs, in illô DEI luminê, terribiliter, eadem ipſa, quæ quondam attenuaverant, exaggerantibûs. Jam de ſalutê ſpes omnis exciderat, latâque ſententiâ videbatur ſibi dæmonum poteſtati traditus; & avidîs eorum unguibûs ad inferni noviſſima direptus: cùm unicum illud, apprehenſo jam dirîs illîs â ſpectrîs, quod ex Academicâ doctrinâ ſuſceptum in more fuerat quotidiè ſuſpirare, tandem occurrit, extremô gemitu poſtulandum: *Eja ergo, Advocata noſtra! illos tuos miſericordes oculos ad nos converte!* Nec erat hæc invocatio gratiæ vacua. Continuò viſibilî ſpeciê gratiæ Mater â dextrîs adſtitit, ſeſéque Dæmonibus, mirè potens, atquè terribiliter opponens, Judicem interpellavit, & miſerum, de manibûs hoſtium ereptum, in ſalutem aſſeruit. Nequè ſomnii tantùm

tùm terrificam illuſionem fuiſſe, quod ità narrabat, ex foliô patuit, in manibûs deprehenſô. Major indè, cùm utriúsque conſternatio, tum veritatis confirmatio conſecuta. Legit enim eâdem in chartâ (ſed, cujus manibûs?) exaratam totius vitæ ſceleratæ ſeriem, adeò deſcriptam accuratè: nihil ut ampliùs ad animi diſcuſſionem, rationibûs omnibûs cœlitùs ità confectîs, opùs fuerit. Sed, nec ad ſalutem deeſſe quicquam paſſus eſt Guilielmus: ipſô cum diluculô ſacro ſe tribunali ſtitit, jam ſuimet pœnitens Accuſator, & vindex: nequè deſtitit, niſi cùm vita defecit, exigere de ſe pœnas offenſi Numinis, criminum ipſe ſuorum ultor, ac tortor factus perpetuus.

XIX. Eſtnè, qui ſolicitudinem Advocatæ Mariæ, pro causîs curæ ſuæ commiſsîs, tam felicem, & efficacem, in eruendîs ab ultimô diſcriminê peccatoribûs, divinô jam coràm tribunalî trepidantibûs, & periclitantibûs intellexit? nequè, continuò reſpirans, integrè ſe Marianæ tutelæ commiſit; quam, ſui locô, Servator ipſe memorabilî Verbô: *Ecce Mater tua!* contrà ſuum ipſius, futuri judicii rigorem, juxtà Crucem (ſtateram ſcilicet ultimæ diſcuſſionis) inſtituit? Non eſt igitur, quod cunctemur adhuc, aſſentiri Divi Germani prædicatæ fiduciæ: *Nos, O Maria! qui ſumus condemnati, tuîs interpellationibûs, & interceſſionibûs, DEO efficis familiares; das ſalutem, & ab æternô liberas incendiô.* Nec video, quid morari poſſit unanimem, de Virginis apud Judicem Filium efficacî patrociniô, ſpem noſtram; quam Patrum veterum, atquè Doctorum graviſſima perſuaſio, factis ipſis adjuncta, tantùm non jubet ſecuram, & omnis expertem eſſe dubii? Quid illô Pelbarti ſolatiô dulciùs? quod, ex appellationê Mulieris, â Servatorê factâ, ſicut hauſit ipſe, ſic propinavit omnibus: *Mulier dicitur, quaſi molliens herum. Nam emollivit Deum, & placavit: ut, qui antè erat tam durus, & iratus generi humano; quòd omnes homines detruderet in Infernum: nunc, per benedictam Virginem, eſt furor ejus mitigatus.* Quid illô Seraphici Doctoris aſſertô firmiùs? *Chriſtus per manſuetiſſimam Mariam manſuescit, & placatur: nè ſe de peccatoribûs per mortem æternam ulciſcatur.* Poteſtnè gravior affirmatio, quàm Africani Doctoris, exoptari? ſed, etiam ille ſic jubet: *Nemo deſperet! quamvìs multorum ſit ſcelerum ſibi conſcius. Judex adeſt: quem timeas? ibi Judicis Mater. Ubi Judex ſupplicium minatur; ibi Mater Judicis, reorum ſpes unica, brachia extendit, ad ſinum invitat.*

S. German. in Encom. de Zonâ. Virg.

Pelbartus. in ſtellariô lib. 6. part. 2. art. 2.

S. Bonavent. in ſpec. Virg. cap. 13.

S. Auguſtin. ſerm. 36. in Tract. 50. Homiliar.

XX. Hôc ſenſu M. Conſtan-

tinus Fidei ſymbolo, quod Synodus Nicæna firmavit, fidenter ſubſcripſit: *Spero, me ſalutem conſequi â munerum Datoré, interceſſionibûs ſanctiſſimæ, & immaculatæ Mariæ.* Sic perſuaſus D. Ephrem oravit Mariam: *Tu deſperantium! Tu peccatorum, & auxiliô deſtitutorum unica Advocata es! Eſto noſtra Advocata, * in horâ mortis, atquè judicii!* Hâc animatus fiducià S. Bonaventura, precatus id unum eſt â DElparâ: *In die mortis meæ, O Domina! conforta animam meam! & ſuſcipe eam! Conſolare eam vultu ſanctô tuô! Aſpectus Dæmonis non conturbet! ſuſtine devotos antè tribunal Chriſti! ſuſcipe cauſam eorum in manibûs tuis!* Quid aliorum adhuc ſenſa poſtulamus? Adeſt ipſius Virginis, Advocatæ Verbum; quô nequè certius aliud, nequè conſolabilius ullum fiduciæ noſtræ deſiderari, vel dari poteſt argumentum: Ipſa loquitur: *Qui audit me, non confundetur! in diê videlicet judicij* (cujus â rigorê, confuſionem nemo non, etiam qui juſtus eſt, formidat) *Cùm loquetur iratus Judex inimicis ſuis in portâ. Quia pro illô adſtabo coràm Filiô; atquè ità mê patrocinantê non erubeſcet.* Ità, piæ Matris interpres, Pelbartus aſſecurat.

Synod. Nicæn. art. 8.

S. Ephrem. Syrus. ſerm. de laud. Virg.

**S. Ephrem. in Lament. DElparæ ſuper Paſſ. Dom.*

S. Bonavent. in Pſalt. Virg.

Eccli. 24. v. 30.

Pelbartus. in ſtellar. Lib. 15. P. 1. cap. 12.

XXI. Nihil ſupereſt, quod veſtræ porrò devotioni ſuadendum videtur; niſi, conjunctîs ut votîs, poſt adeò confirmatum patrocinii Mariani, pro judiciô nulli non formidandô, ſolatium, optemus unâ você, conclamantes: *Eja ergo, Advocata noſtra! illos tuos miſericordes oculos ad nos converte!* cùm Sanctorum nos nemo reſpiciet. Illos tunc oculos ad nos converte; quos adoleſcens ille Cordubenſis, in cauſâ ſuâ penitùs conclamatâ, ſuimet ipſius per laqueum, collô jam conſtrictô, carnifex violentus, mirabilî favorê ſibi propitios vidit, &, judicio jam ſubjectus inevitabili, vindices ad ſalutem expertus eſt. Illos tunc oculos ad nos converte; quibûs Theophilum Adanenſem, undiquè deſperatum, ſola non deſtituens, Advocata mirabilis, ex ipsîs perditionis faucibûs revocâſti. Memineris, o Mater piiſſima! quia ſic eſt voluntas ejus; qui moriens nos Tibi filios, Te nobis Matrem, & hôc nominê, noſtræ ſalutis & ſolicitam Advocatam, & fidelem Cooperatricem deſignavit. *Noli ergo, pia Mater! ſpernere nos, propter Eum; quî amorê noſtrî nudus, & laceratus, pependit coràm Tê in Crucê. Gaudet filius * orantê Matrê! Et, nullus eſt, ** qui ſalvus fiat; niſi per Te, O ſanctiſſima! Nemo eſt, qui liberetur â malîs; niſi per Te, O puriſſima!* Dabis indubiè filio tuo, quod moriens voluit; qui *nihil nos habere voluit; * quod per manus tuas non tranſiret!* Amen.

Lit. Anm. Coll. Cordub. Annô 1610.

Surius. 4. Febr. Spinel. in Thron. Dei. cap. 20. num. 28.

S. Bernard. ſerm. 2. ſuper miſſus eſt.

** Theophil. Alex. libr. de Incarnat. Verbi.*

*** S. Germ. ſerm. de Zon. Virg.*

**S. Bernard. ſerm. 98. in Cant.*

FERIA

FERIA IV.

POST DOMINICAM V. QUADRAGESIMÆ.

SERMO VIGESIMUS SEXTUS.

In Foro V. Juſtitiæ Divinæ, ſeu, Montê Calvariæ.

Actio XVIII. Damni injuria;

Tit. de lege Aquil. in Inſtit. & Pand.

Contrà eos inſtituta,
Qui manifeſtis miſericordiæ Divinæ Beneficiis,
Ad Pœnitentiam, & ſalutem invitati,
Non ſolùm injurii ſunt, per contumaciam, gratiæ;
Sed etiam Spiritui gratiæ contumeliam faciunt: *Hebr. 10. v. 29.*
Dum, in ipſâ Divinæ pietatis affluentiâ,
De ſuorum peccatorum veniâ deſperantes,
Et ipſi, ſinè pœnitentiâ moriendo, pereunt,
Et in ſê perire, cum injuriâ damni non reparabilis, faciunt,
Theſauros Miſericordiæ DEI.

Actor XVIII. Peccator enormis, in flagrantî Converſus,

Reos, non cujuscúnque, ſed ultimæ Damnationis arguit omnes;
Qui peccatîs, etsì graviſſimîs onerati,
Cum injuriâ Pietatis, & miſericordiæ DEI,
Gratiam patenter oblatam, veniámque deſperantes,
Perire faciunt, ſêcum perditîs, omne pretium Redemtionis.

Myſterium XIX. Actionis hujus Argumentum.

Diſmas Latro, Pietatem Domini Crucifixi miratus,
Quâ, ſuîs etiam pro tortoribûs, oravit ad Patrem,
Etſi Maleficus, in patibulô tamen veniam petit, & accipit;
Ubi, ſupplicii pariter, ac delicti ſocius,
Eorundem, Domini miſerantis, prodigiorum Spectator,
Gratiam tamen omnem, deſperans, in ſê, perire ſecum ſinit.

Tessera. Alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, &c. & dicebat ad JESUM: Domine, memento mei: cùm veneris in regnum tuum! Et dixit illi JEsus: Amen dico tibi: Hodiè mêcum eris in Paradisô. *Lucæ 23. v. 40. 42. 43.*

P. Benignus Kübler, Mund. Mirab. p. 1. Tract. 2. Font. 5. n. 157. Chartagena. Tom. 1. Homil. L. 5. Homil. 3. post initium. B. 2.

I. DEliberatum aliquando fuisse ferunt, Romanos inter Senatores; quorum â providentiâ cultus Numinum, & officia religionis pendebant, moderantê, cum imperii totius molê, rem publicam Vespasianô: quô consiliô popularis maximè, tum verò cæterorum etiam (quorum ex moribûs omnis, in plebê, tam pius, quàm in transversum, est motus) innumerabilî Deorum frequentiâ, varietatêque, distracta nimiùm, ideóque minor indiès devotio, pietas, &, religiosa divinæ majestatis observatio, majorem in fervorem, & accuratiora debiti cultûs officia revocari, constringique posset? Erat enim eâ gentium, prorsûs dementium, ætatê cæcâ, tanta, pro cujúsque libitu, stultâque superstitionê, nuncupandorum libido Numinum, eorúmque colendorum temeraria licentia; nihil ut non, etiam absurdum quod erat, jam Numen audiret; arámque, cultúsque divinos, & sumosos honores haberet, cum immodicô publicæ religionis, privatîs tot officiîs quasi discissæ, discerptæquè, tandem penitùs detecturæ periculô: cùm tot jam Numina celebrarentur â Romanîs; *ut, vel eorum nomina*, prout Augustinus censuit, *grandibûs voluminibûs vix comprehendi potuerint.* Illud igitur primum omnibus, &, hâc super, ùt arbitrariâ privatis, ità pernicioſâ publico, Polylatriâ deliberantibus, consultissimum universis visum est: ut, è tam innumerâ confusionê deorum, unus aliquis, autoritatê supremi rerum sacrarum arbitri magistratûs deligeretur; in quem dissipatæ religionis obsequia (partium studiîs interdictô publicô sublatis) ità contraherentur: ut, quicquid eà tenùs â singulîs privatis tributum divinitatibus fuerat; id omne nuncupato duntaxat uni Numini, familiaribûs æquè (seu domesticîs) ac publicîs officiîs, exhiberetur. *S. Augustin. Lib. 4. de Civit. Dei. cap. 8.*

II. Nemo fuit in eô, plurimorum licèt, Senatorum confessu; qui non in eandem, unius Numinis

minis decernendi ſententiam, unus cum omnibûs conceſſiſſet. Ea verò, quæ ſubſecuta deliberatio, plurimùm univerſos, pro ſuô quemlibet affectu, varias, eáſque contentioſas in opinione diſtraxit: ubi quæri cœptum: è tantâ multitudinê deorum, quem, unum omnium, &, quô nominê, ſummum, & optimum, univerſus populus Romanus DEUM colere, ſtudiîsq; conjunctîs, & cõmunibûs religionis officiîs invocare ſupplex, venerarique deberet? Militiam qui forſan juvenilibûs ab annîs, non ſinè nominis indè conſecutâ gloriâ, cæteris rei publicæ curis præferebant; non aliud volebant ſupremæ divinitatis nomen, quâ ſe Romanũ imperium protendit, audiri; quàm, ut Mars, *DEUS potentiæ*, proclamaretur! quòd nihil è rê divinâ potiùs eſſe videbatur; ac, poteſtatê, viribûsque præſtare tantîs; quibus univerſa ſuccumbere cogerentur. Ab hîs, diverſi; quos, clariores cæterîs, dignitatê pariter præſtare fecerat, cùm eximia doctrina, tum ſapientia ſingularis. Omnes illi Palladi ſuæ, clàm adoratæ, divinos ab omnibûs honores deferri voluêre; nec abduci ſe paſſi ſunt; ut aliô Numen quodpiam nominê, niſi, *Deus Sapientiæ*, coleretur. *Dicebant* (ùt refert Carthagena) *quòd ſapientiæ ſuæ magnitudinê univerſam Mundi molem DEUS regeret, eſſétque omnium judex; in quô ſapientia, & prudentia, maximè neceſſaria eſt, ad benè gubernandum, & judicandum.* Sed, quorum auctæ res domeſticæ per commercia, variæquè negotiationis immenſa lucra, divinos Mercurii, Plutique favores gratam in memoriam revocabant, nullum illi DEUM nominari, niſi, *DEUM pecuniæ*; nec eô nominê coli ſuſtinuerunt, niſi, vel Mercurium, vel Plutonem. Cùm enim adorandæ divinitati totus debeat obtemperare terrarum orbis: nihil ad hanc obedientiam impetrandam efficacius fore credebatur, ipsô Pecuniæ deô: cùm *pecuniæ obediant omnia*, & ſubmiſſionê quidem abjectiſſimâ. *Nam avarus dives arcam, ubi theſaurum habet incluſum, aperturus, in genua procumbit, quaſi pecuniam adorans.*

Ecclef. 10. v. 19.

Carthagena locô cit. B. 2. in finê.

III. Ità diſſidentibûs, pro conſultantium variâ, non tam rationê, quàm inclinationê, votîs omnium, atque ſententiîs, (cùm deliberatum ex omni partê nihil adhuc, aut unum conſtaret, aut ſperari poſſe videretur de populi Romani ſupremô Numinê, definitôque Numinis optati nominê) modeſtè queſtus, nihil hactenùs conſilii poſtulatum â sê fuiſſe, qui præſens aderat, pauperum Advocatus, & ipſe tandem ſuam explicuit, audi-

Carthagena locô cit. B. 2.

audiríque voluit mentem, ſuffragiîs cæterorum, unà cum diîs, quos nominatos, cultósque, non tam communî, quam privatâ quisquè pro devotionê voluerunt, ſugillanter explosîs. *Deum* enim *potentiæ*, ſicut ſpei nihil, infirmis roborê, miſerísque faceret; ità nè quicquam cultûs ab iîſdem imbellibûs, ajebat obtenturum: quìn, odio potiùs futurum illis, & execrandum demonſtrabat; quibus, ùt aliunde noxia, ſic & inviſa Martis arma ſunt. Eâdem rationê pietati publicæ, *Deum ſapientiæ*, cum Pallade, proponendum efficaciſſimê diſſuaſit: quòd nec indoctis exindè favor, nec devotus ejuſdem cultus ab illîs eſſet, ſed ſolîs â ſapientibûs expectandus. Ità Deum pecuniæ, Plutum; quia pauperibus non propitium: Deum convivii, Bacchum; quia vitæ moderatioris amatoribus inviſum: Deum judicii, Jovem; quia vindicê fulminum ignê terribilem, univerſo populo venerandos, nec proponi ſuſtinuit; nec audire porrò Deos voluit: oppoſitâ, quam è collô ſuſpenſam geſtabat in tabellâ, picti, venuſtiſſimi juvenis imaginê; cujus in frontê tria tergemini ſolatii verba legebantur: *Promitto!* *Expecto!* *Remitto!* Pedibus adjectum lemma Numinis nomen exprimebat hôc diverbiô: *Deus Clementiæ.* Hôc ego Numinê fretus hucúsque, munitúsque, (ſic, imaginem oculis ingerens, ajebat Pauperum Advocatus) cæteros omnes urbis Romanæ Deos, Deásque, vana duntaxat, imò, monſtroſa Numinum nomina dixi, duxique: cùm ità congenita Divinitati clementia ſit; ut, niſi clemens quisquè, Deus eſſe non queat: qui verò congenitâ virtutê clemens, is verus, & ſummus, & optimus, atquè, quod neceſſariò ſequitur, ſolus etiam ſit cenſendus Deus! Quô tandem effatô ſuam in ſententiam adeò Senatum univerſum inclinavit Orator pauperum; ut autoritatê ſacrâ firmatum Senatûs-conſultum, vulgatúmque continuò fuerit: nullus ut alius Imperii Romani DEUS, nisì, *Deus Clementiæ*, nomen, cultúmque Numinis haberet.

Kübler, loco cit. n. 157.

IV. Adeò nimirum cæcis etiam gentilibus veræ Divinitatis character genuinus illuxit; ut, niſi per caliginem affectatam rebelles ipſi fuiſſent lumini, quod ultrò ſe, vel non poſcentibus, ingerere ſolet, inter fatuos adeò de ſuîs Diîs diſſenſus, non potuiſſent non ſupremô pro Numinê, ſolôque rerum omnium principiô, quod unum, ſummum, & neceſſariâ pietatê Bonum agnoverant, adorare. Noſtra felicitas eſt hæc, & gratiæ divinæ ſingularis diſpenſatio; quæ naſci nos in fidei meridiê vo-

voluit ; ubi nulla jam ampliùs, vel movetur quæſtio , vel admittitur diſceptatio, de propriô Deitatis attributô ; quod Mundi totius univerſalem ſibi vendicat adorationem , & ſupplicem cum amorê fiduciam exigit. Quod enim univerſæ jam decan-
Oratio Eccl. tatum eſt Eccleſiæ : *DEUS! cui proprium eſt , miſereri ſemper , & parcere* ! pridem id ipſum você regiâ præcinuit Pſalterii divini mo-
Pſalm. 144. v. 8. dulator , ac Vates: *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus* ! Et, nè vivi characteres confirmandæ veritati deforent , *Clementiæ Deus*, aut , ipſa potiùs Clementia, DEUS , plenam ſolatii , non de pauperum Advocati collô , ſed ex maledicti lignô ſuſpenſam, noſtris oculis infinitæ ſuæ Pietatis imaginem objecit , ex eâdem, ùt verus pauperum Advocatus, non tantùm clamans pro nobîs
S. Auguſtin. in 1. Joann. 2. ad Patrem , per *tot ora , quot vulnera ; quibûs Cauſæ noſtræ patrocinatur* ; ſed , inſuper nos , quos de ſuâ certos vult eſſe clementiâ , per omnia cordis , extremùm ſpirantis reſpiria , cunctósque, ſuperſtitis adhuc vitæ motus , & inclinati capitis nutus omnes, ſuprà pictum illum Clementiæ Deum, infinitîs prærogativîs certiorê fidê , cunctos aſſecurans : *Promitto ! Expecto ! Remitto* ! Ah! divina dulciſſimi ſenſûs verba! *Promitto veniam* ! quis ambigat? ità per Evangelicum vaticinium eſt promiſſio facta : *Convertimini ad me ; & ſalvi eritis omnes fines terræ.* *Iſaiæ 45. v. 22.* *Expecto pœnitentiam* ! quis cunctetur? ità per eundem Prophetam divinæ miſerationis longanimis patientia commendatur : *Expectat Dominus, ut miſereatur veſtri ; & ideò exaltabitur , parcens vobis. Remitto debitum* ! quis expaveſcat? ità per Ezechielem ex divinô tribunalî ſuſceptum indulgentiæ plenariæ verbum , infallibilî ſigillô munitum conſtat : *ſi impius egerit pœnitentiam , omnium impietatum ejus, quas operatus eſt , non recordabor.* Ità ſe de ſtipitê Crucis pendens Clementia Servatoris manifeſtat; nec eſt in eâ Crucifixi corporis exhibitionê quicquam ſpectabile; quod non intuentibus omnibus , maledicis juxtà , atquè maleficis , ex intimô cordê, velut ex abyſſô miſericordiæ, per omnia membra ſe patenter explicantê fateatur : Promitto gratiam ! Expecto fiduciam ! Remitto offenſam ! Promitto gaudium ! Expecto ſuſpirium ! Remitto ſupplicium ! Promitto redemtionem ! Expecto compunctionem ! Remitto correptionem ! Promitto paradiſum ! Expecto reditum ! Remitto Infernum ! *Revertere ad me, & ego ſuſcipiam te* ! *Ezechiel. 18. v. 21.* *Jerem. 3. v. 1.*

V. Sic , in extenſa Servatoris crucifixi membra defixus animô, magnus Pater Ambroſius, nihil, niſi vivos manifeſtæ Clementiæ characteres , pro nobîs

quidem loquentes, fiduciam autem nobis persuadentes legisse, cognovisséque videtur; cùm sic ipse persuasus inde, non aliud, intuitu tam impensæ Pietatis Advocati nostri, cogitari, credique voluit ab ullô; quàm: *Christus orê suô, fellê, & acetô potatô, os nostrum est; per quod Patri loquimur, atquè iram ejus placamus. Corde suô, quod lanceâ transfixum est, cor nostrum est; per quod Patrem amamus. Oculi ejus, sanguineis lacrymis fluentes, oculi nostri sunt; per quos Patrem videmus. Manus ejus clavis confossæ, manus nostræ sunt; per quas nos Patri offerimus. Pedes ejus vulnerati, pedes nostri sunt; per quos, ùt Filii prodigi, redimus ad Patrem: ut totus Salvator, quantus est, &, quicquid in eô est, nobis patrocinetur.* Quid magis adhuc, aut luculentiùs Advocati nostri, non pro salutê solùm nostrâ procurandâ solicitudinem, sed clementiam pariter ejusdem infinitam testari posset? quâ, semetipsum nobis impendens, non sua tantùm, nostra, sed ipsè noster sic esse voluit; nè quicquàm, eô pro nobîs tam liberaliter agentê, loquentêque, deficeret; undeCausa nostra pendere, suspensáq; posset absolutio retineri. *Quid enim apud talem Patrem* (qui est Deus Clementiæ) *talis Filius* (& ipse Clementiæ DEUS) *non obtineat*, nos miseros exhibens in semetipsô, clementiam suspirantes? *Exaudietur utiquè pro reverentiâ suâ.* Huc respexisse videtur, oculîs in montes conversîs, ille; qui perceptî solatii sui conscios continuò voluit esse peccatores omnes: *Ecce, DEUS, salvator meus! fiducialiter agam, & non timebo. Confidam* (ità legit Pagninus) *& non pavebo: immobiliter sperans* (ùti Carthusianus Paraphrastes adjungit) *nihil ad salutem necessarium, mihi ab eô negandum; qui tanta pro salutê meâ assumsit, fecit, ac pertulit.*

VI. An non hâc mentê fuisse credendus est, ille Crucifixi Servatoris, & Advocati cliens devotissimus; qui Clementiæ tot manifestîs argumentîs, in animum profundè demissîs, nequè scire quicquam aliud, nec audire, cogitaréque voluit; atquè unum istud: *Spem omnem, & consolationem potissimam collocatam, & repositam habeo, in tuâ Passionê, in tuâ satisfactionê, & expiationê, & in meritis tuis!* haud secùs: ac si de singulîs Crucifixi plagîs dictum sibi percepisset oracullum illud Clementiæ: *Promitto! Expecto! Remitto!* Nec Hipponensis ipse Pœnitentiæ Doctor, Augustinus, ab eôdê alienus fuisse sensu videtur; cùm, stylô ferreô clavorum, in Domini sui manibûs, pedibûsq; transfixîs, profundè velut exaratum, triverbium idem â se deprehensum testatus, ità suâ de spê professus est: *Tota spes mea in morte Domini mei!* Nunquid mitrato pariter Leoni de Crucê

S. Ambros. Lib. 1. de Isaac, & Anim. c. 8.

Psalm. 120. v. 1.

Psalm. 11. v. 9.

Pagninus.

Dionys. Carthus. in loc. cit.

Blosius in Consol. Pusillan. cap. 59. Henric. Sanderus apud Kybler. n. 161.

S. Bernard. serm. in Nat. Deip.

Hebr. 5. v. 7.

S. August. in Manuali cap. 21.

locu-

locutum fuiſſe Servatorem exiſtimabimus? cùm nihil ille, niſi fiduciam, univerſo Mundo perſuaſam voluit, ex illô Clementiæ divinæ, non fictô, ſed vivîs vulneribûs expreſsô ſimulacrô, conteſtans: Quòd *effuſio ſanguinis juſti, pro injuſtis, tam potens fuit, ad privilegium; tam dives, ad pretium: ut, ſi univerſitas captivorum in Redemtorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.* Certè *S. Leo in ſerm. 7. menſ.* mellifluus Claræ-vallis Abbas, adeò firmam ex hôc divinæ Clementiæ typô fiduciam, animo ſuo trepidanti ſenſit impreſſam; ut Crucifixi ſui Servatoris Paſſionem nuncupaverit, *ultimum refugium, ſingulare remedium: deficiente Sapientiâ, Juſtitiâ non ſufficiente, Sanctitatis ſuccumbentibûs meritîs, illa ſuccurrit!* ità Bernardus. *S. Bernard. ſerm. 22. in Cant.*

VII. Prior autem omnibûs hîs, genuinum Advocati noſtri ſenſum, per imaginem infinitæ Clementiæ, patenter juxtà, atquè patheticè loquentis, ille percepiſſe videtur; qui, non in eâdem Cauſâ, quamvis eâdem damnationê, pœnæ particeps ejuſdem, intellectâ, quam ſuîs pro tortoribûs Advocatus idem, qui Crucifixus, Patri ſupplex præmiſerat, interceſſionê ſuaviſſimâ, non tantùm ſupplicii ſui ſocium, blasphemiæ redargutum increpuit; ſed, pronunciatâ palàm innocentiâ tantæ Pietatis, de gratiâ, ſibi nequaquàm, ùt ùt Latroni, digna factîs recipienti, denegandâ confiſus, animô, tantùm non ab ipsîs Inferni faucibûs reſultantê, converſus, *dicebat ad JEſum: Domine, memento mei! cùm veneris in regnum tuum.* Nec enim quicquam, ſupplicationem inter, & conceſſionem, inter fiduciam, & gratiam, inter poſtulatum, & indultum interfuit. *Incunctanter*, ait Burgenſis, *reſpondit: hodiè mecum eris in Paradiſô! Bonus enim, & dulcis JEſus citò exaudit; citò promittit; citò dat.* Num felix ille, beatúsque Diſmas, aliquid adhuc, ad integram Clementiæ divinæ cognitionem optare, vel expectare potuit? *Eris in Paradiſô!* quid hoc aliud innuit? ac: *Promitto!* Et, *hodiè eris!* quid eô ſignificatur? quàm: *Expecto!* nam, *tardius votum precantis, quàm remunerantis eſt præmium*, ùt, id expendens, ait Ambroſius. Deniquè: *Hodiè, mecum eris in Paradiſô!* quid, ità ſibi confeſtim latronem aſſocians pro Paradiſô, cenſendus eſt eidem dixiſſe? niſi: *Remitto!* Sic mirabile Clementiæ verbum intelligi voluit oris aurei benigniſſimus interpres, inquiens: *Intelligas, Domini benignitatem totum negotium peregiſſe. Quid enim latro dixit? quid fecit? Num jejunavit? num flevit? num ſe afflixit? num longô temporê pœnitentiam exhibuit? nequaquàm: ſed, in ipſâ Crucê, poſt ſententiam, ſalutem obtinuit. Vide celeritatem! à Crucé, in cœlum; à ſupplicîô,* *Lucæ 23. v. 42.* *Lucas Burg. in Lucam.* *Lucæ 23. v. 43.* *S. Bernard. de Paſſ. cap. 9.* *S. Ambroſ. in Pſal 37.* *S. Chryſoſt. Tom. 2. ſerm. 8. in Geneſ.*

in ſalutem! Verè, *miraculum hoc ingens maledictionis crucifixæ*, nemo non cum Athanaſiô dixerit! Unde (ſi quid unquàm aliàs manifeſtum fecit Univerſo, *DEUM Clementiæ*, de Crucis maledictô pendentem) revelatus eſt ſanè, quàm apertiſſimè, cùm in *Promiſſionè* liberaliſſimâ, Malefico Latroni factâ; qui nihil unquàm, vel fidei, vel obſequii fidelis, in illud uſquè tempus præſtitit Redemtori: tum, & in *Expectationè* longanimî; quæ non dies, aut menſes aliquot, ſed noviſſimam horam, & extremum propè vitæ momentum, ad gratiam, & miſericordiam ſupplici conferendam, præſtolata fuit: & poſtremùm, in ampliſſimâ *Remiſſionè*; quæ pro totius vitæ debitîs (quantùm per latrocinia cumulatis!) nec improperans malefacta, nec obtendens judicia, nec ſupplicia minitans, nec offenſarum enormitatem exaggerans, nec de ſatisfactionis obligationê vel quicquam inſinuans, vel minimum exigens, primo pœnitentis verbo non veniam tantùm indulſit, ac totam pœnarum omnium relaxationem; ſed præmium inſuper æternæ ſecum in gloriâ ſocietatis addixit: *acceptando* ſcilicet (ùt â Salmeronê notatum) *dolores ad gratiam.*

S. Athanaſ. Con. omn. hæreſ. cit. à Manſi in Bibl. Tom. 3. Tract. 67. Diſc. 6. cum. 2.

Salmeron. Tom. 10. Tract. 30.

VIII. Nullus dubito: quin plures mecum devotô nunc ſtuporê ſuſpenſi ſint, ſuper tantâ ſuavitatê clementiſſimi Servatoris; ac tam inexplicabilî felicitatê beatiſſimi Latronis! Et mihi quidem ſatis adhuc in alterutrum nihil propendet: an gratulari magis, in præſens, oporteret Latroni gratiam, tam opportunè poſtulatam, & ab eô, qui fuerat periturus, obtentam? num potiùs præconiîs extollenda, prædicandáque ſit â mê (quæ tamen cogitari ſatis, aut æſtimari pro dignitatê, noſtri nequit ab infirmitatê judicii) dives in Clementiâ, promtáque, ſinè dilationê, gratia Servatoris, merita ſupplicis, non largâ ſolùm tranſcendens bonitatê; ſed etiam per gratiam, ibidem cumulatam, ſuperabundanter excedens; ubi delictum abundaverat? Et verò, pro latronê magnum ſuggerit argumentum, ſortem ejus beatiſſimam prædicandi, Carnotenſis Abbas. Quia, *cùm jam anima, egreſſum accelerans, in primis labris eſſet; & hora ultima adventaret, æquô animô ibat; nec urgebat formido pœnarum conſcientiam; quæ ſe ſanguinê Chriſti præterfluentê ſentiebat ablutam.* Sed idem ipſe, poſtquàm Domini Clementiam admiratus eſt, verba ſibi non ſufficere, cùm eidem extollendæ, tum fiduciæ peccatorum erigendæ, luculenter oſtendit in eô, quô dixit: *Non arctatur numerô, non clauditur finê; nullas omninò habet metas, divina Clementia! Sit, qui invocet;*

Arnold. Carnot. Tract. de 7. Verb. Chriſt. in Cruc.

Idem. Ibid.

vocet; erit, qui exaudiat. Sit, qui pœniteat; non deerit, qui indulgeat. Adeò perſuaſus autem, quis timebit? quis horrebit? quis conſcientiæ percuſſionê trepidus, formidabit adhuc, implorare gratiam? deprecari culpam? poſtulare veniam! indulgentiam ſperare? Si Latronis mutatam repentè conditionem expendimus; qui, ſuîs pro facinoribûs, crucis damnatus, â S. tamen Anſelmô, *venerabilis Confeſſor, & glorioſus Martyr*, geminatô præconiô, nuncupatus eſt: eadem forſan, quæ Drogonis Hoſtienſis fuerunt, erunt noſtra, lætantium ſuper ejus conversâ ſortê, ſuſpiria? *O magna fides! O magna ſpes! O magna charitas! Orat pro futurìs, non præſentibûs: non vult de Crucê deponi; ſed in regnô Chriſti reponi. Quid enim eſt aliud? dicere: memento mei! quàm; cupio diſſolvi, & , eſſe cum Chriſto! Neſcio; quid Paulus magìs, iſtô latronê, cupierit? O Cor contritum, & humiliatum!* Sic autem â beatô Latronê jam exhilaratos, dum in propitii Servatoris clementiam defixos pariter advertimus animos; non erit â conſolatoriâ magni Doctoris Auguſtini concluſionê quisquam alienus, aut aliter ab eô, ſed omninò conſentiens; quòd: *Dum DEUS tanto debitori refundit immanis debiti cautionem, humano generi conſcripſit ſecuritatem: ut conſolatio, ac ſpes fieret totius popu-*

S. Anſelmus in Alloq. Cœleſt. 30. cit. â Manſi. locô cit. Diſc. 5. n. 4.

Drogo Hoſtienſ. de Sacram. Dom. Paſſ.

S. Auguſtin. ſerm. 120. de Tempore.

li, abſolutio unius deſperati; & privatum bonum in publicum creſceret beneficium. Utinam autem id, non publicum tantùm bonum, ſed, utì factum eſt manifeſtum omnibus, ità fieret etiam in omnes, beneficium generale, converſionê communî diffuſum! nè maneat ullus illius expers clementiæ; cujus in unô ſecuritatem dedit omnibus; qui, de ſuâ fiducialiter impietatê contritis, unus eſſe voluit, omnibus omnia. Videbor iſta, velut â Richeliô ſuſcepta, fortaſſè protuliſſe? qui, parî propè judiciô, definivit: omnes â Dominô peccatores expectari cum Latronê; nullúmque non, ad fiduciam in Bonitatê, ab eôdem invitari Latronê. *Quemadmodùm*, ait ille, *Medicus corporum, aliquem languidiſſimum, & deſperatum infirmum ſubitò curans, ſuam pandit peritiam, & magnam conſequitur famam: ſic Chriſtus, hunc ſalvans latronem, omnibus nobis ſuam declaravit, ad ignoſcendum, atquè ſalvandum, clementiam, ſapientiam, atquè potentiam.* Potentiam quidem, quâ promittit veniam; Sapientiam, quâ ſuſpendit pœnam: Clementiam, quâ dimittit offenſam.

Dionys. Carthuſ. cit. â Manſi. Bibl. Tom. 3. Tract. 67. Diſ. 5. n. 7.

IX. Sic igitur ex hîs, quæ dixi, cum infinitâ Domini, mirabiliter miſerantis, & miſericordiſſimè remittentis Bonitatê (quam admirati tantô noſtrô ſolatiô ſumus) conjunctam Latronis

tronis felicitatem, animis vellem omnibus impreſſam: ut, cùm, decumanîs in fluctibûs pereuntis Orbis, agitatæ forſan grandis illius arcæ meminerimus; ità nobis cum illâ fluctuantem imaginemur latronem: ut, in columbâ, virentis olivæ ramum adferente, pietatem Servatoris, & reconciliatam DEI Clementiam cogitemus. Ubi Jeſſæi Regis doloroſa confeſſio, pœnitentiæ memorandum illud verbum ſuggeſſerit: *Peccavi!* ſic in eô converſi latronis expreſſum animum conſideremus: ut pro Nathan, ipſe pietatis Autor, abſolutionem reatûs omnis â ſêmetipſô clementer indultam, pronunciâſſe credatur. Cùm ovis illa, peregrini pabuli cupiditatê ſeducta, denſòque forſan dumetô miſerabiliter implicata, per balatum, ſe ſe perditâ dolens, noſtris inſinuaverit animis: ità Latronis in lignô fixi ſalutare ſuſpirium, cum eâ, noſtris occurrere mentibus patiamur; ut Boni Paſtoris humeros, eidem in Paradiſum transferendo paratos, oblatósque contemplemur in Chriſto. Sic demùm, prodigi quoquê filii memores, in eôdem, ad Patris piiſſimi pedes abjectô, ſupplicêque, Latronem, in extremâ ſuâ calamitatê de gratiâ ſolicitum, & ad limina domûs regiæ ſuſpirantem nobis proponamus: ut in Patrê, qui *miſeri-*

Geneſ. 7. v. 8.

Geneſ. 8. v. 11.

2. Reg. 12. v. 13.

Lucæ 15. v. 4 & 5. Salmeron. locô citatô. Tom. 10.

Lucæ 15. v. 20.

cordiâ motus, & â longè revertentem intuitus, oblatis ultrò complexibus pœnitentem adſtrinxit, non alium â Deô Clementiæ meditemur: qui perceptâ você ſupplicis, necdum forſan compreſsîs labrîs expreſsâ, nullius memor convitii, priùs ab eôdem (utì Marcus innuiſſe videtur) illati, continuò Paradiſi fores aperuit; regnique cœleſtis non tam hæredem, quàm ſocium, ipſô repentinæ converſionis (pronunciatique: *memento!*) momentô promulgavit. *Marci 15. v. 14.* *S. Ambroſ. in cap. 23. Lucæ.*

X. An per hæc gemina, Miſericordiæ, pœnitentem recipientis in ſinum; & Pœnitentiæ, latronem reducentis in finem, grandia miracula, non *pulcherrimum datur affectandæ converſionis exemplum*? An aliud indè prudens quisquè, (tantùm non barathrô damnationis jam abſorptus) licèt graviſſimæ Cauſâ damnationis obſtrictus, animo ſuo poterit expendendum opponere? niſi, quod ſanctus, & ſapientiſſimus Afer, exindè, pridem objecit: *Quis deſperet? ſi in Crucê latro ſalvatus eſt. Antè paululum, homicida; poſt paululum, accuſatus, convictus, damnatus, ſuſpenſus, & liberatus. Noli mirari: ubi damnatus? ſed ubi liberatus? ubi mutatus?* Hoc mirandum: quia miraculum eſt, *Converſionis* quidem; ubi *mutatus? Remiſſionis* autem; ubi *liberatus?* In hîs tamen geminîs, *S. Auguſtin. ſerm. 37. in Joannem.*

tan-

tantæ Converſionis, tantæquè Miſerationis, & Clementiæ, tam conſpicuîs miraculîs, nihil eſt; quod, ex adverſò ſuſpenſi Latronis, mentem attigiſſe, vel, in animum penetrâſſe, vel conſcientiam, gratiæ pulſantis ictu percuſſam, compunxiſſe videtur. Quanta cæcitas? quæ nequè caliginem quidem, ex tanti luminis illapſu nictitantis oculi teſtatur! Quantum gelu? quod, etiam infinitæ charitatis ardorê tam propinquô, nè quicquam tamen diſſolvitur! Quanta pertinacia? cujus obnixam cervicem, nequè ſupremæ Bonitatis Clementia, tam promtè, profundéque inclinata, vel ad unicum etiam ſuſpirium flectit! Nullus, pro delictîs, auditur gemitus: nulla pro maledictîs, pœnitudo percipitur: non lamenta, pro levaminê; non ſuſpiria, pro gratiâ; non offenſæ deprecatio; non veniæ poſtulatio, non miſericordiæ, Clementiæquè, vel ullô ſignificata verbô, ſe prodit imploratio. Vah! injuriam inauditam, ineffabilem, inperceptibilem! Cernere Servatorem, non tantùm in Crucê pendentem; ſed, in utriúsque ſcelerati complexus, gemina brachia protendentem: nec aſpicere! Percipere Mediatorem, pro ſuîsmet perſecutoribûs crudeliſſimîs perorantem: nec advertere! Receptum in gratiam, ſocium criminis, atque diſcriminis, intueri totâ mentê converſum, totôque cœlô jam, â priorî perditionê diverſum: nec reſipiſcere! ſed, in averſionê perſiſtere; gratiam ſpernere; reſpuere benevolentiam; obniti clementiæ! nec indulgentiam reſpicere; nec miſericordiam admittere: ſed, pietatis divinæ theſauros omnes, per obſtinatam deſperationem evacuare; totúmque pretium infinitæ redemtionis, protritâ fiduciâ ſalutis, in ſê, perditum velle! Proh! quanti hæc damni! &, quantîs eſt accuſanda criminationibûs injuria! Non hoc eſt, Filium Dei conculcare? &, ſanguinem teſtamenti pollutum ducere? &, ſpiritui gratiæ contumeliam facere? Quis tantam injuriam, ab Iſcariotê jam priùs pietati Servatoris illatam, iteratâ jam deſperationê gravatam, ùt par eſt, poterit accuſare? Audin', perdite latro! jam Judas ardet: non, quòd Filium Dei tradidit; ſed, quòd oblatam â Servatore, Dei Filiô, ſalutem, etiam poſt oſculi blandimentum, poſt amici vocabulum, poſt occulti ſceleris redargutum opprobrium, tamen deſperavit: *Non ſcelus, quod commiſit, ſed indulgentiæ deſperatio, fecit eum penitùs interire.* Nihil ad hæc ſi movéris, nec in ſpem erigeris; tuâ te deſperationê damnâſti!

Hebr. 10. v. 29.

S. Auguſt. in Lib. de utilit. pœnit.

XI. Non poſſum in hâc tantâ, ſpretæ, deſpectæquè ſummæ Bonitatis

tatis injuriâ, tantôque damnô divini sanguinis, in hôc, & cum hôc obstinatô latronê perditi, debitæ zelum criminationis, per dissimulationem indignationis, in mê concitatæ, supprimere! (non est hæc mea, sed gravissimi, recèns conversi Peccatoris Actio; quæ tribunali divino non jam latronem, qui periit, sed illos accusat peccatores; qui, cum inexpiabilî sui Servatoris injuriâ, suôque non relevabilî damnô, despectîs omnibûs Clementiæ divinæ beneficiîs, desperando, semetipsos condemnant) Quid enim audio? quid insuper video? Perhorresco dicere! magìs autem, tacere pertimesco; quod forsan ipsi, qui premuntur, nunquàm tantâ sibi cum gravitatê persensérunt incumbere! An autem humana ratio, vel christiana fides, tam densâ potest obnubilationê, per funestos tenebrarum avernalium spiritus confundi? scripturarum ut omnium divinam autoritatem, ac promissorum cœlestium adorandam veritatem, per mysteria Redemtionis, Mundo manifestata, firmatam, cum perpetuâ Patrum assecurantium antiquitatê, sic suis eripi patiantur internis obtutibus; ut omnem omninò spem exspirare, divinâque, licèt infinitâ, desperare de Clementia possint, etiam credentes in Christum; quem tamen certũ, & fidelem, & omnipotentem *Advocatum habere* se nôrunt, *apud Patrem*? Proh! injuriâ! ah! dementiam! vah! scelus, nullâ satis objurgationê damnabile! Dictum quidem ab Africanô Præsulê, *grande scelus*; *non credere spem pœnitentiæ*: non æquè tamen & hoc, pro sceleris enormitatê, pronunciatum videtur, sicut aureô definivit orê S. Chrysostomus: *Nihil deterius desperationê.* Vel, ùt Glossa Salomonis inquit: *Nihil execrabilius desperationê! quia, non tantos peccatum *, quantos desperatio perdidit.* Sanè major supremi Numinis offensa, culpa gravior, aut atrocior non est injuria, quàm ea; quæ, cùm veniam nullam sperat, nec implorat, infinitam DEI bonitatem, atquè potentiam, sic ab humanâ credit impietatê superatam; ut nequè possit ultrà, nequè velit porrò clementer ignoscere pœnitenti. Quod quidem ob judicium nihil desperationê cogitari potest, vel, â fidê magìs alienum; vel, pietati vehementiùs repugnans; vel, dictaminê rectæ rationis, apertiùs orbatum: cùm, præter immanem illam, quam inferunt spiritui gratiæ, contumeliam, *illi, qui desperant de indulgentiâ DEI, ipsâ desperationê, intùs se suffocent* (Augustinô judicê) *ut eos Spiritus Sanctus visitare non possit.* Quid autem hâc suimet peremtionê, divinique Spiritûs (cujus unius,

1. Joan. 2. v. 1.

S. Cyprian.

S. Chrysost. Homil. 6. de pœnit. post med. Tom. 5. Col. 872.

Glossa in cap. 24. Proverb. si desperaver.

* S. Chrys. Hom. 87. Col. 694.

S. Augustin. Homil. 27. ex 50. Tom. 3. pag. 331.

unius afflatu vivificô tota noſtri ſpiritûs vita viget, extinctáque reſumitur) quid, inquam, ejuſdé Spiritûs extinctionê, tùm & excluſionê tam violentâ, crudeliùs, quid inſaniùs, & ipſi rationali naturæ magis contrarium, execrabiliúsque poſſit accidere, nusquam invenio.

XII. Sed illud veſtram potiſſimùm exaggerat impietatê: quòd, poſt innumera ſacrorum Vatum oracula, divinæ ſuavitatis, & miſerationis non tam præconia, quàm promiſſa; poſt evangelicas, ab ipsô Veritatis æternæ ſuſceptas orê parabolas, non tam Clementiæ, pœnitentiam expectantis, & indulgere volentis argumenta, quàm invitamenta fiduciæ noſtræ manifeſta, nè quicquam tamen fidei, tantæ Sanctitati, Pietati, Sapientiæ, Virtuti, Potentiæquè (cui totus, quâ patet, Orbis, integerrimâ ſe credulitatê, ſecuritatêque, dubiô procul omnî, devotiſſimâ committit) paucîs duntaxat â vobîs adhibeatur. Quid enim hoc aliud eſt (ſi ſeveriùs, & accuratiùs expendatur) ac; *mendacem facere DEUM*? qui tamen, *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus: ut remittat nobis peccata noſtra; & emundet nos ab omni iniquitatê. Fidelis eſt*; audîſtísne? Cur id non cogitâſtis? cùm è pulpitô ſacrô, DEI nominê loquens, Propheticîs vos verbîs hortator admonuit; nunc, è regiâ ſuaviſſimè canens tubâ: *Sperantem in Dominô miſericordia circumdabit*! nunc, ex eâdem tubâ fortiùs, ac vehementiùs inſonans: *Nunquid in æternum projiciet DEUS? aut non apponet; ut complacitior ſit adhuc? aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet, â generationê, in generationem? Aut oblivîſcetur miſereri DEUS? Aut continebit in irâ ſuâ miſericordias ſuas?* Quis vos faſcinavit? ut mentê confuſi tunc non memineritis: *Fidelis eſt*! quando divinæ ſtipulationis argumentum, Ezechielis autoritatê firmatum, ſolicitus vobis veſtræ zelator ſalutis exhibuit: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibûs peccatîs ſuîs, quæ operatus eſt; & cuſtodierit omnia præcepta mea; & fecerit judicium, & juſtitiam; vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor. Nunquid voluntas mea eſt, mors impii? dicit Dominus Deus: & non? ut convertatur á viîs ſuîs, & vivat?*

XIII. Jam verò, quô ſpiritu Sapiens afflatus fuit? aut, quô de ſpiritu, quæ mirabiliter intellexit, aſſeverationê tam ſacrâ teſtificatus enunciavit? *O, quàm bonus, & ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibûs*! *Miſereris omnium, qui omnia potes; & diſſimulas peccata hominum, propter pœnitentiam. Parcis autem omnibus; quoniam tua ſunt, Domine! qui amas animas*! Et iterum, alibi: *Quàm magna miſericordia Domini*!

1. Joan. 1. v. 9. 10.

Pſalm. 31. v. 10.

Pſalm. 76. v. 8.

Ezech. 18. v. 21. 22. & 28.

Sapient. 12. v. 1.

Sapient. 11. v. 24. 27.

Eccli. 17. & v. 28.

& , propitiatio illius, convertentibus ad se! Sed ipsa, visibilis in humanâ carnê Sapientia, Bonitas, & Clementia DEI, num fallere nostram potuit, aut voluit fiduciam? vel, cùm invitavit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos!* vel, ubi constructæ, de Publicanorum, Peccatorúmque familiarî conversationê, per Pharisaicam obtrectationem calumniæ *respondens JESUS*, præcipuam causam adventûs, officiíque sui, verbîs apertissimîs declaravit: *Non egent, qui sani sunt, Medicô; sed, qui malè habent. Non veni vocare justos; sed peccatores.* Ad hæc, electus â Dominô miserationum ejus Prædicator, *misericordiam* ipse *consecutus* Apostolus, nunquid fidelis, & justus, omnîque fidê dignissimus est? Ille verò, terrificus, ac, tantùm non accusans, minatur interrogando: *Existimas, quia tu effugies judicium DEI? An divitias Bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras; quoniam Benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in diê iræ.* Nunquid ista debebant ad fiduciam, obnixos, & incurvatos erigere? Sed illa, quæ de sêmet idem Apostolus prædicavit, expertus, nunquid invitationê suavissimâ debebant pariter pœnitentiam, propê jam perditis persuadere? *Fidelis* enim *sermo, & omni acceptionê dignus: quòd Christus JEsus venit in hunc Mundum, peccatores salvos facere; quorum primus ego sum. Sed ideò misericordiam consecutus sum; ut in mê primô ostenderet Christus JEsus omnem patientiam, ad informationem eorum; qui crediturí sunt illi, in vitam æternam.*

Matth. 11. v. 28.

Luc. 5. v. 31. 32.

1. Corinth. 7. v. 05.

Rom. 2. v. 4. 5.

1. Timoth. 1. v. 15.

XIV. Quotiès vobis Oviculæ, sylvarum inter avia, dumetáque perditæ, deplorandus error, cum inquisitionê solicitâ Pastoris indefessi, de suggestô sacrô revocatus in memoriam fuit? Quotiès Adolescentis prodigi miserabilis, & ad porcorum siliquas redacta mendicitas, extremáque calamitas infelicis illius luxuriæ, benignissimô tamen amplexu Patris, cum primô statim pœnitentiæ revertentis intuitu, susceptа, basiîsque dulcissimîs resocillata, non tam cogitanda, quàm oculis conspicienda, sacros per Oratores, aut expiatoriîs in tribunalibûs objecta fuit? Et non debebant hæc, totiès ingesta, certam, firmámque divinæ promissionis illius veritatem, vestræ pariter infallibilem fiduciæ persuadere: quòd *ità gaudium erit in cœlô, super unô peccatorê, pœnitentiam agentê; quàm super nonaginta novem justis; qui non indigent pœnitentiâ?* Quid enim Publicanorum, & Peccatorum familiaris ad Servatorem accessus, & ejus, cum iîsdem, plena suavitatis, & gratiæ conversatio, si-

Luc. 15. v. 7.

Matth. 5. v. 30.

nistrîs

niſtrîs non ſemel oculîs, in contagii flagitioſi ſuſpicionem, â Phariſaicô ſuperciliô recepta? Quid mulieris, totâ Jeroſolymâ diffamatæ, ſeptenorúmque mancipatu dæmonum execrandæ, non avidè ſolùm, &, in alienô quæſita locô converſio; ſed, ejuſdem etiam properatæ converſionis, continuò, primas ad lacrymas (quibûs, in terrâ abjecta, cœpit rigare pedes) inclinata receptio, miſerationis, & indulgentiæ plena; per quam totius vitæ ſordes momentô ſublatæ, venuſtas autem illi, ſpiritibus etiam beatis, non amabilis minùs, quàm venerabilis collata fuit? Quid ille porrò, non unius talenti, ſed millenorum, eorúmque deciès jam cumulatorum inſolubilî ponderê, nimiùm quantùm gravatus debitor, ad unicam imploratæ patientiæ deprecationem, continuò, totius tùm debiti, tùm obligatæ ſatisfactionis onerê, per infinitam clementiam abſolutus? Quid illi, qui poſt vitæ totius, non otioſê tantùm, ſed malitioſê transactæ, jacturam irreparabilem, omnî laborê, debitôque ſtudiô ſalutis, in finem usquè neglectô, nequè, niſi poſtremâ duntaxat, undecimâ ſcilicèt horâ, vocantem ad vineæ cultum (id eſt, ad animæ, cœleſtisq; vitæ curam) extremô tandem temporê Deum ſecuti, parî tamen, cum cæterîs, â primô diluculô fatigatîs, retributionê mercedis donati? Quid ille, contriti cordis unicâ percuſſionê, præ Phariſæô, juſtitiæ ſuæ tumidô præconê, juſtificatus, &, in ſua de templô tecta, Dominô pronunciantê, dimiſſus Publicanus? Quid mulier, in adulteriô deprehenſa, contrà judicialem Scribarum, legísque zelatorum criminationem, â divinô, maleficorum omnium Advocatô, non temporaneæ tantùm, cujus poſtulabatur, lapidationi ſubtracta; ſed inſuper, altiorî poteſtatê, ſupplicii quoquè ſempiterni pœnîs integrè remiſsîs, abſoluta? Quid poſtremò Matthæus, â quæſtuoſæ negotiationis infamî commerciô, per tranſitum reſpectus, ac, ad Apoſtolici muneris dignitatem avocatus? Quid Zachæus, iniqui lucri congeriê depreſſus, ultroneâ miſericordiæ, miſerum prævenientis viſitationê, conſummatam ad juſtitiam elevatus? Et, ut in unô deniquè commemorem infinitos miſericordiæ divinæ theſauros, vel (prout ipſe nominat Paulus) *omnem patientiam Chriſti*: quid ille, *priùs blasphemus, & perſecutor, & contumelioſus*; eô verò momentô, quô ſe totum ictui divino conceſſit, vas electionis, & Evangelii prædicator, & nominis divini glorioſiſſimus propugnator effectus? Quid, in revelationê ſuperabundantis gratiæ,

Luc. 7. v. 38.

Luc. 18. v. 14.

Matth. 18. v. 24.

Matth. 20. v. 8.

Joann. 8. v. 3.

Matth. 9. v. 9.

Luc. 19. v. 5.

1. Timoth. 1. v. 16.

Actor. 9. v. 15.

tiæ, tam frequentî, tam copioſâ, mirabiliter adeò miſericordiam conſecuti tot, perſuadere vobis aliud, vel potuêre, vel debuêre? nisi, veriſſimè dictum â Davidê fuiſſe: *DEUS meus! miſericordia mea! miſericordia ejus præveniet me!* *Pſalm. 58. v. 18. & 11.*

XV. Nec fuit, â mundi peccantis infelicî principiô, tam enormiter aggravatæ quisquam iniquitatis; qui non paratam inveniſſet malitiæ ſuæ veniam; ſi reverti voluiſſet, & invitantis gratiæ nutum, protervê, deſperatéque non deſpexiſſet ipſe. Conditoris illa prima benignitas, quæ peccatores Proto-parentes â veſtigiô conſecuta, quos perdere continuò potuiſſet, clementiſſimè toleravit, & ad pœnitentiam per patientiam invitavit, quantam non perſuadere fiduciam de divinâ miſericordiâ peccatoribus poſteris debuit? Nunquid originariæ contaminationis autor, Adam, inquinatus jam interdicti fructûs abuſu, cùm defugere judicii cenſuram per latebras inquiſivit, benigniſſimâ compellationê requiſitus: *Adam! ubi es?* ad pœnitentiam, nè penitùs interiret, invitatus eſt? Num *Geneſ. 3. v. 9.* perditum, damnatúmque voluit, crudelî profuſionê fraterni ſanguinis pollutum Cain, illa Pietas? quæ diſſimulatâ criminis arociſſimi notitiâ, conſcientiam lenî tantùm ſciſcitationê pulſando, quæſivit: *ubi eſt Abel, frater tuus?* *Geneſ. 4. v. 9.*

nec aliud, eâ poſtulationê, quàm pœnitentem admiſſi Fratricidii confeſſionem expectavit? An præciſâ totius indulgentiæ ſpê Mundum univerſum conſtituit inevitabilîs Cataclyſmi ſuppliciô delere ſcelerum vindex juſtitia? quæ quotidianîs ictibûs, in Arcæ fabricationê ſonantibûs, averſos â ſuâ Bonitatê maleficos, annîs, plùs quàm centenîs, ut reverterentur, nullô non diê placabilis provocavit? An non DEus Clementiæ viſus eſt Abrahæ? dum, inſultantibûs cœlo Sodomorum clamoribûs, ignis vindicis pœnas, non tantùm jam paratas continuit; ut interim enormium ſcelerum abominationem tot execrationibûs accuſatam, ſuîs ipſe priùs oculîs exploratam agnoſceret: ſed, cùm etiam iteratas in pactiones benevolè ſe paſſus induci, tandem, adeò propenſam, ad ignoſcendum, infinitæ ſuæ miſericordiæ voluntatem faſſus eſt; ut ob denos etiam, criminis expertes, continere decreverit illius terri- *Geneſ. 18.* bilis exterminatoris ignis univer- *v. 32.* ſale ſupplicium? Hæc autem adeò luculenta reconciliationis divinæ teſtimonia, multùm ſanè ponderis, ad veſtram, cum fiduciâ, fidem, in illa Præſulis Hipponenſis conſolatoria verba flectendam oportebat habere: *Nos te provocamus ad iram: tu autem conducis nos ad miſericordiam. Nos irritamus* *S. Auguſt. in Tract. de viſit. Infirm. ſerm. 1.*

tamus te ad furorem: tu autem difers vindictam. Juſtô exterminiô punire poteras peccantes; ſubvertere negligentes: ſed patientia tua expectat; ut corrigamur pœnitentes. DEUS ergo meus, miſericordia mea! Quod enim ſuſtinet DEUS, juſtus Judex, patienter, totum DEUS eſt. Nequè enim aliter DEUS eſſes; nisì flectereris, nisì patereris, nisì miſererereris, DEUS meus, miſericordia mea!

XVI. Et verò, niſi DEUS, Miſericordia, peccatori cuilibet, eam imploranti, ſperantíque foret: unde vincula Moyſes illa fortia, ſtringentiáque texuiſſet; quibûs non retinere tantùm, ab excidiô populi, paratam vindictam, ſed placatum tenere pariter Numinis miſerantis affectum valuiſſet? Unde Manaſſes, nullâ non gentium abominationê, nullâ non impietatê flagitioſiſſimâ prægravatus, ac, tantùm non ad barathrum jam infernale depreſſus, relevando cordi ſpiritum attraxiſſet; &, integram ad pœnitentiam, inter arctiſſimæ captivitatis anguſtias, reſpirâſſet? Unde Nabuchodonoſor, affectatæ divinitatis arrogantiâ faſtuoſus. & ipſi ſupremo Numini per infrunitæ mentis inſolentiam inſultans, cordêque jam totô cæcatus, divinum illud lumen accepiſſet; cujus affulgentê radiô colluſtratus reſipuit, pœniténs-que benedixit Altiſſimo, laudans, & glorificans Poteſtatem, & Miſericordiam ejus? Hæc, aliáque ſcelerum graviſſimorum ſupplicia, deprecationê pœnitentiæ mitigata, cum ipſâ pœnitendi gratiâ, ſceleratis, ac, minùs nihil, quàm, reſpici, recipíque meritis, deſuper clementer indultâ, quid, obſecro, manifeſtiùs exhibent, & evincunt; niſi graviſſimam, ex obſtinatâ deſperationê, divinæ Clementiæ, Pietatis, & Bonitatis injuriam? Quia *ſemper* (ùt Antiochenus Theophilus veriſ-*Theophil. Antiochen. Lib. 3. ad Antol.* ſimè pronunciavit) â conditô Mundô, *DEUS hoc egit; ut hominum genus ad pœnitentiam converteret: quô liberarentur ab omnibûs peccatîs.* Fuit hoc ipſum, quod ſanctum Chryſoſtomum, velut Areopagi decretoriâ ſeveritatê, judicare fecit, atquè decernere: quòd, *Peccantes non pœnitere, magìs DEum exacerbat; quàm, peccare.* Sed, undè putatis auctarium hujus injuriæ, quæ per impœnitentiam exaggeratur, invaleſcere? Divus idem Antiochenus Præſul id exprobravit: *Hominem quidem exacerbans*, ait, *& amicos, & vicinos, rogas: & ſivè ſemel, ſive ampliùs te repulerint, iratus non recedis; ſed auges ſupplicationem. Deô verò tuô exacerbatô, oſcitas, & recedis, & deliciis vacas! Quomodò non ex hôc ipſô magìs irritabis eum? Quàpropter non dignus es, terram ſubire; nec hunc ſolem intueri; nequè penitùs ſpirare: quòd, tam facilem habens Dominum, & eum exaſperas, & exaſperans, pœnitentiam non agis.*

Exod. 32. v. 10. 14.

2. Paralip. 33. v. 13.

S. Chryſoſt. Homil. 46. ad Popul.

Idem Ibid.

Daniel. 4. v. 31. 34.

agis. Advertistis enormitatem injuriæ? nec injuriæ tantùm; sed (cùm in faciem divinæ pietatis hæc insoleſcat pertinacia) contumeliæ, quâ Deum Clementiæ, Patrémque misericordiarum offendistis, immane pondus num observâstis? num intellexistis? num expendistis?

XVII. Nihil causæ vestræ prætendere per ignorantiam divinô coràm tribunalî potestis; ubi conscientiarum abdita redarguuntur. Quid enim erigendîs in spem animîs vestrîs, aut privatim, in utrámque vobis aurem solicitè non suggestum? aut è suggestîs, publicîsque pulpitîs, non copioſè, zeloſéque fuit ingestum? ut, mœrorê discussô (quem tenebrarum desperatarũ Princeps, umbrîs undequaquè congestîs, atrum nimìs, funestúmque reddiderat) ad interiora propositæ vobis Clementiæ sereniorem vultum admitteretis? Memineritis: quòd, utì mihi, sic vobis, ex Hipponensî Præsulê, cautio salutaris eâdem ab exedrâ, sed, proh! eventu quàm disparî, pro concionê pariter conjunctis, injecta sit: *Si quis jam lapsus, & nimiô sceleris ponderê oppressus, desperare jam cœpit; attendat vulneris magnitudinem; sed, non desperet Medici potestatem. Peccatum enim cum desperationê, certa mors est. Nemo dicat: si jam aliquid mali feci, jam damnatus sum: DEus malis talibus non ignoscit. Cur non addo peccata peccatis? Fruar seculô in voluptatê lasciva, in cupiditatê nefariâ. Jam perditâ spê reparationis, vel hoc habeam, quod videO; si non possum habere, quod credo. DEUS enim noster, sicut cautos fecit, quando ceciderunt; sic desperatos esse non vult, qui ceciderunt.* Habuit autem hæc, insuper omnia, pertinacia vestra; quæ sensum omnem pietatis avertit, exclusit, protrivit, intuitu reatuum objectorum adeò depravata; nihil ut audiret aliud, quàm irrugientis conscientiæ fremitus, accusationê perpetuâ solatiorum omnium delinimentis reclamantes: *Peccavi!* &: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contrà me est semper!* Psalm. 50. v. 6. & 5.

S. Augustin. Lib. 50. Homil. Homil. 21.

XVIII. Quid verò criminis, aut peccati fuit illud; cujus horrorem nulla DEI, demonstrata vobis, miseratio dissipare; cujus clamorem nulla potuit ejusdem infallibilis remissionis promissio suffocare? Declamatum ex aureô fuit orê? *Si impius es? cogita Publicanum: si immundus es? attende meretricem: si homicida es? perspice latronem: si iniquus es? cogita blasphemum: considera Paulum, priùs persecutorem, posteà annunciatorem. Nullum enim est animæ incurabile vulnus.* S. Chrysost. Homil. 1. in Psal. 50. Tom. 1. pag. 724. Idem Homil. 40. ad pop. Nequè multitudo flagitiorum, atquè varietas cumulata, totam opprimere spem debuit vestram; quibus Tertulliani doctrina, lancem in alteram, suprà peccatorum

rum omnium pondus exaggeratum, ſublevandæ fiduciæ veſtræ fuit adjectum: *Omnibus delictis, ſeu carnê, ſeu ſpiritu, ſeu factô, ſeu voluntatê commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit, dicens ad populum: pœnitere, & ſalvum te faciam.* Acceſſit è clementinâ D. Vincentii tubâ clangor ſuſcitans, animánsque: *Si aliquis occidiſſet omnes Apoſtolos; & peccâſſet cum omnibûs mulieribûs; & crucifixiſſet Chriſtum: ſi pòſt, cum dolorê cordis veniret ad Chriſtum, & peteret veniam; ſtatim parceret illi!* Nè quicquàm verò tam ſuavis etiam, duriſſimâque penetrare ſaxa potens, cantatæ miſericordiæ ſonus, veſtram valuit expugnare duritiem: ut labra, deſperatè preſſa, ſalubrem in gemitum, primúmque ſpei reſpirium panderetis, occurrentê jugiter in labia, deſperatæ mentis ructu crudiſſimô: *Plaga mea deſperabilis, renuit curari!* Jam *inveteraverunt oſſa mea!* non eſt tempus miſerendi ampliùs! Et hæc nequè tùm quidem compeſci ſuſtinuiſtis: cùm ex Divô, divini cùm Juris, atquè Juſtitiæ, tùm Bonitatis, atquè Miſericordiæ conciliatorê, Juſtinianô, confirmata fuit, non ſinè grandî ſtuporê, velut *mira res! mirabilísque miſericordia DEI, & Redemtoris noſtri!* *Gemit peccator intrà ſe, dolétque perpetráſſe delictum: & confeſtim placatur Altiſſimus!* Meminiſtis perceptа? *Confeſtim*, quâcunque gemuerit, noviſſimâ licèt, horâ peccator, *confeſtim placatur Altiſſimus! Non præfigitur certum tempus ad pœnitentiam. Quotiès ingemuerit, non recordabor. Si ſemel, ſi bis, ſi deciès, ſi centiès, ſi milliès illum peccâſſe pœnituerit, iniquitatum ipſius nequaquàm memor ero.*

Tertullianus. L. de pœnit. cap. 4.

S. Vincent. Ferrerius ſerm. 1. Dom. 4. poſt Trinit.

Jerem. 15. v. 18.

Pſalm. 31. v. 3.

XIX. Quid igitur diffidentiam veſtram, in tam enormem injuriam Ter Optimi Numinis exacuit; ut minùs, quàm â probatæ propitiationis hominê (cujus tamen omnis, qualiscúnque clementia, dimensîs terminîs, numerîsque conſtat) ex miſerationis ejus abyſsô, nullîs miſerabilium deprecationibûs exhaurienda, cauſæ veſtræ tam deſperatæ promitteretis? Novîſtis (etſi fòrs credere noluiſtis) *DEI Clementia menſuram non ſuſcipit* (ità dictum non ſemel, inculcatúmque vobis ex D. Chryſoſtomô fuit) *nequè ipſius Bonitas verbô interpretari poteſt. Tua quidem malitia menſuram habet: DEI verò Clementia, & Pietas, incircumſcripta eſt. Ipſa igitur malitiam tuam ſuperat. Cogita ſcintillam, ſi in mare ceciderit; num poterit ſtare, aut apparere? Quantùm ſcintilla ad mare ſe habet; tantùm hominis malitia, ad DEI Clementiam, & Pietatem. Imò verò non tantùm; ſed, & longè ſuprà. Nam & pelagus, tametſi magnum ſit, recipit menſuram: DEI verò Clementia, & Pietas, menſuram non habet.* Id autem ex hâc divinâ veri-

S. Chryſoſt. homil. 3. de Pœnit.

S. Laurent. Juſtinian. Lib. de Obedient. cap. 15.

veritatê (nisi fidem, omnémque rationis usum addensata nimiùm impietas obruisset) conficiendum erat: ut, exaggeratîs criminibûs, accumulatîs peccatîs, eorúmque malitiâ, per legum omnium rigorem excussissimum aggravatâ, tametsi diuturna jam, imò vitæ totius, in flagitiîs traductæ, continua, sacrilegiîs insuper adjectîs gravior adhuc impœnitentia, conjuncta fuisset, vel hôc ipsô tamen, quia Dei Clementia, Pietásque mensuram nullam habere cognoscitur, venia pro commissîs, gratia, pro confessîs, remissio, pro detestatîs, plenáque tandem reconciliatio, cum indulgentiâ, pro quibuscúnque sincerè deploratîs flagitiîs, nequaquàm desperanda, nisi per summam supremæ potestatis, ac infinitæ Bonitatis injuriam censeretur. Hanc enim, velut ultimum extremæ malitiæ terminum, ità detestatur propitius ille Ter Optimus Clementiæ Deus (cujus natura, Bonitas) ut eidem, quasi soli, peccatorum omnium iniquissimo, per Isaiam videatur voluisse comminari sempiternũ *Væ! Væ, genti peccatrici, populo gravi iniquitatê, semini nequam, filiis sceleratis!* Quænam adeò severæ comminationis causa? *Dereliquerunt Dominum; blasphemaverunt sanctum Israël; abalienati sunt retrorsum!* Advertitis improperantis judicii censuram? Non, quia gens peccatrix; non, quia populus iniquitatê gravis; non, quia semen perversum; non, quia filii scelerati, damnationis vapulant maledictô: sed, quia tantîs, ac tot peccatîs, iniquitatibûs, nequitiîs, atque sceleribûs gravati, *Dominum* tamen *dereliquerunt*, ad veniam invitantê: &, quia *Sanctum Israël*, cujus misericordiæ non est numerus, & Bonitatis infinitus thesaurus est, *blasphemaverunt*, inferiorem suâ malitiâ Clementiam ejus infamantes: ac tandem, quia desperatâ penitùs omnî gratiâ, per vecordiam, *abalienati sunt*, â Pietatê, *retrorsum*, ad impietatem suam reversi. *Propter hoc enim venit ira DEI, in filios diffidentiæ*: prout Apostolus improperavit Ephesiis.

Isaiæ 1. v. 4.

Ephes. 5. v. 6.

XX. Meritò quidem hæc diffidentia totam in se, cùm iræ, tùm justitiæ divinæ tempestatem non concitat solùm, sed exigit. Hoc enim crimen illud, atrocissimum omnium, est; quô, præter horrendam blasphemiam, & irrogatam spiritui gratiæ contumeliam, evacuatur infinitus ille meritorum Christi Servatoris thesaurus; qui, tanquàm non sufficeret uni (licèt superabundans, etiam infinitis redimendis) dum non assumitur in stateram, descendere non modò sinitur, sed voluntariè rejicitur *in corruptionem*. Ad hæc, omnia divinæ Veritatis oracula, tot Va-

in Psalm. 29. v. 10.

tum

tum promiſſionibûs prædicata, tot prodigiîs mirabilis indulgentiæ roborata, mendaciorum inſtar, dum fides non adhibetur, vilipenduntur: &, quòd in hâc diffidentiâ maximam inſaniam arguit, ipſa ſe, ſuâmet ſententiâ damnans, magìs eligit mortem, quàm vitam; dæmoníque mavult credere, ſuggerenti deſperationis conſilium, in perditionem; quàm ſuo confidere ſe Servatori, merita Crucis offerenti, cum certæ fiduciæ patrociniô, pro ſalutê!

XXI. Ità verò deliberatâ malitiâ ſeſe præcipitantes, nec abſterreri, nec ab interitu ſe retineri patientes, quidnî tua, juſtô judiciô perire ſinet, ùt ſpreta miſericordia, ſic & offenſa juſtitia, Judex juſtiſſime? Geminis his, Æquitatis, ac Pietatis tuæ brachiis, dum adeò pervicaciter obnixi ſe ſubtrahunt, an digni ſunt, qui trahantur in cœlum? undè, non ſolâ voluntatê ſunt averſi; ſed, eversîs, perversîsque per deſperationem, omnibûs revertendi mediîs, jam ſemetipſos excluſos, indignósque tuâ miſerationê reddiderunt? Ità quidem hàc tenùs arcanas tuæ juſtitiæ leges, per Afrum Oratorem edocti ſuſcepimus, atquè credidimus: quòd *illi Blaſphemo, qui de Domini deſperavit potentiâ, nulla potuit ſubvenire Clementia: nec potuit illi Crucis prodeſſe conſortium; cujus malitiam non expiabat pœnitentiæ lavacrum.* Damnationis character funeſtiſſimus ex deſperationê pateſcit: cùm illa ſpirituum abjectorum æterna damnatio, velut effectus quidam obſtinationis perpetuæ ſit, atquè voluntatis, pœnitentiam execrantis, deſperantisque, continuum ſinè finê ſupplicium. *Illius enim æternæ Civitatis januas*, nullum delictum adeò peccantibus obſerat; quin, ſi pœnitentes advenirent, omnem in partem patentes invenirent: ſola tamen *deſperatio claudit*, itáque deſperantes excludit; ut, *cùm pejor ſit omnî peccatô deſperatio, perpetrare flagitium aliquod mors quidem animæ; deſperare verò, ſit, in Infernum deſcendere*: prout ex Iſidorô jam aliàs definitum. Nec alia fuit ab hâc, vel ſuperiorî de locô prædicata, vel privatîs ad pœnitendum hortatibûs impreſſa vehementiùs, atquè vetus eadem, Divi Patris Baſilii doctrina: *Cùm DEUS velit miſereri; quia bonus eſt: & poſſit; quia omnipotens eſt: ille contrà ſe divinæ Bonitatis januam claudit; qui DEum ſibi miſereri, aut non velle, aut non poſſe, credit; eúmque, aut bonum, aut potentem eſſe diffidit.* Cùm autem hîs omnibûs veritatibûs, objectîs quidem, ſed abjectîs; cunctîsque terroribûs injectîs, at rejectîs, impetrari nè quicquam tamen ab hâc, obſtinatâ veſtrâ, pereundi voluntatê potuerit: ut, receptô ſalutis conſiliô,

S. Cyprian. de Paſſione.

S. Petrus Chryſolog. de reparat. lapſi.

S. Iſidorus Hiſpalenſ. Lib 1. Synon. & Libr. 2. de ſummô Bonô.

S. Baſil. cit. à Mancinô. in Paſſ. ant. novâ. Lib. 3. Diſſert. 2. Punct. 1.

filiô, misericordiam divinam supplex adoraret, veniam imploraret, acta deploraret, animôque, sincerè contritô pœnitens, promissam sibi flagitiorum remissionem, suppliciorum condonationem, bonorum deniquè cœlestium, & gratiarum despectarum, amissarúmque redditionem per eum speraret; in quem suavissimâ, non tam reprehensionê, quam percunctationê, frequentissimè fuit jam postulata fiducia, per illa Præsulis Valentini verba: *Quomodò te damnabit pœnitentem? qui propter hoc moritur: nè damneris!* non merentur sanè, nisi gravissimum judicium; qui nullum audire consilium, nullum auxilium admittere, nullum amplecti remedium voluerunt!

S. Thomas de Villanov. Tract. de Adv. Dom.

XXII. Auxilia despecta, remediáque (sed, proh! qualia? quàm opportuna? quàm facilia? quàm levia, suaviáque remedia?) contempta, rejectáque, justissimus Actor accuso! Non enim ullus â vobîs, antiquæ severitatis rigidus exactor, aut Massiliæ specum, spectrîs horrendam; aut Ægypti deserta, jejuniîs arida; vel Pelagiæ cellam, cœli privatam intuitu; vel Jacobi sepulchrum, contubernale cum defunctîs; vel ferreas Guilielmi catenas, fabri malleô lumbis annexas exegit: nullus hirsutam è setîs tunicam, lascivis voluit superindui membris; aut adstrictîs exulceratam aculeîs carnem, in vermes consumi, pœnitentiæ decretô constituit. Nemo, pro cumulatîs usurîs, in dolium, serpentibûs plenum, vos jussit insilire, mordicùs absumendos. Nemo perpetuîs Xenodochiorum obsequiîs vestras libidines; aut, aquâ lacrymîs amaricatâ, vestras ebrietates; vel chameuniarum asperitatê, vestra cubilia; vel mollitiem vestram, acrimoniâ cinerum; vel Persicum luxum, & illecebrosa prostituti pudoris, irritamenta potiùs, quàm indumenta, cilicii, saccique jugî fricationê damnavit. Mitiora longè gratiosi discretio Tribunalis â vobîs exegit. Unicum Davidis, contritô cordê suspirantis, verbum postulatum est: *Peccavi!* Manassis, per vincula coangustati, gemens deprecatio; Petri, periculum deserentis, lacrymosa detestatio; Magdalenæ, cum fiduciâ supplex, ad Servatoris pedes abjectio; Latronis manifesta, de divinâ miserationê confessio, cum integrâ superstitis adhuc vitæ conversionê, desiderata duntaxat, & expectata fuit. Quid autem ab hîs vos absterruit? quid ista prohibuit? conclamantibûs etiam unâ você pœnitentibûs universîs, & ad gratiam secum percipiendam, quotidiè, cum D. Villanovanô Thomâ, vocantibûs, cum assecurationê: *Major est illa pœnitentia!*

Bzovius ad An. Christ. 1198. num. 21.

Petr. Sanchez. p. 4. cap. 7.

2. Paralip. 33. v. 13.

S. Thomas de Villanov. serm. 1. de Exalt. Ma-S. Crucis.

Pſalm. 137. v. 8. *Major eſt illa*, Crucifixi ſcilicet Servatoris, *hoſtia*! *Dominus, inquit Propheta, retribuet pro mê! Jam non requiritur à mê condigna ſatisfactio pro peccatô. Sufficit mihi ad omnem juſtitiam Crux Chriſti, non ſolâ fidê, ſed verâ DEI dilectionê, & peccatorum diſpliscentiâ apprehenſa.* Magnus ipſe pœnitens Auguſtinus, quoties corda veſtra ſupplex hortator aggreſſus, & ad fiduciam excitare conatus eſt, inclamando: *Peccavimus? corrigamur! Nondum finita eſt via: nondum clauſus eſt dies: nondum exſpiratum eſt*! Quoties Romanâ clarus purpurâ Petrus, ad Golgothæi Fori patrociniũ Cauſam veſtram direxit, &, in Crucifixum DEI Filium intentô digitô, ſpem certam perſuaſurus, rogavit: *Meditare poſitionem crucifixi corporis: & vide: ſi aliquid eſt in eô; quod non peroret pro tê apud Patrem?* An minùs efficax vobis verbum illius, quàm humanæ videbatur eloquentia linguæ? *Si enim in hâc vitâ commiſit ſe homo diſertæ linguæ; & non timet?* quomodò (ſic ſubſtruxit Auguſtinus) *committis te Verbo; & periturus es?* Quid hæc autem adeò copioſè ſurdis exaggeravi? quìd ab induratîs expecto? quorum aures adeò deſperatè ſalutis inimicus obſepſit; ut nè quina quidem illa, DEI Clementiæ, ſolatiorum plena verba ſuſceperint: *Hodiè mecum eris in paradiſô*! Nihil illi nequè percipient, nequè ſuſcipient ampliùs ad ſalutẽ; ſurdi, donec audient, horrendô tonitru percuſſi: *Diſcedite â mê maledicti in ignem æternum*! *Matth. 25. v. 41.*

XXIII. Itanè, tuæ Crucis intuitu, Tê, non ſolùm nunc tacentê, ſed olim fulminantê, damnantéque, diſcedent iſti, qui tuo nunc Verbo diffidunt, in ſupplicium æternum? JEſu Crucifixe! Nullúmne patrocinium tot â vulneribûs? nullum, in abundantiâ mediorum remedium, perire volentibus proderit, ac obſtinatis? Ità quidem videmus, Tê tacentê, Latronem infelicem perire deſperantem! Heu! quid hoc monſtri terribilis? Aſt, ubi ſumus? Nunquid in Forô Juſtitiæ divinæ? *Crux ipſa*, ſic Auguſtinus monuit, *ſi attendas, Tribunal fuit. In mediô enim, judicê conſtitutô, unus latro, qui credidit, liberatur: alter, qui inſultavit, damnatus eſt.* Unus Advocatum pro ſê, ſolicitum, & Aſſertorem, qui converſus fuit, obtinuit: Alter Actorem contrà ſe, Judicémque vindicem, qui contempſit, expertus eſt. O pavendum, terribiléque diſcrimen! Nimirum, tùm jam ſignificabat: *quid facturus eſſet de vivîs, & mortuîs; alios, poſiturus ad dexteram; & alios, ad ſiniſtram.* Abſit; ut quisquam, hinc diſcedens, divinam ex hôc audeat incuſare juſtitiam: quòd non pariter, utérque, ſalvus factus eſt ex Advocati virtutê. Sententiam Præſulis

S. Auguſt. ſerm. 109. de Temp.

S. Petr. Dam. cit. à P. Kybler. loc. cit. n. 173.

S. Auguſtin. ibid. cit. num. 166.

S. Auguſt. Tract. 3. in Joann.

S. Auguſt. loc. cit.

lis Hipponensis accipite, tristibus hodierni Fori valvis præfixam: *Quòd DEUS aliis, gratuitâ vocationê conversis, misericordiam largitur indebitam; non ad Dispensatoris injustitiam, sed, ad donantis misericordissimam liberalitatem, veritatis rationê, referendum est. An audebit Debitor Creditorem iniquitatis arguere? si, alteri donans, ab eô, quod debet, exegerit? Si ergo, inter contractus hominum, nullus ex hôc præsumtionis locus est: ut, â sê dicat Debitor injustè exigi; quia scit, alii Debitori, ab eôdem, quod debebat, Creditorê donatum? quis in tantam insaniam profanæ vocis erumpat? ut injustitiæ Deum arguat: si uni indebitam donaverit gratiam; &, alteri debitam reddiderit pœnam?* Erit fortasse, qui quæret in tantô discriminê salutis, ac damnationis æternæ (quarum alteram, eâdem in pœnâ, sortitus est, indè conversus; alteram passus est, indè pejor, & aversus) *Quô meritô unus misericordiam accepit: alter verò in justâ damnationê remansit?* Ità quæsiverat Senensium quondam Ecclesiastes, Bernardinus. Posset hæc, judiciorum divinorum investigatio tortuosa, brevissimâ discussionê, per Africani Præsulis Theologicum illum Laconismum retundi: *DEUS potest aliquos sinè bonis meritis liberare: quia bonus est. Non potest aliquos, sinè malis meritis damnare: quia justus est.* Ipse verò Seraphicus Prædicator suæmet quæstioni respondit: *Aliter quidem hæc, cùm sit quæstio nodosa, non solvitur: nisi Dei misericordiam, & justitiam inspiciamus; & liberas hominum voluntates consideremus. Nam DEUS, ex suâ misericordiâ, donat peccata conversis; &, ex justitiâ, supplicia æterna ministrat aversis.* Estnè, qui possit adhuc opponere verbum? Ego sanè, dum verbum nullum ab Advocatô divinô, pro latronê, qui desperavit, ad Patrem interpellans invenio, mutúmque, desperantium in Causâ suspirantem, deprehendo; non habeo, nequè pro mê, nequè pro vobîs, quod loquar, nisi Verbum unum: *DEus meus! Misericordia mea!* Amen.

S. Augustin. Lib. de Prædest. & Grat. cap. 3.

S. Bernard. Senens. T. 1. serm. 55. cap. 1. p. 2.

S. August. lib. 3. contrà Fuli. c. 18.

S. Bernard. loc. cit.

Psalm. 58. v. 18.

FE-

FERIA V.

POST DOMINICAM V. QUADRAGESIMÆ.

SERMO VIGESIMUS SEPTIMUS.

In Forô V. Juſtitiæ Divinæ; ſeu, Montê Calvariæ.

Actio XIX. Condictio, ex Cap. in nonnullis 15. Extra: de Judæis.

Contrà Diſſimulationem impiam;
Quâ, non ſolùm enormiter blasphemantes privatim,
Sed, etiam hâc impietatê notati, & infames,
Cum ſummâ Catholicæ Fidei, Divinæquè Majeſtatis injuriâ,
Nequè, pro criminis gravitatê coërcendi deferuntur;
Nequè delati, vel aliunde noti,
Pro zelô divini Nominis judiciali poteſtatê plectuntur.

Cap. in nonnullis 15. Extra de Judæis.
Et cap. ſi quis per Capillum. 10. Cauſ. 22. Quæſt. 1. in medio.

Actor XIX. S. Ludovicus Rex Galliarum.

Severiſſimus Blasphemiarum, & inexorabilis Ultor,
Patentê Tribunalî ſupremô Juſtitiæ divinæ criminaliter accuſat eos;
Qui, cæterà, ſui præſertim Nominis, ardentiſſimi Vindices,
Deum verò Blasphemantes, aut ea, quæ referuntur ad Eum,
Nequè reprehendunt ipſi, vel, juſtô commoti zelô corrigunt;
Nequè, criminaliter plectendos, judicio deferunt:
Sed, vel metu temporalis moleſtiæ, vel aliô reſpectu abſterriti,
Aut ex animi frigorê, zelíque defectu diſſimulant.

Farin. de Delict. & pœn. Lib. 1. Tit. 4. q. 39. num. 102. S. Antonin. p. Chron. Tit. 19. Cap. 9. §. 4.

Myſterium XX. Actionis hujus Argumentum.

Converſus in Crucê S. Diſmas, Latro pœnitens,
Adverſùs Chriſtum innocentem, in Crucê morientem,
Blasphemum ſui ſupplicii ſocium palàm reprehendens,
Mutos, ad Blasphemias, Chriſtianos confundit.

Teſſera. Alter increpabat eum, dicens: Nequè tu times DEUM. *Lucæ 23. v. 40.*
Et clamavit JESUS você magnâ dicens: DEUS meus! DEUS meus! ut quid dereliquiſti me? *Matth. 27. v. 46.*

I. QUi funeſtam Actionem heſternam, adverſùs obſtinatæ deſperationis impietatem, & crimen, omnium enormiſſimum, cognatámque Dæmoniis ipſis, æternùm jam abjectis, condemnatísque malitiam, cum ſummi doloris indicê, graviſſimô ſuſpiriô, nullâ cauſæ, vel excuſatæ, vel abſolutæ, minimùm expreſsâ ſignificationê terminavit; idem ipſe Maleficorum omnium, diſertiſſimus, & efficaciſſimus Advocatus, preſſam longô ſilentiô vocem, ingentî clamorê dimittens, incipit hodiè (quamvìs exploratum non habeam: queríne contrà, vel, an tueri maleficos, eô ſuô clamorê conſtituerit?) lamentabilî você, vix diductîs valvîs divini Tribunalis, exclamare: *Eli! Eli! lamma ſabacthani!* *clamavit JEſus você magnâ.* Quid autem arcani ſuſpirium illud heſternum, ſuper criminationê ſeveriſſimâ, nullô Verbi divini patrociniô mitigatâ, vel diſcuſsâ, voluerit indicare, tandem ex Palæſtini Patris, atquè Doctoris Hieronymi, ſententiâ ſum aſſecutus. Eô namquè judicê, *ſolum Deſperationis crimen eſt, quod mederi nequit*: ut, in barathrum incidiſſe damnationis cenſendi ſint; qui deſperationis in voraginem præcipites abiîſſe noſcuntur: cùm, *deſperare*, ſecundùm etymologiam Iſidori, *ſit, in Infernum deſcendere.* Vidit hanc deplorandam cauſam Latronis, in crucê pereuntis (quia juxtà Crucem ſalvificam, omnem omninò ſalutem reſpuentis, ac deſperantis) medius inter utrúmque, non æquè tamen ab utrôque reſpectus, receptúsque, ſalvandis licèt omnibus in Crucê fixus, & mox, in atrociſſimi doloris amariſſimô ſenſu moriturus, JEſus. Quis igitur, ſuſpirii cauſam requiret? Quantùm autem cor illud ſacroſanctum, illa divini regia ſedes amoris, & omnis benignitatis, atquè miſericordiæ ſcaturigo, quantùm, & quàm acerbè doluerit? nulla poteſt humanæ mentis expendere conjectura. Tantùm enim abeſt ab hôc dolorê, cujuscúnque doloris acerbitas, quæ pietatis impendia, protervè deſpecta, rejectáque, cum exaggerationê fruſtrati laboris, & fatigatæ ſinè fructu charitatis expendens, apprehendit; quantùm omnes omnium hominum benevolas actiones, & , eviſceratæ totius humanæ charitatis, ac pietatis officia cuncta, DEI Servatoris, per unicam etiam, profuſi ſudoris, nè dicam cruoris, guttam, ergà mortalem, ac peccatorem hominem, abſolvendum, ſalvandúmque, teſtata liberaliſſimæ pietatis infinita dilectio tranſcendit. Hinc illud, altô tractum de pectorê, tacentis in Crucê Verbi, nec apicem qui-

Matth. 27. v. 46.

S. Hieronym. Lib. 2. Epiſt. 3.

S. Iſidorus, Lib de ſum. bono. C. 14.

ſent. 2. pag. 644. col. 2.

quidem ullum, aut literam allegantis pro Latronê deſperantê, ſuſpirium expreſſum eſt: cùm vidit, abundantiam ſuæ pietatis ab impiô deſpici; ſuámque Fidejuſſoris gratiam, pariter oblatam, non æquè, prout â ſociô, recipi; ſed obſtinatâ mentis infidelitatê reſpui; totúmque profuſæ ſuæ, cum Paſſionê, charitatis, & miſericordiæ fructum, in tantâ manifeſtationê divinæ largitatis, piiſſimæquè voluntatis, â voluntariô deſperantis interitu penitùs evacuari. *Illi* enim *Blasphemo* (prout alibi jam ex D. Cypriani doctrinâ memini) *qui de Domini deſperavit potentiâ, nulla potuit ſubvenire Clementia: nec potuit illi Crucis prodeſſe conſortium; cujus malitiam non expiabat pœnitentiæ lavacrum.* Voluntas obdurata, quæ piam Servatoris voluntatem, & infinitæ ſatisfactionis oblata merita, cauſæquè ſublevandæ ſalutare patrocinium, in pœnæ ſociô manifeſtatum rejecit, copioſam in ſê perire redemtionem fecit. *Non enim*, (utì Theologicè D. de Caſſiâ definivit) *iſtorum eſt converſio, aut averſio celebrata ex Chriſti præſentiâ corporali; quam habebant æqualiter. Non ex viſu; quô ipſum intuebantur. Non ex verbîs ejus, per amplius directîs in alterum; ſed ex liberâ voluntate: quia ille, credere voluit; ille verò, incredulus manſit: quem, ſicut illum, DEI miſericordia expectavit; ſed, non credentem, reliquit illum divina juſtitia reprobatum.*

S. Cyprian. de Paſſione, cit. à Manſi. Tom. 3. Bibl. Tract. 65. Diſ. 1. n. 4. in fine.

B. Simon. de Caſſia Lib. 13. de Paſſ.

II. Hujus autem adeò funeſti diſcriminis atrociſſimus in corde JEſu dolor, & ipſâ ſævior Crucê cruciatus, illîs jam olim fuiſſe verbîs indicatus videtur: *Extendi manum meam; & non fuit, qui aſpiceret! In vacuum laboravi! ſinè cauſâ, & vanè fortitudinem meam conſumſi! Quæ utilitas in ſanguiné meô; cùm deſcendo in corruptionem? Super dolorem vulnerum meorum addiderunt!* Nam, ùt mellifluus Dominicæ Paſſionis contemplator, & interpres devotiſſimus indicavit: *Flevit Chriſtus in Crucê: quia, cùm Paſſio ſua ſufficeret redemtioni omnium, profuit in redemtionem paucorum.* Grave autem eſt Chriſto: *quòd tantum pretium in multîs ſit perditum.* Imò, cenſentê Seraphicô Doctorê, Paſſionis, in tot millibûs, ipſôque cum primis, juxtà Crucem pereuntê Latronê fruſtratæ, nullâ ſufficienter explicabilis ponderationê corruptio, reliquos omnes vulnerum externorum ſæviſſimos dolores, multò plùs cruciando, ſuperavit: *Sicut enim quis*, (ità D. Archi-Præſul Florentinus arguebat) *magnô lucrô, quod videt ſe conſequi ex ſuô labore, multùm conſolatur: ità, è contrariô, cùm quis maximô laborê, quem tolerat, videt ſe conſequi modicum fructum, vel nullum, contriſtatur, & dolet multùm.* Et hoc illâ videtur exprobratum querelâ, per Vatem quidem evangelicum, ſpiritu tamen, & orê Servatoris ipſius fuiſſe: *In vacuum laboravi!*

Proverb. 1. v. 24.

Pſalm. 29. v. 10.

Pſalm. 68. v. 27.

S. Bernard. ſerm. 6. in Paraſc. cit. à S. Bonavent.

S. Bonav. in Paraſc. ſerm. 2.

S. Antoninus exp. 4. Tit. 15. c. 41. §. 2.

Iſaiæ 49. v. 4.

Unde

Unde Landſpergius illum validum clamorem proruptæ vocis, & amariſſimæ lamentationis, hôc ipſò cenſuit ex dolorê, Paſſionis, & Crucis in Latronê pereuntê perditæ, profectum fuiſſe: quod hîſce verbîs definivit: *Landſperg. Homil. 46. de Paſſione.* *Poteſt hæc Chriſti declamatio intelligi quoquè: ut de fructu ſuæ Paſſionis Chriſtus queſtus ſit; quòd tantis pœnis, atquè doloribus, minor, atquè debuit, reſpondit. Pro univerſò namquè Mundô, pro ſingulîs item hominibûs, ab initiô, uſquè ad Mundi finem, ſatisfactionem dignam, atquè juſtam Patri obtulit: in ipſâ tamen Paſſionê neminem, nisì latronem* (& hunc ſolum, abſquè ſociô, dolorum omnium, ùt & mirabilium ſignorum participê) *ſibi adhærentem invenit.*

III. Altiùs autem illius admirandi clamoris myſteria, multipliciter variatô Patrum ſenſu ſuſcepta, nobis exploranda nunc ſunt. Fatetur Origenes ipſe: *Origenes. Tract. 35. in Matth.* *Dignè Deô requirendum eſt: quæ fuit magna vox Chriſti? Utrùm magna, rebûs, ſignificantibûs myſteria? aut magna, ſenſibilî, & corporalî magnæ vocis auditu?* Cùm enim, horam propè tertiam, immanibûs tormentîs oppreſſus, nullô verbô ſenſum doloris ullum teſtatus, nequè, totô tenebrarum temporê, nisì per graves anhelitus, & ægra ſuſpiria, vel cruentas forſan lacrymas, ex oculîs defluentes, quicquam ulli, ſemper tacens, locutus fuerit; profundioris indaginis videtur eſſe tam profundi, conſtantisque ſilentii, vehemens adeò, clamoſaque diruptio; prout annotatum â Lucâ Burgensî deprehendo: *Circà horam nonam clamavit: cùm jam tribûs, & ampliùs, horîs de Crucé pependiſſet. Antè tenebras allocutus è Crucé Matrem, Diſcipulum, & Latronem, totum tempus tenebrarum in ſummô egit ſilentiô.* *Lucas Burg. in Matth.* Miraculô non vacat iſtud, arcanorum plenum, ſilentium! Cùm enim per dolorum immanitatem exhauriri ſoleant in hominibûs illæ naturæ vires; quæ vocis ad officium, & ejus præſertim ad intenſionem exiguntur: major aliqua, naturæquè totius viribûs potior virtus, in illô morientê, per ſonum inſoliti clamoris, in omnes latè circumfuſos propagatum, eſt manifeſtata; quæ ſcilicèt *naturam corporalem*, ùt Angelicus Doctor arguit, *in ſuâ fortitudinê conſervavit: ut, etiam in extremîs poſitus, vocé magnâ clamaret.* *S. Thom. 3. P. q. 44. Art. 1. ad 2.* *Quod inter alia mortis ejus miracula computatur. Unde dicitur: videns autem Centurio, qui ex adverſô ſtabat; quia, ſic clamans, exſpirâſſet, ait: Verè hic homo Filius DEI erat!* *Marci 15. v. 39.* Id interim ex hâc mirabilî clamoſæ vocis inſolentiâ, cunctis, pro divinô tribunalî reis, hauriendum videtur augurale ſolatium: non defuturum, ad noviſſimum uſquè ſpiritum, potens hujus Advocati patrocinium: qui, quantò magìs ex humanâ

manâ cernitur infirmitatê deficere, mortémque jam habere vicinam; tantò clariora ſuæ Divinitatis argumenta, ſicuti territandis maleficorum accuſatoribus manifeſtat, ità defendendis miſerorum Cauſis, in finem usquè prævalitura promittit. Indè, quemadmodùm purpuratus divinarum ſcripturarum Interpres, cum plurimîs aliîs, cauſam hujus contentioſi clamoris, ad apertiſſimum, humanæ ſimul, atquè divinæ naturæ teſtimonium, exinde datum retulit; ùt *in quô, & veritas humanitatis, & virtus oſtenditur Divinitatis* (*ſi enim eſſet purus homo, in mortê fortiter clamare non poſſet*) ità Rupertus Abbas eandem clamoſæ vocis potentiam, in totius humani generis patrocinium, certúmque ſolatium aſſumtam, expreſsámque fuiſſe judicavit: cùm omnia, per terrificum illum extremæ vocis clamorem, non quæ ſuprà terram tantùm, ſed etiam inferiora terræ, commota fuiſſe cenſuerit, inquiens: *Talem fremitum tanti leonis, quomodò ſenſerunt ſpiritus illi? quandoquidem terra inſenſibilis, & inanimata ſenſit. Motâ eſt enim, clamantê Dominô, votê magnâ; & motu ſuô, cum ſciſſurâ petrarum, fremitum illum ſe ſuſtinere non poſſe, clamavit.* Quis jam, adeò terrefactîs adverſariîs, de tam potentî você non ſibi polliceatur; quòd, Ruperto conſentiens, Angelus de Pas indè concluſit? Ideò você magnâ, priusquàm exſpiraret, auditum eſſe clamantem humani generis Advocatum: *ut in magnîs tribulationibûs* (eâ verò potiſſimùm, de quâ præmonuerat ipſe: quòd, *erit tunc tribulatio magna*) *ſciant Chriſti fideles: vigilare Chriſtum, & clamare, & in magnîs tribulationibûs opem ferre.*

Paulus de Palatiô. in Matth.

Hugo Card. in Marcum.

Rupert. Abb. Lib. 13. in cap. 26. Matth.

Angelus de Pas. L. 24. cvp. 26. in Lucam. Matth. 24. v. 21.

IV. Quantùm verò ſolatii tam amabilis interpretatio, de perſuaſâ Servatoris ergà miſeros contentioſâ ſolicitudinê, regii Vatis illô pridem oraculô ſignificatâ, ſuppeditat: *Laboravi clamans; rauca facta ſunt fauces meæ!* tantùm ſolicitudinis, ex perſpectâ periculi gravitatê, quâ Cauſæ noſtræ, non niſi tantîs clamoribûs vindicandæ, laborare videntur, exindè concitatum forſan in quibûsdam eſt? Abſit autê â chriſtianô pectorê tam infidelis diffidentia! Quid enim vel non ſperet, vel timeat? qui Dominum, intentum Cauſæ ſuæ, tantô jam certus ex clamorê, fidenter ſibi poteſt accinere, cum illô gravatô peccatorê: *Comprehenderunt me iniquitates meæ; multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei; & cor meum dereliquit me! Dominus ſolicitus eſt mei. Adjutor meus, & Protector meus!* Quod quidem Senenſis Prædicator adeò voluit hâc você grandî perſuaſum univerſis; ut eandem, inſtar tubæ, de Cauſâ jam abſolutâ victoriam promulgantis, & adverſariîs de victîs triumphantis, adorandam

Psalm. 68. v. 4.

Psalm. 39. v. 13. 18.

cum exſultationê cenſuerit, inquiens: *Quaſi triumphali tubâ certaminis Victoriam manifeſtans, oſtendit: quòd dolens, vincebat; patiens, ſuperabat; derelictus, debellabat; & morieus, triumphabat* omnes, adverſarias Cauſæ ſibi commiſſæ, poteſtates.

S. Bernard. Senenſ. cit. à Manſi. Tom. 3. Tract. 67. Diſc. 10. num. 3. poſt med.

V. Aliud nunc vocis hujus, præter morem elevatæ, divinitúsque roboratæ ſacramentum perſcrutandum ſuggerit S. Paſchaſius, *in eô; quòd clamat ad Deum: DEUS meus! DEUS meus! ut quid dereliquiſti me?* Præterquàm enim, quòd oſtendere veritatem humanæ naturæ, ſuiquè magnitudinem, ſeu vehementiam cruciatûs, iſtô clamorê voluerit; aliud inſuper in animô fuiſſe credendum eſt: quod, ut hâc validâ você, cunctorum ad aures, illô tam acutô ſonô perculſas, penetraret, itáque mentibûs omnium altiſſimè reciperetur, DEum iteratîs gemitibûs inclamando, manifeſtare contendit. Nec enim vulgaris doloris afflictio divinum illum patientiſſimi Servatoris animum, & cor mitiſſimum transfixiſſe cenſenda; cujus immane tormentum, abruptô patientiæ mutæ tam diuturnô ſilentiô, patére, dignoſcíque contendit. Exhorreſco, quotiès memorem ſubit mentem, humani ſenſûs expers, & ſathanicum illud Hæreſiarchæ perditiſſimi commentum; in quô per blaſphemiæ ſpiritum, non à fidei tantùm pietatê, ſed, ab ipſius etiam rectæ rationis officiô, totus in transverſum abreptus Calvinus, auſus eſt, voluntarii clamoris divinum, profundiſſimúmque myſterium, in mentis indignantis opprobrium, animique perturbati calumniam detorquere; tùm &, plenum arcaniſſimæ pietatis Oraculum, abjectiſſimæ deſperationis infamiâ, Rabularum omnium inſaniſſimus juxtà, ac ſceleratiſſimus, tantúmque non dæmon ipſe, contaminare. *Quis enim unquàm*, (Hebronenſî cum Præſulê quæro) *atrociorem, in Chriſti Majeſtatem, blaſphemiam audivit? Nemo ſanè, quamdiù Mundus hic ſtetit, ex Turcîs, in Alcoranô; nemo, ex perfidis Judæis, in ſecretâ Cabalâ, aut Thalmudô; nemo ex Paganis, Lucianus in dialogis, comœdiis, theatricîsque dramatibûs, Salvatorem omnium, Chriſtum, unicum, & naturalem DEI Filium, impiè magis, & impudentiùs Calvinô, blaſphemavit.* An non execrabilis hæc impietas Magiſtri, ſufficiens argumentum præbet, ejus corruptiſſimâ de doctrinâ decernendi, credendíque? quod Antonius Maſuccius, Magnus Minorita, poſt revelatas dogmatum praviſſimorum abominationes, Theologicâ qualificationê damnavit: *Ergo Calvinus, eſt omnium hæreſum, impietatum, & errorum abominabilis Cloaca, & putrida ſentina; deniquè, Doctor Atheiſmi!* Nec mirum: quòd parî fatô, blaſphe-

S. Paſchaſ. Lib. 12. in Matth. Matth. 27. v. 46.

Frider. Fur. in Parad. Malor. Punic. p. 1. Conc. 24. §. 3. n. 1.

Joann. Maſuccius in Calvino expugnato. c. 3. in fol.

Calvin. cit. à P. Gregor. à JEſu MAria Tom. 2. fol. 505. n. 4.

phemorum Chriſti perſecutorum, obrutus, fœdiſſiméque conſumtus interierit. Eôdem enim (ùt Bolſecus, ejus vitæ, necísque fidelis delator notavit) extinctus periit morbô Calvinus; quô divinæ Majeſtatis hoſtes inſenſiſſimi, ſuæ minerval impietatis receperunt, Antiochus, Epiphanes, Irriſor Herodes, Honoricus Vandalorum Rex, & Arnulphus Imperator, aliíque, ſimiles eorum, blasphemi Theomachi. Pediculîs enim, & vermibûs, ex omnî, verendô præſertim, corporê ſcaturientibûs, intolerabilî cum fœtorê, de miſericordiâ DEI deſperantem animam exhalavit, ad æternas blasphemias.

Hieronym. Bolſecus, in vitâ Calv. cap. 22.

VI. Sanctiùs illam, non querulam, ſed memorabilibûs indicatam verbîs, derelictionis divinæ Paſſionem, ùt intellexerunt, ità, ſanctô ſcilicet â Spiritu colluſtrati, viri ſancti, tam ſanâ doctrinâ conſpicui, quàm interpretationis unanimî ſenſu venerabiles explicuerunt. *Minimè* (ſic â D. Laurentiô Juſtinianô definitum eſt) *minimè arbitrandum eſt: ipſum á DEO totaliter fuiſſe derelictum; quem in unitaté ſumſerat perſonalî: ſed in purîs naturalibûs ſenſibilem partem dereliquit. Fluenta enim æternæ voluptatis continuit: nè impetu, quô ſolebant, emanarent in Chriſtum. Quamobrem totô ſuper ſe humanæ infirmitatis incumbentis one-*

S. Laurent. Juſtin. de triumph. Chriſt. agonè. cap. 19.

rê, atquè divinæ Æquitatis in ſe ſuſceptô flagellô, ad Patrem vocis ſuæ dirigendo clamorem, inquit: Deus meus! ut quid dereliquiſti me? Accuratiùs igitur expenſa pia lamentatio, derelictionis dolorem ex duobûs videtur capitibûs elevare. Dum enim ingeminat, *â Deô ſuô*, ſe derelictum Servator: unitam ſibi Divinitaté, de conſolationis influxu, ſenſitivæ cordis potentiæ ſubtractô requirit. Cùm autem, de sêmet, adjunctim poſtulat: *ut quid dereliquiſti me?* vehementiam ſui doloris exponit: quòd eadem ipſa ſua Divinitas, nec â ſuæ præſentiâ ſuavitatis, nec â ſuperiorê, per eam repletæ rationis humanæ partê, quicquam dulcedinis, aut levaminis, tam in animi vires inferiores, quàm in ipſum etiam corpus, unà cum illîs, in ſolâ tormentorum ſævitiê derelictum, diſpenſet! Id enim arcanæ videtur antitheſis ineſſe verbis: *DEUS meus!* Tu, qui mirabilî providentiâ Noëmum diluvio ſubduxiſti, per arcam; qui Abraham, de Gerarîs, & Abimelech formidatâ perſecutionê, cum Sarâ liberâſti; qui ſtricti jam enſis ab ictu puerum Iſaac eruiſti; qui metuentem Jacob, ab inveteratô fratris odiô ſalvâſti; qui profundô ſepultum carcerê Joſeph, in regiæ poteſtatis conſortium elevâſti; qui populum afflictum ab anguſtiîs, & perſecutionibûs Ægyptiæ

Geneſ. 7. v. 11. Geneſ. 20. v. 14. Geneſ. 22. v. 11. Geneſ. 33. v. 16. Geneſ. 41. v. 44. Exod. 14. v. 30.

1. Reg. 17. v. 50. & 18. v. 9. Tyrannidis eduxisti; qui David â Goliæ, Saulisque viribûs, & invidiâ defendisti; Tres pueros, Babylonias inter flammas illæsos, velut roris afflatu recreâsti; Susannam innocentem, â calumniâ perversi judicii, lapidúmque supplicio vindicâsti: qui Danielem â famelicîs leonum rictûs immunem præstitisti: qui Jeremiam, de profundô lacu; Jonam, de ventrê Ceti; mortisque de faucibûs Ezechiam, salvos, incolumes, & omnî vacuos periculô reddidisti; dedistiq; verbum, per os Regis: *Clamabit ad me; & ego exaudiam eum. Cum ipsô sum in tribulationê. Eripiam eum, & glorificabo eum: & ostendam illi salutare meum!* Ut quid ergo, *DEus meus! dereliquisti me*, solatiô vacuum? auxiliô privatum? omnî protectionê, defensionêque, tot inter blasphemas illusiones, & exprobrationes, doloribus meis in tormentorum auctarium spperadditas, destitutum?

Jerem. 20. v. 2. Jon. 2. v. 1. 4. Reg. 20. v. 6. Psalm. 90. v. 14. 15. 16. Daniel. 13. v. 60. Daniel. 14. v. 39.

VII. Non queror, sed quæro: DEus meus! quia futuri sunt, qui requirent: quô providentiæ mirabilis arcanô consiliô, nihil divinæ suavitatis, vel stillatim etiam, humanitati sanctissimæ propinatum, communicatúmque de superiorî partê rationis, divinâ semper lucê gaudentis, in amaritudinê supremâ fuerit? Neque verò desunt hodiêdum; qui mirentur: cùm solitum DEO sit, (utì Burgensis confirmat) *Sanctos in tribulationê constitutos, si non mox liberare ab iis, quibûs affliguntur, malis, certè interiorî solatiô ità levare: ut exteriora mala leviùs ferant.* Id, quod Ecclesiæ solennis cantus testatur: *Traduntur igni Martyres; sanguis sacratus funditur: non murmur resonat; non querimonia: sed permanent immobiles, vitæ perennis gratiâ.* Quanta solatia suîs in tormentîs, ad mitigandam eorum atrocitatem, christianæ fidei pugiles desuper acceperunt? Suspensus in Equuleô Theodorus, distentúsque crudeliter, non dolores ingemuit; sed liquidam in eâ sævitiê voluptatem per lacerata diffundi membra testatus est: cùm ea cœlestem per Alitem, instillatâ de torrentê supernô frigidâ demulcebantur, cruorê plagarum, blandè, per mundissimum linteum absterso. Quantùm exsultavit, moriturus jam, post horrendos cruciatus, fortissimè toleratos, D. Merulus, Martyr gloriossimus? cùm Angelorum officiosîs manibûs corollam sibi, candidîs è rosîs, paratam adferri patentê cœlô conspexit. Cùm ferreâ super cratê diffluueret jam, in omnem assa partem, innocua caro S. Virginis Fidei: non illa gemuit, fatigata, vel exhausta doloribûs; quia solatiîs affluebat supernîs: unde miri fulgoris coronam candidæ columbæ rostrum, velut arrham regalium nuptia-

Lucas Burg. in Matth.

Hymn. Eccl. de SS. MM.

S. Augustin. Lib. 18. de Civit DEI. Cap. 52.

S. Greg. M. L. 4. Dial. cap. 47.

Vincent. Bellovacens. Lib. 12. cap. 133.

nuptiarum, â Virginum ſponſô miſſam, exhibuit. Torrentium prunarum ardorê, quantô lentiorê, tantô ſæviorê, diuturnum tormentum paſſus Laurentius, hilarî tamen você Tyrannum eludere, lætarique perceptus eſt; cùm internîs animus ejus flagraret ardoribûs: utì, cum S. Mediolanenſi Patrê, D. Auguſtinus agnovit, & utérque teſtatus eſt: *Ardebat extrinſecùs Martyr Tyranni ſævientis incendiis: ſed, major illum intrinſecùs, Chriſti amoris flamma torquebat. Et: in comparationé fervoris, quô pectus ejus ardebat, exterior perſecutorum flamma frigebat.* Nequè de tantâ ſolatiorum divinorum affluentiâ, quibûs Chriſtianæ pietatis fortitudo, graves inter pœnas roborata, gaudenter etiam omnem tormentorum immanitatem ſuſtinuit, vel minima ſtilla dulcedinis, aut ſenſibilis conſolationis, afflictiſſimæ Servatoris humanitati, Divinitas, etſi conjuncta, ſuggeſſit!

S. Ambroſ. in Luce cap. 19.

S. Auguſt. ſerm. 37. de diverſis.

VIII. Quid ſi, præter hanc afflictionem, quam de negatô, ſuſpenſæ conſolationis omnis, inſenſibilem animæ partem influxu, pendens in Crucê JEſus, acerbiſſimam ſibi derelictionem fuiſſe teſtatus eſt, illud etiam, in cumulum, extremique doloris gravamen acceſſiſſet? quòd nemo unus, in populô tam confertô, nec ſpirituum ſupernorum ullus, in tam innumerâ multitudinê, contrà tot enormes blasphemias, Innocentiæ ſuæ, Sanctitatísque, tùm & offenſæ Divinitatis, animoſus Vindex, juſtô zelô commotus audiretur? *Stabat populus ſpectans; &, deridebant eum Principes, cum eîs.* Nec deridebant ſolùm; ſed ſubſannabant: *Alios ſalvos fecit; ſe ſalvum faciat! Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita ſua*, cum inſultationê: potentiam ejus, ùt infirmam; prædictiones ejus, ùt vanas, fatuásque; ludicrámque Divinitatis, ab eô velut arrogatæ, jactantiam convitiantes. Nec movet ſe, qui blasphemam inter fauces linguam induret; aut maledicum os obduret, Angelus, tot inter legiones pro DEI vindicandâ gloriâ ſemper armatas! Nec auditur mutæ non pridem linguæ mirabilî recenter officiô recreatus quisquam; qui, vel verbulô tueri læſam audeat omnipotentiam; tantîsque prodigiîs, etiam in ipſô ſuppliciô teſtatam Divinitatem ulciſcatur: cùm tamen frequentiùs nihil, & antiquiùs, tùm, olímque fuerit; atquè, vindex humani nominis, & attactæ, forſan per calumniam, virtutis, aut exiſtimationis defenſio! Solus in Crucê, ſupplicii, non cauſæ ſocius, *antè beneficium acceptum, Advocatum egit*, & contrà complicem, innocentiæ Servatoris blasphemum convitiatorem exſurgens, inter ipſa ſua, quæ pa-

Luc. 23. v. 35.

Marci 15. v. 29.

S. Chryſoſt. Orat. de cæc.

tiebatur, tormenta, majorem, quàm ex hîs, indè, de blasphemantis videlicet impietatê, perceptum in animô suô sensum, generosus Vindex, testatus est Latro. *Nam increpabat eum; & Salvatorem suum, morientem* (ità zelum ejus extulit Senensis Ecclesiastes) *tanquàm æternum DEum, armîs, quibûs poterat, tanquàm suus collateralis miles, strenuè defensavit. Potest, & probabiliter credi: quòd etiam protervos Judæos, ac malignos Principes, post tam diras contumelias, Salvatori illatas, non saturatos de suppliciîs ejus, qui sic impiè exierant insultare morienti JEsu, asperâ increpationê confudit*: plura, procul dubiô, facturus, operê, manûque, contrà blasphemantium immanitatem; si quicquam ei, præter linguam, liberum aliud, affixio Crucis indulsisset. Unicus ergo latro blasphemis oblatrare, tot, ac tantis, æquè sacris, atquè profanis, in ipsô non est veritus extremô supplicîô? Nequè tunc alius fuit ullus? neque nunc, eô quisquam animi roborê deprehenditur Christianus? qui potestatê, quâ pollet, facultatê, quâ gaudet, auctoritatê, quâ præstat, utatur, ad corripiendam, perstringendam, comprimendam demùm, ac pœnîs debitîs atterendam; aut (si puniendi deficiat vis, exscindendique tanti mali judicialis, & prætorius vigor absit) pro zeli tamen communis obligationê deferendam, accusandam, & sacrîs increpationibûs obruendam, blasphemandi liberrimam impietatem, sese, religiosus, aut Actor, aut Ultor exerat? An, hujus tam perversæ dissimulationis (ex quâ, præter Divini, Christique Nominis intolerabilem injuriam, innumeræ periclitantur, ac pereunt animæ) præscius in Crucê Servator, justô cum gemitu, magnâque você clamavit: *DEUS meus! DEUS meus! ut quid dereliquisti me?* Vindicantur, in homines prolatæ, per imprudentiam, injuriæ. Nemo non blasphemati Principis, Domini, Patris; mei verò, nullus vindex est, per blasphemiam offensi Nominis!

Luc. 23. v. 40.

S. Bernard. Senens. T. 1. Serm. 55. Art. 1. c. 1. part. princ.

IX. Itanè vero nullus est, qui blasphemandi temeritatem impiam Actor postulet? Nullus, qui blasphemos in judicium vocet? qui terribilis impietatis arguat? qui de criminê gravissimô criminetur? qui reos, cùm ipsos, insanè blasphemantes, tùm inveteratæ blasphemandi licentiæ, per ignavam, aut meticulosam dissimulationem participes, auctorésque persequatur? &, judicii severitatê condemnet? eósque pronunciatæ condemnationis inevitabilî supplicîô tollat? Est, & adest omninò, nequè vulgaris est, qui adest, sed, regiâ Galliæ coronâ, cùm viveret, insignis, nunc verò cœlestibûs, inter Divos, radiîs, & æternæ co-

coronâ gloriæ præfulgens, inclytúsque Rex, ac illuſtriſſimus Actor, ſanctus adeſt Ludovicus. Ille, inquam, Rex, Actoris partibûs, adverſùs blasphemandi licentiam, non minùs diſſimulatam, quàm prolatam, in ſe ſuſceptîs, adeſt Sanctus; qui juratus adeò, ſacérque fuit inimicus, & judex, & vindex blasphemiarum; ut, veniam aliquando, cum pœnæ mitigationê, quam ipſe ſanxerat, pro Blasphemô deprecantibus, Regni ſupremis adminiſtris, liberô, regiô ſcilicèt juxtà, ac Chriſtianô zelô reſponderit: nec â ſuâ poteſtatê jam ſtare; nec ex voluntatê ſuâ futurum unquàm: ut â pœnæ decretæ rigorê quicquã ergà ſcelus illud flectatur, aut remittatur; quod, ùt eſt extremæ dementiæ, ſic nullius capax diſcretionis, nullâ dignum indulgentiâ reperitur: cùm, per ſummam contumeliam, ſupremam directè Majeſtatem impugnet. Unde, non tantùm â conſtitutâ ſtigmatis inuſtionê maleficum illum, ùtùt aliàs inſignem, non abſolvit; ſed faſſus eſt inſuper: ſummô ſe gaudiô characterem illum linguæ maledicæ, regiâ geſturum in frontê: ſi notatus ità, ſignatúsque, cæteros omnes â blaſphemiîs abſterrere divinîs, tantámque poſſet è ſuô regnô profligare penitùs impietatem. Talis igitur, tantúsque Rex, quod olim ſeveriſſimè punivit, idem nunc Juſtitiæ divinæ criminaliter accuſat. Audite blaſphemi! quis veſtram, quam S. Ludovicus accuſat, excuſabit cauſam? attenuabit culpam? ſublevabit ſententiam? damnationem avertet, aut evertet?

Æmilius in vit. S. Ludov. & Hiſt. Franc. l. 7.

X. Ea mihi, cum Regê vatê, (ſic Sanctus ille) prima ſemper fuit curarum: nè, clavum regentê mê, tuæ quisquam reus Majeſtatis, vel expers maneret judicii, vel impunis inſoleſceret ex delictô. Sicut igitur habitare non eſt in mediô domûs meæ permiſſus; quem iniquitas, per flagitium nota, cœlô proſcripſit: ità, Jeſſæô pariter cum Regê zeloſus tuæ divinæ gloriæ Vindex, *interficiebam omnes peccatores terræ*; nullum ut regnaret, in mê, vel Regnô meô peccatum. Quid enim intolerabiliùs? quid minùs conniventiâ, vel diſſimulationê dignum? quid acriùs tuô coram tribunalî perſtringendum, omnîque, zelantis fidei, pietatísquè ſervorê perſequendum eſt? ac, perverſus ille zelus, ſervórque præpoſterus; quô Mundus hodiè, poſitus in malignô, tantùm, quæ ſua ſunt, ardenter inquirit, ac per fas, nefásque tuetur; &, quibûscúnque valet viribûs, vel, infeſtata vindicat; vel, ſubtracta ſolicitat; vel, ulciſcitur offenſa; vel perſequitur, ut aſſerat, quæ

Pſalm. 100. v. 8.

per

per aliquam injuriæ ſpeciem, opinionê duntaxat accuſantê delatam, arbitratur ſibi, cùm iniquè retenta, tum immeritò denegata. Nullus interim, pro læſâ DEI Majeſtatê, pro Chriſti nominê, legê, doctrinâ, veritatê, per contumeliam ſpretîs, per convitia maledictîs, per execrationem etiam blaſphematîs, percipitur in populô motus, aut concitatio; nullus in majoribûs obſervatur fervor, aut indignatio; nec privatus cernitur ardor ſuccenſus; nec publicus videtur enſis, in debitam correctionem, vel correptionem, juſtô cum rigorê diſtrictus. Accuſo, quæ ſunt omnibus explorata; quæ quotidiana, quæ palàm, nemo non, modicâ prædítus pietatê, queritur, & criminatur: nemo tamen, ùt par eſt, exterminare, vel accuſando, vel caſtigando laborat. Cùm in hominum leges, aut mandata delinquitur: cùm in ſupremi Principis, vel privati cujusquam Dominatûs nomen, aut acta, vel conſtituta, petulantior forſan obtrectatio quædam, etiam inconſultè, nullâque mali deliberationê, præceps impingit: cùm in plebeja vitia quædam, alios fòrs extrema neceſſitas, alios humanæ conditionis imbecillitas, pronô magis lapſu, quàm prævaricationê meditatâ transverſos abripuit; exardeſcit continuò, privatus, publicúsque juſtitiæ zelus; indicitur miſeris audiendi criminis dies; accuſatur ſeveriſſimâ criminationê delictum; &, quidquid rigoris in Codicê toto continetur, exigitur; omnísque Themis ad pœnas decernendas exquiritur: ut pro ſtrictâ juris integritatê decernatur, pronuncietur, vindicetur, quàm fieri poteſt, exactiſſimè.

XI. Nec in eô vindicativus iſte, ſat ſibi fervens, aut ſuæ, prout par eſt, obligationi videtur intentus eſſe zelus: nisì providus etiam, in omnem partem, ſagaces dimiſerit exploratores; & occultos verborum aucupes conſtituerit: qui ſe circulis ingerant; minúsque cautos, & imprudentes linguæ lapſus obſervent; noténtque, deferántque, teſtibûsque convictos, extremum in diſcrimen adducant. Et, quamvìs hæc, ſi dolus, cum invidiâ, perverſáque voluntas, Majoribus per aſſentationem favendi, aut, minoribus per abuſum poteſtatis nocendi, malitioſa deſit intentio, generalî reprobationê damnare nequè poſſim, nequè velim: ſcio namquè: *quòd honor Regis judicium diligit.* Scio: quòd *caſtigatio ſcelerum, fundamentum totius commendationis, & famæ ſit.* Scio: quòd *in legibús, Reipublicæ ſalus conſtituta*, Gentilium etiam arbitratu, conſenſûque fuerit. Scio denique; quòd Judex

Pſalm. 98. v. 4.

Herodotus & Cicer. cit. in Libr. Offic.

Ariſtot. 1. Rhet. c. 1.

dex quisquè dictus ab Apoſtolo, *DEI miniſter, vindex in iram ei, qui malè agit*: & quòd, Ambrosiô ſic definientê, *Principes, propter corrigendam vitam, & propter prohibenda adverſa creantur, DEI habentes imaginem.* Illud nihilominùs inêâ, quam indignatus accuſavi, cenſurâ, non æquè diſcretâ, fervorêque juſtitiæ, non pariter juſtô, ſed præpoſterô, ſed, propter zeli diſparitatem, iniquô, queror, accuſo, criminor, & obnoxium inevitabili tuo judicio poſtulo: quòd, ad vindicandas hominũ injurias, omnis providentiæ, vigiles armatæ ſint manus, diſtricta jura, ſeveritas inexorabilis, &, exactiſſimâ cum diſcuſſionê, tum tribunaliũ, tum privatorum etiam penatũ rigor excubet: ubi verò tuæ ſupremæ Majeſtatis manifeſta cernitur, & auditur, ex inſanâ temeritatê blaſphemantium, offenſio, contemtus enormis, & (univerſam concitans naturam ad ultionem) gloriæ, nominis, virtutis, & ſanctitatis tuæ maledica violatio; quâ, nunc inter ſympoſia, Sybariticásque voluptates; nunc inter aleas, & infauſtos fritilli crepitus (nihil in forô, publicîsque compitîs moderatiùs, ac privatîs in ædibûs) infinita tua Sapientia, fatuitatê vapulat, & ignorantiâ; Providentia ſempiterna, remiſſæ curæ carpitur, & negligentiæ; Potentia, nullîs concluſa limitibûs, ùt impotens, & infirma taxatur; Bonitas, & Miſericordia ſumma, maledicâ deteſtationê, crudelitatis inſimulatur; Juſtitia, non pro cujuscúnque pariter arbitriô fulminans, aut, omnium æquè voto munera ſuprema diſpenſans, vel, ejerationê negatur execrandâ; vel iniquitatis damnatur infamiâ: tum vix eſt, qui ſentiat, ùt par eſt, enormes has, offenſæ, blaſphematæquè tuæ Divinitatis injurias; vix, qui tactus internè, ſuccenſeat; qui redarguat audaciam; qui reprehendat inſaniam; qui furorem reprimat; qui prohibeat impetum, & blaſphemæ linguæ procellam, intrà dentes, nè prorumpat, generosâ manûs impactionê detumeſcere compellat, atquè compeſcat! Tantùm abeſt; ut, pro vindicandô tui ſanctiſſimi Nominis honorê, piâ tanti criminis delationê vindex imploretur juſtitia; Prætorii poſtulentur ſubſellia; Judicis exigatur diſcuſſio; cogatur ſenatus; vetera repetantur judicia; Canonica ſtatuatur ſententia; ſtringatur enſis, &, ardorê ſacrô divinarum injuriarum excandeſcens, adverſùs maledicos illos vindicta, juſtitiæquè zelus animadvertat.

Rom. 13. v. 4.

S. Ambroſ. in Comment.

Vide Farin. in prax. Crim. p. 3. q. 105. à n. 396.

Menoch. de arbit. jud. caſ. 77.

XII. Quid autem hæc indulgentia, tam ignava? quid iſta, tam cæca, ſolarum, quæ Numen offendunt, iniquitatum diſ-

ſimulatio, nisi prudens, & grave præjudicium faciunt? omnia potiùs â Mundô, nunc judicê, quàm, quæ ſupremæ ſunt Majeſtatis, obſervari, procurari, vindicari: nihil verò minoris fieri, ſegniùs urgeri, curari remiſſiùs, &, quod manifeſtè conſequitur, nihil inferiùs haberi, magisque cæterorum omnium â negotiorum ſolicitudinê poſitum, atquè tua ſolius, tuíque ſanctiſſimi Nominis, & legis, & religionis gloria: cujus tamen ex cultu, tam exertô, quàm aſſertô, ſtat omnis, reipublicæ cujuslibet, & Regnorum, incolumis, ac imperturbata felicitas. Ah! mi DEUS! itanè viluit, & evanuit honoris tui ſenſus, in omnium illorum præcordiîs hominum? quos tamen immenſa tua munificentia, characterê quôdam viſibilî tuæmet Majeſtatis inſignitos, non aliô providentiæ tam liberalis conſiliô, gloriá coronavit, & honorê; quàm, ut honoris tui, gloriæquè ſupremæ, pro ſui juris, ac dignitatis poteſtatê, vindices, aſſertorésque forent; utpote, *Dii fortes terræ, vehementer elevati*? Num. ideò pedibus eorum univerſa ſubjeciſti: ſuum ut honorem tuo præferrent? ut ſui nominis, legis, & juris injurias, omnis Chriſtianæ manſuetudinis obliti, totámque charitatis humanæ legem exoſi, ferrô, flammîs, & exactiſſimæ lancis Rhadamantinô rigorê, terribiles vindicarent? Ea verò, quæ, cum horrorê totius naturæ, cum extremô Chriſtianæ profeſſionis opprobriô, tuam in Majeſtatem, ac Divinitatem, per apertas, & inſolentiſſimas blasphemias eructantur, ac, infrunitam per impietatem, evomuntur (magìs impiè tolerando) nec audire, nec ſentire, nec ſcire, nec ferire ſe velle, vel poſſe, per Helianam lenitatem, criminoſiſſimámque diſſimulationem oſtenderent?

Pſalm. 8. v. 7.

Pſalm. 46. v. 10.

XIII. Non accuſo perſecutionê tam ſeverâ mera commenta. Quid fuerit Argentorati quondam ex hâc præpoſterâ lenitatê peccatum; grandis jam pridem Chriſtianæ pietatis vociferatio, querulìs lamentis, ad juſtitiæ tuæ divinæ tribunal arceſſivit: cùm geminorum blasphemorum alter, *qui poſuit in cœlum os ſuum; & blasphemavit ſanctum Iſraël*, interventu deprecantium ſubtractus judicio, criminalem liber ſententiam evaſit, &, abſolutus omnî ſupplicio, dimiſſus eſt: alter verò, qui peccatorem in hominem, per imprudentiam linguæ, præceps impegit, omnî veniâ deſperatâ, nullum patrocinium, nullam adverſùm ſe conſtitutæ ſeveritatis mitigationem expertus, ad amuſſim pati coactus eſt omnem ſupplicii rigorem. Ipſe, cùm in terrîs agerem, tui per blas-

Joan. Nider. Lib 4. Formic.

Pſalm. 72. v. 9.

Iſaiæ 1. v. 4.

Æmilius. loc. cit.

blasphemiam offenſi Numinis reum, ùt cognovi, damnavi: continuò verò, nec unquàm aliàs, ullô pro maleficô tot ſupplicûm votîs, utì tunc, pro liberandô, tuæ Majeſtatis offenſæ convictô, damnatôque, fatigatus, & interpellatus ſui: cùm tamen in prævaricatores meæ legis, aut coronæ, meíque nominis contemptores, pronunciata, legum antiquarûm ex diſtrictionê ſententia, mitiorem ut in partem inclinaretur, nullius facilè deprecationê, vel excuſationê tentata, vel moveri cœpta ſit. Quod quidem, ex ignorantiâ juris factum eſſe, nullus eorundem, nec aliorum quisquam prætendit; quorum, utriúsque juris jactata peritia, nimiùm quantùm omnibûs in forîs, ac tribunalibûs perſtrepit, & nihil minùs, quàm ignorans, videri ſuſtinet. Nôrunt illi (nec ſe noviſſe diffitentur) cùm decreta, tùm axiomata, divinorũ pariter Canonum, ac humanorum: &, ex iſtîs quidem, ſuô nullus pro munerê neſcire potuit: *Blasphemîam non eſſe diſſimulandam.* Nec latére quenquam debuit, quod ſacrâ ſeveritatê concluſum: *Blasphemantem non deferens, eſt puniendus: nec ullam veniam meretur.** Et, quod apertiùs nefariæ diſſimulationis pravitatem ſtringit, ferit, & fulminat, ab eorum conſcientiâ, nequaquàm exiſtimandum eſt, alienum

Cap. in nonnull 15. Extr. de Judeis.

Cap. ſi quis per Capillum 10. cauſ. 22. queſt. 1. in medio.

* *S. Hieronym. Epiſt. 33.*

fuiſſe: *Si quis talem hominem* (blasphemum) *non manifeſtaverit, non eſt dubium: quin divinâ condemnationê coërceatur.* Quotiès legerunt ſeverum illud, magni Legislatoris, Cæſaris Decretum? *Quoniam illius non diſſimulare debemus opprobrium, qui probra noſtra delevit, præcipimus: Contemptores hujuſmodi, per Principes ſeculares, condignæ animadverſionis adjectionê compeſci: nè Crucifixum pro nobîs aliquatenùs blasphemare præſumant.* Non illis peregrinum, aut novum, ſed antiquiſſimum, ex Novellîs erat: *Si contrà homines factæ blasphemiæ impunitæ non relinquuntur; multò magîs, qui ipſum DEum blasphemant, digni ſunt ſupplicia ſuſtinere. Propter talia enim delicta, & fames, & terræ motus, & peſtilentiæ fiunt. Et, qui tales inventes ſubtercelaverint, â Dominô Deô condemnabuntur: &, qui vindictam in eos non intulerit; ſecundùm noſtras leges, primùm quidem obligatus erit DEI judicio: poſt hæc autem, & noſtram indignationem ſuſtinebit.*

Cap. 10. ſi quis &c.

Juſtinian. in Autent. ut non luxurientur.

Novell. 77. c. 1. §. 1. & 2.

XIV. Habent magni Cæſaris Maximiliani, profanîs è cancellîs, quibus tantam ſemper exhibent, & præſtari reverentiam exigunt, notum Imperiale Decretum, Comitiorum Wormatienſium auctoritatê firmatum: ut Blasphemus quisquè, ſi nobilis, excidat prærogativâ; ſi plebejus, non pecuniariâ duntaxat, ſed corporalî quoquè caſtigationê multetur; extensô

Decret. Imper. Wormat. Annô 1495.

correptionis ejuſdem rigorê, pariter *in audientes; &, nec impedientes, nec magiſtratui denunciantes.* Habent prætereà (quìa de juris utriúsque ſcientiâ, Titulôs, & honores affectant; &, non Conſultores tantùm, ſed judices eſſe contendunt) ea, non in ſuperficiê tantùm inſpecta, ſed impreſſa; quæ Pontificiîs Oraculîs Leo X., & Julius III., ùt canonizata, juſſerunt. Nonnè Lateranenſis Concilii divinâ conſpirationê ſancitum eſt, ſub Leonê? *Statuimus etiam: ut ſeculares judices, qui contrà tales, blaſphemiæ convictos, non animadverterint, eósque juſtis pœnis minimè affecerint, quantùm in eîs fuerit, quaſi eîdem ſceleri obnoxii, eiſdem quoquè pœnis ſubjiciantur.* Nunquìd occultum eſſe potuit; quòd è ſummâ ſedê pronuhciatum, ſulminatúmque, contrà blaſphemiæ peſtem fuit, Edictô Julii III.? *Si conſtiterit, aliquem, ſcîentem noluiſſe denunciare, cujuscúnque fuerit ſtatûs, dignitatis, & conditionis, præter ultionem divinæ juſtitiæ, quam ei annunciamus, &, præter culpam mortalem, quam incurret, ob inobedientiam, & neglectum honorem DEI, punientur eîsmet pœnîs, quibûs blaſphemi: & ſic eos multari præcepimus.*

Concil. Later. Seſſ. 9. ſub Leonê X.

Jul. III. Tom. 1. Bullar. nov. Bull. 23.

XV. Jam verò, quàm divinæ Majeſtati tuæ fuerit ſemper execrabilis, iſta blaſphemantium iniquitas, & horrendiſſimum blaſphemiæ crimen, unde manifeſtiùs, niſi, de ſacrîs antiquæ legis tabulîs, & omnium æquè gentium, ac temporum, ſeveriſſimâ perſecutionê poterant (ſi vel modicùm reflectere mentem voluiſſent) abſterrendæ ſuæ pravæ diſſimulationi, luculentô cum terrorê proponere? Quando enim, vel criminis vacuus, vel mortê non dignus, blaſphemus unquàm judicatus eſt ullus? Cùm de Cauſarum arbitriîs, in plures dividendis, Moyſen, generum ſuum, Socer providus admonuiſſet; hoc ejus conſilium fuiſſe conſtat: *Quidquid majus fuerit, referant ad te.* Sed hinc, quanti criminis blaſpemia ſit, facilè claruit: cùm, in maledictô deprehenſus, non alterius, niſi Moyſis judicio continuò delatus fuerit. *Judicium enim de blaſphemiâ*, prout indè concluſit Abulenſis, *erat maximum judicium.* Sed ipsô ſacræ tuæ vocis decretô conſtitutum, definitúmque fuit: ut, *qui blaſphemaverit nomen Domini, moriatur*; nullô tunc interceſſioni, nullô deprecationi, nullô veniæ, vel mitigandæ neci, locô relictô; prout apertè pronunciatum conſtat: *Si peccaverit vir in virum; placari ei poteſt DEUS: ſi autem in Dominum peccaverit vir; quis orabit pro eô?* Tui, juſtiſſime DEUS! judicii ſacroſancti ſententia fuit hæc: *Educ blaſphemum extrà caſtra; & ponant omnes, qui audierunt, manus ſuas ſuper caput ejus; & lapides*

Exod. 18. v. 22.

Levit. 24. v. 16.

Toſtat. in cap. 24. Levit.

Levit. 24. v. 16.

1. Reg. 2. v. 25.

Levit. 24. v. 14.

eum

eum populus univerſus. Ità tuô ſibi commiſſum ex orê verbum accepît illud, quod auribus populi tinnientibus, Majeſtatis tuæ nominê, voluntatêque promulgavit, populi Dux: *Homo, qui maledixerit DEO ſuo, portabit peccatum ſuum. Lapidibûs obruet eum omnis multitudo*, nullâ lexûs, nullâ conditionis, nullâ gentilitatis diſcretionê conceſſâ; *ſive ille civis, ſive peregrinus fuerit.* Quid inſolentem Syriæ Regem, Benadad, in enormem cladem, & exitium ſupremum adduxit; quô *percuſſerunt filij Iſraël, de Syrîs, centum millia peditum, in diê illâ?* Maledictio, Divinitatis contemptrix, acerbum adeò ſenſum ſupremi tui Numinis, hoſtilem ſe per gladium ingerentis, accivit: *Quia dixerunt Syri*: (ità Vates ad Achab, Regem Iſraël) *DEUS, montium eſt Dominus; & non eſt DEUS vallium: dabo omnem multitudinem hanc in manu tuâ: & ſcietis: quia ego ſum Dominus.* Quid omnes Aſſyrii Regis vires exanimavit; eáſq; , cum totius exercitûs, id eſt, armatorũ octoginta quinquè, ſuprà centena millia, terribilî proſtrationê, noctis unius intervallô compreſſit, &, in hoſticô ſolô proterendos, reliquit? Unica Rabſacis blaſphemantis impietas, vindices è ſuperîs iras excivit: Inde venit ultor, *Angelus Domini, & percuſſit*, omnia caſtra Sennacherib in illâ noctê: ut ex tam horrendâ ſtragê perſentiſceret, in ſuâ compunctus conſcientiâ: *Cui exprobráſti? & , quem blaſphemáſti? contrà quem exaltáſti vocem tuam? & elevâſti in excelſum oculos tuos? Contrà ſanctum Iſraël. Inſaniſti in me; & ſuperbia tua aſcendit in aures meas. Ponam itáque circulum in naribûs tuîs, & camum in labiis tuîs; & reducam te in viam, per quam veniſti.* Jam, quô tandem ex Capitê ſuum in Caput, inauditô roborê prævalens, obarmavit mulieris imbecillæ brachium, Holofernes? ut, qui trepidare totam, paulò priùs, Bethuliam ad ſui nominis memoriam fecerat, mox truncô cadaverê repertus in tentoriô, ſuum ipſe, neminê perurgentê, profligaverit univerſum exercitum? Novîſtis (quod frequentiùs exaggeratum audiviſtis) ità vindicatum cœlitùs adverſùs blaſphemiam oris illius fuiſſe; ex quô, *vehementer indignatus Holofernes, dixit ad Achior*: *Quoniam prophetâſti nobis, dicens: quòd genus Iſraël defendatur â DEO ſuo: - - oſtendam tibi: quoniam non eſt DEUS, niſi Nabuchodonoſor.* Hoc nimirum blaſpemantium linguarum idioma, dum auram inficit, & nubes penetrat, & ad ipſum divinæ Majeſtatis thronum, putidiſſimâ vaporationê conſurgit, quidquid graviſſimæ tempeſtatis unquàm indè deſcendit in terram, eam, aut inundationê diluens, aut incinera-

Levit. 24. v. 16.

3. Reg. 20. v. 19. 18.

Judith. 15. v. 1.

Judith. 6. v. 2.

4. Reg. 19. v. 35. & 22. 28.

tionê consumens, id omnê suâ malignitatê concivit.

XVI. Hoc timuerunt, qui rebus publicis consultum in omnem partem voluerunt: nè blasphemiæ, per ora maledicorum in cœlum eructatæ, regnis, atquè Provinciis ultimum, quod sæpiùs eveniſſe compertum est, excidium, indê proritatum, accirent. Nam, utì mei quondam Regni, pro Cancellis judex, Gerson admonuit: *Peccatum blasphemiæ, est magna causa pestilentiarum, bellorum, famis, & aliarum tribulationum in Christianitatê.* Nec aliundè magìs tuam, æquissime DEUS! justitiam, in ultionem inimicorum, ad sævissima perurgeri supplicia, quàm, hâc maledicentiâ, per impunitatem auctiorî semper, sic, Juliô cum Papâ, credidit Justinianus: ut ille quidem, sit fassus: *minimè mirandum esse: si â Christianis populîs, in tantîs calamitatibûs constitutîs, divinæ iracundiæ flagella non amoveantur.* Eôdem autem sensu, suæ contrà blasphemos constitutæ sententiæ, severique mandati, non aliam causam assignavit Imperator: ac, metuendum, ex pestis illius pestiferâ dissimulationê, generalis plagæ, nocentibus cum innocentibûs commune flagellum. Indè mandatum: *Præcipimus Præfecto regiæ civitatis, ultimis* (maledicos) *subdere suppliciis: ut non, ex contemptu talium, inveniatur, & civitas, & respublica, per hos impios actus lædi.* Terruerunt nempè sapientem istorum, utriúsque Fori Principum, providentiam, terribiles minæ; quæ propheticô, tonuerunt magìs, quàm insonuerunt, orê, non aliâ vehementiùs ex offensionê concitatæ; quàm: quia *blasphemaverunt sanctum Israël.* Hinc illa supplicium grandinea nubes glomerata, grandî continuò fragorê territavit: *Super quô percutiam vos, ultrà addentes prævaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens; â planta pedis, usquè ad verticem, non est in eô sanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens. Terra vestra deserta; civitates vestræ succensæ ignî; regionem vestram coràm vobîs alieni devorant; & desolabitur, sicut in vastitatê hostili; & derelinquetur filia Sion, sicut umbraculum in vineâ.* Novum ergo nemini censendum, aut æquô graviùs, minùs verò, contemnendum ulli, quod autenticâ Cæsaris potestate constitutum supplicium fuerat: *ut non secùs, ac Sodomitæ, puniantur* (Blasphemi) *& vivi comburantur.* Mahometis ipsius legê, maledicus in Deum, ensem ê vestigio vindicem, dissectus patitur, dividendus videlicet æternùm â DEO. Nam æternæ Veritatis orê prædicatum est, promulgatúmque jam: *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum.*

Gerson. T. 4. consid. 4.

Fullus III. loco supra cit.

Justinianus. Autent. cit. Novell. 77.

Isaïe. 1. v. 4. 5. 6.

Autent. cit. ne quis, &c.

Marci 3. v. 29.

XVII. Hæc

XVII. Hæc autem an ignorare potuiſtis, perpetuâ divinorum Præconum você vobis ingeſta? Nisì forſan & iſti, ſuo, tantæ quidem obligationis debito, munerique defuerunt; &, velut muti canes, divinam allatrantibus Majeſtatem non oblatrârunt? An autem latére potuit illos Auguſtini decreta mens? *Non minùs peccant, qui blasphemant Chriſtum regnantem in cœlis; quàm, qui crucifixerunt ambulantem in terris.* An defugere potuit eos Hieronymi deliberata ſententia? *Si aliquem vidérimus, DEUM blasphemantem, illicò patientia non eſt tenenda; ſed ſacrilegus ille, quoad fieri poteſt, ab injuriâ compeſcendus.* An illorum â zelô, vel notitiâ, potuit alienus fuiſſe ſenſus Chryſoſtomi? *Si quempiam, in biviô, & in forô, DEum blasphemantem audieris: accede, increpa, &, ſi verbera infligere oporteat, non recuſa. Faciem illius alapâ percute; contere os ipſius: percuſſioné iſtâ manum tuam ſanctifica. Nam, ſi Regem terræ blasphemantes puniri oportet; multò magìs DEum contumeliâ afficientes.* Si enim (hoc eſt, cujus neglectum hæc mea potiſſimùm perſtringit Actio) *talia auſos puniſſemus, non talia nunc accidiſſent*, (ùt gemens queritur Orator aureus) *quæ acciderunt. Ecce crimen â paucis commiſſum eſt; & culpa communis efficitur. Ecce, propter illos nunc omnes paveſcimus; &, ab illis patratorum, pœnas ipſi ſuſtinemus.* Ad hæc non debuit ab ullius, cujuscúnque fidelis animô, fidelitatis ille ſenſus, & Mauri Rabani ſpiritus abeſſe: ſed, quod ajebat ille, *ſcindi oportebat cor veri Chriſtiani; cùm audit, impios homines, in DEI Majeſtatem blasphemias eructare*; quas nec ipſe Cacodæmon, ubi ſub adſcitæ divinitatis imaginê, numinis inſtar cultus, adoratúsque fuit, ſuîs ab idololatrîs, impunè ſuſtinuit, adverſùm ſe, maledicâ temeritatê projectas.

S. Auguſt. Tract. 118.

S. Hieron. lib. 1. contrà contra Vigilantium.

S. Chryſoſt. hom. 1 ad popul. Antioch.

Idem homil. 2. ad eundem.

Rabun. Maur. in cap. 26. Matth.

Theatr. vit. hum. V. Blaſphem. fol. 236.

XVIII. Hæc autem impietas tanta, proh! quantùm, impiè diſſimulando, connivendo, tacendo, parcendo, nè dicam, planè jubendo, præcipiendóque (quamvìs utrúmque, perindè judicetur) jam invaluit? Privatîs in ædibûs familiaris eſt: at, velut præpoſterus linguæ lapſus contemnitur: etſi non pariter, minorî forſan, honor proprius opprobriô tactus, conticeſceret. Publicîs in congreſſibûs, & negotiîs, jocîs inſuper, ludîsque, frequentatur eadem, blaſphemandi, culpandique DEUM, laceſſendique, maledicendique Chriſtum Servatorem, & Sanctos ejus, & ſanctiſſimam ejus legem, cum omnibûs inſtitutîs Eccleſiæ, licentia: nec auditur increpatio; nec ſuſcipitur accuſatio; nec infligitur, aut ſentitur judicialis ulla perſecutio: ſed, excuſatur enormitas malitiæ, per iracundiam; quæ tamen læſæ crimen humanæ maje-

majeſtatis non levat: obtenditur conſuetudo; quæ furti reum furcæ non ſubtrahit, ſed fortiùs adſtringit. Interdum & privata peccantis utilitas, & publica præſtantis auctoritas, aut â denunciationê retrahunt; aut ab increpationê, vel ultionê deterrent: quæ tamen, tuum antè divinum tribunal, cui ſunt omnes obnoxii, neminem abſolvunt â debitô; nulli patrocinantur in delictô. Satis hoc â D. Bernardinô, conſcientiis omnium, qui poteſtatê funguntur, compungendis, & perurgendis, agitatum eſt. Eô enim decernentê, *participes ſunt Prælati; & animarum Rectores; & parentes* (&, quos Auguſtinus arguit, Reges; * &, quos Carolus urget Mediolanenſis, ** Verbi divini Præcones) *qui, ſi in correptionê hujus ſceleris ſunt negligentes, Judæis ſunt deteriores; qui auditâ blaſphemiâ lapidabant blaſphemantem: ſi hoc agere non poterant, aures obturabant, veſtes ſcindebant. In hôc ſcelerê participes ſunt Domini; &, Regimina Civitatum habentes, de correctionê hujus vitii non curantes. Quid enim, ſi in terrâ ſuâ idololatriam ſuſtinerent, nonnè æſtimaretur horrendum? Et tamen blaſphemia in hôc deterior eſt: quia Idololatria honorem ſuum DEO aufert: ſed, ultrà hoc, blaſphemia contumeliam infert.*

S. Bernard. Senenſ. T. 1. Serm. 41. Art. 5. c. 4.

** S. Auguſt. Epiſt. 56. cit. â Gloſ. in cap. 3. Daniel.*

*** S. Carol. Borrom. in Act. Eccl. Mediol. Concil. Provin. 6. p. 4. pag. 484.*

XIX. Nolo cætera ſingulatim perſtringere mala; quæ per malignitatem hanc peſtiferam, in excidium Fidei Catholicæ, totiúsque pietatis, non ſubrepunt, aut, ſenſim influunt; ſed, unô velut impetu, cujuſdam inſtar alluvionis, omnia ſancta, ſacráque ſecum abripientis, ingeruntur: cùm illa nullîs obſtaculîs, firmîsq; conſentientium Poteſtatum repagulîs arcetur; aut, quando ſe primam per audaciâ ingeſſit, ſtatim animadverſa compeſcitur, opprimitúrque. Nè quicquâ enim tuæ ſubindè Majeſtati, vel Providentiæ; nihil Chriſti Servatoris Pietati, Dilectioni, Redemtioni, Vulneribus quóque ſacroſanctis, & Sanguini, cum inſtitutîs ab eôdem, reparandæ, conſervandæquè ſalutis, & gratiæ divinîs myſteriis; nihil ſanctiſſimæ, puriſſimæquè, Matri Virgini; nihil, ulli cœleſtium indigetum, honoris, reverentiæ, fiduciæ, devotionis, ab ullô deferetur ampliùs, aut extorqueri poterit: ubi ſemel blaſphemiæ ſpiritus, obnitentê neminê, proruere, ſeſequè cœperit per impunitatem diffundere. Petrus mecum purpuratus affirmat: quòd *ità reverà eſt: ubi diſtricta legitimi rigoris cenſura reprimitur; neceſſe eſt; ut, prona ſemper ad malum, fragilitatis humanæ conditio ad illicita relaxetur.* Quod quidem, cùm adeò jam invaluerit; &, nimiâ relaxationê roboratum, vires tantas acceperit: ut maledicta, ſint proverbia; blaſphemiæ, minùs habeant horroris, ac facetiæ; nec illi tan-

S. Petr. Damian. Opuſc. 57. cap. 1.

tantùm, qui ſervilî conditionê nati, prætoriæquè ſùnt poteſtati ſubjecti, reperiantur hâc impietatê contaminati ; ſed illi quoquè, quos â communis cenſuræ metu, cùm natalium ſplendor, tùm & munerum prærogativa, quantò fecit liberos, tantò præſtitit, & effecit audaces: eô videtur in gradu malignitas iſta corruptionis humanæ jam conſtare: vix ut pares ampliùs, eidem comprimendæ vires, vel animorum, ut audeant ; vel ipſorum ſperandæ ſint judiciorum, ac tribunalium humanorum; ut, ſi velint, valeant, vitium adeò prævalidum, conſtitutô legum rigorê perſequi, pœnarúmque debitarum diſtrictâ ſeveritatê vindicare ; zelique tum conſtantiâ, tum fortitudinê, nullîs deprecationibûs, aut reſpectibûs fractâ, tandem exſcindere penitùs, & exterminare.

XX. Quid jam, in tantâ perverſitatê Mundi, mirum foret? Si (quod ſæpiùs accidiſſe, grandî plurimorum, terrorê pariter, & converſionê, compertum eſt) rupta, ſub impiorum pedibûs terra, continuò blasphemantes abſorberet? aut coruſcus fragor fulminis maledicam è faucibûs linguam, ignê vindicê ſublatam, abſumeret? aut immitis ab Inferîs tortor, Blasphemi corpus tartareô furorê corripiens, inceſſabilî membrorum vexationê, diras offenſi Numinis pœnas exigeret? An autem, absquè talibûs vigilis tuæ cœleſtis juſtitiæ terribilibûs indiciîs, manifeſtîsque ſuppliciîs atrociſſimi criminis, accuſata blasphemantium, non audacia tantùm, ſed, per ſceleratam diſſimulationem præſumta licentia, ſit acceptura medelam, & correctionem? an etiam, cum emendationê, finem ſit habitura? non video, non ſpero, non promitto. Nec enim effecturi quicquam videntur, ad obtinendam, in ejus excidium, poteſtatis utriúsque conſpirantem, operantémque parî zelô cenſuram (licèt è ſacrô pulpitô declamaverint) Eccleſiaſtæ, cum Auguſtinô: *Non ſerviunt Domino cum timorê* (judices videlicet, ac Dynaſtæ) *niſi ea, quæ contrà juſſum Domini fiunt, religioſâ ſeveritatê prohibendo, atquè plectendo.* Licèt urſerint ardentiſſimâ contentionê, cum Petrô Cardinalî, territantes: *In eum procul dubiô tota ſubjectorum culpa redundat; qui eos* (maledicos) *nè præcipitanter excederent, ſub diſciplinæ locô cohibere debuerat.* Nec juvabit, ingeſſiſſe ſæpiùs, iterúmque, cum eôdem; ſuíq; muneris, ac debiti, comonuiſſe Præpoſitos: *Non ad hoc præcingeris gladiô; ut violentorum mala debeas palpare, vel ungere: ſed, ut ea ſtudeas vibrati mucronis ictibûs obtruncare.* Fruſtrà demùm omnis adhibebitur objurgatio;

S. Auguſt. Epiſt. ad Boniſa.

S. Petr. Dam. Opuſc. 57. cap. 1.

Idem. Ibid.

gatio ; nequè , nisi surdis , & obstinatis , deinceps exprobrabitur, cum Hugonê Victorinô: *Videte, Pastores, quid facitis? Christus in oculîs vestrîs crucifigitur : & vos adhuc gladium in vaginâ habetis? Quid in Passionê Christi fecissetis ; qui modò ad percutiendum pigri estis?*

Hugo à S. Victore. in Allegor. Tillman. ad Cap. 22. Lucæ.

XXI. Metuo nunc, hîsce præjudiciîs, tantùm non condemnatæ blasphemorum , adhuc autem ampliùs illorum , qui peccare , cùm potuerunt , non vetuerunt, itáque reâpse jusserunt, perditissimæ Causæ! Nam , ùt ab ipsô quidem Actorê sanctô, velut per prolepsin , antè jam commemoratum fuit : *Si in Dominum peccaverit vir ; quis orabit pro eô ?* Nemo sanè , nisi Dominus ipse ; qui factus est nobis , & Mediator omnipotens (ut per eum , quod per nullum alium possumus , obtineamus) & Advocatus , infinitæ viscera pietatis indutus : ut ab eô , quod sperare neminê valemus ab aliô, fiducialiter expectemus. Videtur hoc ad verbum expressisse S. Anselmus : *Humana natura, propter peccatum , â DEO fuerat derelicta ; sed , quia filius DEI factus est noster Advocatus, & Causidicus ; ideò , quorum suscepit naturam , eorum deplorat miseriam* ; seséque derelictum , in illorum personâ , quorum assumsit maledicta (factus ipse maledictum , ut Salvator esset) Patrem placaturus ingemiscit. Hoc igitur efficacissimô de verbô securos jubet esse Tertullianus : *Horum* , pro quibûs allegare nemo sufficit , *erit venia , per Exoratorem Patris , Christum.* Nolite diffidere! gravis est , & enormî reatu gravata , Divini nominis , & Numinis blasphemia. Sed nihil non illi datum est ; qui *clamavit você magnâ : DEUS meus ! DEUS meus ! ut quid dereliquisti me ?* Gemitus hic humanitatis est , in infirmitatê suâ despectæ , derisæ , multâque Pontificum , & Principum , & militum , circà Crucem insultantium , capitáque sua cum illusoriô sarcasmô moventium , petulantissimâ subsañationê blasphematæ. Magni sanè momenti fuisse Causa debuit ; pro cujus exorationê , conjunctæ secum Divinitatis infinitam influere virtutem, solicitus , adhuc in extremîs, Advocatus postulavit. Huc mentem advertens Arnoldus Carnotensis, ait : *Agit Caput causam Corporis sui* ! quæ , cùm sit ejus discriminis ; ex quô nullæ, nisi divinâ prævaleant auctoritatê, preces, ut ab interitu vindicent, condignam efficaciam habent : id valido voluit illô clamorê testari ; quod, in solatium desperatissimæ Peccatorum Causæ , nullîs humanîs , intervenientis etiam totius orbis, patrociniîs asserendæ , ter mitratus docuit Pater : *Quibus homo sufficiens erat nullus , ipse DEUS homo factus est intercessor. Nam, in Crucê suspensus oravit : & sic placa-*

1. Reg. 2. v. 25.

S. Anselm. in Matth.

Tertull. lib. de Pudicit. cap. 19.

Arnoldus Carnot. de sept. Verbis.

S. Gregor. in 1. Reg. c. 2. v. 25.

tus

tus eſt DEUS iis, qui in DEUM peccaverunt, non alienâ precê, ſed ſuâ. Nam temporalis iſta Chriſti, ſupremîs in pœnîs derelictio, noſtræ fuit maledictionis averſio. Dum enim pro maledicâs, & maledicendîs afflictum ſe, derelictúmque teſtatur, id precatur: nè ſuis dicatur: Ite maledicti!

F E R I A VI.

POST DOMINICAM V. QUADRAGESIMÆ.

SERMO VIGESIM: OCTAVUS.

In Forô V. Juſtitiæ Divinæ; ſeu, Montê Calvariæ.

Actio XX. De Effuſô, vel Suſpenſô;

Unde alicui fieri potuit, aut factum eſt, nocumentum.

Contrà Gaſtrimargos, & Popinones;
Quorum, omnis propemodùm, exigitur in Popinîs, & Culinîs vita;
Quâ non ſe tantùm ipſos, cum omnî ſubſtantiâ,
Sed, ſecum alios, eandem in cloacam jam ſeductos,
In animarum ſimul, & corporum interitum adducunt,
Et obnoxios faciunt æternæ Damnationi.

L. 1. & 5. ff. de his, qui dejecerint, vel effuderint, &c. Vide Pratejum. in Lex. hâc Act.

Actor XX. S. Antonius Eremita.

Singulari temperantiæ rigorê clariſſimus,
Popinones omnes, & Gaſtrimargos accuſat;
Quorum omnis, ex Epicuri legê, vita, nil, niſi potus, & eſca;
Non rationi tantùm humanæ, ſed Chriſtianæ diſciplinæ contraria,
Æternâque vitâ prorſùs indigna.

Myſterium XXI. Actionis hujus Argumentum.

In agonê mortis, & atrociſſimâ ſævitiê dolorum,
Naturalem etiam ſitim, exhauſtô ſanguinê, manifeſtanti,
Benefico Servatori, ab impietatê crudelî,
Negatur Unicæ duntaxat frigidæ guttula.
Sed acetô, per fel amaricatô, plena ſpongia,
Poſt exhauſtum, â militibûs, myrrhatum vinum,
In auctius obtruditur ſitientis JESU tormentum.

Lyran. cit. à P. Gregor. à JEſu Maria. Tom. 2. hôc locô.

Tessera. Sciens JESUS, quia jam omnia consummata sunt; ut consummaretur scriptura, dixit: Sitio! Illi autem spongiam, plenam acetô, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. *Joann. 19. v. 28. 29.*

I. QUàm immanî dolore dulcissimum cor Servatoris Crucifixi, mortê jam imminentê (quantò vicinorê, tantò singulîs momentîs acerbiorê) gravatum, compressúmque fuerit, abundè claruit ex illô, quem herì percepimus, acutissimæ vocis, lamentabilî quidem, sed mirabilî simul, &, procul omnî signô perturbatæ patientiæ, prolatô clamore; quô palàm testatus est: in eâ naturâ se fuisse derelictum; quam assumere pro nobîs dignatus est: & quidem, â Deô suô, suâ scilicèt, in unitatê personæ, conjunctâ Divinitatê: tùm; quia *permissus est venire, usquè ad flagella, & sputa, & spineam coronam, & usquè ad mortem, & mortem Crucis; quæ inter homines turpissima videbatur* (utì meditatus est S. Paschasius) tùm; quòd nullum sentiret â Patrê levamen, tot aliis, per injuriam oppressis, cumulatè suggestum: quasi diceret: *Quî paternum ferre potuit cor tuum, O benignissime Pater! ut dilectissimum Filium tuum, coæqualem tibi DEUM, tam inhumanîs videres obrui cruciatibûs; ut, & hostibus esset* abominabilis, &, peccatum factus, & maledictum? *In te speraverunt Patres nostri; speraverunt, & liberâsti eos. Ad te clamaverunt; & salvi facti sunt. Ego autem sum vermîs, & non homo! opprobrium hominum, & abjectio plebis!* Ità piè fuit â Taulerô cogitatum. Vel deniquè, gravissimum sui cordis dolorem, cruciatúmque professus est, ità derelictus: non, quòd se sanctissimæ subtraxerit humanitati Divinitas; quæ personaliter fuit, & inseparabiliter cum ipsâ conjuncta: sed, quòd in vehementissimô dolorum omnium, tam externorum, quàm internorum concursu, nè minimô quidem solatiô, sensibiles animi vires afficientê, quasi suspensîs Jordanis aquîs, ità, retentô sensibilis omnis consolationis influxu, velut in aridô solô, merôque tormentorum sensu, cor dereliquerit, præsens quidem, nil tamen adjuvans, nec ullâ cum delectationê tam afflictæ succurrens infirmitati Divinitas: ùt aptissimè, communî quidem è sententiâ, pronunciavit

Psalm. 21. v. 5. 6. 7.

Josue 4. v. 7.

S. Paschas. in Matth.

V. P. Taul. de vit. & Pass. Christ. Cap. 24. fol. 21.

ciavit Landſpergius : *Verba hæc DEitatis non ſunt : quia Divinitas non eſt paſſa ; ſed humanitas. Nec etiam intelligi debent : quaſi Divinitas ab humanitatê ſeparata ſit : ſed , quòd ità humanitatem dereliquerit ; ut ſenſualitas nullam conſolationem , nihil refrigerij , nihil ſuſtentationis ſuſceperit : ſed , in ſuâ derelicta ſit infirmitatê , pati, quæcúnque erant patienda.* Dolorem igitur hunc internum celare moriturus JESUS noluit: ut, humana verè ſe pati, Mundo teſtaretur , ac perſuaderet: nequaquàm ablatum ſibi , vel diminutum , ſed , auctum potiùs, ex ipſius conſortiô Divinitatis , tormenti ſenſum , conſolationum omnium influxu retentô. Sic autem regiorum oraculorum veritas inclaruit; vatésque fuit hujus, quod evénit, qui præcinuit: *Aruit , tanquàm teſta , virtus mea ! Dereliquit me virtus mea ! cor meum dereliquit me ! DEUS dereliquit eum ! & : omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me !*

Landſperg. homil. 40.

Pſalm. 21. v. 16.
Pſalm. 37. v. 11.
Pſalm. 39. v. 13.
Pſalm. 70. v. 11.
Pſalm. 87. v. 8.

II. Verùm , utì cordis afflictiſſimi , qualis fuerit interna transfixio , patuit, eô magnæ vocis clamorê manifeſtata; ſic, etsì non æquè, prout erat inſenſu , ſpectabilis tamen eſt facta, venerandi capitis atrociſſima , multipléxque compunctio; per quam ipſa cerebri teneritudo , tactu quôvis lethaliter offenſa , non leniter attacta, ſed, ad ſingulos in Crucê capitis motus , acutè confixa , perpetuos quaſi mortis dolores toleravit, ex impreſſæ de ſpinîs coronæ continuîs punctûrîs. Hoc autem ipſum quoquè divini Pſalterii Modulator, eventurum, ubi noſtram in ſe Cauſam ſuſceperit , Advocato de Servatorê præcinuit: *Convertetur dolor ejus, in Caput ejus, & , in verticem ipſius, iniquitas ejus* (quam ſcilicet â nobîs in ſe ſuſcepit , &, ùt ſuam , in perſonâ noſtrâ , voluit expiare) *deſcendet.* Adhæc , utì ſævities doloris , cor torquentis, per confeſſam derelictionem explicata ; Capitis verò , tam latens, quàm patens exulceratio, per ſpineam coronam pateſacta fuit: ità , quantîs tormentîs innocentiſſimi corporis omnia membra , cum oſſibûs univerſis, internîsque viſceribûs diſcruciarentur , luculentam conjecturam objecit, innumerabiliũ vulnerum, & nunquàm auditæ, nequè conſpectæ, crudelis dilaniationis , & extenſionis immanitas ; quam , tragœdiæ totius præſcius , Vates Evangelicus , velut objectam ſibi , per merum vulnus , & unius inſtar plagæ, delineavit: *A plantâ pedis , uſquè ad verticem , non eſt in eô ſanitas : vulnus & livor , & plaga tumens. Vidimus eum ; & non erat aſpectus : & deſideravimus eum ; deſpectum , & noviſſimum virorum ; virum dolorum , & ſcientem infirmitatem : &, nos reputavimus eum.*

Pſalm. 90. v. 6.
Iſaiæ. 1. v. 6.
Idem. 53. v. 2. 3.

III. In hôc tamen, corporis dilaniati, quod oculis patebat; & capitis confixi, quod inclinari jam cœperat; &, cordis oppreſſi, quod gemitus patefecit, adeò jam exploratô, conſpicuôque Cruciatu, nemo unus quicquam agnovit, nequè (quod facilè quidem, per conjecturam, exhauſtæ tanti ſanguinis profuſionê naturæ, ſuſpicari quilibet potuiſſet) ullus expendit: num? & quid? & quantos dolores, arefacta ſitî lingua? quantos, & quàm diros ardores, fauces, omnis adfluentis pituitæ ſubſidiô deſtitutæ? qualia demùm, & quàm acerba tormenta, palatum, nullâ liquoris guttâ, tam longos inter, &, ab exactâ cœnâ, continuos cruciatus, humectatum, ſuſtinuerit? Myſterium hujus afflictionis indicare voluiſſe videtur ille, cujus notus eſt gemitus: *Lingua mea adhæſit faucibus meis; & in pulverem mortis deduxiſti me!* Quis autem non videt; quòd hoc non tam de sêmetipsô David, quàm, illô de ſitientê locutus ſuerit; cujus cætera quoquè tormenta, quæ cum Crucê fuerunt conjuncta, continuatîs ejuſdem cantûs oraculîs, manifeſtiſſimè ſignificando deſcripſerat? Omnibûs igitur, in apertô jam, conſpicuôque poſitîs doloribûs, ut pateret etiam, quòd lingua pateretur (nè dubitare de conſummatâ dolorum omnium perpeſſionê poſſet aliquis) *dixit: ſitio!* Preſſit hujus expreſſæ ſitis, & confeſſi doloris cauſam Epiſcopus Hebronenſis, meô pariter è ſenſu, judiciôque locutus: *Cruciatus aliarum partium ſacratiſſimi illius corporis, adeò conſauciati, per ſe, aliis innoteſcebant; linguæ verò, & palati dolor latebat. Hunc itaquè præ cæterîs manifeſtabat: nè quiſpiam partes illas minimè torqueri exiſtimaret.* Fornerus in Parad. malor. punicor. Tom. 2. Conc. 26.

Pſalm. 21. v. 16.

IV. Et quamvis ab hâc ſententiâ ſtent plures Theologi; quòd, quaſi laborum ſuorum, atquè dolorum omnium oblitus, nihil, præter ſitis cruciatum, querulâ ſupplicationê manifeſtet: ea tamen hujus indicati tormenti cauſa potior fuiſſe cenſenda; quam ſignanter idem, qui myſterium iſtud ſolus notavit, ſacer expreſſit Hiſtoricus, videlicèt: *Sciens JESUS, quia jam omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur ſcriptura, dixit: ſitio!* Quid hoc ſibi vult? an iſta, ſuprema, confeſſæ ſitis, ratio fuit? *ut conſummaretur ſcriptura.* Qualis illa ſcriptura? non alia; quàm, quæ regii Vatis è pſalmô decantata jam eſt: *Dederunt in eſcam meam fel; &, in ſitî meâ potaverunt me aceto.* Non eſt, hâc de veritatê, quod ambigi, vel torqueri minimùm in ſuſpicionem diverſam queat: cùm S. Evangeliſta continuò ſubjunxerit: *Vas ergo poſitum erat, aceto plenum.* *Joann. 19. v. 28.* *Pſalm. 68. v. 22.* *Joann. 19. v. 29.*

Quid

Quid enim aliud, quàm argumentum illius, quæ conſummanda fuerat, ſcripturæ, declarare voluit hâc annotationê? Salmeron utrúmque conjunxit, inquiens: *Hæc corporis, pendentis in Cruce, ſitis, Chriſti primùm probat veram humanitatem, & veros dolores ejus: deindè, probat ſcripturam, & implet Prophetiam, dicentem: Et dederunt in eſcam meam fel; & in ſitî meâ potaverunt me acetô.*

Alphonſ. Salmeron. Tom. 10. Tract. 44.

V. Hæc tam accurata ſcripturæ conſummandæ ſolicitudo, movet aliam, aliîs de ſcripturîs, quæſtionem. Cùm enim ſitim ipſe de ſê Dominus ſateatur, & quidem ardentiſſimam (quæ ſolet, viribûs, longos per labores, ac dolores, exhauſtîs, & humoribûs exſiccatîs, & faucibûs arefactîs, &, præſertim, ſanguinê copioſè profuſô defectos, acerbiſſimè perurgere) quando ſcripturam illam videbimus adimpletam? in quâ Fons ipſe ſitientes omnes invitavit, promittens: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me; flumina de ventrê ejus fluent aquæ vivæ!* Quomodò ſitientes affluentiâ potabit aquæ vivæ; qui ſitit ad mortem, nec unicam levandæ ſiti guttam habet aquæ frigidæ? Quando conſummabitur illa ſcriptura: *Qui biberit ex aquâ, quam ego dabo; non ſitiet in æternum: ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eô fons aquæ ſalientis in vitam æternam*? Si talis eſt in ejus poteſtatê potatio; quæ ſitim omnem extinguit, hauſtáque, fontem jugiter ſalientem ingenerat? cur ſitim ergo, tam ſibi moleſtam, & acerbam, ipſe non levat? Nunquid ad eum, ùt fontem, evangelicus Propheta ſitientes invitavit: *Omnes ſitientes venite ad aquas*! Et ipſum omnis ità deſtituit unda; nihil ut ſuppetat, undè refrigeret aridam linguam? Nunquid infallibilî verbô promiſſum eſt: *Haurietis aquas in gaudiô de fontibûs Salvatoris*? Quod amplior confirmatio, per alteram ſcripturam auxit: *Erit fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem, in ablutionem peccatoris.* Adhæc, velut increpantis, & exprobrantis objurgatio, per alium inſuper eſt inſinuata Prophetam: *Me dereliquerunt, Fontem aquæ vivæ; & foderunt ſibi ciſternas; ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas! Quid tibi vis in viâ Ægypti; ut bibas aquam turbidam? Averſio tua increpabit te.* Sed ubinam illæ vivæ ſunt aquæ? Fons ille vitæ, gaudii, ſalutis, & omnis refectionis ubi ſcatet? Ubi, jugiter manando, ſitientium omnium cupidos ardores extinguet? cùm ipſe ſitiat, qui vocat; nec eſt, qui ſupremis etiam labris vel ſtillam unicam anhelati liquoris aſpergat? Abſit; ut arcanam duntaxat, myſticámque fuiſſe ſitim arbitremur: quamvis & eâdem arſiſſe cor JEſu, magisque, quàm fontis, ani-

Joann. 7. v. 37.

Joann. 4. v. 13. 14.

Iſaiæ 55. v. 1.

Idem 12. v. 3.

Zachar. 13. v. 1. 2.

Jerem. 2. v. 13. 18.

marum ſalutis, & lacrymarum, fuiſſe cupidum, inficias non eam: imò, cum Ambroſiô, tùm & Simeonê de Caſſiâ credo; quòd: *Sitiebat redemtionem generis humani: &, per corporis vocem, vehementem animæ ſuæ, noſtræ ſalutis affectum expreſſit. Sitiebat enim omnium ſalutem animarum.* Præter hanc autem animæ ſitim, *verê dixit: ſitio! &, appetitu naturalî deſideravit levamen ſitis* (utì Burgenſis Præſul notanter diſtinxit) *ſed, cùm ſitim hanc, ùt alia, multò graviora, diſſimulare fortiter potuerit, non eô conſiliô eam indicavit; ut acceptô congruô potu ſedaretur: quem, ùt noverat, ſibi non eſſe præbendum; ità non magìs deſideravit voluntatê rationalî; quàm quodvis aliud cæterorum malorum ſuorum ſolamen* (*ſitis enim ſalutis hominum erat, quam deſiderabat explere*) *verùm hôc conſiliô aperuit: ut humanæ naturæ, & ſupplicii, non ſimulati, veritatem in ſê manifeſtaret, proprium Crucis, laborisque effectum ſe ſentire profeſſus.*

S. Ambroſ. ſerm. 30. B. Simon de Caſſiâ Lib. 13.

Lucas Burg. in Joann.

VI. Hæc autem veræ ſitis confeſſio, quem non, in attonitum, cum admirationê, ſtuporem abripiet? cùm ſtupendum prorſùs, nec per humanam ſatìs rationem perſcrutabile videatur, ſitis hujus profundũ nimìs myſterium; de quô S. Bernardinus ipſe faſſus eſt: *Admiranda eſt ſitis iſta Domini noſtri! &, mirum quidem eſt: quòd Fons, ſitit; imò, quòd omnium aquarum redundantia ſitit; &, qui omnium ſitim venerat tollere, patitur; quod ab aliis venerat auferre!* Quî potuit illa Patris infinita Providentia Filium Unigenitum intueri, tam exiguô ſubſidiô deſtitutum? â quâ miſſus quondam Aliger è cœlô ſpiritus, puteum aquæ dulcis, juſſus eſt afflictiſſimæ pro filiô matri ſuggerere: nè, ſubter arborem abjectus, & ſuam cœlo ſitim lamentabilî você queſtus, aquâ nullibi ſuppetentê, deficeret Iſmaël. Tamen ingrati, perduellísque populi ſupplex gemitus, ex abyſsô divinæ miſerationis ejuſdem, in undæ potabilis defectu, tam gratioſam hauſit affluentiam ſupernæ benedictionis; ut continuò, quæ propter amaritudinem, in Marâ, bibi nequiverant aquæ, factæ ſint, ligni medicantê virtutê, cum dulcî refocillationê potabiles. Nunquid etiam aſini mandibula Samſoni, per cladem hoſtium fatigato, ſitientique, ſicut victoriæ priùs erat inſtrumentum, ità ſalientis undæ fons eſſe debuit, vitæquè fugientis reſtauratio? Nec Davidem deſtituit inexhauſtus illius æternæ Providentiæ ſinus; aquâ, medios per hoſtes, eidem ſitienti, de remotâ ciſternâ Bethleem, â fortibûs virîs allatâ. Nec inter ultima tormenta ſitiens Elias liquidô caruit ſolatiô: cùm eidem reſocillando fontem Siloë, quamvìs tùm defectum, virtus omnipo-

Geneſ. 21. v. 17.

Exod. 15. v. 25.

Judic. 15. v. 18.

2. Reg. 23. v. 16.

S. Bernard. Senenſ. Tom. 1. ſerm. 55. Art. 1. p. 2. cap. 5.

S. Epiphan. Lib. de vit. & morib. Prophet.

potens, ut ſcateret, aperuit. Quoties, etiam è nubibus, cùm cætera defuerunt, extremæ ſiti ſeſe liquor optatus infudit? Et unicus, Unigenitus DEI Patris, cujus Verbô diviſæ ſunt ab aquîs aquæ, nullum linguæ, nullum ardentiſſimæ ſitis levamen, etiam inclamans, obtinuit! Proh! acerbiſſimæ pœnæ tormentum! &, ſæviſſimæ crudelitatis ultimum, adeò vehemens, atróxque ſupplicium! ut, non olim tantùm, ſe, cum exercitu, regnôque totô, Lyſimachus, præliô victus, nè ſitî contabeſceret, hoſtium poteſtati conceſſerit: ſed, noſtrô nunc ævô (quod nulla potuit flammarum, aut aliorum, quorum vis tormentorum, inhumana ſævities extorquere) tentatum extremæ tyrannidis auſu crudeliſſimô fuerit, in Cochinchinâ ſitî, per immanem cruciatum, in octavum usquè diem, ſuprà decimum, noctésque totidem, ità protractâ; donec humorê totô, jam exinanitô, nativus calor, partes omnes, extimas, intimásque corporis, adeò depaſtus, exhauſit; ut, ignitîs quaſi membrîs, & labrîs ariditatê diruptîs, & oculîs ardorê flammantibûs, omnîque ſalivâ deficientê, tandem exuſti penitùs, conſumtique Confeſſores fidei conſtantiſſimi, vivere quidem, ità, patique, non autem teſtari fidem, hoſtiæ tam ſacræ, lucuſentæquè deſierint.

Theatr. vit. hum. Lit. P. fol. 848.

P. Joann. Anton. Arnedus è Soc. JEſu, in Narrat. de geſtis, pro Relig. in Regnô Cochinchinæ. fol. 29. 30.

VII. Expendit hujus tormenti dirum incendium, quô divinæ noſtræ ſalutis hoſtia conflagrare voluit in Crucê, D. Cyrillus, ipſâque truculentius fuiſſe mortê pronunciavit: *Cùm enim truculenter*, ait, *omnia, impietatê Judæorum eſſent peracta; nec quidquam ad ſummam crudelitatem deeſſet: tandem ſanctiſſima caro Chriſti naturale quid patitur. Multîs enim, ac variîs doloribûs exſiccata, ſitî torquetur. Multùm enim poſſunt dolores, ad commovendam ſitim: innatum enim calorem exagitantes, quod in profunditatê humidum eſt, conſumunt; & igneîs ardoribûs dolentis viſcera urunt. Sicut igitur cæteras paſſiones, ſic hanc etiam, Chriſtus ſpontè perpeſſus eſt.* Ità verò, ſpontè, qui pati, tantæquè Paſſionis vehementiam, apertâ ſitis confeſſionê, nobis indicare dignatus eſt, omnem admirationem noſtram, ſimul autem, & quæſtionem jam omnem abſolvit. Quis enim adhuc, admirans, inquiret: Cur ſuam ipſam Crucem, ex quâ pendebat Servator, vel, non effecerit Fontem; vel, vitales ex eâ, non juſſerit aquas proſilire? Si thaumaturga Moyſis virga, quod præſtitit, non ſuá, ſed Crucis virtutê, cujus umbra fuit, effecit? cur non æquè Calvariæ petra, cùm primùm fuerat attactu Crucis percuſſa, ſicut, ex virgæ ſenſu, ſilex, dulcem in fontem prorupit, non populum, ſed, ipſum Iſraël Regem potatura? Si

S. Cyrill. Alex. L. 10. in Joann. cap. 45.

Exod. 17. v. 6.

Vide P. Benign. Kübler. wund. mirab. p. 1. Tract. 2. n. 5. & seqq.

baculus ille, quô fultus Jacob, Jordanis vadum ſuperavit, Crucis dominicæ myſterium præſignavit ? cur idem continuò conſecutum non eſt, eâdem, in terræ ſcrobem immiſsâ ; quod ſuîs obtinuêre baculîs, Amatus, Deicolus, Lupus, aliíque, cum S. Nordburga, ſancti viri: ſtatim ut exiliret unda, de petrâ, baculô percutientê petita ? Si de Patrum ſanctorum ſententiâ, triumphalem per haſtam, quam, Ægyptii gigantis manibûs extortam, in hoſtis viſcera, cum ejuſdem internecionê, Banaias victor infixit, trophæa Crucis glorioſa præfigurata ſunt ? quî non eadem illi fuit, quæ, S. Fingaris, haſtæ potentia ; cui fontem, ſpiculô vix attacta, tellus effudit ? Potuit, malleô ſuô ſaxum percutiens, B. Salvator de Hortâ, liquidæ fluxum undæ prolicere ? cur idem, è ſaxîs Golgothæ, Crux non obtinuit, illum per malleum figurata ; quô Siſaram inimicum ſolo Jahel affixit ? Sed abſtrahamus aliquando mentem, â compaſſionê doloroſâ ſitis tam diræ ; quam, ùt voluntariè, ſpontêque toleratam, ità conſtat pariter, indicatam eô conſiliô non fuiſſe ; quô, tam acerbæ paſſionis levamen, ſed gravamen potius, & auctius petebatur : *ut conſummaretur ſcriptura.*

2. Reg. 23. v. 21.

P. Benig. Kübler, locô cit. num. 16.

Judic. 4. v. 21.

VIII. Patet igitur admirandæ ſitis arcanum. Quamvis enim, ùt ex Burgenſi ſuprà diximus, *appetitu naturali levamen ſitis deſideraverit*, rationalî tamen voluntatê, magìs id, quod ſibi præbendum noverat (etsì cumulandum ex eô ſupplicium ſuæ ſitis prævideratat) ut nihil non ex vaticiniô ſcripturarum adimpleretur, ſitiens imploravit. Videor mihi, Burgenſis iterum ex mentê, de ſitî Servatoris, idem planè, quod ipſe ſentiebat, arguiſſe. Sic enim ille, *ut conſummaretur ſcriptura*, ait, (*quæ prædixerat : Chriſtum, in ſuâ ſiti, acetô potandum*) *id eſt : ut Patri obediret ; qui per ſcripturam declarárat : mentem ſuam eſſe ; ut Chriſtus, inter cætera, etiam hoc pateretur : ut in ſitî potaretur acetô. Quamvìs ergo acerbiſſimos dolores ferret, non tamen eximere ſe voluit, vel hôc cruciatu reliquô : ut planè Patri ſatisfaceret ; &, ut ſuîs omnibûs numerîs Paſſio conſtaret, nullô eorum, quæ divinitùs decreta fuerant, prætermiſsô.* Fel ergo ſitivit, & acetum ; cùm, arefactîs faucibûs, &, inſtar cremii, torridâ linguâ, ſiccatîsque viſceribûs universîs, enormem, acerbiſſimámque paſſus, indicavit ſitim. Hoc inhumana militum, ac tortorum crudelitas, ultimum in ſupplicium reſervaverat : nec enim temerè, *vas erat poſitum acetô plenum. Illi autem ſpongiam, plenam acetô, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus* : & quidem, uti notavit Euthymius, *ad majorem irriſionem Chriſti, priùs fel porrexerunt*

Lucas Burg. locô cit.

Pſalm. 101. v. 4.

Joann. 19. v. 29.

Euthymius. in Pſal. 68.

(uti

Pſalm. 68. v. 22. (utì vates cecinit : *dederunt in eſcam meam fel*) *ut comederet : nè inſuavis fortaſsè fieret potus ; ſi, jejunus adhuc, potum ſumſiſſet.* Quidquid autem hujus fuerit, illud ex Matthæo certum eſt: *Matth. 27. v. 34.* *Dederunt vinum* (ſcilicet acidum, ſeu acetoſum) *cum fellê miſtum.* Indignatus tantam crudelitatem, humanitatis omnis oblitam, S. Venetorum Patriarcha, non ſe continere potuit; quin exprobraret: *O ingrati! ſceleſti! ſinè pietatê! absquè miſericordiâ! A ſeculô non eſt auditum: ut homini ſitienti, laſſo, vulnerato, morienti, pro ſitis refrigerationê, acetum daretur, hyſſopô, & fellê miſtum! Quod brutis impenditur, ſitienti DEI Filio denegatur!* Qui mercedem inexplicabilem, aquæ frigidæ pro calicê, minimo ſuorum oblatô promiſit; quid redditurus fuiſſet ille, pro talî, ſibimet, piè tunc impenſô ſubſidiô? *Illi autem ſpongiam, plenam acetô, obtulerunt ori ejus!* Vah! immites! barbari! funeſti! Quônam ergo vinum illud aromaticum, â piîs matronîs allatum, ac, inter pœnas defecturis, offerendum, devênit? Lyranus illud, epotatum ab impiâ Popinonum illorum bibacitatê credidit: *Ex nimiâ*, inquit, *crudelitatê moti, tale vinum, datum pro Chriſtô, & aliîs duobûs, cum eô crucifixîs, acceperunt ſibi, ſecundùm quod dictum eſt: (Vinum damnatorum bibebant:) &, locô ejus, poſuerunt acetum, cum fellê miſtum.* Et hoc, ſitiebat JESUS! Quis non jam in diras prorumpat? Quis non adversùs hanc, Judæorum, ac tortorum, quôvis fellê, & acetô, amariorem, & acerbiorem hoſtilitatem, concitatæ bilis rancorem acidiſſimum evomat?

S. Laurent. Juſtin. de triumph. Chriſti. Agon. c. 19.

Lyran. in cap. 27. Matth.

Amos 2. v. 8.

IX. Vetat hanc indignationem, ùtùt piè commotam, Actor alius, aliud aliorum crimen, quod hujus acerbi, felleíque potûs, â Dominô ſitientê non delibati tantùm, ſed expectati, vappam rancidam, amariſſimámque congeſſit, pro veterî ſuô, deliciarum Epicurearum odiô, judicialiter accuſaturus. Et ad hoc muneris ingeſſit ipſe ſe, perpetuîs jejuniîs, &, voluptatis omnis, guſtum afficientis, abſtinentiâ ſeveriſſimâ clariſſimus, Ægyptiæ ſolitudinis, & Eremiticæ diſciplinæ moderator, ac Patriarcha magnus, Antonius. Ille verò reos hodiè, coràm ſupremô Judicê, non milites Crucifixores, non Judæorum quisquilias, & fæcem illam pœnalium ſervorum, criminatur; â quibûs, exhauſtô, ſuggerendæ reſocillationis, optimô vinô, Servatoris aridæ fauces, & ardentiſſima ſitis, novô generê crudelitatis, per obtruſam, acetô, cum fellê miſtô, plenam ſpongiam (*tanquàm ſi in guſtu aceti, & fellis, totius amariſſimæ Paſſionis conſummata plenitudo conſiſteret*) velut ultimô ſuit, & iñanissimô

Valent. Leucht. 17. Jan. in vit. SS.

Ludolph. Carthuſ. p. 2. de Paſſ. Chr. cap. 61.

nissimô vexata supplicio : sed, in ipsam, ex quâ tota profluxit humanæ perditionis calamitas, Edonum scilicèt, ac Bibonum intemperantiam, universámque, non antiqui, sed ævi nostri, nequè Grajis modò cognatam, sed, nulli propè non genti jam inveteratam, græcandi pravitatem, itáque, contrà totam, infamem, inhumanam, & Christiano Nomini probrosissimam, Gastrimargorum, ac Popinonum, seu Physicorum, &, ventris tantùm farciendi voluptatibus addictorum, absurdissimam rempublicam, Anachoreticæ suæ censuræ rigorem omnem, & insimulationis contentiosissimæ zelum distringit.

V. Annatum in method. Apparat. lib. 4. art. 14. fol. 270.

S. Athanas. Quæst. 136. ad Antioch.

Cùm enim ipse S. Athanasius fellei potûs postremam passionem, ad primæ prævaricationis irritamentum, & originale delictum incontinentis gulæ reflexerit ; itáque, sensûs in ejusdem tormentô consummatam Servatoris afflictionẽ asseruerit; cujus intemperantia, totius interitûs, & omnis culpæ principium fuerat : ipsa jam ratio susceptæ criminationis argumentum justificat ; atquè diem hunc, Popinonibus, & Epulonibus (aut, si quis ex antiquitatis mavult Onomatologiâ loqui) lurconibus, & helluonibus dictum, ratum habet, &, ex debitô constitutum, affirmat.

X. Quis enim verò, silentissimus etiam, & extremâ Thebaidê secretus (ipse jam S. loquitur Antonius) linguam premat? &, ad naturæ totius rationalis, cùm &, vel maximè, sacræ legis injuriam, enormémque Legislatoris illius contumeliam taceat ; qui perversitatis humanæ, per immoderationem inductæ, misertus, non meritas tantùm voluptatis illicitæ, reique gustûs pœnas, in semetipsô voluit expiare ; sed corruptæ naturæ vitiosam insuper appetentiam, divinîs, & exemplô suô confirmatîs, temperantiæ rationabilis institutîs, restringere, repararéque conatus est? Cùm enim hæc omnia, tam sancta, Reparatoris DEI consilia, saluberrimáque præcepta, cum ipsâ redarguentis naturæ censurâ, per immodicam, epularum, ac symposiorum intemperantiam protrita, conculcatáque, locîs in illîs appareant ; in quibûs trophæa Crucis exaltata, cum jactantiâ Christianæ professionis, coruscant ; &, alienis â Christô, tam Idololatris, quàm infidelibus, ingeruntur (qui de Legislatoris, cùm veritate, tùm sanctitatê, sequacium ex moribûs, ac vitâ judicant) heu me ! quàm execrabilis, quàm abominabilis, Ecclesiæ Christianæ non tantùm facies externa, sed internus ipse, qui de faciê censetur, status?

quàm

quàm verò deteſtabilis, ipſa quoquè Servatoris Chriſti, cùm doctrina, tùm diſciplina, gentibus illis, ex moderaminê ſolius rationis, &, per eam compreſsâ naturâ, viventibus, per tam execrandam, & ignominioſam Chriſtianorum helluationem, redditur, & obſcuratur?

XI. Hanc autem fœdiſſimæ deſolationis abominationem, tuo non accuſare tribunali, tuum ad judicium, audiendámque, ſuæ debitam immoderationi ſententiam, non poſtulare (nè totus in carnem, & animale crimen, per edacitatem nimiam, & ebria ſemper pocula, Mundus rurſùm degeneret) quis poterit? Quis eam divinæ tuæ gloriæ, tuæquè juſtitiæ, mortalibus ingerendæ ſtudioſus, non, quâ valet, animi contentionê, vocabit in crimen? Novimus, importunîs clamoribûs pulſari Prætoria; querulîs delationibûs urgeri cancellos; actionibûs contentioſîs judices, judicúmque tribunalia ſolicitari, premi, fatigari; nequè, niſi pronunciatâ ſententiâ, ſtrepitum Actionis Forenſis conquieſcere; *quæ adverſùs eos intenditur; qui eum in locum, quà vulgô iter fit, aliquid effuderint, dejecerint, ſuſpenderint; cujus caſus alicui nocuerit, noceréque ſuſpenſum potuerit.* Æquiorî ſanè, majorîque zelô, divinum â nobis invocandum, &, actionê præſenti poſtulandum, tribunal eſt, adverſùs eos; qui, per aſſiduam convivandi luxuriem, & Epulonis, in Evangeliô damnati, quotidianas comeſſationes, ebrioſáque græcandi commercia, ſuásmet ædes, in publica Bacchi Gymnaſia, profeſſámque temulentiæ tabernam, quàm proſtitutè, tam ignominioſè, damnoſéque verterunt? ubi, non ſolùm *effunditur*; ſed etiam, ſinè debitæ dimenſionis diſcretionê, menſura conſidentibus certatim infunditur; * nequè dimittitur epotandorum ardens concertatio calicum: niſi, *qui potentes ad bibendum*, cæteros, invalidiores *dejecerint*: etſi *caſus* ejuſmodi non *alicui* tantùm, ſed multis, & plurimis jam (heroicorum forſan in facinorum, ac triumphorum cenſum relatis) graviſſimè, non corporalî duntaxat in valetudinê, ſed ipsîs etiam in animîs, cum æternæ ſalutis jacturâ, *nocuerit*. Hæc tanta, *de effuſô*, *dejectôque*, damna (per quæ, non una domus, aperta cuilibet, haud ſecùs, ac Erebi quædam, vel Averni fovea, ſed non obſcura, nec occultus, ad perditionem aditus, facta jam eſt) ab omnî nihilô minùs humanæ juſtitiæ perſecutionê ſemper immunia, liberáque, poteritne noſtræ devotionis rigor tacere; qui pecuariarum iſtarum voluptatum infenſiſſimus fuit ſemper, & juratus hoſtis? Nec *de effuſô* duntaxat, atquè *dejectô*

Iſaiæ. 5. v. 22.

V. Pratejum in Lexicô Juris Civil. & Canon. V. Actio de effuſo. &c. L. 1. & l. 5. ff. de his, qui deje. vel effud.

jectô criminosam Actionem intendo: sed, etiam *de suspensô* queror; quod, non tantùm *nocere potuit*; sed, innumeris, innumera nocumenta, per cauponarem illam hederam, jam accersivit; ad quam, tanquàm ad publicum Bacchi labarum, Ganeonum, & Popinonum, & Helluonum, & quidquid ejus madidi prætereà furfuris, absurdíque nominis est, omnis ebriosorum Confraternitas, velut acceptô publicæ licentiæ signô, se solet invitata recipere, geniales, non dies tantùm, celebratura; sed noctes etiam, &, Orgia quotidiana; cum dispendiô, primùm quidem valetudinis, vitæquè temporalis: deinde verò, rei quoquè familiaris, & mediorum eorum; quæ domûs universæ, proliúmque, cum conjuge, nutriendarum necessitas exigit: postremò, cum spiritualium etiam, omnium, animæ facultatum, & rationis, & pietatis insuper, & sempiternæ salutis, ac felicitatis jacturâ.

XII. Ecquid hoc, voluptuarium, ac animale, brutaléque genus hominum (si tamen dicere fas est, hominum?) quid, inquam, pro turpitudinis absurdissimô characterê, quô sordent, æquê satis, &, ùt merentur, per extremum opprobrium compellabo? Num Bibones hos, & Manducones, Glutones, Phagones, Catillones, & ingluviosos Popinones, qui se quotidianîs poculîs ingurgitant, & insatiabiles effarciunt pantices; hos, nunquàm sobrios, Asotos, brutè bacchantes, nec hominis quicquam, in toto vitæ præsentis abusu, præter vultum, & loquelam (quamvìs & hanc, vix unquam integram, vix aliquando cum rationê conjunctam) exhibentes; an, Epicuri de gregê porcos appellans, & persequens, aptô satìs convitiô perstrinxero? *Quorum DEUS, venter est*; altare, mensa; sacrarium, vinariâ cum cellâ, culina; thuribulum, lances, & calices; victimæ, dapes; mystæ, cum pocillatoribûs, coci; demùm (utì pridem Hugo Victorinus accusavit) quorum, *fumus incensorum, odor saporum est.* Hos olim, censor ille Cynicus, Charybdî deteriores pronunciavit: quòd Charybdis, ea quidem, quæ marî vehuntur, sed sola, sorbeat, absorptáque revomat: *Iurconum autem ventribus, nec aër, nec terra, nec flumina, nec maria sufficiant: quin & domos, & agros totos absorbent.* Undè non mirum: quòd istud, humani generis probrum turpissimum, Christiani nominis injuriam summam, rationis, ac virtutum omnium tyrannidem deterrimam, Sancti quiquè viri, capitalî semper odiô persecuti sint; &, quicquid abominabile, vel pernicioSum invenire potuerunt, conspirantê zelô, sic, in unum

Hugo Victor. Lib. 2. de Claustro Anim. c. 19. ante med. pag. 49. Tom. 2.

Laërtius. Lib. 6. cit. à Cornel. à Lap. in cap. 3. Philipp.

unum illud, guloſitatis, & intemperantiæ vitium, exonerârint; ut, ex Pauli ſui ſpiritu, vehemens Orator, Præſúlque ſeveriſſimus, pronunciaverit: *nihil Diabolo tam gratum, quàm ebrietas: quoniam omnium fons malorum, & genitrix.* Imò, *ebrius, dæmon eſt voluntarius; morbus, veniam non habens; ruina, excuſationé carens; commune,* (quod jam dixi) *generis humani opprobrium.* Vix in catalogô totô malorum omnium, &, omnium execrabilium rerum, turpiſſimâ, peſſimâque colluviê, vel abſurdum, vel noxium, vel, fœtorê quicquam, aut, aliâ corruptionê peſtiferum, latet; quod, in ſolam hanc abominationem, non invenitur, ab Auguſtini Patris energiâ criminatricê congeſtum, nomenclationê turpiſſimâ; quâ dicta fuit: *flagitiorum omnium Mater, culparum materia, radix criminum, origo omnium vitiorum: turbatio capitis, ſubverſio ſenſûs, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, temporis amiſſio, inſania voluntaria, ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela.* Quanta crimina! quot, & quàm enormia flagitia, dum unum accuſo, ſimul incuſanda, tuæque ſanctiſſimæ juſtitiæ, cum eôdem, &, in eôdem unô, damnanda concurrunt? quorum, cùm ſingula ſint Infernô digna; quô judiciô condemnabuntur, in unô, univerſa!

S. Chryſoſt. Homil. 71. ad popul. Antioch. & homil. 1. Tom. 5. col. 449. & col. 14.

S. Auguſt. de ſobriet. cap. 1. ante med. pag. 684. Tom. 9. Lit. D.

XIII. Quòd autem adversùs impietatem hanc Anachoretica noſtra cenſura, præ cæterîs, tribunal tuum ſacroſanctum pulſare ſuſceperit; ipſe rigor ille noſter (quô ſanctius nobis nihil, nihil antiquius, nihil etiam, ad vitam æternam obtinendam, ex inſtitutô legis Chriſtianæ, conveniens magis, ac neceſſarium viſum eſt) agendi, poſtulandique tribuit auctoritatem. Ut enim, non ſolùm delicatus Magiſter, ex Hieronymi ſententiâ, ſed, ſorô proſcribendus, Actor eſt; *qui, plenô ventré, de jejuniis diſputat:* cùm ſacrum, ſancitúmque velit Petrus purpuratus: *nè vita diſcordet â linguâ; ſed, commendet inedia, jejunia prædicantem: nè loquentis ſententia comedentis fauces impugnet.* Ità videtur præ cæterîs, non poteſtas modò, cum jurê, ſed, cum debitô, neceſſitas etiam, crimen hoc accuſandi, tantò major nobis incumbere; quantò ſeveriorî temperantiæ ſtudiô voluptates omnes, & cupedias gulæ perſecuti, ventri, ſtomacho, palato, quidquid irritare guſtum, aut eidem blandiri poteſt, perpetuâ caſtigationê ſubtraximus, illô ſolô contenti; quod vivendi neceſſitas, eáque, nunquàm ſaturata, ſed, modicâ duntaxat refectionê, jugiter vexata (tantùm, ut ſufficere ſpiritûs obſequiis natura corporalis poſſet) arctiſſimè dimenſum exigebat.

S. Hieron. Epiſt. ad Nepot.

S. Petr. Dam. Tom. 3. de Perfect. monaſt. cap. 15.

XIV. Hoc

XIV. Hoc ipſum eſt autem; quod, primùm urgeo. Cur enim nos, antiquæ ſolitudinis incolæ, jurati nemorum, & eremorum accolæ, cavernarum, & ſpecuum Inquilini, Mundum omnem, omniúmque deliciarum, quæ naturalem illicere ſenſum, aut aliquam ſui cupiditatem proritare poſſunt, uſum exoſi, nos ipſos, adeò ſeverâ legê damnavimus abſtinentiæ perpetuæ; quâ, vitam omnem, ad parciſſimum, illúdque ſimpliciſſimum, & aſperum alimentum, torquendæ magìs, quam fovendæ gulæ datum, ità reſtrinximus: ut omnes epulæ noſtræ, vix ab animalium pabulîs diverſæ, continua fuerint, partem in omnem abnegatæ, naturæ jejunia? Cur innumeri viri ſancti, ſanctæquè mulieres, tenerioris etiam ætatis, &, ùt nati, ſic etiam delicatè nutriti, ſua tamen corpora, quamvìs innocuîs ab annîs DEO ſacra, nec ullius unquam flagitii contaminationê profanata, protractîs, etiam plures in dies, moleſtiſſimîs inediîs, jugî famê, ſitîque, pertinaciſſimè toleratîs, non ſecùs afflixerunt; ac infenſiſſimi ſolent hoſtes, in ſuam redactos poteſtatem, & abſtrusîs clauſos ergaſtulîs rebelles, atquè maleficos, diræ famis longô ſupplicio, mortêque diuturnâ, maceratos torquere? Cur eadem quoquè, quæ, ſuſtentandæ naturæ debita, corporibus, ex officiô tributa ſunt, non ad ſiliquam ſolùm, & ſcrupulum, exactiſſimè delibrata ſumſimus; verùm inſuper, amaricata fellê, cineribûs exaſperata, vel abſynthii, vel putidi liquoris adfuſionê, pro variæ pietatis ingeniô, corrupta, magìs in tormentum, quàm alimentum, ſuſcepimus? Cur, inquam, nobis, noſtróque palato, ventríque, tam ſemper infenſi, non illecebrîs interdiximus tantùm, ſed exquiſitîs inſuper gulæ ſuppliciîs nos perſecuti ſumus? dum iſti, nihil ſibi certiùs, fidentiúsque perſuaſerant: atquè, periculô prorſùs omnî ſalutis vacare, quaslibet menſarum cupedias; & academicas epularum concertationes; & profeſſa gulæ, quàm delicatiſſimè titillandæ, ſtudia; tum & comeſſantium quotidiana comercia, verbô, Sybariticam ſaginationem, inter Chriſtianæ ſanctitatis cancellos, adeò non periclitari, promiſsô cœleſtis illius magnæ Cœnæ conviviô: nunquam ut cogitaverint aliud; imò, ſecurè ſibimet ſemper polliciti fuerint: ſe, cum ventrê ſaginatô, buccîsque diſtentîs, & gutturoſis palearibûs, & capitê, temulentiam ſumantê, labrîsque, nunquàm non adipê nitentibûs, ac perpetuam eructantê culinam ſtomachô, convivium *Luc. 12. v. 30.*

ad

ad illud admiſſum iri; quod in Regnô ſuô, JESUS Chriſtus, Dominus noſter, jejunii ſanctificator, & Chriſtianæ moderationis Legislator, ſuis tantùm aſſeclis præparatum, &, poſt hujus vitæ, perpetuîs abnegationibûs caſtigatæ, moleſta jejunia, ſinè faſtidiô ſempiternæ ſatietatis, in omnium deliciarum abundantiâ, fruendum ſpopondit.

XV. Aliter nimirum, ac illi, nos, oracula Scripturarum veterum, & Evangelii divina dogmata, cùm explicata percepimus, tùm intellecta, ſtuduimus adimplere. Cùm enim arctam audivimus viam; quâ ſalus inquirenda foret æterna: nec, niſi per anguſtam portam, in ampliſſimum illud, immenſúmque, *Matth. 7. v. 14.* quô nunc potimur, beatitudinis æternæ Regnum, patére cuiquam tranſitum novimus; cum adeò diſtrictâ ſingulorum diſcuſſionê, qui deſiderant in ejus partem felicitatis admitti: pluribus ut etiam, non ſuffecerit, attriviſſe corpus, &, aſperitatê jejuniorum, arefacta quaſi membra geſtâſſe: ſed, ipſam etiam neceſſè fuerit cutem, immodicâ curâ dilatatam, priùs exuere, totámque ſolicitudinem vitæ præſentis, & eorum, quæ ſenſuum commodis blandiuntur, illi beatitati poſthabere: tùm, legem continuò nobis indiximus, â carnis deſideriîs alienam: nè, cum carnê ſimul, animas ipſi noſtras æternîs illîs dapibûs deſtitueremus. Quid autem poteramus aliud perſuadere nobis, poſt manifeſtata, per ſacros Vates, divinæ tuæ voluntatis, & æterni judicii decreta? Debebat ſanè terrere nos Evangelici Prophetæ comminatio: *Væ! qui conſurgitis manè, ad ebrietatem ſectandam; & potandum, uſquè ad veſperam: ut vinô æſtuetis! Et opus Domini non reſpicietis; nec opera manuum ejus conſideratis. Propterea dilatavit Infernus animam ſuam; & aperuit os ſuum abſquè ullô terminô.* Debebant horrorem nobis incutere, cum tremorê, Vatis lamentantis indicta ſupplicia: *In calorê eorum ponam potus eorum; & inebriabo eos: ut ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum, & non conſurgant. Deducam eos, quaſi agnos, ad victimam; &, quaſi arietes cum hædis.* Debebant ſalubrî compunctionê compeſcere cupiditates noſtras (quas natura, tùm adhuc appetentior, ſenſerat) acceptî de ſupernâ commonitionê ſtimuli; quibûs ad ſobrietatem, caſtiſſimámque moderationem, nunc per Servatorem urgebamur, admoniti: *Attendite! nè graventur corda veſtra in crapulâ, & ebrietatê; & ſuperveniat in vos repentina dies illa! Væ vobis! qui ſaturati eſtis: qaia eſurietis!* Nunc invitabamur, per Joelem vocati: *Convertimini ad me, in jejuniô, & planctu, & fletu!* Nunc admonebamur, per Eze-

Iſaiæ 5. v. 11. 12. & 14.

Jerem. 51. v. 39. 40.

Luc. 21. v. 34.

Luc. 6. v. 25.

Joël 2. v. 12.

Eccles. 4. v. 10. chielem edocti: *Cibus tuus erit in ponderê, & mensurâ.* Nunc arcebamur, per Apostolum cautiores effecti: Rom. 14. v. 17. *Non est Regnum DEI, esca, & potus.*

XVI. Hæc tamen ipsa quotiès de superiorê locô Bibonibus istis, & abjectissimis, abdominum suorum, gulæquè mancipiis, cum energiâ, vehementîque terrorê sunt incussa? quem objecta Patrum sanctorum, gravissimi sensûs judicia, magìs adhuc exaggerârunt. Nec poterant in alium sensum, interpretationê mitiorî, Vatum illæ terrificæ minæ torqueri: dum, nihil ab iîs diversum, conjurata veterum Doctorum auctoritas toleravit. Sic enim stringebat verbîs disertissimîs Florentinus Antistes, inquirens: *Quam spem habere possunt de Deô, & de Beatitudinê; quorum DEUS, venter est?* S. Antonin. in sum. Theol. p. 2. Tit. 6. cap. 1. §. 1. Ità substringebat Claræ-vallis Abbas, veritatê succinctâ: *Ebrietas ejicit hominem â Regnô DEI; demergit in Infernum.* S. Bernard. serm. 25. de mod. benè vivendi. Ità perstringebat, stylô suô terrificô vehemens, Antiocheni populi Præsul: *Cœlum ebriis inaccessum, hic morbus efficit; nec æterna bona assequi permittit.* S. Chrysost. Hom. 1. ad pop. Ant. Ità demûm constringebat, &, omni facultatê, declinandæ, vel excutiendæ veritatis, ereptâ, D. Joannes Climachus arctabat, inclamans: *Coërce ventrem, priùs quàm ab illô coërcearis! nè serò, nec sinè ruborê, cogaris temperantiùs vivere. Restringamus ventrem æterni ignis memoriâ? Ventris ingluvies, & satietas, exhaurit fontes gratiarum. Si Christo, per angustam, & asperam viam ambulando, adhæsurum te promisisti? coërce ventrem tuum! hunc enim, si benè curaveris, & saginatum extenderis; pacta cum Christô inita rescidisti.* S. Climach. grad. 14. n. 12. 13. & n. 18. *Cave, erres! non liberaberis a Pharaonê, nec Pascha cœleste celebrabis; nisi herbas amaras, & azyma, per omnem vitam gustâris. Amaræ herbæ sunt violentia, & labor jejuniorum: azyma, sensus, ad modestiam, sinè fastu, compositus.* Exod. 12. v. 70. Num autem hæc, virorum tantorum, ùt seria, sic fidelis admonitio, de tritâ cœli viâ, de supernæ salutis aditu, non, nisi per moderationem, severúmque castigatæ gulæ dominatum reperiendô, non poterat, atquè debebat omne dubium eximere? nisi ratio tota, cum omnis intelligentiâ veritatis, in præceps abiit, protritáque defecit. Quod quidem evenire communiter Edonibus, ac Popinonibus assolet; utì Chrysostomus accusavit: *Nihil gulâ perniciosiùs, nihil ignominiosiùs est. Hæc obtusum, & crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit: hæc cæcat intellectum; nec sinit, ut quicquam perspiciat.* S. Chrysost. Tom. 3. homil. 44. in princip. col. 213. A.

XVII. Utinam hæc occæcatio Babylonica, serenum Christianæ conversationis usum confundens, & ordinem omnem rationis, cum legê supernâ conformandæ, perturbans, in ultimâ tantùm

col-

colluviê mundanorum hominum deploranda foret! Sed, heu! quis universi ſtatus eſt Orbis? Ubi non, cætera ſi deſint (quamvis, ubi gula, reliqua non poſſint abeſſe diù vitia) cura nimia ventris, & immodicus edendi, potandíque, reprehendendus exceſſus? execranda culinarum induſtria? vituperanda comeſſationum, in orbem revertentium, perpetuitas? incuſandus, cum prodigalitatê, luxus? probroſum in crimen arceſſenda voluptas eſt? ubi non ebrietas, & ingluvies, obnoxiæ damnationi, contentioſiſſimam per Actionem, ad æternæ famis, atquè ſitis pœnas poſtulandæ ſunt? Nunc enim, inter fideles (vah! probrum!) quotidianum eſt, atquè commune; quod gentilibus olim Arelatenſibus, anniverſarium duntaxat, &, in tribûs tantùm, ad id electîs adoleſcentibûs, perditionis Auctor celebravit: quos opimîs dapibûs, annô totô pinguiſſimè ſaginatos, cum anni tandem exitu, ſibi victimas cædi, miſerrimô ſcilicèt, indultæ ſaginationis compendiô, depoſcit. Hæc diabolica ſaginandi tyrannis non annuales nunc victimas, aut numerîs tantùm certîs, exiguîsque definitas habet; ſed quotidianas, &, quotquot inſatiabilis animarum helluo concupiſcit, ex votô conſequitur. Ut enim nihil adeò facilè, frequentérque, ſicut propenſio guloſitatis, in omne flagitium inclinat; ità nullâ plures ex pravitatê, nequè ſæpiùs alibi unde, barathrum in infernale, quàm exinde prolapſi, præcipites abeunt. Unicus olim Niſæus, non â tyrannidê tantùm, ſed â conſiliô mentis abjectiſſimæ, Syracuſis infamem ſe reddidit: cùm, animô deliberatô, quidquid ſuper adhuc ei crudelî fuerat ex vitâ, lancibus, poculisque ſacrum, ſcilicèt execratum, devovit. Hôc autem in cumulô, quem, tuô coram tribunalî divinô, reum perſequor, non unum, ſed gregem video plurimorum; quorum non extrema ſolùm ætas, â cæterîs vitiîs defeſſa, ſed omnis penè vita, non, niſi potus & eſca, non, niſi continuandæ voracitatis, & ebrioſitatis, pecorina profeſſio fuit.

Ravisius Textor. in offic. Lib. 5. cap. 51.

Bellovacenſ. ſpecul. moral. Lib. 3. p. 8. Diſtinct. 1.

XVIII. Non accuſo, damnata jam æternâ famê, gentilis, & antiquæ Gaſtrimargiæ monſtra; quorum nonnulla, cum hujus temporis, & fidei probrîs collata, nequè monſtra cenſeri porrò poſſunt, (quia tranſiverunt jam in uſum) nequè tantam in ſe, ſicut fidelium infames compotationes, enormésque comeſſationes, indignationem, animadverſionem, & condemnationem exacerbant. Fuerit abſurdum, quod Ariſtoteles ipſe deteſtatus eſt: in Syra-

Textor. Ravis. loc. cit.

racusanorum luxu, nonagesimum in diem, continuatam, nullôque lucidæ sobrietatis intervallô, pertinacem illam ebrietatem, abruptam fuisse. Fuerit, ex proverbiô, gulæ non satiabilis, *Gurgitis* infame nomen, Gallonio; Neroni, *Meronis*, aut *Meri*; receptúmque, populari jam antonomasiâ, scomma Bonosi: *Non, ut vivat, natus est; sed, ut bibat.* Mitiora sunt hæc iîs; quæ, cùm sint pluribus communia, tantò plûs criminationis exposcunt; quantò gravius crimen in se continent; quod, â malitiâ, quondam singularî, gentilîque, nunc, in pluralem transivit Catholicorum. Quot jam, non vetus Roma, sed plures Orbis urbes, Vitellios, jugibûs in pascuîs vitulantes alunt? quos in quadrifarias epulas omnis partita dies, nullô solertiùs aliô negotiô, vel occupatos tenet, vel esse sinit: quàm, ut in diluculô, vacent jentaculis; in meridiê, gaudeant prandiîs; vesperî, cœnis indulgeant; noctem reliquam, comessationibûs ingurgitentur? Proh! pecudes! non homines: proh! ventres! non animos: proh! gurgites imanes, &, moderaminis omnis, omnis fundi, cunctæquè rationis expertes voragines! â quorum insatiabilî gulâ nihil tutum, immune nihil, seu sanctum, seu profanum, domesticum juxtà, atquè externum; quod non, pertractum in concupiscentiæ censum, &, vectigale fieri Gastrimargiæ, coactum est. Quod enim, figmento propiùs, quàm vero, Lydorum Regis crudelem edacitatem infamavit (quâ propriam devorâsse conjugem ferebatur) id verissimum plurimorum, & atrocissimum crimen est: â quibûs, pro noctis unius conviviô pinguî, compotationê strenuâ, jam innocentes filiolæ (taceo filios) jam ipsæ quoquè castissimæ conjuges, lupinæ lupantium fami, devorandæ, tùm indultæ, tùm oblatæ sunt: si non, ab iîsdémmet ipsæ, cum omnî rê familiarî, totâque, tàm adeptâ, quàm hæreditariâ forsan adhuc, portionê substantiæ, priùs ad incitas jam redactæ, consumtæquè fuerunt, & abliguritæ. Nec ullus quidem, in quibûsdam, Ganeonum istorum, atque Lurconum, horror; sed, illius etiam votum impietatis fuit; in quâ, bibulam animam suam, tantùm non jam damnatam, excucullatus Buchananus, Popinonum omnium spurcissimus Antesignanus evomuit: cùm imminentis, ex immodicâ potationê fati, conscius, generosi vini vas, lectulum ponè mortualem statui jussit; statuítque: non priùs animam exhalare; quàm doliolum evacuâsset. Pulmonibûs tandem, ac viribûs,

Textor Rav. loc. cit.

Lælius de Gallonio.

Aurelian. de Bonosô: & Flavian. Episc. cit. ab Engelgr. P. 1. L. E. Dom. 2 post Epiphan. in Prol.

Geraldus. Doctrin. Curios. L. 2. sect. 13.

ad

ad hauriendum defectîs, cùm potare non valeret ampliùs, voluit, ex vaſculô, ſuper cervical poſitô, ſtillicidiîs, in os hians, inde derivatîs, moribundus adhuc refocillari jugiter; ægriùs nihil dolens, ac unum iſtud: quòd immergi totus, itáque moriens, in vini doliô, ſubmergi nequiret.

XIX. Nihil autem hîs in abominationibûs omnibûs, mihi quidem execrabiliùs videtur; atquè ſtupida ſalutis perſuaſio, ſtultiſſimáque præſumtio: quâ, participationem cœleſtis gaudii, noſtræquè menſæ communionem, neſcio, quô ſomniô decepta, ſibi pollicentur iſta capita temulenta! Delirium ſcilicet hoc ipſum eſt; quô ſuæ corruptæ mentis ebrietatem apertè prodere cognoſcuntur: cùm, pro vertiginê, quam repleta vinô cerebra patiuntur, ſic interna deluditur arbitrandi facultas; ut (quod ſolent ebrii, ſpeciebûs occurrentium rerum perperàm receptîs) cœlum ipſis, infernale barathrum; hujus autem abyſſus fumans, & ardens, Beatorum regio videatur. Verùm enimverò, ſi per cloacas illas, & pecuina volutabra, quæ ſola Suibus iſtis, in votîs, deliciîsque fuerunt, ad angelica gaudia, torrentémque voluptatis, de puritatê tuâ divinâ perpetuô manantis, commeatus foret ſecurus; cunctísque, ſuo, prout libet, genio vacantibus, atque bacchantibus, ad Agni nuptias indubius daretur acceſſus: quis fidem ſubindè minis adhibebit, âb Huſſæô vatê prolatis? *Panis ejus in uterô, vertetur in fel aſpidum intrinſecùs.* Ridebitur Salomonis judicium: *Qui diligit epulas, in egeſtatê*, non temporaneâ ſolùm, ſed, multò magis, earum omnium rerum erit; quæ vel minimum, poſt hanc vitam, animabus juxtà, atque corporibus, aptæ ſunt, ſolatium, aut refrigerium, aut emolumentum conferre. Detrahetur Apoſtolicæ prædicationi, de DEI Regnô clamanti: *Non in Comeſſationibûs, & Ebrietatibûs!* &: *Caro, & ſanguis Regnum DEI poſſidere non poſſunt!* &: *Neque ebrioſi, neque maledici Regnum DEI poſſidebunt!*

Job. 20. v. 14.

Prover. 21. v. 17.

Rom. 13. v. 13.

1. Cor. 15. v. 50.

1. Cor. 6. v. 10.

XX. Niſi firmæ forent, id eſt, æternæ, divinæquè veritatis, hæc Apoſtoli, Sapientûmque pronunciata; quis non exploderet illum, abſtinentiæ veteranæ rigorem continuum? quô ſibi, cum Jacobô, Matthæus, Apoſtoli ſancti, ſolîs oleribûs, frigidâque ſatiati, potum omnem vini, totúmque carnis eſum interdictum juſſerunt. Quis non, injûrium ſibimet fuiſſe judicaret S. Theodorum? qui, poſt annua, Mundo nati Servatoris, gaudioſa ſolennia, ſacrâ ſibi legê ſubtraxit omnia, quibûs hominum paſtus uti conſuevit, alimenta, ſolîs herbîs in cibum admiſsîs; nêc illis,

Drexel. de Jejun. L. 1. c. 11. §. 3.

niſi ſemel duntaxat, ſolîsque, Sabbati, Dominíque diebûs, ad Palmarum usquè Dominicam indultîs. Quis illum Simeonem, conſtantiæ ſtupendæ Styliten, non obſtinatum, vel, omnî ſenſûs humani facultatê deſtitutum, potiùs, ac vitæ, rationísque compotem, arbitraretur? qui ſacrum, verni jejunii tempus integrum, non unô tantum annô, ſed octonîs, ultrà vicenos, jejunus univerſum exegit. Non vacat, antiqua Thebaidis, & rigidiſſimarum ſolitudinum, quàm decantata, tam ſubſañata gulonibûs ab iſtîs, miracula coacervare; quibûs eorum, de facilitatê ſalutis, per intemperantem ſenſuum, & gulæ præſertim, indulgentiam obtinendæ, præpoſtera, proterváque perſuaſio præſtringatur. Nemo noſtrûm, qui vitam Eremiticam, & in hâc, abnegationem continuam appetentiarum omnium, Evangelicis conformem inſtitutis profeſſi ſumus, aliâ nobis unquàm legê vivendum eſſe duxeramus; ut ad illa, quæ ſinè finê ſunt, gaudia, pertingere poſſemus: niſi ventris, & corporis curam, cæterîs omnibûs inferiorem, atquè poſtremam cenſuiſſemus: ejuſdem autem, è contrariô, per exaggerata jejunia, ſicciſſimas abſtinentias, & longarum inediarum faſtidia, cum vitiîs, & concupiſcentiîs, (quæ, deliciarum abundantiâ ſaginatæ, petulanter inſurgunt) crucifigendi, mortificîsque vexationibûs atterendi, principem, & unam propè, ſolámque ſolicitudinem, atquè ſolertiam habuiſſemus.

XXI. Et in hæc veſtigia, præludens antiquæ legis rigor, ac Moſaicæ ſanctitas aſperitatis, per ſua nos exempla, non tam illexit, quàm pertraxit. Magnus ille, ſanctúsque populi gubernator Hebræi, ut legem Domini mereretur accipere, quâ ſalutis obtinendæ ratio definita conſtabat, *perſeveravit in montê, quadraginta diebûs, ac noctibûs, panem non comedens, & aquam non bibens.* Idem, ut meritas, â ſibi commiſsô populô, pœnas averteret; &, per luxuriem vitulantem, crapulariámque comeſſationem, excitatam divinæ vindictæ juſtam iram extingueret, iterùm *antè Dominum procidit, ſicut priùs, quadraginta diebûs, & noctibûs, panem non comedens, & aquam non bibens.* Nihil enim, ùt, ad gratiam emerendam, ſic, ad placandam offenſæ divinæ Majeſtatis ultionem, opportuniùs ei videbatur, & efficaciùs futurum, jejuniîs. Cùm, univerſim, ad promiſſæ felicitatis aditum (unde, per immoderationem concupiſcentis palati, communis in Proto-parentibûs hominum omnium reatus exciderat) rurſûs obtinendum, nihil conducere

Deuter. 9. v. 9. 10.

Ibid. v. 18.

cere magis, induceréque ſecuriùs poſſe, deprehenſum ſit: atquè, lex illa ſaluberrima; per quam, intemperans edacitas appetitûs reſtringitur, certîsque neceſſitatis limitibûs, debita naturæ refectio circumſcripta, guſtûs omnes illecebras, cunctarum pœnarum, utì culparum, irritamenta ſecludit. Eôdem, cœlitùs acceptô ſubſidiô, novimus
3. Reg. 19. v. 8. Eliam, non tantùm periculo temporalis vitæ ſubtractum, indomitæ mulieris iras vindices defugiſſe, jejuniô ſcilicèt, *quadraginta diebûs, & quadraginta noctibûs*, in omnis cibi, potûsque carentiâ, continuatô: ſed inſuper didicimus: eundem, ex ipsâ jejunandi conſtantiâ roboratum, divinîsque ſubindè, cùm alloquiîs, tum præſidiîs munitum, in omne divinæ voluntatis obſequium, ſpretîs quibûscúnque timoribûs prævaluiſſe: quod egregiè commendatum eſt â D. Baſiliô: *Jejunium Eliam magnæ viſionis ſpectatorem fecit. Quadraginta enim dierum jejuniô, cùm animam purgâſſet, in ſpeluncâ, meruit, quantùm fas eſt homini, DEUM videre.* Nec aliô magis officiô pietatis, omnes reliquas Hebrææ gentis mulieres, antevertiſſe, cœlíque favores admirandos promeruiſſe, viſa nobis eſt, illa Bethuliæ deſperantis aſſertrix, Judith. Nam, etſi copioſæ fuerit familiæ Domina; quamvìs etiam abundantis, â maritô relictæ, poſſeſſionis hæres, & vidua dives, & juvenis fuerit, *& elegantî nimìs aſpectu; ſuper lumbos* tamen *ſuos habens cilicium, jejunabat omnibûs diebûs vitæ ſuæ, præter ſabbata, & neomenias, & feſta domûs Iſraël.* Tantùm autem vires ejus, jejunii virtutê, profecerunt; ut ad unicum ejus manûs ictum, tota ſuperbiſſimi Regis poteſtas, in Holofernê temulentô, truncata capitê, cæſáque ceciderit. Ità ſalutem ſuæ quoquè gentis, Eſther, â diſcriminê jamjam imminentê vindicatura, potentiſſimum ſubſidium â triduanô jejuniô poſtulavit; probè gnara: quantum in hâc maceratione voluntariâ conſtitutum eſſet gratiarum cœleſtium præſidium, ad uberem influxum ſupernarum benedictionum impetrandum. Ab hôc eôdem, adverſûs omnes malignos incurſûs (undecúnque fôrs infeſtatus) Vates regius, primum ſemper, & ſummum, auxiliare ſe robur accepiſſe teſtatus eſt: *Ego autem, cùm mibi moleſti eſſent, induebar ciliciô: humiliabam in jejuniô animam meam.* Ità demùm, jejunus Daniel, &, Babylonias cupedias regiarum dapum, cum ſociîs exoſus, religioſéque cavens (*ne polluereturde menſâ Regis, neque de vinô potûs ejus*) per legumina ſua, quibûs parciſſimè ſimul veſcebantur, non modò ſapientiam, omnísque legis divinæ ſcientiam,

S. Baſilius Homil. 1. de jejunio.

Eſther. 4. v. 16.

Pſalm. 34. v. 13.

Daniel. 1. v. 8.

Daniel. 3. v. 49.

cum

cum intelligentiâ visionum, ac somniorum, â tuâ divinâ liberalitatê mirabiliter adepti sunt: sed, illi quidem, inter aucta Babylonicarum flammarum incendia, steterunt illæsi, terribilis illius, & inhumani Deastri victores: Daniel autem, famelicis objectus leonibus, blanda potiùs obsequia demulcentium linguarũ, quàm funesta nocumenta rugientium, atquè devorantium eorum rictuum, expertus est. Prætereo Machabæorum antiquissimam, in omnî necessitatê, jejunandi religionem: unde maximum, sibi robur, armis autem suis, felices progressus, & victoriosa prælia, cœlitùs conciliare, primum semper illis, & antiquissimum consilium erat.

Daniel. 6. v. 17.

1. Macbab. 3. v. 47.

XXII. Ex quô satis quidem claret: non esse (quod isti clamant Catillatores, & abdominum suorum fatui curatores) jejunium, gulæquè moderamen, tetrici rigoris novum aliquod, & austerô quôpiam sub cucullô conceptum, verbô, Misanthropicum Institutum. Quod quidem, suô jam ævô, conati sunt, ex malè persuasîs plurium animîs, cum Ambrosiô, D. Basilius extorquere: *Nè terrenum quis*, ait ille, *aut novellum putet, esse jejunium. Primus usus Mundi á jejunio cœpit: &, ubi cibus cœpit, ibi finis factus est Mundi.* * *Etiam legê* (sic alter insuper) *antiquius est jejunium: itaquè, quidquid antiquitatê excellit, venerabile est. Coætaneum est humanitati jejunium: in Paradisô sancitum est.* Cùm enim omnium frugum, ac deliciarum ubertatê, primum hominem, in hortô voluptatis constitutum, Beneficentia Conditoris circumdedit; eundem continuò (nè, quodcúnque liberet, sui concupiscentiæ gustûs indulgeret) abstinentiæ circumscriptæ fixâ legê concluśit: *Ex omnî lignô Paradisi comede: de lignô autem scientiæ boni, & mali, nè comedas.* Ut vel exinde certum sibi persuaderent omnes: quòd, sicut â præceptô gulæ moderaminê, legum omnium cœpit exordium; per ejus autem transgressionem, æternâ statim amissâ felicitatê, primus homo, cum omnî posteritatê, geminam damnationem incurrit: ità nihil sit; quod ab aditu cœlestis illius beatitatis arceat vehementiùs; in omnem verò, corporis, & animæ, perpetuam calamitatem, deprimat graviùs, & urgeat ineluctabilius; ùt indomita, nullîsque continentiæ frenîs restringi se patiens, edendi, bibendíque contumax appetentia. Si pleno semper ventri metuendum nihil, cum hâc indulgentiâ brutalî, vitâque temulentâ, cœli fores pulsanti, foret? Cur, qui primus eas aperuit, vectésque, quos prævaricatrix obduxerat gula,

* S. Basilius Conc. 1. de Jejun. post init. pag. 142. Tom. 1.

Genes. 1. v. 17.

S. Ambros. de Elia, & Jejuniis. cap. 4. in princip. col. 1123. Tom. 4. A.

Matth. 4. v. 2. gula, poſt expiatam ejus culpam removit, ipſum illud reparatæ ſalutis negotium ab auſteritatê jejunii Quadrageſimalis exorſus eſt? Quid arcani documenti providentia cœleſtis in electâ Servatoris Genitricê diſpoſuit? ut, quæ Mediatorem perditionis, ex incontinentiâ guſtûs profectæ, virgineîs paritura monumenta, Cauſam Edonum iſtorum opprimendam ſuſcepiſſem. Sed, lubens prætereo panem arctum, &, ex avenâ ſpiſſum, cum ſiccîs fabîs, modicum S. Genovefæ, nec illud, niſi bis duntaxat, unius hebdomadæ ſpatiô, conſuetum edulium. §. 4.

P. Drexel. locô cit.

S. Gregor. Turon. relat. à Franciſ. Ximenez. L. 2. c. 27. in vit. Chr.

Conſultò, Margaritæ Ravennatis unicam taceo refectionem, ſeptimô quôque diê (nè totam exſpiraret vitam) panê ſolô contentam. Non eſt hîs, ad propoſiti ſcopum, coacervandîs opùs: ipſa damnabilis hæc, in cibum, potúmque profuſio, quam accuſo, ſuæ ſemet iniquitatis onerê ſic obruit, & in profundum contendit: ut nihil ei poſſit eſſe de ſupernâ felicitatê fiduciæ; cui nullius major eſt alterius negotii cura; niſi, farciendi tantùm ventris, ſtomachíque paſcendi. Fallerent Oracula divina; fallerent Sanctorum acta; fallerent, quæ canones quidam fidei ſunt, Patrum antiquorum, de ſalutis æternæ ſolicitudinê, concordia documenta: ſi ſaginatis hiſce, diſtentísque Gulonibus, ad Beatorum adyta pateret aditus, nullîs obicibûs intercluſus; quorum nullus alius, vitæ totius, & votorum omnium finis, nullum ſtudium, nullum ſolertius fuit, impenſiúsque negotium: quàm, dapſilî ſemper menſâ gaudere; pancraticè compotare quotidiè; nullam non ebriam exigere no-

Matth. 11. v. 18.

S. Baſilius ſuprà citat.

XXIII. Excurreret in immenſum exprobratio; ſi per ſola Chriſtianæ ſeveritatis exempla, priſcorúmque jejuniorum auſte-

 ctem;

ctem; &, pecudum inſtar, ventrî ſemper ſaturô, ſemper fartô, terrenîs quibûsque deliciîs, per guttur, & fauces admiſsîs, abundare, nè dicam, crepare. Niſi forſan, miſerè dementati jam, ac, cerebrô totô corrupti, tales cœlos, quos Alcorani ſectatoribus impius Arabs, & infamis, è Saracenorum ſtirpê, Pſeudo-Vates promiſit (equis nimirum, cæterísque jumentis, cum quibûs vivendi fuerat eadem brutalis conditio, communes) animîs concipiant; &, quàm perverſâ cupiditatê, tam execrabilî ſpê, ſibi præfigant, ac præſtolentur. Noſtrorum enim in gaudiorum conſortium (ubi, de tuæ voluptatis torrentê limpidiſſimô, cibatur, potatur, & inebriatur omnis noſtra cupiditas, cum infinitâ quâdam affluentiâ ſatietatis, jugiter, & ſinè taſtidiô permanentis) neminem alium admiſſum hàc tenùs vidimus; nec admiſſum iri novimus: nisì multîs, & variîs abſtinentiîs afflictos; longîs, & moleſtîs acciſarum deliciarum ſubtractionibûs, â voluptatis uberibûs ablactatos; frequentibûs inediîs emaciatos; jejuniîs demùm, omnisque macerationis, voluntariâ non minùs, quàm obligatâ vexationê plurimùm exinanitos, attritos, mortificatos, ac, tantùm non excarnificatos; &, eâ tantùm legê, carnis neceſſitati ſervientes; ut invènti ſint, *non multo vino ſervientes; nec deſideriis, & voluptatibus variis: nec ſecundùm carnem viventes; ſed ſpiritu facta carnis mortificantes.* Tit. 2. v. 3. Ibid. 3. v. 3. Roman. 8. v. 13.

XXIV. Liquet enim, Apoſtoli vulgatum auctoritatê: quòd æternæ morti deſtinati ſint, legê divinâ; qui, tanquàm *debitores carni*, neglectô ſpiritûs officiô, cibíque mentalis affectationê poſthabitâ, *ſecundùm carnem vixerint*, præter Ægypti cepas, & carnium ollas, & pingues nidores, & Bacchi liquores, nihil frequentiùs cogitantes, nihil avidiùs appetentes, nihil beatiùs exiſtimantes. Merentur autem iſti, quò votîs feruntur omnibûs, nec unquam ſibi conſtantes, gradu ſemper vacillantê, perpetuâque titubationê, jam ad dexteram, jam ad lævam declinantes contendunt, non tam præcipitati, quàm ponderê ſuômet illuc inclinati, præcipites abire; flammis illis, æternùm torrentibus, de ſuorum abdominum adipê, luculentius tormentum addituri. Non ſinit aliud judicare, præjudicium vetus Antiocheni Præſulis: *Temperantia viam ad cœlum præparat: intemperantia ad gehennam trahit. Ubi venter ſatur; ibi Dæmones, & Diaboli exſultant.* Quidnî, cum Saliîs hîs, ipſi ſaliant, exſulténtque Diaboli, pignora tam pinguia, corporibûs in obesîs, addicendarum, poſt paululum, ſuppliciis pariter infernalibus Roman. 8. v. 13. S. Chryſoſt. in Matth. homil. 71.

ani-

animarum, jam poſſidentes? Non poteſt, nisì fulminans perditionis ictus, tantos voracitatis exceſſus, & comeſſationum, atquè ſympoſiorum ebrias tempeſtates manere. Quid enim fulminis illius impetum averteret: ubi nihil omninò virtutis eſt? Quid verò Tonantis ejuſdem coruſcam ultionem non accerſeret: ubi, quidquid eſt, crimen eſt? Idem ille, ſupremus Hierarcha Fidelium, Gregorius, qui de Ganeonum iſtorum execratiſſimâ temulentiâ dixit: *quam, qui habet, ſe non habet: quam, qui facit, peccatum non facit; ſed, totus eſt peccatum:* Idem ille Doctor, ac Divinorum Exegetes acerrimus, parî judiciô pronunciavit: *Dominantè gulæ vitiô, per carnis illecebram, omne, quod fortiter agitur, perditur: &, dum venter non reſtringitur, per carnis concupiſcentiam ſimul cunctæ virtutes obruuntur.* Cùm igitur cunctæ virtutes, â cumulatîs, per ebrias ingurgitationes, vitiîs universîs obrutæ ſint: quid erit, obſecro; quod, vel pœnam amoliri queat? vel, feriri vindicis ictu juſtitiæ, non petat?

S. Greg. M. cit. à Bellovacenſ. Spec. Mor. Lib. 3. p. 8. Diſt. 3. Idem L. 29. Moral. cap. 13. num. 26. Col. 1028. D.

XXV. Hæc â mê, per Anachoreticam ſeveritatem, non ſunt, aut exaggerata nimiùm; aut, minùs fortè, quàm hominum uſus, & communis vivendi conſuetudo patiatur, diſcretè poſtulata. Novî divinîs etiam conſiliîs, epulas olim, & hilaria, ſanctîs â virîs, utriúsque legis, inſtituta, celebratáque fuiſſe: ſed eadem, iîs circumſepta terminîs, atque cautelîs moderata ſtetiſſe, pariter non ignoro; quibûs omnis, tuæ Pietatis, ac Majeſtatis offenſio, providè ſecluſa; naturæ verò, tùm, & ſobrietatis, & charitatis injuria, nè cogitata quidem, longè minùs advocata, vel tentata, vel jactata fuit. Scio, Theologicîs calculîs indultum: *Congruit, aliquando epulari*: debebant autem, eâ qui ſtare voluerunt â ſententiâ, quod ibidem adjectum eſt, ad idem etiam animos advertere, cautéque notare: *quotidiè, nimis eſt.* Hâc enim eſitationê continuâ, potationêque perpetuâ, prout juſtiſſimè Juſtinianus Laurentius accuſavit, *natura corrumpitur, libidinis nutriuntur incendia, ſubvertitur Ratio, ſcelera panduntur, homicidia fiunt, proferuntur ſtultiloquia, detractiones, & verba ſcurrilia: hebetatur mens, maturitas relaxatur, lætitia inepta diſſolvit, immunditia polluit.* Quid autem, in hîs omnibûs, criminê vacat? quid, expers damnationis? quid, non cum ſummâ Chriſtianæ diſciplinæ, tum, & humanitatis cum injuriâ ſociatum? quid non, puriſſimîs, divinîsque noſtrîs epulîs indigniſſimum, cum hîs conjunctum eſt?

Genes. 26. v. 30. Geneſ. 43. v. 16. Tobiæ 8. v. 21. Tobiæ 9. v. 12. Lucæ 5. v. 29. Lucæ 15. v. 23. Cajetanus in Cap. 16. Lucæ. S. Laurent. Juſtin. de ſpirit. animæ inter L. 1.

XXVI. Hôc judiciô conſpirâſſe videtur Senatus Patrum, unanimiter, in accuſati criminis con-

Geneſ. 21. v. 8.

condemnationem : *Ebrius* quippè, Basilii magni sententiâ, *minimè misericordiâ dignus*; *qui spontaneo servit Dæmoni.* Quid hâc enunciari categoriâ districtiùs potest? *Verè, ebrietas, voluntarius dæmon est*, arbitriô D. Chrysostomi; *graviúsque, quàm dæmon, mentem obtenebrat; & captum, omnî benevolentiâ destituit: ut, quidquid fecerit, non sit veniâ dignus.* Quid istâ definitionê severiùs exspectari potest? *Ebrietas, est quasi Inferni puteus*, Augustinô, sapientissimô judicê: *quoscúnque susceperit (nisi digna subvenerit pœnitentia) ità fortiter sibi vendicat; ut eosdem ipsos de Inferni tenebrosô puteô, ad sobrietatis lucem redire non permittat.* Quid hâc animadversionê severiùs dici potest, & exaggeratiùs? cùm, ad Inferni puteum, per temulentiam suam jam prolapsi, nec inde reversuri, gulones isti censeantur, ab hôc magnô Patrê; nisi digna subvenerit pœnitentia? Sed hæc in illîs quando sperandа? qui *non dabunt* unquàm *cogitationes suas; ut revertantur ad Dominum.* Nam, ad percipiendam salutis disciplinam non sinit eos hesternæ crapulæ cruditas, unquàm, de stratô, manè surgere: vesperî verò, nequè popina, nequè domestica mensa patiuntur miseros, â, nunquam saturâ, saginationê divelli. Qualem, obsecro, pœnitentiam, & quando cœpturi sunt; qui diem nullam ex hominum officiô vivunt? rationis ad arbitrium, nullam veritatem, per cerebri fumos admittunt? serenô nunquàm intellectu gaudent? Qui semper in tenebris, perversô de rebûs omnibûs judiciô delirantes, circumeunt? Qui nullâ naturæ, nullâ conjugii, nullâ decoris, aut honestatis, nullâ fidei, nec pietatis legê, constringi se sustinent? Qui, quot bolos deglutiunt, blasphemias totidem eructant? Quorum singulîs poculîs non corpora tantùm, sed animæ licent? Qui, pro placentâ, supremum Numen, cœli delicias, & semetipsos devovent; & quidquid, præter gutturis, ac ventris illecebras est, omnia detestantur, & execrantur; hominum probra, fidei Christianæ monstra, voragines inexplebiles, Familiarum decoctores, prolium carnifices, Tyranni conjugum, supplicia naturæ, bestiæ voluntariæ, mancipia Dæmonum, gehennæ vivæ, tantúmque non corporata Dæmonia?

S. Basil. Homil. 14. de Ebriet.

S. Chrysost. Tom. 1. Homil. 29. col. 233. & col. 235. D.

S August. Serm. 1. Domin. 17. post. Trin. & in ord. 231. Tom. 10. p. 783. B.

Oseæ 5. v. 4.

XXVII. Nihil in hîs magis admiratur Pietas, & Sobrietas Christiana; quàm: quòd intemperantem abusum non ipsæ, per suffocationem ulciscantur, quas cum injuriâ devorantes ingerunt, creaturæ. Quòd omnî plumbô graviora corpora, vitalis motûs, progressûsque facultatê destitu-

ſtituta, dum, cadaverum inſtar, quâlibet in cloacâ proſtrata jacent, non continuò dirupta tellus abſorbeat; abſorptáque perpetuîs in tenebrîs condat. Quòd votîs tot, & execrationibûs invocati, non pridem jam, Infernales Plagiarii ſubtraxerint plures, ab ebriosâ conſpirationê direptos, cum illô; qui vinalem animam, pro vinô venalem, vix cùm deſpondit Erebo, totus continuò, cum corporê ſimul, & animâ videri deſiit, abreptus videlicet ad Inferni, plena ſulphurê, liquidâque picê, cellaria. Non eſt, qui non ſtupeat, ligatæ, per divinam tuam juſtitiam, poteſtati Diaboli ſæpiùs id non licuiſſe; quod indultum aliquando: dum conjuratis illis Bibonibus (qui dirîs pactîs ità ſe compotationi devoverant: ut, quisquis epiſtomium prior deſereret, ſtygius eſſet) nè ſortis tam funeſtæ diſcrimen, adeò perditè devotos, alterum ſinè ſociô relinqueret, utriquè ſuperveniens, Tartareus ille Cellarius, finem, quem neuter facere bibendi decreverat, retortô collô, bibendi ſimul impoſuit, & vivendi.

Thom. Canſprat. L. 2. Apum. cap. 56. §. 2.

Pædag. Chriſti. T. 1. c. 7. num. 3.

XXVIII. Quòdſi *parata ſunt*, oraculô Salomonis, *Deriſoribus judicia?* non eſt, quod pluribus urgeam: cùm vix in aliô criminê reperiatur exploſio, deriſio, ſugillatio judiciorum divinorum, adeò proterva, procax, atquè blasphema; quæ par illi ſit; quâ, ranarum inſtar, in ſuîs paludibûs, merô, polentâq; ſtagnantibûs, coaxantes iſti, non poſſunt, niſi terribilem, & fulmineam in ſe tempeſtatẽ concitare. Quid aliud præſtolabimur in perverſitatê tam obſtinatâ? quam nec virtutis perſuaſio demulcet; nec pœnarum comminatio præſtringit. Hinc, etſi panegyricîs argumentîs, ad victûs moderationem, temperantiæquè Chriſtianæ modum perſuadendum blandiatur, cum D. Baſiliô, melliſluus Ambroſius, aſſecurans: quòd ſit *Refectio animæ, cibus mentis, ſubſtantia cœleſtis, continentiæ magiſterium, pudicitiæ diſciplina, lenitatis inſtitutio, charitatis illecebra, ſenilis gratia, cuſtodia juventutis, infirmitatis allevamentum, ſalutis alimentum.* Imò, * *Civitatis ornamentum, fori ſtabilimentum, domorum pax, rerum, & bonorum ſalus.* ** *In vigore ætatis conſiſtentium, frenum; conjugii propugnaculum, virginitatis nutrix.* Non magis tamen omnis hic eloquentiæ, tam copiosô contextus elogiô, nervus vincit, atquè conſtringit, ſuo natos abdomini gurgites hos; ac, per injectas pelago compedes, fluctuũ illorum abyſſum comprimere, fatua Xerxis ambitio tentavit. Nequè, ſi genua flecteret, &, ùt ab omnibûs quondam è ſuggeſtô, ſic à ſin-

Prov. 19. v. 29.

S. Ambroſ. de Eliâ, & jejun. cap. 3. in princ. col. 1122. Et cap. 8. initiô. 1125. C.

** S. Baſilius Conc. 1. de jejunio. pag. 147.*

*** Idem. Conc. 2. pag. 148. Tom. 1.*

singulîs, postularet supplex nunc, obtineret quicquam, deprecans Augustinus: *Illud, antè omnia, rogo; &, per tremendum judicii diem, vos adjuro: ut illam fœdam consuetudinem, per quam grandi mensurâ, sinè mensurâ, - - solebant bibere, tanquàm venenum Diaboli, de vestrîs conviviis respuatis.* Occlusum igitur huic vitiô cœlum sit! cujus tota vita non est, nisi cœna, celláque vinaria, salubrem omnem admonitionem excludens.

S. August. serm. 131. de Tempore.

XXIX. Ità quidem (si supremæ justitiæ Decreta divini non admitterent Advocati patrocinium) animadvertendum esset in hæc opprobria Christiani nominis, & illius legis prævaricatores; quæ DEI Regnô proscripsit escam, & potum; id est, his addictam, vivendi libidinem. Sed, unicô verbô deliberatio, jamjam in decretoriam inclinanda sententiam, suspenditur; quô Maleficorum Advocatus arcanam sitim, â se toleratam, fatetur, aridîs ex faucibûs clamans: *Sitio!* Nimirum, pro semper saturîs, nimiúmque potîs, fel sitit, & acetum ille; qui de sê vaticinium dedit: *Erit fons patens domui Jacob, & habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatorum:* illorum peccatorum utiquè, quæ per ingluviem, & ebriosam intemperantiam non è terrestrî tantùm profligata, sed æternùm, cœlestî sunt etiam â Paradisô proscripta. Hôc ergo sensu, votôque sitivit; qui sitire, nisi volens, non potuit, Fons aquæ salientis in vitam æternam: nè sitirent, & famerent, edentes, & bibentes *fel draconum, & venenum aspidum* in Infernô, sinè finê: quia, nequè modum, nequè finem edendi, bibendique volebant hâc in vitâ. Nec enim (ùt voluit S. Hieronymus) *hôc acetô succus lethalis pomi*, solus *abstergitur*: aut (quod S. Athanasius credidit) *fel gustat*: *ut dulcedinem amaræ voluptatis Adami sanet*: sed, quod suæ quondam Angelæ de Fulginiô, Mediator ipse, solatio dedit; idem omnibus, parî Causâ laborantibus, promisisse censendus est verbum: *Pro peccatis oris tui, & gulæ tuæ, quâ delectata fuisti, in comessationê, & ebrietatê, & ciborum suavitatê, ego habui os, famê, & jejuniô, & sitî tabefactum.* Ah! quale Verbum hoc? quid non excusabit? quam non liberabit ab interitu, perditissimæ gulæ Causam? Hoc unicum superest: ut subinde, cum JESU sitiat; &, quam ille propinat è Crucê, sitim, quisquis ejus reus est, ipse quoquè, de salutis fontê suscipiat, ferátque sitim. Ità qui biberit, ex hâc aquâ, tam amarâ, *non sitiet in æternum.*

Rom. 14. v. 17.
S. Anselm. apud Cornel. à Lap. hôc locô.
Zachar. 13. v. 1.
Deut. 32. v. 33.
S. Hieronym. in cap. 14. Marci.
S. Athanas. Quæst. 136. ad Antioch.
Bolland. 4. Januar. fol. 4203.

A M E N.

FERIA

F E R I A II.

POST DOMINICAM PALMARUM.

SERMO VIGESIMUS NONUS.

Actionum omnium Conclusio.

Simul autem, & Causarum omnium Absolutio,
Duobûs postremîs, in Crucê morientis Advocati, Verbis,
Maximô Maleficorum omnium solatiô declarata.

P A R S I.

Homini Malefico, diversîs in Forîs accusato,
Et, adversùs omnes Actorum omnium Criminationes,
Antè tribunal Justitiæ divinæ defenso,
Christus, ejusdem disertissimus Advocatus,
Exhibens, in patentê, dilaniatô suô sacrô corporê,
Chirographum Peccati, penitùs dilaceratum,
Ex quô, Maleficus, reus actus est Mortis,
Aliud insuper eidem tradit Chirographum,
In Membranâ concisi Corporis, Rubricâ divini Cruoris exaratum,
A Divinâ Justitiâ subscriptum,
Et, in Crucê patenter affixum:
Ex quô, de Causarum omnium Absolutionê certus,
A Servatorê susceptum, humanæ Reparationis opus,
Id est, Assertionis, ac Defensionis negotium,
Post abundantem, Justitiæ divinæ præstitam satisfactionem,
Ab Eôdem morientê consummatum, gaudenter agnoscit.

Omnia judicia sunt Absolutoria. §. ult. 1. de perpet. & temp. act.

Tessera. Cùm ergo accepisset JEsus acetum, dixit: Consummatum est. *Joann. 19. v. 30.*

I. DIcebit hodiè, cum ipsô dicendi principiô, quô criminalium omnium Actionum finis, atquè Conclusio denunciatur, peccatoribus, hucusquè plurimùm terrefactis, Causarúmque suarum infestationê multiplicâ tantùm non exanimatis, ac perditis, prolegomenô pro solatiô, per omnia Tribunalia decantatum axioma suggerere: *Omnia judicia sunt Absolutoria*! Quis hujus regulæ sit sensus, liquet inter

§. Ult. 1. de perp. & temp. act.

Ju-

Juris Consultos: qui sic accipi dictum aphorismum volunt: *quòd omnia judicia, qualia qualia illa sunt, ità tamen comparata esse debeant; ut reus absolvi possit.* Quod quidem, satisfactionê priùs præstitâ, quàm, decretâ contrà reum sententiâ judicatum sit, ideò necessarium duxit Exegetes ejusdem axiomatis: * *quia, nisi post satisfactionem sequeretur Absolutio, judicia, & lites essent infinitæ.* Cùm autem civilibus Causis, per humanam jurisprudentiam, ità constet esse prospectum: quantò certior est concipienda fiducia, de tribunalî supremæ Justitiæ? *quæ geminô*, prout inquit Ambrosius, *inclusa septô Misericordiæ*, quamvìs DEI sit, ità tamen Divinitati convenit; ut, Nominis divini prærogativa compellatio (licèt explicetur etiam per Justitiam, Proprietatis ejusdem attributum) non tamen sit â Justitiâ, sed, â Misericordiâ Patris: *Pater Misericordiarum, & DEUS totius consolationis!* Quod ex Apostolô claret: & *rectè* (notantê mellifluô Claravallensî) *non Pater Judiciorum, & Ultionis, DEUS dicitur; sed, Pater Misericordiarum: non modò; quòd Pater videatur misereri potiùs; quàm indignari: sed, eò magìs; quòd miserandi causam, & originem, sumat ex propriô; judicandi, vel ulciscendi, ex nostrô.* Potiùs igitur divinô de judiciô licebit esse securis (postquàm omnes maleficorum Causæ, tantîs impendiîs cruoris, laborísque, non â sententiâ tantùm judicialî, per Christum Advocatum, vindicatæ; sed etiam satisfactionê superabundantê, spontê factâ, redemtæ per eundem, assertæquê sunt penitùs) nunc, omnes â divinô Tribunalî, coràm quô, diversîs ab Actoribûs postulati, rei, trepidantésque steteramus, cum absolutoriô Decretô dimissum iri. Tantùm profuit, in Causidicum incidisse, tam disertum, tam solicitum, tam Causarum nostrarum, nostræquè salutis magìs, quàm suimet, suíque nominis, ac vitæ studiosum! uti, consolationê plenus, exclamavit ille: *Dilexisti me, Domine, plùs, quàm Te: quia mori voluisti pro mê!*

II. Erat nostra conditio, quâ periclitabamur (si tamen ex augurationê piâ, de rê tantâ, licet arbitrari?) non absimilis illi passerculo, tantùm non perdito, perditioni certè proximo; de quô, præter Manutium, Ælianus memorat: infestatum ab accipitrê passerem, in agrô forsan fuisse deprehensum, procul nidô, tectìsque pabulantem. Ità malè securus, exiguus molê, rostrôque non minùs, ac unguibûs mollior, ab hostê, quàm armîs prævalidô, tam necis, ac prædæ cupidô (postquàm ingentî clamorê, non tantùm furta sua,

Barbos. in locis comm. lib. 1. cap. 4. axiom. 4. ex Mynsinger. add. §. ult. & ibid. cit. Alciat. in Tract. de eô, quod interest. C. 8.

* Barbos. loc. cit.

S. Ambros. serm. de Obit. Theodos.

2. Corinth. 1. v. 5.

S. Bernard. serm. in Natali Dom.

Ælianus lib. 13. Var. Histor. in Theat. vit. bum. V. Xenocrates, in Indice. Manut. in Apophth. lib. 7. n. 135.

ſua, ſed inſtans pariter periculum declamans, omnem aſtutiam (per gyros, & ſpirales anfractus, effugiô quærendô defatigatus) exhauſerat, adverſariô, tantò pertinaciùs inſequentê, quantò, per deluſas inſidias, & pericula declinata, magìs irritatô, Chalcedonem tremulas per alas delatus eſt. Hîc, ubi Senatum, ſub fagi grandis umbrâ conſidentem, in publicô vidit, continuò ſeſe Xenocratis apertum in ſinum conjecit. Nequè miſerum, trepidúmque fefellit, etſi temerè quæſitum, in Philoſophi ſinu refugium. Is enim hoſtem conſpicatus perſecutorem, & paſſeris, tantas ad anguſtias redacti, miſertus, nec fiduciâ minùs, in ſuô quæſitâ ſinu, gaviſus, continuò dixiſſe fertur: *Oportet profugum, & ſupplicem protegere*! Felicem quis non cogitabit, ità benignè receptum, protectum, aſſertum â periculô, ſervatum ab interitu paſſerem? Quid verò nos? Commentitium ſi fòrs totum videtur eſſe, quod relatum eſt? pacê meâ fabula ſit! ſed augurio pio, noſtræquè conſolationi ſic ſubſerviens; ut nemo noſtrûm ſit unus, qui non ſibi dicat: *Narratur fabula de tê*! ſicut nemo fuit noſtrûm; qui non hucusquè, ſub perſecutionê quotidianâ ſeveriſſimorum Actorum trepidavit, etſi non omnî, non nullô tamen reatûs

vide P. Benig. Kybler p. 1. mundi mirab. Tract. 2. font. 5. n. 176.

criminoſi nominê maleſactor, divinô coràm tribunalî ſuperioribûs hebdomadîs periclitatus, itáque *factus, ſicut paſſer ſolitarius*, non quidem, *ſub tectô*; ſed, expers auxilii: niſi ſuccurriſſet ille Cauſarum omniũ afflictarum Aſſertor unicus; ad quem, qui pridem jam, paſſeris inſtar confugerat, gaudenter, ab eôdem protectum ſe fuiſſe confeſſus eſt: *Factus eſt Dominus, protector meus*; *qui adjutor* etiam, *& Protector noſter eſt*; *& protector eſt omnium, ſperantium in ſe.*

Pſalm. 101. v. 8.

Pſalm. 17. v. 19. & 31.

Pſalm. 27. v. 7.

III. Proh! quantùm urgebat conſcientias, in primô juſtitiæ divinæ forô, Gethſemani videlicet hortô: cùm primam orſus criminationem Actor ipſe *Cacodæmon*, contumaciæ nos, Diviniq; Verbi contemptûs accuſavit? Cæteri verò ſubinde, ſuîs pariter ſubſecuti cum Actionibûs, judicii ſeveriſſimi reos voluerunt? Et, *Zelus quidem æquitatis, ac innocentiæ*: de pecuniîs, peſſimum in finem, cùm exactîs, tùm acceptîs? Deinde, *Pauperum Advocatus, D. Ivo*, de Duritiâ cordis, ergà miſeros, & facultatibûs, in res vanas, futiles, turpésque profuſîs, cùm noxios fecit? Ad hæc, *Paterfamilias Chriſtianus*, ubi de graviſſimâ Lenociniorum iniquitatê, dictique commercii perniciosiſſimâ negotiationê damnandos exegit? Quid non anguſtiarum perpeſſi ſunt, ad Forum

ſecundum (iniquiſſima Judicum Jeroſolymitanorum tribunalia) ſtare juſſi, ſuas objurgationes excepturi? cùm primùm læſæ Majeſtatis divinæ crimen, in quâvis voluntariâ lethalî culpâ, redarguit Sanctus ille, primi Criminis zelantiſſimus Impugnator, *Archangelus Michaël*? Ab hôc, Perjuria, falſáque teſtimonia, cum falsîs pariter execrationibûs, perſecutus eſt, *ignoti nominis Actor*, albæ plumæ, pileíque cærulei condictô ſignô notabilis? Indè, nocturnos in cœtus, & inimica ſaluti conventicula, tanquàm in palmares, adverſûs DEUM, & Chriſtianæ diſciplinæ ſanctitatem, conſpirationes, invectus eſt ille, quondam infelix, Eccleſiaſtes, *Caſtroverdus?* Demùm, ubi dirîs lamentîs, & horrendîs incuſationibûs, Gehennæ ſocium, *Anima* jam æternùm *damnata*, poſtulavit eum, *Actionê, de Albô vî corruptô*; qui, ſicut primi fuit Autor peccati, ſic etiamnum eſt æternæ cauſa damnationis?

IV. Qualis trepidatio maleficorum erat in ſanguinariô Pilati Prætoriô, tertiô divinæ juſtitiæ Forô? Cùm accuſare cœpit inſolentem præteritîs de peccatîs jactantiam, ſcandalum inde paſſus, & ab Eccleſiæ complexu, cum ſuæ ſectæ pluribûs, averſus *Luthericola?* Quis non in ultimam, fœtentis pariter, ardentisque Tartari mephitim, ſeſe dejectum iri, pavens, palpitánsque jam timebat? niſi providus *Advocatus*, adverſûs *Notorij Criminis*, in ſextam Decalogi legem admiſſî, cauſam indictam, terribilem Actionem præoccupâſſet. Quæ convulſio fuerat animorum: cùm in Crimen, *de Dolô*, *Furtôque*, proditîs omnibûs, occultæ malitiæ prætextibûs, quæ diù tacuit, propria *Conſcientia* vocavit? Poſt hæc autem, quantô terrorê percuſſi fuerunt, & exagitati; quos, actionê Popularî, *de malâ ſubditorum Tractationê*, Curio ſacer, ſeu, *Paſtor animarum*, obnoxios æterno ſupplicio demonſtravit? In quartô ſubindè Forô, publicâ ſcilicèt viâ, quâ de Præſidis Romani Prætoriô, Crucem ſibi bajulans, in Calvariæ montem Servator exivit, quantâ trepidationê collidebantur genua reorum omnium illorum; contà quos, vel, *de malè judicatô, perverſô ſcilicèt judiciô*, Pupillorum, ac Viduarum tutelâ celeberrimus Actor, *Chryſoſtomus?* vel, *de neglectâ* partim, partim verò reprobâ, *prolium Educationê*, per actionem innominatam, *Filius infelix*, indè ſceleratam in vitam prolapſus, & Inferno jam adjudicatus? vel, *de in jus vocatô, per vim exemtô*, contrà *Capillorum*, utriúsque ſexûs, *exoticum uſum*, ornatum immodicum, & luxum inſolentem, ejús-

ejúsque præſumtã, ab Eccleſiaſticâ cenſurâ, cum exactionê Reſpectûs, imunitatem detonans, Quadrageſimalis ipſe *Concionator, ex officiô?* vel, in quos, *Actionê condictâ, de malæ fidei Pertinaciâ* (veritatis in ipsô meridiê) voluntariè tamen adhuc obſtinatos, hæreticos, & Infideles, *Regina Auſtri*, diſtrictum judicium poſtulavit? Ultimô tandem in Forô divini Tribunalis, ipsô videlicet in Golgothæô montê patentis, quis non de ſuâ conclamatum Causâ judicavit; aut, per *Actionem condictam, ab antiquô Theologô*, de protervô nimiùm, & enormî, vetitorum etiam, ac pernicioſorum *Ludorum immoderationê* redargutus? aut, per *Actionem injuriarum, â Peccatorê grandî, recèns converſô*, de Miſericordiæ redundantis obſtinatâ deſperationê damnatus? aut, â S. Gallorum Regê, *Ludovicô*, cùm, de diabolicâ *blaſphemandi temeritatê*, tùm ejuſdem, non impiâ minùs impunitatê, vocatus in pœnam? aut, ab inſenſiſſimô, delicatæ nimiùm gulæ perſecutorê, magnô ſcilicèt, auſteritatis Anachoreticæ Patriarchâ, Antoniô, de ſordidæ catillationis, ac vitæ, patinis duntaxat, & poculis natæ, nunquàm ſobriæ, ſed perpetuã per temulentiam, tantùm non plenè, brutalem in feritatem, cum parî concupiſcentiâ depravatæ, velut ſupremô Chriſtianæ religionis, imò totius naturæ rationalis probroſiſſimô flagitiô, poſtremùm accuſatus?

V. Quônam in ſtatu res noſtræ (niſi deſuper adjutæ) forent hodiè, tantîs, Actorum tot, atquè tam potentium, ac diſertorum juſtiſſimîs accuſationibûs, in extremum, illò coram judicê, diſcrimen adductæ; cujus arbitrio manifeſtæ cunctorum conſcientiæ, nè minimum quidem apicem, adverſariæ cujusquam objurgationis celare, per diſſimulationem, aut abnuere, per excuſationem potuerunt? Eſſet ſanè nullius noſtrûm non major calamitas, & neceſſitas arctior, & infelicior multô; quàm, ſub hoſtilî perſequentis accipitris roſtrô, paſſerculi palpitantis, & ad anguſtias redacti conditio fuit: niſi noſtræ fiduciæ ſinum apertum, ſecurúmque, non refugio ſolùm, ſed, etiam protectioni locum, non ſub Fagô, de republicâ conſulens, conſultúsque Xenocrates, ſed ille miſericors, & miſerator Dominus, in ſemetipsô pandiſſet; qui, totius generis humani ſalutem aſſerturus, omnes laborantes, &, quâcúnque Causâ preſſos invitavit, eâ patens, & expanſus in arborê; quam, inſtar *Libri*, magnique Codicis, geminîs, humani ſcilicèt, ac Divini juris inſtitutîs implevit; undè noſtras omnium Cauſas, ipſe,

Fagus, in linguâ Teutonicâ, dicitur: Buchbaum, à libro, tanquam ſit arbor libri; vel: in arbore, liber.

pro nobîs Advocatus, criminationum omnium argumentîs, per infinitæ ſuæ charitatis arcanas adinventiones expugnatîs, ac penitùs eversîs, mirabiliter vindicavit: quô noſtræ ſecuritati, partem in omnem ità proſpexit (nè ſubinde res unquàm noſtræ, quâcunque ſub actionê, deſtituerentur, atquè deficerent) ut authenticũ inſtrumentum abſolutoriæ, prævaricationum omnium ſententiæ, perpetuò valiturum, ex Tribunalî juſtitiæ divinæ, peccatoribus omnibus obtinuerit, velut infallibile ſalutis Chirographum, in virgineâ membranâ ſui conſciſſi, per omnia membra, ſacratiſſimi corporis, luculenter exaratum.

VI. Hunc refugii locum, ſinum Servatoris, in Crucê fixi patentem, non conſpexiſſe tantùm, ſed votîs omnibûs appetiviſſe videtur S. Eligius: ut ibidem ſibi, rapacibûs ab unguibûs avernalis accipitris protecto, liceret eſſe, ſecuróque magìs; ac, aliô quôvis in munitiſſimô præſidiô. Sic enim, ad latus Domini ſupplicibûs pulſâſſe precibûs, & aditum, infeſtationê forſan Diabolicâ pulſatus, poſtulâſſe fertur: *Aperi mihi, Domine! latus tuum, & cor divinum: ut Princeps tenebrarum non occurrat mihi; nec me conturbet poteſtas aëris hujus, ſed hoc ſanctum vulnus tuum protegat me! Nam, ubi tuta, firmáque ſecuritas; nisì, in vulneribûs Salvatoris? In his paſſer nidum ſibi, & turtur domum invenit. In his columba ſe tuetur; &, ſecura, circumvolantem intuetur accipitrem.* Eôdem prorſûs animô fuiſſe cenſendus eſt, cum eâdem, ergà patulum, explicatúmque ſinum, Crucifixi Servatoris, Advocati noſtri, fiduciâ, Seraphicus Doctor, conſolatorium forſan illud oraculum, de Crucis arborê, ſuam ſub umbram trepidantes paſſerculos recepturâ, memorî pietatê recogitans: *ſaturabuntur ligna campi, & Cedri Libani* (ſcilicèt, ubi ſalutifera Crucis arbor Vindicem ſalutis receperit) *illic paſſeres nidificabunt.* Hoc enim tantundem illi videbatur; atquè, ſi, quod â Xenocratê paſſeri, ſibi, jam in ſinum recepto, dictum â Servatorê percepiſſet: *Oportet profugum, & ſupplicem protegere.* Talia meditabundus, cùm fòrs animô volvebat; ipſe, divinô coram tribunalî reum ſe ſtare, læſæquè ſupremæ Majeſtatis poſtulari, tanquàm peſſimus Malefactor, ſibi viſus eſt, & horrendô fulminê decernendæ jam damnationis percutiendus. Audiebat enim rerum omnium creatarum, quaſi conjuratam Actionem; quæ neminem alium, præter ipſum, perditum, reprobatúmque, juſtiſſimas ad pœnas contentioſiſſimè depoſcebat; utì, faſſus ipſe deſcripſit:

Psalm. 103. v. 16.

In vit. S. Eligij. vide P. Benig. Kybler loco cit. n. 177. 178.

S. Bonavent. in Stimul. Amor. Part. 1. Cap. 7. grad. 7. fol. 216. C. 1. Tom. 7. operum.

pſit: *Jam mihi videtur: ùt tota Mundi hujus machina poſt me, & contrà me, nefandum proclamet, & dicat: Iſte eſt, qui Dominum DEUM noſtrum contempſit, & contemnit. Iſte eſt, ille peſſimus, & ingratiſſimus; qui plùs diabolicis figmentis; quàm divinis beneficiis eſt tractus; plùs ſibi complacuit diabolicâ nequitiâ; quàm diviná beneficentiâ: magìs elegit, eſſe ſervus Diaboli, quàm filius DEI. Clamant ſuô modô omnes creaturæ, & dicunt: Iſte eſt, qui nobis abuſus eſt: &, qui debuit in beneplacitô Creatoris nos ordinare; fecit nos ad Diaboli dolum ſervire: dum nos ſuprà DEUM amavit, magnam nobis injuriam fecit, &c.* Tandem, poſt longam exprobrationem, antè Divinum tribunal, adverſùm ſe prolatam, quantas fuerit ad anguſtias anima ſua, ſub infeſtationê tam hoſtilî redacta, ſubjungit: *Clamant ergo, contrà me indigniſſimum, digniſſimè, omnes, & univerſæ creaturæ, & dicunt: Venite! diſperdamus eum; qui totus fuit deditus injuriæ DEI noſtri! Unde ſuô modô clamat, & dicit terra: Quare tam nequiſſimum ſuſtineo? Aqua ſuô modô dicit: Quare eum non ſuffoco? Aër dicit: Quare non deficio? Ignis autem: Quare eum non comburo? Infernus: Quare eum non devoro, & crucio? Heu! heu miſer! Quid faciam? quò ibo? quia omnia contrà me ſunt armata! Conſcientia enim mea contrà me pugnat; & totum diviſum eſt cor meum!*

Col. 2. C. D. ibidem.

VII. Tandem (ubi ſe, coarctatum ex omnî partê, nusquàm non reum, ab omnibûs objurgatum, &, ab universâ rerum omnium creatarum indignationê, ſuam in perditionem conclamantê damnatum, â neminê protectum, nequè ſalvatum, aut protectum iri; certus agnovit) oculos, animúmque, totámque fiduciam convertit illam in arborem; de quâ, prædictum â Davide, non latuit: *illic paſſeres nidificabunt!* Et, quia ſuum in eâ Servatorem, univerſos, in ſinum complectendos, brachiîs pansîs expectare conſpexit, ad eundem volatu totô contendit, ſeſéque, cum jubilô cordis, & vocis, in ſinum illum, ſecuritatis aſylum, & protectionis divinæ certum præſidium cantabundus immiſit: *Scio, quid faciam! Domini mei JESU vulnera introibo, & in ejus dolores, & opprobria, quantùm potero, tranſibo. Quæ creatura audebit de cæterô poſt me conclamitare? Jam Chriſti Paſſio pro mê, prout neceſſè fuerit, contrà omnia militabit. Non poteſt ſe DEUS negare, ſanguinê Chriſti perfuſo!* O ſancta! O fidelis! O ſecura, certiſſimáque fiducia! Quis non ſub hujus * *Fagi* foliîs, in quibus novi teſtamenti Codex, intùs, forisque, palpabilem DEI miſerantis clementiam exhibet, omnes Adverſariorum allegationes, undecúnque congeſtas, miſsô timorê ridebit? Quis in hunc ſalutis oblaIiii 3 la-

Idem. ibidem. fol. 217. C. 1.

**Buchbaum.*

latæ ſinum, & receptaculum certæ Pietatis admiſſus, non magìs, Infernalibus infeſtationibus, & univerſæ ſtygi, quàm accipitri perſecutori, protectus â Xenocratê paſſer, inſultabit? Reſpiremus igitur, &, macti fiduciâ, gaudeamus etiam! quia totô ſumus jam Advocatô, totô Servatorê protecti. Nihil ejus eſt, â plantâ pedis, ad uſquè verticem capitis; quod, noſtrâ pro Causâ, non ſit impenſum; quod, noſtrîs reatibûs diluendîs, non ſit expenſum; quod, inclinandæ nobis Miſericordiæ, placandæquè Juſtitiæ, non ſit appenſum. Jam nullus contrà nos audebit Actor inſurgere: nulli ſubinde licebit, nos in crimen vocare; diémque dicere nobis: vel pœnam, aut funeſtam, contrà nos, poſtulare ſententiam. Clauſum Juſtitiæ forum eſt; &, Inferis, Cœlóque, terræquè promulgatum eſt univerſale Juſtitium: quia, *cùm accepiſſet JESUS acetum, dixit: Conſummatum eſt.* Ità enim (prout aptiſſimè videtur interpretatus, Elucidator Paſſionis Dominicæ) *quaſi ſimul omnia recolens, quæ paſſus fuerat; atque eadem omnia Patri, in opus Redemtionis noſtræ offerens, dixit: Conſummatum eſt! quaſi diceret: Pater mi! omnia, quæ mihi injuncta ſunt â Tê; quicquid ſcriptura, aut Prophetæ de mê vaticinati ſunt; quicquid in opus Redemtionis humanæ facere debui; quicquid deniquè humanæ ſalutì eſt neceſſarium, conſummatum tibi offero. Nihil reſtat aliud; quàm, ut me jubeas venire ad Te. Opus enim conſummavi; quod dediſti mihi, ut facerem.*

Joann. 19. v. 30.

Landſperg. in Elucidat. Paſſion. cit. à Manſ. Tom. 3. Tract. 67. Diſ. 19. num. 5.

VIII. In hôc operê conſummationis, per Verbum infinitæ virtutis manifeſtatô, plenæ conſolationis argumentum, nemo non maleficus, ùt arbitror, intellexerit. Impletũ enim eſt; quod olim David, ſibi, cunctísque ſecum peccatoribus, firmâ ſpê præconceptâ ſpoponderat; &, inde usquè, præſentis in Conſumationis finem, certus exſpectaverat: *Conſumetur nequitia Peccatorum.* Non jam, utì futurum, quærendum eſt ampliùs, â Danielê: *ut conſummetur prævaricatio; & finem accipiat peccatum; & deleatur iniquitas?* Audin', afflictiſſime malefactor; & cave, dicas: *Peccavi peccatum grande! omnis, qui invenerit me, occidet me!* Nam, *Dominus transtulit peccatum tuum: non moriêris: verumtamen filius, qui natus eſt tibi, mortê morietur.* Ille ſcilicet Unigenitus Dei Filius morietur mox; de quô, ſicut ex Evangelicô Vatê prænunciatum accepimus: *Filius datus eſt nobis*; ità, per Gentium Apoſtolum, confirmatum audivimus: *Etiam proprio Filio ſuo non pepercit; ſed pro nobîs omnibûs tradidit illum.* Qui, *conſummatus, factus eſt omnibus, obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ.* Sic enim oportebat, *profugum, & ſupplicem protegere.* Conſummatum

Pſalm. 7. v. 10.
Daniel 9. v. 24.
Geneſ. 4. v. 14.
2. Reg. 12. v. 13.
Iſaiæ 9. v. 6.
Rom. 8. v. 32.
Hebr. 5. v. 9.

tum

tum hoc audis? Abſit igitur omnis puſillanimitas, & infidelis pavor, ac trepidatio, ſalutis exſpes! cujus negotium eô jam in cardinê volvitur, eôque momentô; quod Iſaias prænovit, atquè prædixit: *Adhuc paululùm, modicúmque; & conſummabitur indignatio, & furor meus, ſuper ſcelus eorum.* Ità nempè ſententia mortis, contraria nobis, quam contrà nos ipſi, per delicta noſtra ſcripſeramus, remiſſa, dimiſſa, penitùs abrogata nunc eſt: poſtquàm omnis indignatio, furórque divinæ Juſtitiæ, qui noſtram adversùs Cauſam concitatus fuerat, in atrociſſimâ Servatoris, & Advocati noſtri Paſſionê conſummatus, abundantem, & ſupereffluentem pro nobîs, ex ejus infinitâ Pietatê, ſatisfactionem accepit. Hôc enim ſenſu voluit intelligi Vindex noſter, ſuum illud, ad Patrem, interpretê Ludolphô, dictum: *Conſummatum eſt! quaſi diceret: conſummatum eſt opus obedientiæ, quam aſſumſi: conſummatum eſt opus totius Paſſionis meæ; quod tibi, DEO Patri meo offero, pro ſalutê humani generis.* * *Nihil reſtat, niſi ipſa mors. Tempus eſt igitur; ut animam ponam:* cùm ſuper eſſe nunc porrò nihil videam; quod, ad placandam, juſtitiam tuam, ad vindicandam generis humani Cauſam, ad expiandas peccatorum omnium pœnas, ad aſſerendam totius Mundi ſalutem, ad abſolutoriam deniquè, pro maleficîs omnibûs, quorum reatus in me ſuſcepi, ſententiam obtinendam, vel â tuô poſſit adhuc exigi diſtrictô rigorê; vel â miſerîs, Cauſæ ſuæ timentibûs, exſpectari.

Iſaiæ 10. v. 24.

Ludolph. Carthuſ. p. 2. cap. 63. de vit. & Paſſ. Chr.

** Lucas Burgenſ. in Joannem.*

IX. Eſtnè, qui poſſit inſuper, vel anxius eſſe, ſub hôc aſſertô? vel de ſuâ non optimè ſperare ſalutê, ſub hâc aſſecurationê divinâ? quâ, ſicut omnia declarantur conſummata, *per Conſummatorem JESUM*; ità decernitur, abſoluta cauſa; pronunciatur, dimiſſa culpa; pateſcit, ſatisfactio præſtita; clareſcit, juſtificatio perfecta; damnatio ſublata liquet; &, affixum Cruci Chirographum abſolutoriæ ſententiæ, patentibûs litterîs exaratum, promulgatur. Hoc enim Advocati morientis non ſuprema tantùm vox declamat; ſed omnia corporis membra, lethalî ſpaſmô diſtenta; manus terebratæ cum pedibûs, & ferreîs clavîs patibulo Crucis affixæ; vulnerum, cum externîs, internîsque doloribûs, innumerabiliũ hiatus horrendi, cruorê manantes; & caput, undiquè ſentibûs compunctum, & in pectus proclive; ſupremus demùm anhelitus, animáque, tantùm non, ægrâ cum reſpirationê, jam exſpirans; & cor, ad lanceæ ſævum ictum, etiam â morte ſuſcipiendum, jam comparatũ; hæc, inquam, omnia con-

Hebr. 12. v. 2.

conclamant, & assecurant patenter: Deletum, dilaceratum, penitùs annihilatum esse mortis Chirographum; &, ejus locô, Chirographum salutis, â divinâ Justitiâ subscriptum, in ipsô, per quem omnia consummata sunt, Advocatô nostrô, patentibûs Passionis ejus characteribûs exaratum, assecurandis peccatoribus universis, palàm in Crucê, quatuor clavîs affixum, sic esse propositum; ut fidenter sibi, quisquis hàc tenùs multiplicî de reatu postulatus expavit, cum S. nunc persuadeat Augustinô: *Non possum terreri multitudiné peccatorum meorum; si mors Domini in mentem venerit: quoniam peccata mea illam vincere non possunt.* Clamant mihi cuncta, quæ video: quòd per ipsum consummata sunt omnia. Sic enim *delicta nostra, Christus sua delicta fecit; ut justitiam suam, nostram justitiam faceret.* * *Non potest se DEUS negare, sanguiné Christi perfuso!*

S. Augustin. in Manual. cap. 23.

Idem in Psalm. 21.

* *S. Bonav. suprà cit.*

X. O solatium inexplicabile! felicitatem incomparabilem! Nihil jam supereſt, quod redarguat! nihil reliquum est, quod, percellat, quod perturbet, quod in angustias redigat, perstringátque conscientias nostras! Judicium sublatum est, quod formidavimus: tribunal clausum est, coràm quô trepidavimus: Actor nullus accusare nos audebit: quia *sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum DEO, emundabit conscientias nostras.* Exactor nullus, in pœnam, vel supplicium, nos postulare præsumet: quia *dedit semetipsum pro nobis; ut nos redimeret*, satisfactionê tam copiosâ, pro nobîs præstitâ; totius ut Mundi simul omnia per eam fuerint absoluta delicta. Nullus hostis terrere nos poterit, objectîs antiqui debiti litterîs: quia deletum est, *quod adversùs nos erat, Chirographum Decreti. Cautionem enim*, utì solatur Apostolici Verbi doctissimus interpres, *quam tenebat inimicus, Dominus crucifixit, & suô cruoré delevit. Abstulit debitum; reddidit libertatem.* Quid igitur anxietatê nos ipsos infidelî confundimus? & non potiùs, erectâ mentis fiduciâ, respicimus in Autorem salutis, & obtentæ per eundem reconciliationis Authographum, ipsiúsmet consummationê patentissimè declaratum? cùm per eam, absolutio nobis est indulta criminum; criminationũ, Adversariis interdicta licentia; jus tandem omne, quod ex veterî debitô, contrà nos, in manibûs divinæ Justitiæ fuerat, eadem integerrimè reconciliata, consummatîs per vulnera litteris, Misericordiæ cessit: sicut per Archidiaconum *Blesensem explicatum accepimus: *Christus, contrà te litem propositam, suam fecit; postquè diversas productiones testium, le-*

Hebr. 9. v. 14.

Tit. 2. v. 14.

Coloss. 2. v. 14.

S. Augustin. serm. 5. in Append. de diverſ.

* *Petrus Bles. cap. 19. De charit. DEI, & Prox. Tom. 24. Bibl. nov. SS. PP. fol. 1226.*

legis, oraculorum, Prophetarum, ſignorum, tandem proprium ſanguinem allegavit. Obtinuit allegatio illa tuæ ſententiam libertatis. Super calculô ſententialî ſcriptæ ſunt litteræ, in membranâ corporis Crucifixi, & confirmatæ, oſculô miſericordiæ, & veritatis, juſtitiæ, & pacis, obviantium ſibi. Denique impreſſum eſt ſigillum, plaga ſcilicet lateris; quàm in pretium Redemtionis noſtræ, & placationem continuam, jugiter exhibet antè oculos Patris.

XI. Quid autem impetrare non debuit, cui denegari nihil potuit, hæc infinitæ dignitatis, atquè dilectionis, in unum quaſi memoriale contracta, cruentîsque characteribûs deſcripta ſatisfactio, Tribunali divino pro maleficîs exhibita? Multum vocis ineſt ſanguini, mitigandis etiam hoſtium animis: ut, quos nulla potuit eloquentiæ vis ad commiſerationem inflectere, vulnerum cruor exhibitus, &, in cicatricê duntaxat, ſui, quondam profuſi, memoriam objiciens, continuò vicerit, omnémque, quam obtinere nulla priùs oratio poterat, in gratiam inclinaverit. Dio. L. 44. Ità Dio meminit, Romanum populum, aliquando commotum, &, ad vindicandam Cæſaris interfecti necem, concitatum eſſe. Poſtquàm orationê diffuſâ, multîsque rationibûs Marcus Antonius, facinus atrox, & paricidale crimen, in Monarchiæ Romanæ primum illum, glorioſiſſimúmque Conditorem, Cæſarem, truculenter admiſſum exaggerâſſet; nec ullum, in confertâ populi concionê, vel, ergà tam benè meritum, juſtæ commiſerationis affectum, vel, adverſus occiſores tam nefarios, ultricis indignationis motum animadvertiſſet: ad argumentum, quô validius nullum, ad expugnandam omnem duritiem animorum, eſſe noverat, poſtremô ſermonê digreſſus, veſtem Cæſaris, tribûs, & viginti vulnerum indiciîs, quibûs ille confoſſus interierat, horribiliter compunctam, & uberrimô cruorê confuſam, oculis omnium inſpiciendam exhibuit. Fuit ea, tam evidens actæ crudelitatis demonſtratio, vehemens adeò: nullus ut propè totô ſit inventus in populô; qui non illô, tot vulnerum intuitu, ſe ſenſerit ſauciatum; &, ad efficacem, paricidii tam impii, perfidíque vindictam, pro Cæſarê continuò ſumendam, intimè perurgeri teſtatus fuerit. Videbantur enim totidem litteræ ſtylô conciſô diſpunctæ; quot ſanguinis guttæ: totidem argumenta, rationibûs manifeſtîs animos omnium penetrantia; quot vulnerum in conſciſsâ togâ fuerant apparentia monumenta. Veſtis ipſa tantîs, ac tot plagarum, & injuriarum inſignibûs exarata, ſyngrapha quædam ipſius interfecti Cæſaris erat;

erat; cui, luculenter adeò ſuum, in patriam, amorem, toleratámque communî pro cauſâ necem, teſtanti, nemo potuit unus, univerſò de populô, non ſubſcribere, quod petebatur, juſtæ, cùm compaſſionis, tùm ultionis officium.

XII. Puto jam ſatis exploratum eſſe; quod memoratâ vulnerum, in ſolâ tantùm veſtê conſpicuorum efficaciâ, de cruentîs characteribûs Advocati noſtri, totô corporê dilaniati (quænam illis apud Patrem, pro Cauſâ noſtrâ, conficiendâ penitùs, & abſolvendâ, vis inſit?) veſtræ perſuadere fiduciæ conſtitueram. Nec opùs, ut pluribûs arcanos animorum ſenſus explorem: cùm nullus dubitem, omnes ab illâ ſtare firmiter Anſelmi ſententiâ: *Mirô & ineffabilî modô eum, qui nihil poteſt obliviſci, qui ſemper miſereri paratus eſt, abſq; intermiſſionê, Dominus JESUS admonet: quàm congruè hominum miſereri debeat; pro quibûs ipſe, cum mortê confligens, vulnera hæc reportavit.* Ecquis enim â Filii Pietatê, tam prodigâ, tam profuſâ (*quæ non guttâ, ſed undâ ſanguinis*, utì melliſluus monuit, *per quasquè corporis partes emanavit*) alienam Patris Pietatem, vel ſuſpicari tantùm audeat, nè dicam, credere; quæ prorſus ejuſdem, & unius eſt, cum ipſô, ſubſtantiæ? Num verò, talis Filii, Pater talis, & idem DEUS, velle poteſt aliud, â Filio? vel, poterit Miſericordiæ non concedere Juſtitia; quod, per abundantem ſatisfactionem, innumerîs vulneribûs, & exaratô per eadem, valoris infiniti chirographô, ſibi debitum *illa* depoſcit? Inſtat huic argumento gentium Doctor; & ex eô, quod minus eſt, urget: *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quantò magis ſanguis Chriſti?* Quantò vehementiùs in Abſolutionis noſtræ ſententiam (ut eidem Juſtitia, penitùs placata, ſubſcribat) per objecta Chriſti, Filii vulnera, Patrem inclinatum eſſe credemus? *Vulnera enim Chriſti*, Seraphicô perſuadentê, *corda ſaxea vulnerant; & mentes congelatas inflammant; & pectora adamantina liquefaciunt præ amorê.* Si tanta vis, ad hominum corda fera, ferrea, ſaxea, permovenda, flectendáque, patentibus Advocati noſtri vulneribus ineſt? quid non â Patrê miſericordiarum obtentura ſperemus?

Hebr. 9. v. 21.

S. Bonavent. in Stimul. Amor. c. 1.

XIII. Auget hanc fiduciam, quod Luſitanorum de Regê, Joannê, nominis hujus alterô, legitur in ejus Regni Faſtîs. Tanta fuit Principis illius, adeóque tenera devotio; quâ ferebatur in cruciatus, & vulnera Servatoris, pro malefici Mundi ſalutê Crucifixi: nihil ut efficacius obtendi

S. Anſelm. in Epiſt. ad Hebr. cap. 9.

S. Bernard. ſerm. 22. in Cant.

Vaſcon. de Regn. Luſit.

tendi potuerit unquàm, ad omnia, quæ quisquè vellet, impetranda; cùm ea, per cruenta Chriſti vulnera, crucémque, necémque deprecaretur. Obfirmaverat animum votô Rex ille pïiſſimus: nè quicquam ulli, quod eô poſtulâſſet nominê, denegandi. Pietas hæc, utpotè Regia (quorum, in utrámque partem, quidquid eſt, occultum eſſe non poteſt) omne regnum, ùt famâ, ſic et ingentî replevit fiduciâ: quâ, præcipuè mulieris, pro maritô ſolicitæ, mœſtum cor in ſpem, extorquendæ pro conjugê ſalutis, erectum fuit. Agebatur tunc opportunè lugubris in Crucê mortui Salvatoris memoria, pro morê, quem diê ſanctô Paraſceves, omnis Eccleſiæ chriſtianæ pietas, ubíque gentium communem habet, in adorationê revelatæ Crucis, venerandîsque, per pia baſia, Domini Crucifixi vulneribûs. Ad id officii ſacri Regem progredientem, ex improviſô, palàm adoritur mulier; eúmq; per plagas, quas protinùs flexîs poplitibûs adoratum, & labiîs regiîs baſiatum ibat, obteſtatur: ut meritas, de malè meritô, mortisque reô conjugê pœnas, funeſtâ jam ſententiâ decretas, exequi prohibeat; vitámque, per ea vulnera placatus indulgeat; ex quibûs omnium vita, ſalúsque promanavit! Non potuit, ſui memor voti, Rex, quod ea, per divinas plagas facta ſupplicatio, tanti videlicet amoris characteribûs exaggeratum popoſcerat, non incunctanter annuere. Ceſſit regiæ pietati regia juſtitia: nequè potuit optatam abſolutionem, aut negare pertinax, aut ſuſpendere cunctabundus Rex; quam pro miſerô, cum deprecantê mulierê, ſuſpenſus in Crucê Dei Filius, per vulnerum ſuorum purpureos characteres, & Rubricarum divinarum authenticam energiam, tam efficaciter exigebat; funeſtúmque ſententiæ prioris, & jam decretæ condemnationis inſtrumentum, penitùs eſt abrogatum extemplô.

XIV. Hoc enim verò non ab hominê, per imaginem, ſed â Divinâ Juſtitiâ, pro malefici totius Orbis Abſolutionê, propoſitîs, vivô cruorê manantibûs, conciſi ſacroſancti Corporis vulneribûs, quisquámne dubitare poterit, per ipſum, in Crucê morientem Redemtorem (cùm omnia conſummata jam eſſe promulgaret) obtentâ ſimul cum aſſecurationê, de Chirographô veterî confixô, deletôque penitùs, & annihilatô, non tantùm impetratum; ſed, in eâdem, per omnia membra ſtylô ferreô diſcerpti, ſui divini corporis membranâ, manifeſtè ſubſcriptũ, nobísque relictum, traditúmque fuiſſe? Perſuadent id ſumta,

de divinorum arcanorum cancellîs, Apoſtolica verba; quibûs Advocati noſtri divini, non ſuprema ſolùm voluntas piiſſima, ſed Actionum præſertim, atquè Cauſarum omnium abſolutio, cum ter optatâ concluſionê, commendatur: *Et vos, cùm mortui eſſetis in delictis, -- convificavit cum illîs, donans vobis omnia delicta; delens, quod adverſùm nos erat, Chirographum Decreti; quod erat contrarium nobis; & ipſum tulit de mediô, affigens illud Cruci; & exſpolians Principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſô.* Sanè, quot apices verborum, in hôc Apoſtoli ſcriptô, tot ſolatia (ſed, quàm dulcis, tam difficilis explicatu ſenſûs, ùt ipſe quoquè faſſus eſt Auguſtinus) deprehendo. Quod enim *Chirographi* nominê memoratur, noſtrîs manibûs, & ex conſenſionê quidem omnium, exaratum fuiſſe, per vocis proprietatem ſignificatur: quod autem eidem Chirographo Decretum adjungitur (dum *Chirographum Decreti* vocatur) divinam, ùt apparet, voluntatem ità connotat, & involvit; ut ipſum noſtrum ſyngraphum, quod â nobîs, unanimiter conſentientibûs, exaratum erat, peremtorio nos voluntatis æternæ decreto, noſtrâmet, contrà nos ipſos factâ, ſubſcriptionê convincat obligatos eſſe. Sic ſenſiſſe videtur doctiſſimus Apoſtoli, Philippenſes docentis, interpres: *En Chirographum Decreti, hoc eſt, Chirographum, hominis manu, in Decretô DEI, tanquàm Creditoris codicê, conſcriptum; quô, mortis reum ſe profitens, ipſe ſe damnat.* P. Velasq. in Epiſt. ad Philipp. c. 2. v. 8. Annotat. 5. ad Lit. & mor. num. 3.

XV. Aliquid hâc declarationê pateſcit; quâ noſtri nobis Chirographi non ſola ſubſtantia, ſed modus etiam inſinuatur, ac innoteſcit; quô nos ipſos Decreto divinæ voluntatis obnoxios fecimus; &, ejus ex formâ, reos nos, ipſi ſcripſimus. Nihil enim hoc Decreti Chirographum, è communî ſenſu Doctorum, aliud eſt; quàm, *obligatio ad pœnam æternam*, ùt preſſè Cornelius explicuit, *juxtà Decretum DEI, & ſententiam damnationis, in Adamum, & poſteros ejus peccantes latam. Huic enim obligationi ad pœnam æternam, ſpontè peccando, quaſi manu noſtrâ ſubſcripſimus; nbsque Diabolo, quaſi Vindici, hâc obligationê obligavimus.* Unde claret: Chirographum, in Apoſtoli ſenſu, metonymicè, pro debitô, quod in Syngraphô Debitoris continetur, acceptum, ipſum eſſe reatum noſtrum, æternæ pœnæ ſic obligatum; ac ſi Chirographô, noſtrîsque ſingulorum extaret manibûs conſcriptus. Ut enim *quisquè, dum peccat* (Origenê definitorê) *peccati ſui litteras ſcribit*: ità (quod idem pariter aſſeruit) *iſtud, quod dicit, Chirographum, peccatorum noſtrorum cautio fuit. Unusquis-* Cornel. à Lap. in Coloſſ. 2. v. 13. B. 2. Origen. Homil. 13. in Geneſ. Idem Ibid.

Coloſſ. 2. v. 13.

S. Auguſtin: Epiſt. 59. quæſt. 7. ad Pauiin:

quisquè enim noſtrûm in bis, quæ delinquit, efficitur Debitor. Nihil eſt ergo, quod ad integram intelligentiam dicti Chirographi deſiderari porrò queat, vel adferri. Manet autem illud adhuc obſcurum, nequè ſatìs perſpicuum; quod & ſermonis hujus, & expectati ſolatii princeps argumentum eſt. Quâ ſcilicet rationê Servator patientiſſimus, infeliciſſimum illud inſtrumentum obligationis noſtræ, quod adverſariæ poteſtates, ad juſtitiæ divinæ tribunal delatum, & contrà nos multipicibûs actionibûs allegatum, exprobratúmque tenuerunt, non ſolùm â poteſtatê criminantium, & hoſtilî perſecutionê vindicaverit: ſed, quônam inſuper divinæ ſuæ dilectionis ingeniô, juſtitiam divinam inflexerit: ut ſyngraphum idem, deletum annihilaretur, prout inquit Apoſtolus: *Ipſum tulit de mediô, affigens illud Cruci*? Duplex enim in unô factô felicitas adſtruitur: &, quòd ſublatum de mediô, per Advocatum Cauſæ noſtræ, fuerit inſtrumentum; quod contra nos ipſi per delicta noſtra conſcripſimus: &, quòd, affixum idem Cruci, fuerit omninò pertuſum, & confixum, itáque, caſſatum integrè: quod indicare voluiſſe viſus eſt S. Paulus interpreti Theodoreto; quaſi diceret: *confixit hoc Chirographum, & crucifixit: id eſt, caſſavit illud, & abolevit, ſuâ Crucê, ac mortê Chriſtus, moriens in Crucê.* *Quô dictô,* (ſicut notavit Cornelius) *alludit ad ſyngraphas; quæ, ſolutô debitô, cùm ad nihil ampliùs valent, lacerantur, aut pertunduntur; & ſtylô, uncôque affiguntur.* Quid autem hîc loquar, ineffabilis myſterii ſtuporê tantùm non oppreſſus?

Coloſſ. 2. v. 13.

Theodoretus â Cornelio à Lapide in loc. cit. A. fol. 672. cit.

XVI. Date veniam: ut recolligam animum, ſpiritúmque revocem; quem objectæ dilectionis exceſſus, in hôc operê conſummatæ noſtræ Reparationis, devotè conſideratus, vocis uſu, cum facultatê loquendi propè deſtituit! Quidquid cogito, meam in mentem, atrociſſimi doloris cum ſenſu, reflectitur; ipſéque mihi, compunctus, contuſus, dilaceratus, &, per omnia videor eſſe confixus: dum affixum Cruci Chirographum noſtræ damnationis expendo. Nunc enim clareſcet: Undè, pendens in Crucê, quatuor fixum clavîs inſtrumentum Abſolutionis noſtræ, tot plagîs dilaniatum, tantâ ſanguinis profuſionê rubricatum, ac tot ſpinîs compunctum ſit? deniquè: cur dilaceratum idem adeò fuerit, atquè confixum? Non eſt incognitus ille; qui, deprehenſus ab Appariteribûs divinæ juſtitiæ, pertractus ad Cauſam audiendam, accipiendámque ſententiam (cùm nullâ ſe poſſet ex partê, vel, Actorum ab incuſationê defendere;

dere; vel, teſtium â conſtrictionê diſſolvere; vel diſcrimini, quô tenebatur, ſubducere; vel judicium, quô jamjam fuerat feriendus, defugere) clamavit anxiô de cordê: *Vidiſti Domine!* *ne ſileas*: *Domine, nè diſcedas á mê? Exurge, & intende judicio meo, Deus meus, & Dominus meus, in Cauſam meam! ſuſcipe ſervum tuum in bonum! ſuſcipe me, ſecundùm eloquium tuum, & vivam: & non confundas me, ab exſpectationê meâ!* * *Domine, vim patior! reſponde pro mê!* ** *Dominus DEUS, auxiliator meus: ideò non ſum confuſus: & ſcio; quoniam non confundar. Juxtà eſt, qui juſtificat me: quis eſt; qui condemnet me?* Prodit ſe per hos, anguſtiarum indices queſtus, & plena ſimul fiduciæ lamenta, cum auxilii promiſſi, certæquè ſalvationis indubiâ deprecationê, Maleficus, ad objectum ſibi chirographum trepidans, & opera manuum ſuarum (utpotè de Cauſarum iniquitatê convictus) diffiteri non valens: qui, conſtrictus undiquè, promiſſum imploravit auxilium, non aliô conſiliô ſalvandus: niſi, divinæ dilectionis infinitâ prævalentiâ, culparum omnium Cauſam communem, (exhibitiſcilicèt Actionem Chirographi) ſuſceptam in ſe Vindex DEUS, ùt ſuam, in ſuîsmet innocentiſſimîs, ac divinîs membrîs, contundi, diſcindi, dilacerari, configique tandem in Cruce pateretur: quô pateret (adverſariis quidem, ut conticeſcerent; reis autem, ut, ſuæ ſalutis confectô de negotiô, præſtitâque ſatisfactionê jam certi, reſpirarent) abſolutam eſſe, per Mediatorem JESUM, humani generis Cauſam, in Crucê: cùm ſcilicet *peccata noſtra ipſe pertulit in corporê ſuô, ſuper lignum: ut, peccatis mortui, juſtitiæ vivamus.* Expreſſit hoc, meô propè, ſi non verbô, ſenſu tamen prorſùs eôdem, dudùm id locutus, Divus Athanaſius: *Cùm videret, malitiam intolerabilem eſſe; nequè humanum genus morti ulteriùs reſiſtere; nequè ſupplicium ſuorum delictorum luere poſſe: miſeratus noſtram imbecillitatem, eam ipſam induit; conſpicatúſque, quàm non ſolvendo eſſemus, ad luendam pœnam, illam ipſam pœnam in ſe tranſtulit*: quâ tandem rationê noſtrorum peccatorum Chirographum, in ipſius carnê, pertusâ, laceratâ, Crucique affixâ (dum ſic pro noſtrâ ſatisfactum eſt Causâ) pertuſum, laceratum, confixum, caſſatúmque fuit, & annihilatum.

XVII. Dignum eſt, ut idipſum, ex ejuſdem antiquiſſimi, ſanctique Patris Athanaſij, divinâ prorſus explicationê (quâ totum hoc myſterium, non Cauſæ tantùm noſtræ, ſub allegatô peccatorum noſtrorum chirographô, graviſſimè laborantis, verùm etiam ejuſdem, abſolutæ peni-

Pſalm. 34. v. 22, 23.

Pſalm. 118. v. 116.

* Iſaiæ 38. v. 14.

** Iſaiæ 50. v. 7.

1. Petr. 2. v. 24.

S. Athanaſ. Serm. de Crucê, & Paſſ.

penitùs, confectæquè deſcribitur) intelligatur. *Quid fuerit Chirographum, audi. Cùm peccâſſet Adam, & accepiſſet manu ſuâ de lignô, comediſſétque, ſcriptum eſt ejus manu peccatum; quod, apud ſe ſcriptum, Diabolus habuit. Cùm autem in lignô, hoc eſt, in Crucê penderet Chriſtus, &, per ſuas manus, clavîs vulneraretur; tunc in Crucê ſcriptum illud affixit, & delevit. Ipſe namquè Diabolus, qui Chirographum illud transgreſſionis Adam tenebat, tamdiù tenuit; donec á Crucê in Chriſto ligaretur.* Idem verbîs emphaticîs D. Bernardus breviter expreſſit, inquiens: *Cùm ipſe crucifigeretur, appenſa ſunt cum ipſô peccata, quæ commiſimus.* Hæc autem cum ipsô, taliter appenſa, confixáque fuiſſe cenſenda ſunt; ut nihil antiqui debiti remanſerit; quod in ipsô dilaniatô, non dilaceratum; in ipsô Crucifixô, non Cruci confixum fuerit, auſpicatiſſimô noſtræ ſalutis, & abſolutionis compendiô: quod, niſi per aurea S. Chryſoſtomi verba, vix aliîs, ùt par eſt, explicari, dignéque ſatìs commendari poſſe videtur: *Vides*, inquit ille diſertiſſimus Archi-Præſul, *quantum poſuerit ſtudium; ut deleretur Chirographum? Utpotè, eramus omnes obnoxij peccato, & pœnæ: Ipſe punitus, ſolvit, & peccatum, & pœnam. Punitus autem fuit in Crucê: illuc ergo ipſum affixit; & tanquam, qui haberet poteſtatem, ipſum diſrupit.* Hoc enim verò, quantum noſtræ compendium abſolutionis eſt? Quòd ipſe, pro nobîs dilaceratus flagrîs, dispunctus, confixúsque clavîs, in ſemetipſô, peccata noſtra luens, noſtrum ità *diſrupit* Chirographum? Applauſit, ex hâc diruptionê, cujuslibet Fidelis animæ Cauſæ, per Crucifixum Dominum aſſertæ, Bleſenſis, eadem penè, ſed, non ſinè proteſtationê, reſumens: *Nihil eſt enim*, ait, *ſatìs dictum, quod ſemper eſt dicendum. Eras illi graviſſimo Creditori, Angelo Satanæ, velut cuidam immaniſſimo exactori, tot debitîs, quot peccatîs, vinculó Chirographi obligata: nec ſolvendo eras. DEI autem Filius, non, quæ rapuerat, ſed, quæ rapueras, pro tê ſolvit: &, quod dignationis propenſioris, & gratiæ uberioris erat, non delegavit alium debitorem; ſed dedit animam ſuam in cauſam ſoluti. Cúmque ille Angelus transfuga, & emanſor, peteret te, in deteſtabilem ancillatum, Chriſtus litem, contrà te propoſitam, ſuam fecit. - - Adhuc extat titulus Cauſæ inſcriptus, in tantæ charitatis memoriam.*

Idem S. Athanaſius Quæſt. 14

S. Bernard. ſerm. 3. de duobûs Diſcip. in Emmauſ. eunt.

S. Chryſoſt. Homil. 7. in Epiſt. ad Coloſſ.

Petrus Bleſ. locô ſuprà cit. c. 19. in principio.

XVIII. Exſultemus igitur in hâc noſtrâ felicitatê! in tam liberalî Vindicis noſtri charitatê! tam liquidâ Cauſarum noſtrarum ſecuritatê! tam benignâ debitorum noſtrorum abſolutionê; divinâque noſtrarum animarum juſtificationê! Quod enim Advocatus noſter de ſuô pro nobîs obtulit, acceptatum eſt: quod, Oblationis ejuſdem intuitu, dimitti

mitti nobis, & condonari petivit, impetratum est. Chirographum deniquè, quod sanguinê propriô, de vulneribûs innumerîs profusô, virginei sui corporis in membranâ candidissimâ descriptum, in fiduciæ nostræ perpetuum robur, suæ verò charitatis infinitæ luculentum argumentum, ac monumentum, nobis tradidit, ipsa divina Trias, gratiâ nunquàm ampliùs revocabilî confirmavit, subscripsit, & munivit. *O benedictum lignum, per quod fit justitia!* Facta namquè per lignum justitia fuit: quia justitiæ divinæ, non tantùm, quod rigor exegerat, sed, quod amor decreverat, superfluentî compensationê præstitum est. Facta quoquè justitia fuit: quia tam copiosæ Redemtioni gratiam pariter, & infinitæ remissionis indulgentiam justitia contulit, ex omni partê completa. Sic applaudens Apostolus cogitaverit, cùm dixit: *Accessistis ad Testamenti novi Mediatorem, JEsum; & sanguinis aspersionem, meliùs loquentem, quàm Abel!* Proh! tantò meliùs illę sanguis locutus est; quantò dignior, & benignior sanguinis illius vox erat; qui, non mortem eorum, qui mortis fuêre causa, petivit; sed ipsam eorum Causam, in se susceptam, absolvi per semetipsum clamosissimè postulavit, & impetravit efficacissimè, prout S. Anselmus extulit: *Sanguis Abel mortem paricidæ Fratris petiit: Sanguis autem Christi vitam persecutoribus impetravit. Sanguis Abel expetiit vindictam: Sanguis Christi Misericordiam. Ille uni nocuit: iste multis profuit.*

Sapient. 14. v. 7.

Hebr. 12. v. 24.

S. Anselmus, in loc. cit. Epist. ad Hebr.

XIX. Quidnî multis profuit; qui nullum ab impetratæ participationê salutis excluśit? qui, vel unicum, priùs, quàm Passio consummaretur, amittendum, profusîs in agonê, sanguinei sudoris lacrymîs deploravit? Multis profuit *effusio sanguinis justi, pro injustis: quæ tam potens fuit ad privilegium; tam dives ad pretium: ut, si Universitas captivorum in Redemtorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.* Deniquè multis profuit; *qui dedit semetipsum Redemtionem pro omnibûs: &, sicut per unius delictum, in omnes homines in condemnationẽ; sic per unius justitiam, in omnes homines, in justificationem vitæ*: quia, *pro totô* (scilicèt orbê) * *pretium dedit*; utì conformis Apostolo, tenuit, credidit, prædicavitque Doctor maximus Augustinus. Nullus igitur nostrûm esto; qui non, cum regiô Vatê, suam felicitatem extollat, sibique futuros in ultimô tremendô judiciô triumphos ipse præcinat, nactus, in Chirographô Crucifixi sui Servatoris, tutelare scriptum: sub cujus umbrâ, veracîque protectionê, quasi scutô divinô munitus, adversùs omnes, hostium omnium accusatio-

S. Leo in serm. 7. Mens.

1. Timoth. 2. v. 6. Rom. 5. v. 18.

* *S. Aug. in Psal. 59. v. Judicabit Orbem terræ, in æquitate: non partem, alt, quia non partem emit: totum judicare debet; quia pro totô pretium dedit.*

ſationes, procul omnî timorê ſecurus gaudere poterit: *ſcapulis ſuis obumbrabit tibi! ſcutô circumdabit te Veritas ejus!* Veritas illa circumdabit, &, inſtar ſcuti proteget; quam, ſicut você diſertâ, priùsquàm ſpiritum emiſit in Crucê, profeſſus; ità, dilaceratô totô corporê, teſtatus etiam palàm eſt moriens: *Conſummatum eſt!* Nam, *cùm ſcribere compléſſet*, inquit S. Laurentius Juſtinianus, *nihilque ſupereſſet ſcribendum*, *dixit*: *Conſummatum eſt!* Quid ſecuriùs optari, vel exſpectari pro causîs noſtrîs, tam patentis abſolutionê ſcripti munitîs poteſt? Hic enim verò licet uti Bloſii verbîs, aliô licèt ſenſu prolatîs: *Etiamſi Codices omnes, qui totô Orbê habentur, intercidiſſent, Paſſio Chriſti Chriſtianis omnibus ſufficit, ad Virtutem, & Veritatem; ad conſcientiæ pacem, & tranquillitatem; firmámque ergà DEUM, cum ſincerâ dilectionê, fiduciam.*

Pſalm. 90. v. 4.

S. Laurent. Juſtin. de Triumph. Chr. agonc. cap. 20.

Bloſius. in Conclavi an: cap. 10. §. 7. n. 1.

XX. Gaudeamus igitur! utpotè *beati*; *quorum remiſſæ ſunt iniquitates*, non tantùm; ſed inſuper, *& tecta ſunt peccata!* Quomodò tecta? niſi, quia per juſtificationem, â Servatorê conſummatam, protecta: nequè protecta tantùm, ſed obtecta. Quid ajo? ſi dispuncta ſunt, & annihilata per Advocatum, in ejus propriô ſanguinê, debitorum omnium univerſa delicta? (*quia juſtificati gratis, per gratiam ipſius, per Redemtionem, quæ eſt in Chriſtô JESU, quem propoſuit DEUS propitiationem, per fidem, in ſanguinê ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum*) quî, remiſſa per tantam ſatisfactionem, obtecta tantùm credemus eſſe peccata? niſi forſan id animô concipiendum foret; quod aliàs gratulabundus dixit Apoſtolus: *ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia!* non, quòd gratia, ſuperabundans ibidem, ubi delictum erat, aliquid operiat, adhuc reliquum â delictô: ſed, quòd, abolitô delicti totius inquinamentô, quicquid exindè fœdum priùs apparuit, ità ſit abolitum; ut nunc aliud nihil, nisì gratiæ patrocinium, protectio, ſecuritasquè cernatur: &, ubi ſyngraphum ſorduerat anteà peccati; nunc juſtificationis, & abſolutionis fulgeat, divini ſanguinis rubricâ, vulnerúmque characteribûs exaratum, conſpicuúmque Chirographum. Ità ſancti Patres, Ambroſius, & Auguſtinus, judicârunt: *Peccata tecta* dici; quæ abolita, quæ ſublata, deletáque per gratiam, & ſanguinem Servatoris fuerunt. *Peccata tegi, rationê charitatis* (videlicet ſuperinductæ) *deleri, rationê ſanguinis Chriſti*, cenſet S. Ambroſius. *Cooperta ſunt peccata, tecta ſunt*, inquit S. Auguſtinus: &, *per gratiam abolentur, hoc eſt, tegun-*

Pſalm. 31. v. 1.

Rom. 3. v. 24.

Roman. 5. v. 20.

S. Ambroſ. in Apol. David. cap. 23.

S. Auguſt. hôc locô cit.

** A Leblanc. notat. 3.*

** Idem. quæſt. 108. in Exod.*

tur. Talis igitur, per conſumma-

tionem noſtræ Reparationis, impetrata nobis eſt â Servatore, tùm & in ejuſdem Cruci fixô corporê relicta debitorum noſtrorum abſolutio, ſubſcriptáque, cum divini Tribunalis aſſecurationê, juſtificatio; quâ ſecurè protecti, tectique (quia veraciter juſtificati, per ſanguinem ejus) acceſſum habere poſſimus ad omnem gratiam ejus, accuſationibûs nullîs, quicquàm prævaliturîs contrà nos, divini Chirographi tantâ veritatê, virtutêque munitos. Congeſſit hoc totum, verbîs, in præſens argumentum velut ex propoſitô concinnatîs, Valentianus Theologus: *Chirographum quidem noſtræ venditionis, & ſervitutis delevit ſanguiné ſuô, atquè affixit illud Cruci: ſed, aliud nobis â Patré impetravit Diploma; quô in libertatem filiorum DEI aſſerti, divitiîs, nobilitatê, ac immunitatibûs præclariſſimîs ornamur.* Quod quidem nequaquàm aliud fuiſſe cogitandum eſt, ab eô; de quô ſuprà jam dictum ex Bleſensî, nec indè repetitum ſemel, ſed confirmatum frequentiùs hôc ſermonê fuit; *quòd ſcriptæ ſint litteræ in membranâ corporis Chriſti, confirmatæ oſculô Miſericordiæ, & Veritatis, Juſtitiæ, & Pacis.*

Petrus de Valentia, cit. à P. Doulterm. in Amor. Increat. c. 3. ſect. 6. §. 1.

Petr. Bleſ. ſuprà citat.

XXI. Quàm divinum in hôc ſcriptô ſcutum, Advocati noſtri provida nobis cura reliquit? Nec enim ſemel, ſed ſemper, eôdem tecti, tuti ſumus, erimúsque protecti perpetuò, *etſi quis peccaverit.* Hinc, ſi novîs adverſùm nos, undecúnque fòrs prolatîs, criminalibûs causîs, juſtam in animadverſionem, pœnásque decernendas excitata, jamjam ſuam pararet iram acuere divina juſtitia; talem *habemus Advocatum apud Patrem, JESUM Chriſtum, juſtum; qui ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm; ſed etiam pro totius Mundi.* Tùm igitur, magnâ cum fiduciâ, relictum ſalutis inſtrumentum opponendum diſtricto rigori, clamandúmque cum Davidê: *Protector noſter, aſpice DEUS! & reſpice in faciem Chriſti tui!* Sive, prout legit Pagninus: *Clypeum vide Deus!* in quô noſtra protectio, noſtra ſalus, noſtra, ſicut abſolutio ſcripta, ſic & ſignata, confirmatáque ſecuritas eſt. Hoc noſtræ defenſionis inſtrumentum, patens in Crucê, ſcripſit ipſe; qui, quia voluit, oblatus, quæ nos debebamus, propriâ voluntatê paſſus eſt: utì devotus ille Cæſarius expreſſit. *In pellê ſiquidem corporis ejus, ſcriptæ erant litteræ minores, & nigræ, per lividas plagas flagellorum; litteræ rubræ, & capitales, per infixiones clavorum; puncta, & virgulæ, per punctiones ſpinarum;* quæ ſimul clamant jugiter ad Patrem, & Miſericordiam, cujus factus eſt ipſe, qui paſſus eſt, & Fidejuſſor, & Exactor,

1. Joan. 2. v. 1.

1. Joann. 2. v. 1.

Pſalm. 83. v. 10.

Pagninus. ibid.

Cæſar Heſterbacenſ. lib. 8. cap. 35.

ctor, pro nobîs exorare nunquam non efficaciſſimè contendunt. Quis jam non obmuteſcere jubebit Senecam? qui, grande quidpiam ſuâ de fortunâ jactâſſe ſibi viſus erat, inquiens: *Multos Fortuna liberat pœnâ*: cùm tamen fateri continuò debuerit, quod ſubjecit: *Metu neminem.* Infinitîs calculîs huic prærogat fortunæ noſtra felicitas. Cùm enim omnia conſummata percepimus, non pœnîs modò, ſed earum etiam timorê, metúque nos abſolvit, *qui proprio Filio ſuo non pepercit; ſed, pro nobis omnibûs tradidit illum.* Ità námque placatus, & reconciliatus, *quomodò non etiam cum illô omnia nobis donavit?* Adeò per Advocatum noſtrum omnî jam exemti metu ſumus; ut, omnî miſsô pavorê, ſecuri valeamus adverſam omnem in partem erectô vultu proſpicere; tùm & imperterritâ você conjuratis quondam Actoribus inſultare: *Si DEUS pro nobis, quis contrà nos? Quis accuſabit adverſùs electos DEI? DEUS, qui juſtificat; quis eſt, qui condemnet? Chriſtus JESUS, qui mortuus eſt, -- interpellat pro nobîs!*

Seneca. Epiſt. 97.

Roman. 8. v. 32.

Ibid. v. 31. 32.

XXII. Hæc igitur (dum Forum omne divinæ juſtitiæ per Cauſæ noſtræ conſummatorem, relictô noſtrîs in manibûs Autographô ſecuritatis, clauditur) noſtra quoquè, par eſt, ut ſit firma concluſio: quòd nunquàm ejus pro nobîs, cùm impenſam ſolicitudinem, tùm expenſam ſanguinis, & infinitæ ſatisfactionis plenitudinem, vel excidere ſuſtinebimus animô; vel â fiduciâ noſtrâ dimoveri, tollíque patiemur. Teneamus integrâ fidê, ſpê certâ, charitatê ferventê, quas accepimus litteras! & (ut verbô claudam vatis Evangelici) factâ concluſionê dicamus: *Dominus DEUS, auxiliator meus! ideò non ſum confuſus. Ideò poſui faciem meam, ùt petram duriſſimam: & ſcio: quoniam non confundar. Juxtà eſt, qui juſtificat me: quis contradicet mihi? Stemus ſimul! quis eſt adverſarius meus? Accedat ad me! Accedat!* audacter ingemino: *quia Dominus meus, auxiliator meus!* Accedat! *& videat, propter nos multatum mortê, turpatum Crucê, ſputîs illitum, plagîs lividum, ſpinis coronatum, lanceâ perforatum!* Quid enim ex hîs omnibûs patet? niſi, quòd verè totum Reparationis, & Aſſertionis noſtræ negotium *conſummatum eſt.* Igitur: *Quis eſt, qui condemnet?*

Iſaiæ 50. v. 7. 8.

Steph. Cantuar: in Allegor. Tillman. ad cap. 3. Sapbon.

Iſaiæ 50. v. 9.

AMEN.

FERIA III.
POST DOMINICAM PALMARUM.
SERMO TRIGESIMUS.
Actionum omnium Concluſio.
Simul, & Cauſarum univerſarum Abſolutio.
PARS II.

In quâ, per Verbum ultimum, in Crucê prolatum,
Poſt Chirographum Aſſecurationis,
Homini Malefico, divinô coram Tribunalî, criminaliter accuſato,
Et, adverſùs omnes Actorum allegationes mirabiliter aſſerto,
Cum abſolutoriæ ſententiæ ſubſcriptionê traditum,
Advocatus idem, & Vindex amantiſſimus,
In patibulô Crucis exſpirans,
Dum animam ſuam dilectam, ùt Fidejuſſor,
Tanquam Depoſitum pro liberatîs omnibûs,
In Patris æterni manus commendat,
Simul admonitos vult univerſos:
Chirographum, â ſê datum, nulli profuturum;
Id eſt: Neminem omnium, Paſſionis, & Mortis,
(Unde tota Cauſarum omnium aſſertio ſtetit)
Niſi, qui conditam, eôdem pro Chirographô, ſortem,
Dignos videlicèt, ſatisfactionis, & Pœnitentiæ fructus attulerit,
Participem futurum.

Teſſera. Pater! in manus tuas commendo ſpiritum meum: Et, hæc dicens, exſpiravit. *Lucæ 23. v. 46.*

I. MAgnîs olìm laudibûs generoſam Adriani Cæſaris munificentiam Romanus populus celebravit; quæ plurimis Panegyricis grande dedit argumentum, ac, tantùm non ſuperſtitioſæ Divinitatis venerationem obtinuit, ex liberalitatê prorſus auguſtâ privatos plures in Debitores; quos enormî nominê Fiſcus obligatos pro pecuniâ, pro-

ut

Suetonius in Adriano.

ut inquit Suetonius, *infinitâ* tenebat: pro ſeptem ſcilicet, ſuprà vicenos, millionibûs aureorum. Progreſſus enim in forum Imperator, ſyngrapha ſingulorum palàm exhibita, ſpectantê populô dilacerata, flammis tradidit; eôque factô, ſuos quidem Debitores Chirographîs gravatos abſolvit, omnem autem populum, animi tam liberalis, & benigni ſtuporê captum, ſibi reddidit obnoxium. Eſt hæc magni nominis, & portentoſa ſanè liberalitas, in debitorum tam enormium remiſſionê, cenſenda: ſi cum hîs, quæ cæteris, â munificentiâ celebratis, aut, cum admirationê memoriam, aut, cum affectu populari, ſingularis officia gratitudinis conciliârunt, conferatur. Vileſcunt autem & hæc omnia quorumcúnque Principum, ùtùt immenſæ munificentiæ, credita prodigia: cùm illius divini beneficii largitas infinita perpenditur; quod benigniſſimi Servatoris noſtri, fixîs in Crucê de manibûs profluxit; quibûs noſtri debiti, quod nominibûs infinitîs gravabatur, univerſale Chirographum, de mediô ſublatum, *factus Mediator noſter, crucifixit, id eſt, occidit in ſemetipſô*, prout inquit Remigius; &, ſolvendo pro nobis infiniti pretii ſummam, noſtra ſimul diſſolvit, & abſolvit univerſa debita, delictáque. Tantò ſuperat autem inauditam illam Adriani beneficentiam, noſtrorum exſolutio debitorum, âb Advocatô noſtro præſtita; quantò plùs eſt, non tantùm, obligata ſyngraphîs nomina flammis tradere; traditáque, debitô ſatisfactionis liberare: ſed, efficaciſſimè liberata, per authenticum inſuper ſecuritatis inſtrumentũ, ſolutionis abundanter depenſæ certos reddere, ſecurósque dimittere. Id, quod paucîs innuere verbîs voluit profundiſſimi ſenſûs Pater: *Cautionem*, inquiens, *tuam Dominus crucifixit, & ſuô cruorê delevit: abſtulit debitum tuum; reddidit libertatem.* Nec enim ſufficiebat ejus amantiſſimæ liberalitati: præſtare debitô liberos, & obſtrictos obligationê chirographi diſſolvere: ſuperaddere præterea voluit, quod in ſêmet Crucifixô conſummatè deſcriptum, & âb Juſtitiâ reconciliatâ ſubſcriptum, nobis tradidit, adeptæ libertatis Chirographum.

S. Auguſt. Serm. 5. in Append. de diverſis.

II. Umbram aliquam hujus divinæ pietatis (in quâ *Magnum patet*, Auguſtino meditanti, *Sacramentum*) illud exhibet, admirandæ non minùs, quàm inexſpectatæ deliberationis judicium; quod Galliæ Faſtis commendatum, de Carolô, nominis hujus Octavô Francorum Regê, perennis memoria celebrabit. Ex negotiationê fortè maritimâ Maſſilienſes Chriſtianos ingentis pecuniæ debitô ſibi tenebant obſtri-

Idem. in Manuall. Cap. 24.

Remigius Epiſ. Tom. 8. Bibl. SS. PP. fol. 1071. G. cap. 2. in Ep. ad Coloſſ.

Cæſar. Neſtradam. in Hiſt. Provinc. ſub An. 484.

ſtrictos ejus ditionis Hebræi. Creſcentibûs enim uſurîs, & auctîs indiès, deficientê ſolutionê, fœnoribûs, miſeros illos cives eô calamitatis adegerant; ut, exclusîs Fidelibûs, fundorum omnium, & ædium avitîs poſſeſſoribûs, tota jam propè Maſſilia Judæorum in jura tranſierit, omnésque tractûs illius, ac plagæ fructus, cenſuales facti fuerint Hebraicæ perfidiæ. Non poterant uſurariis Exactoribus inficiari debitum; nec de juris uſurpationê contendere; nec exprobrare, vel accuſare miſeri Maſſilienſes injuriam: dum de liquidâ nominum obligationê, cum debiti confeſſionê, manifeſta Chirographi fides redarguebat univerſos. Adeò diram ſuorum ſortem ex fœneratariâ Judæorum iniquitatê, jam in immenſum auctâ, Rex Carolus cùm inaudiit, ùt illius miſerationê, ſic alterius indignationê, vehementer commotus, continuò, cùm Fœneratorum libros (catalogum impietatis, ubi mutuatitiæ pecuniæ ſumma cenſebatur) tùm & afflictorum fœnerantium, urbísque totius, obnoxiæ mutuo, Chirographum ſibi juſſit exhiberi. Hîs inter ſe collatîs, & regiâ deliberationê perpensîs, Rex Chriſtianiſſimus Uſurariîs, pro quæſtuoſæ nimiùm iniquitatis atrocitatê caſtigandîs, Fidelibûs autem, tantùm non jam omninò perditîs, ab extremâ calamitatê vindicandîs, tandem ſanxit: ut ſingulis paginis fœnebris libri, quô datæ mutuò pecuniæ continebantur, ſignata calamô Crux, à ſummô deorſum, per uſurarios illos characteres omnes induceretur; eâque Judæis objectâ, manifeſtum eſſe voluit deinceps omnibus: Chriſtianos, Crucis cultores, hôc divinæ ſalvationis inſtrumentô redemtos olim ab omnibûs fuiſſe debitîs, ac delictîs; quibûs DEO tenebantur obnoxii: nunc igitur pariter, ejuſdem virtutê, gaudere liberos oportere debitîs omnibûs; &, qualiscúnque veteris chirographi vinculô, penitùs abſolutos pronunciari.

III. Umbratilis quædam, in hôc regiô judiciô, ſalutis noſtræ delineatio (ſi Crucis effectus, ùt par eſt, expendatur) apparebit. Quod enim per eandem, calamô ſignatam, & omnibus Fidelium debitis inſcriptam, ad eadem penitùs abolenda, caſſandáque, providentia pii, Chriſtianíque Regis, in ſubditorum ſuorum ſalutem, ſolatiúmque contulit, expreſſio quædam eſt, etſi tenuis tantùm, illius infinitæ gratiæ; quam omnes, ex peccatô debitores, (eôque, quod contrà nos ipſi ſcripſeramus, Chirographô, Majeſtati divinæ, nominibûs nunquàm expungendîs obnoxii) per JEſum Chri-

Chriſtum, Advocatum, ac Mediatorem noſtrum accepimus. Cùm enim æterni ſupplicii reos, coràm Tribunalî divinô, non Hebræorum iniquitas, adverſùm nos conjurata, ſed ipſum illud, quod in manibûs æternæ juſtitiæ fuerat, Mortis chirographum, luculenter nos convictos damnâſſet; nec aliud, jam ad extremum diſcrimen inclinata noſtra graviſſima Cauſa, quàm decretorium ultionis fulmen, & perditionem pronunciandam trepidans exſpectaret: Aſſertor noſter, eandem pientiſſimè miſeratus, per ſanctam Crucem ſuam, adinventionis mirandæ beneficium impertivit; &, ſuſceptîs in ſe noſtrîs, omnium debitîs, atquè peccatîs, eadem ſecum, & in ſemetipsô Cruci confixit; ac per eandem univerſa ſic abolevit: ut, in ſemetipsô Crucifixô, non tantùm tribuerit nobis manifeſtum abſolutionis Chirographum; ſed plenam inſuper ſalutis conſummatæ ſecuritatem: per quam adimeretur nobis, cùm de debiti veteris obligationê ſollicitudo; tùm de promeritîs pœnîs, æternùm tolerandîs, juſta formido. Nam, (utì meô quaſi verbô locutus, D. Petrus Cardinalis aſſeruit) *Crucis inſigne nobis noſter Imperator* (idem & Mediator) *exhibuit. Hoc ſalutis noſtræ ſignaculum imprimitur: ut evidenter appareat: quòd omnia, hujus virtutê ſigni, â juré ſint Dæmonum abſoluta.* Cùm primùm enim, piacularibûs undîs abluto, participatio Dominicæ Crucis tribuitur, quicquid ex veterî ſcriptô divino Tribunali Tartarea poteſtas accuſat, ex efficaciâ Crucis, eidem ſyngrapho jam impreſsâ, vanum, vacuúmque juris agnoſcitur; oppoſitôque patentis aſſecurationis, in eâdem Crucê, per Crucifixum Advocatum tributæ Chirographô, ſtatim retunditur, confunditur, exinanitur, & annihilatur.

S. Petrus Dam. ſerm. 48.

IV. Hôc autem in argumentô divinæ conſolationis, adverſariarum omnium criminationum finem complexæ, nihil eſt, quod noſtram quidem devotionem dulciùs afficit, noſtram ſubmiſſionem juſtiùs exigit, noſtram dilectionem fortiùs allicit, noſtram obligationem arctiùs obſtringit, noſtram admirationem vehementiùs perſtringit; atquè profundum illud, & Angelis ipſis, quàm admirandum, tam adorandum, Divini ſolius Amoris inventum: quô, nos â debitîs liberaturus, Advocatus noſter divinus nequaquàm noſtra voluit in membra ſupplicium Crucis extendi; ſed illud, unà cum omnibûs delictîs noſtrîs, in ſuômet innocentî corporê ſuſtinere decrevit, itáque noſtrum ipſe debitum expiare. Pupugit

hujus

hujus charitatis divinæ ſenſus acutiſſimus Claravallenſis Patris devotum cor; ut exclamaverit: *O bone JESU! quid tibi eſt? Mori nos debuimus; & tu ſolvis? Nos peccavimus; & tu luis? Opus, ſinè exemplô! gratia, ſinè meritô! charitas, ſinè modô!* Quis enim audivit unquàm, tale, vel ab Advocatô, pro maleficô, quondam perſecutorê; vel, â Dominô, pro ſervô, priùs infideli; vel, â Principê, pro perduellî ſubditô; vel â Patrê, pro Filiô refractariô, contumacîque ſuſceptum, aut cogitatum aliquando fuiſſe (cùm iſtorum, ſub feralî fortè ſententiâ, trepidare jam cœpit reatus) ut illorum aliquis, vel, pro cauſâ, vel, ſub cauſâ ſtare, reúsque pro reîs fieri, periculúmque ſubire, judiciúmque pati, pœnámque, pro miſerîs illîs, ab interitu vindicandîs, in animum induxerit ſuſtinere?

S. Bernard. in ſermon. quodlibet.

V. Jactat aliquid (ſed, quàm ab hôc noſtri Vindicis, & Servatoris divinô conſiliô remotum?) de ſuô quondam Auguſtô, gentilis Pietas; quod non tam voluntariæ dilectionis, quàm debitæ compenſationis officium fuiſſe, nequè, niſi per ſummam injuriam denegari potuiſſe, nemo non, arbitratu naturæ ſolius uſus, agnoſcit. Erat inter eos, qui pro Cæſare ſtipendia merebantur, Veteranus quidam, annosâ cùm generoſitatê, tùm fidelitatê, plurimîs ex præliîs, bellíque periculîs clariſſimus miles; cui dies pro judiciô, capitalî de criminê dictus, haud levem periculi metum incuſſit: ſeu, quòd Adverſariorum præpotentium criminationi præſumtionem auctoritatis diffidebat â ſe poſſe diminui: ſeu, quòd enſê magìs, quàm linguâ, pugnare doctus, deſperaverat, ſuorum ponderê verborum, Cauſam, ab accuſatoribûs prægravatam, atquè protritam, ſublevatum *iri*. Sic anxio, fortè Tribunal adeunti, ſors obvium in forô dedit Auguſtum; quem ille cùm primùm intuitus, meliorem in ſpem erectus, fidenter acceſſit, & ſupplex, ut afflictæ cauſæ patrocinari, ſuúmque defendere pro judiciô vellet Bellatorem, deprecatus eſt. Movit Imperatorem antiqua fides, exploratáque ſupplicantis Martia virtus: & continuò de ſuô comitatu quempiam, præ cæterîs eloquentiâ præſtantem nominavit; quem, pro militê ſtare, Cauſámque, non ſecùs, ac ſuam, Cæſaris ipſius, tueri, propugnaréque juſſit. Nequè verò contentus hâc officii delegationê, vicariâque Cæſaris opê miſer ille, grandî você, quàm indignatus, tam proteſtatus, exclamavit: *Quid hoc? Cæſar! Non ego, periclitantê tê, in bellô Actiacô, vicarium quæſivi: ſed, pro tê ipſe pugnavi!* Dixit, & protinùs diffibulatô

Sueton. in Auguſto. & Bruſus. Lib. 5. c. 1.

latô thoracê, pectus, multâ cicatricê conſpicuum, acceptorum olim vulnerum, & prælio-
rum exactorum facundiſſimum argumentum objecit: quô conſuſi Cæſaris animum ſic expugnavit; ut, erubeſcens exprobrationem ingrati, non erubuerit, pro veteranô ſuô, tam inſignî, pluribûs in periculîs Defenſorê, fungi partibûs Advocati.

VI. Merebantur, imò (quod ipſe diffiteri nequivit Auguſtus) exigebant id officii, veterum in militê vulnerum, oculis imperata veſtigia. Quid autem noſtrâ fuerit ex partê, non eſt, qui vel minimum exhibere valeat; quod, non tantùm depoſcere, vel exigere; ſed, vel mereri, vel movere Regem Regum, ſummúmque rerum omnium Conditorem, ad illud ineffabilis dilectionis opus potuiſſet; quô non ſolùm, in Cauſæ noſtræ patrocinium inclinatus, aſſertionem ejuſdem, Cœleſtium ſuorũ alicui committere miniſtrorum dignaretur; ſed eandem, ipſe, ſuæ divinæ Majeſtatis in perſonâ ſubire; ſuâ ſummæ Sanctitatis in innocentiâ portare; ſuâ demùm in abſolutionê, manîfeſtatæ palàm iñocentiæ, luere conſtitueret? Sinè magnâ confuſionê, dolorê verò majorî, memorari non poteſt illud, infinitæ pietatis, in miſeriæ noſtræ conſiderationê, decretum; quô Servatorem, noſtrî miſertum, Euſebius Gallicanus, ille, *Rhetor, ac Theologus, omnium opinionê celeberrimus*, in reatûs noſtri pœnas, voluntariâ paſſionê ſubeundas, nullô noſtrô meritô perurgentê, ſed, amorê ſuômet ſolô motum, ac inclinatum, ſibi viſus eſt audiviſſe loquentem. Dignus eſt, ad apicem litterarum, verborum ejus, quàm diſertus, tam pius contextus, nullô ſuô vigorê, per mutilationem ullam, defectus referri: *Diabolus ceperat, quos deceperat; & ſtirpem, quam in radicê vitiaverat, in fructibûs poſſidebat: & propterea Dominus de cælô in terram proſpexit ſuper filios hominum, tanquàm ſi Redemtor ipſe ſecum loqueretur, & diceret: Videamus, quibûs debitîs egenus homo â Diabolô teneatur adſtrictus. Si aurum, vel argentum deberet: ſi ærê oppreſſus eſſet alienô: pro rationê debiti, neceſſariò ſumma pecuniæ penderetur. Sed, quid agimus? quòd hæreditariô, & antiquô primæ nativîtatis malô premitur? Secundâ ergo nativitatê ſtatum illius innovemus: ut, qui per originis debitum Diabolo naſcebatur, per Baptiſmatis inſtitutum DEO renaſcatur: dúmque regeneratur, Spiritu operantê per gratiam, nihil inimico debeat per naturam. Improbam dexteram vetitæ arbori importunus ingeſſit: extendamus pro illô innocentes in Crucê manus. Per lignum pœna eſt contracta: per lignum culpa redimatur. Sed, prohibiti guſtûs malè blandâ ſuavitatê deceptus eſt: expietur delectationis eſca, aceti, & fellis injuriâ.*

Joan. Trith. de Euſeb. Emiſ. ſeu Gallicanô. in Bibl. PP. infrà citatô locô. f. 618.

Euſeb. Gallic. Homil. 11. de Paſcha. Tom. 6. Lug. Bibl. Veter. PP. f. 642. H.

Pſalm. 13. v. 2.

Pſalm. 32. v. 14.

Sed, ſuperbiæ culpâ, quæ præceptum ſolvit, quâ in ambitum Divinitatis exarſit, obnoxius eſt in hominem: ſed Divinitas noſtra humiliet ſe pro ſuperbô: tradat ſe ipſa Majeſtas, pro criminê Majeſtatis. Sed, mortis reus eſt: hoc reddi convenit, quod debetur. Mortalis eſt aſſumenda conditio, & mors eſt offerenda pro mortuo: &, nè ſit, quod Diabolus captivo ſuo, per arborem decepto, ultrà poſſit objicere; ipſe nunc ſacras damnandus extendat** manus, in arborem vitæ: ut duplicî beneficiô, hominem noſtrum ſanguis Crucifixi, & ſcelus Crucifigentis abſolvat. Paſſio noſtra, dum illum damnat, hunc redimat.* En voluntariam oblationem, ſpontaneam Cauſæ ſuſceptionem, liberrimæ pietatis ultroneam, ac liberaliſſimam ſatisfactionem! quâ, Mediator noſter, & Advocatus, & Vindex eſſe voluit, non in alienâ, ſed ſuâmet perſonâ divinâ, Dominus noſter!

* Scilicet, meas.

** Nimirum, per Crucifixores, quos inſtigavit,

VII. Nihil in hôc opitulantis Charitatis admirabilî conſiliô, noſtra per vulnera ſic (ùt per ea, quæ Cæſari ſunt objecta) vel actum ſuit, vel exigi potuit: cùm paſſî nihil unquàm, ejus amorê, vel, in cauſâ, priùs fuerimus. Erant quidem innumera vulnerum indicia, non belli, pro Deô ſuſcepti; non amoris, pro Dilectô, munerê ſuô ſtrenuê functi; ſed odii, ſed rebellis in Conditorem ſuum naturæ, ſed refractariæ voluntatis (quæ flagitiîs plurimîs exinde ſauciata laboravit) argumenta fœda, teſtimoniáque turpiſſima; quorum haud immemor, Euſebius idem ſuaſit: *Elaborandum: nè ſub illô tremendæ recognitionis examinê multæ aliæ cicatrices manifeſtentur; ac revelentur in medium vulnera flagitiorum: nè plagæ conſcientiarum, nè horrendæ homicidiorum maculæ, nè obſcœnæ fœda ſigna luxuriæ, in illâ diê deficientibus præ dolorê oculis ingerantur!* Elaboravit hoc Advocatus noſter: dum noſtra vulnera, ſua voluit eſſe, ſic, illorum intuitu, noſtrî miſereſcens; ut eadem ſibi poſtularet imponi, ſuſceptáque decreverit (cùm vindicare vel maximè debuiſſet in nos) expiare pro nobîs. Id, quod, ecſtaticus quaſi, gentium Doctor, inculcatum voluit Romanis: *Commendat autem charitatem ſuam DEUS in nobîs: quoniam, cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobîs mortuus eſt: cùm adhuc peccatores*, id eſt, *inimici*, (quod ibidem dixerat) fueramus. Omnes humanæ charitatis gradus tranſcendit, & omnes ejuſdem amoris adinventiones evacuat, iſtud incomparabilis dilectionis ingenium!

Euſebius Gallicanus, ſeu Emiſſen. loco cit. Homil. 10. fol. 642. A.

Rom. 5. v. 8. Ibid. v. 10.

VIII. Cedat igitur, & obſcuriſſimô reponat locô, dilaudatũ â sê Romanum Oratorem, rebûs in deſperatîs, ac protritiſſimîs causîs, quàm ſolicitum, tam efficacem, reorum periclitan-

Valerius M. lib. 4. cap. 2.

tantium Advocatum, Valerius Maximus. Ut enim fuerit admirationê, præconiôque dignus, nequè, niſi ſuâmet (ùt par eſt, pro facti dignitatê) celebrandus linguâ, M. Tullius: cùm, quòd Aulum Gabinium, âquô, nuper Conſulê, juſſus fuerat exulare, ſubindè repetundarũ accuſatum, ſtudioſiſſimâ contentionê defenderit: tùm, quòd P. Vatinium, quem diù paſſus infenſum, infeſtúmq; fuerat, bis periclitantem, â diſcriminê capitis alterâ vindicationê ſervaverit. Quid autem idem ipſe, tam ſuorum ſtudioſus hoſtium, & induſtrius defenſor, Cicero, facturus fuiſſet (ſi cum vitâ, parem injuriæ, doloríſque ſenſum habuiſſet) in eâ, nefandâ, crudelîque vexationê; quâ, canê pejor, & anguê, mulier inimica, linguam ejus exſanguem, capitê jam â cervicê reſectô, multîs compungendo vulneribûs, petulantiſſimè juxtà, atquè contumelioſiſſimè perſecuta fuit? Quis eandem pro Ciceronê ſpondere virtutem auſit, & affirmare: linguam illam, acubûs infeſtîs, & atrociſſimâ rabiê mulieris, odiô frementis, compunctam, id officii, tam inhumanæ, ſævæquè perſecutioni præſtituram fuiſſe; quod Gabinius, Vatiniúsque, licèt hoſtes iniquiſſimi, ſunt experti? Solius Advocati noſtri ſingularis hæc eſt, & unica dilectio; quæ, poſt innumeras, & enormes offenſas, &, â nemine non, hoſtiliter læſa, Cauſam tamen omnium, & commune totius humanæ conditionis periculum, ut averteret, in ſe converti ſuſtinuit. Nec ſatìs ei fuit, hoſtium ſuorum ſuſtinere partes: verùm (ubi Corpus univerſum, vulneribûs dilaniatum, &, vulnerê ſuper vulnus conciſum, compunctúmque, nihil, niſi mortis dolores, & apertiſſimas injurias, per ſaucia, quot membra, tot ora, manifeſtabat) novô ſummæ charitatis ingeniô, fecit unam, ità vulneratô de corporê, linguam; quæ, quantò compuncta, tantò magìs facunda, loqui pro maleficîs, donec omnia fuêre conſummata, non deſiit; neque priùs in mortem obmutuit; quàm exoptatæ ſententiam abſolutionis, & â juſtitiâ divinâ ſubſcriptum, in Crucifixô ſuô patens corporê, ſecuritatis noſtræ chirographum, velut univerſæ ſalutis inſtrumentum, abſolvit. Altô videtur hoc animô magnus Aſer, & Eccleſiæ Pater, ſuſcepiſſe, ſuſpirans: *Quoties ego peccavi? ſed tamen, Domine DEUS meus, defendiſti me! Cùm contrà te iniquè agebam; cùm tua mandata frangebam; ſtabat paratus* (Actor meus, & adverſarius) *ut me raperet ad Infernum: ſed Tu prohibebas! Ego Te offendebam, & Tu me defendebas! Ego non timebam: & Tu me cuſto-*

Appianus Libro 4. Bell. Civil. & Suidas. Vide Theatr. vit. hum. C. fol. 554. F.

S. Auguſt. in ſoliloqu. cap. 28.

ſtodiebas! A Tê recedebam, & inimico meo me exhibebam : Tu ipſum, nè me acciperet, deterrebas ! Sanè, niſi corruptô ſit arbitriô, quisquis hæc audiît, omnem exaggerantis eloquentiæ vim, & energiam diffiteri nemo poterit evacuatá eſſe, hâc Antitheſi: *Ego Te offendebam: & Tu me defendebas!* &, ità me defendebas: ut, â perditionê liberatum, ſecurum etiá ſalutis, in tuæ Paſſionis, & conſummatæ mortis meritîs (mihi, per tuorum vulnerum characteres, & ſanguinis pretioſiſſimam Rubricam tranſcriptîs) per affixum Cruci Chirographum, Te ſcilicet ipſum, reddideris!

IX. Quis jam nobis, hâc acceptâ, perceptâque conſolationê, ſenſus? Quid, ex hâc aſſecurationê, conſilii? Qualis demùm eſt noſtra, reliquam in vitam, poſt indeptam abſolutoriæ ſententiæ gratiam, vel facta jam, vel facienda Concluſio? Næ graviter in Aſſertoris pietatem, ipſiúsque rectæ rationis dictamen is offenderet; qui, poſt conſummatum copioſæ Redemtionis negotium, & abſolutam in divinô Tribunalî Cauſam, ità ſe munitum litterîs, in Crucifixô patentibûs, arbitraretur: ut nihil â ſê prætereà de præteritîs malè factîs exactum iri cenſeret; quô pœnitens ipſe dare de ſê pœnas conaretur: nequè crederet, neceſſarium inſuper eſſe: cupiditatibus obſiſtere, pravos vitiatæ naturæ motus compeſcere, vitiis repugnare, mentémque, ſcelerum omnium immunem â contaminationê ſervare: ſed, ex virtute vivere; vel, ex genii pravitatê concupiſcentiis indulgere, perinde jam eſſe: poſtquàm â Reparatorê ſalutis, & Advocatô noſtrô conſummata ſunt omnia. Vah! hominum deliria! vah! abominabiles Chriſtianorum, diabolicásque blasphemias! vah! brutalia Lutheri, Melanchthonis, aliorúmque, furfuris ejus infernalis, incantamenta! Quid enim, ità qui ſentit, ab eô diſſentit? quem S. Ephrem, ùt ſtolidê ratiocinantem, ſic impiè concludentem, audivit: *Diabolus*, inquiebat, *debita adverſùm me renovat: quoniam novîs cupiditatibûs priores interrumpit. Cùm vetera me perſolviſſe debita exiſtimo; novîs me iterum cupiditatum Chirographis obſtringit. Novis igitur cupiditatibus acquieſco, ac vaco; ac temerè priores oblivioni mando: cum ingruentibus paciſcor, atquè convenio; & debitorem me rurſus conſtituo.* Nihil ſanè differt, inter hanc, & illorum inſaniam: nîſi, quòd huic, illa, præfidentiam ſuperaddat; & malitiam, ex ipſâ manifeſtæ conſummationis præſumtionê graviùs accumulet, hæreticâ ſcilicet pravitatê; quâ dementati, Lutherus, cum Calvinô, veriti non ſunt effutire: *Poſt peccata, etiam graviſſima, ſatisfactio*

Vide Jodoc. Coccium, in Theſaurô Catbol. Tom. 2. lib. 3. Art. 3. Negant. &c.

S. Ephrem. Tom. 2. in perſon. Peccatoris.

M. Lutherus serm. de Pœnit. cit. à Coccio, Tom. 2. lib. 7. 4. fol. 823.

ctio nulla facienda est â nobis : nè satisfactioni Christi derogemus. Ità sacrilegus Hæresiarcha, Lutherus, eâ scilicèt è sententiâ ; quâ non impietatem solùm crassissimam, sed vitiatum etiam sanæ rationis arbitrium prodidit, inquiens : *Summa ars, & sapientia Christiana, est : nescire legem, ignorare opera, & totam justitiam activam.* * *Sola Christi fides necessaria est : cætera omnia, liberrima ; nequè præcepta ampliùs, nequè prohibita, &c.* Nec latum unguem ab hôc deliravit, Rabula Genevensis, ille nimirum, ab animi protervià non minùs, quàm frontis exutæ calvitiê, nominatissimus Theomachus ; cui satìs non fuit, avitæ Christiani dogmatis pietati per immanem censuræ præsumtionem obstrigillare : nisì mendacii contumeliam inflixisset insuper, satisfactioni, per evangelicam legem pro culpîs admissîs exactæ, petulantissimâ definitionê repugnans, & inquiens : *Dicunt : non sufficere pœnitentiæ, â peccatîs præterîtîs abstinere ; nisì de eîs, quæ facta sunt, satisfiat DEO, &c. Talibus mendaciis oppono gratuitam peccatorum remissionem.* Ausus est insuper, in omnem Servatoris doctrinam injurius, & utriúsque testamenti temerarius Convulsor, asserere : *Unicum esse satisfactionis genus, quo judicium placatur* : scilicet : * *unicum Christi sacrificium* : nec DEUM â justîs ** ullas expetere pœnas, in vindictam peccati præteriti.

Idem Edit. 4. in Argum. Epist. ad Galat.

* *Idem in cap. 2. Epist. ad Galat.*

Calvinus lib. 3. Instit. cap. 4. §. 25.

Matth. 3. v. 8. Lucæ. 7. v. 37. 1. Corinth. 9. v. 27. Ezechiel. 18. v. 21. Daniel. 4. v. 29.

* *Joann. Calvin. loc. cit. §. 30.*

X. Proh! quales isti sunt, & quàm portentosi Christianæ veritatis abortus ? quàm infames Apostolicæ doctrinæ convulsiones ? quàm prava divinæ, pro nobis impensæ satisfactionis, & obtentæ per eam, absolutionis argumenta ? Perstrinxit ea pridem, quasi perfractæ fiduciæ præscius, gentium Apostolus, illâ suâ notâ prolepsî ; quâ futuræ quorundam objectioni, prior, eandem oppressurus, occurrit : nè dicant (utì Cornelius commentatus est) *Si verum est, quod dixisti : ubi abundavit delictum, ibi superabundavit gratia ? Ergo peccata peccatis addenda sunt ; ut gratia DEI magis abundet.* Iterúmque subinde : *Dixisti : nos non esse sub legê, sed sub gratiâ ? ideóque peccatum nobis non potest dominari ? Ergo licenter, & impunè legem transilire, & peccare possumus, atquè indulgere nostris concupiscentiis. Nam, quidquid faciamus, peccatum nobis dominari nequit : sed nos potiùs peccato, & concupiscentiis dominabimur : si pro libitô eas accersamus, vel repellamus. Hoc enim est argumentum Libertinorum, etiam modernorum.* Sed prævénit impiam hanc argumentationem, divinô directus â Spiritu, S. ipse Paulus, &, ex perversô depravatorum ingeniô quærens, &, ex æquâ cœlestis doctrinæ censurâ subjiciens : *Quid ergo dicemus ? Permanebimus in peccatô ; ut gratia abundet ? Absit ! Qui enim mortui sumus pecca-*

** *Idem. ibidem §. 31. & 32.*

Cornel. à Lapide in Epist. ad Rom. cap. 6. v. 1. & v. 15.

Rom. 6. v. 1. 2. 6.

to ; quomodò adhuc vivemus in illô ? Hoc ſcientes : quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt ; ut deſtruatur corpus peccati ; & ultrà non ſerviamus peccato. Non ergo regnet peccatum in veſtrô mortalî corporê ; ut obediatis concupiſcentiis ejus - - ſed exhibete vos DEO, tanquàm ex mortuîs viventes. Advertamus, obſecro : qualem inferat, ex gratiâ, per Servatorem obtentâ, Doctor Apoſtolus Concluſionem ? Procul abeſt â ſententiâ Pauli, fatua præſumtio, *permanendi*, poſt gratiam, *in peccatô* : quod ij ſtatuunt ; qui non tantùm, de ſatisfactionis, â ſe præſtandæ debitô nihil in animum admittere volunt ; ut ſuam ſubindè vitam, cùm Crucifixi formæ, tùm juſtitiæ, per eum expreſſæ, conforment : ſed, ex abundantiâ gratiæ, ſuis indulgere concupiſcentiis, & ex geniô vivere, ſibi credunt integrum, ac indultum eſſe. Papæ ! quid hoc ? *Abſit* ! ait Apoſtolus, tam heterodoxa veſania, cum illâ pariter ; quæ poſt acceptam, per Chriſti Crucem, pro legê, gratiam, de peccandi libertatê licentioſè præſumit : *Peccabimus ! quia non ſumus ſub legê, ſed ſub gratiâ.* Nam & hoc, *abſit*, ait Sanctus, â Chriſtianæ profeſſionis arbitriô : quia, *liberati â peccatîs, ſervi autem facti DEO, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem : continuam ſcilicet* (utì ſubdit, interpres citatus) *ut eatis de ſanctitatê in ſanctitatem : ut indiès magìs, magísque ſanctificemini. Quia juſtitia parit hunc fructum : ut, qui eam habet, purè, ſanctéque vivat ; ſancta, & præclara faciat opera ; & continuîs virtutum operibûs ſe magìs ſanctificet.*

Ibid, v. 15.

Ibid. v. 22.

Cornelius à Lapid. loco cit.

XI. Abundè, quod reor, hinc pateſcit : qualis nunc ex obtentâ ſit abſolutionê facienda Concluſio ? qualis, ex acceptô Servatoris Chirographô, ſit, ab interitu vindicatis, collata ſalutis conſequendæ ſecuritas ? Abſit enim ! ut ad iniquiſſimas illas delirantium perſuaſiones, in transverſum, â rectâ ſuæ reparationis intelligentiâ, mens fidelis abripi ſe ſic patiatur : ut, ſublatô, per Crucifixum Advocatum, veteris obligationis Chirographô, cum acceptô, per ejuſdem conſummationem, aſſecurationis divinæ ſyngraphô, ſupereſſe ſibi nihil porrò, nequè ſolvendum pro voluntariîs delictîs, nequè, pro participationê felicitatis, per eandem aſſertæ, de ſuâ cooperationê præſtandum cenſeat : ſed, integram ſibi, vitæ, non otioſè tantùm, ac delicioſè, ſed etiam flagitioſè, pro libitu tranſigendæ, factam eſſe libertatem ſtolidiſſimè perſuadeat. Adeò præpoſterè qui ſentit, ipſe ſe decipit ; &, undè ſibi plaudit, exploſum iri ſe noverit. Cùm enim ità, de Chirographô ſalutis acceptô præfidens, exſultat ; non pro ſê, ſed contrà ſe, renovatum.

De-

S. Bonav. p. 1. Sumæ, cap. 2.

Decreti Chirographum, in ſui damnationem, ipſemet exhibere, per Seraphicum Doctorem convincitur. Pluribûs inſuper litterarum divinarum, Patrúmque teſtimoniîs claret: eô pactô conſtitutam â Servatorê noſtrô, conſumátámque fuiſſe Redemtionem humani generis: ut, pro miſerîs, alienô preſsîs ærê, quiquè ſolvendo non erant, ipſe, Fidejuſſor exiſteret, tùm, debitorum omnium pœnas ſolvendo; tùm, auxilia gratiæ, per quæ, tentationibus, & inſidiis hoſtis antiqui reſiſtere faciliùs, ac ſuperiores eſſe valerent, iiſdem ubertim promerendo. Quorum tamen omnium participem fieri, non aliâ quenquam rationê conſtituit; nisì, qui remiſſionê peccatorum, in Baptiſmô perceptâ, viveret ſubinde juſtitiæ. Id, quod magnâ ſacrarum ſcholarum você docetur (utì noſter Abulenſis annotavit.) *Chriſtum quidem omnium peccatorum Chirographa, quoad ſufficientiam deleviſſe: reâpſe verò, &, quod ad efficaciam attinet, eorum ſolùm peccata perpurgáſſe; qui divinæ gratiæ, cœleſtibúsque donis, liberi arbitrii uſum adjungentes, juſtitiæ vivunt; &, cum juſtitiâ, aut, pro juſtitiâ moriuntur.* Ex verbîs ipſius Apoſtolorum Principis huic Theologicæ veritati pondus ingens accedit. Nam, poſtquàm dixiſſet Petrus, de Dominô: *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in ſuô corporê ſuper lignum*, adjecit continuò: *ut, peccatis mortui, juſtitiæ vivamus.* Hâc autem enunciationê quid aliud intendit? atquè, mentem ipſius Domini, velut Oraculi você, primus Eccleſiæ Primas declarare: Servatoris, & Advocati noſtri laborem omnem, pro nobîs impenſum, & copioſam Redemtionem, cum debiti ſolutionê, conſummatam in Crucê, non in eô verſari cardinê, vel, indè pendere totâ, eſſéque, ſic abſolutam: ut, peccatorũ noſtrorum pœnîs, per ipſum expiatîs, peccandi, ſeu, vitam otioſè, delicioſéque tranſigendi, licentia facta nobis exiſtimetur; &, in omnem partem impunes, pro libidinê ſubindè, votôque, geniôque vivere poſſe, nos arbitremur. Aliud prorſùs divini ſuit Aſſertoris conſilium, decretum aliud, alia, ſupremîs declarata verbîs, ea ſcilicet, voluntas: *ut potiùs, Decreti Chirographô, ligno Crucis affixô, ſic bono Fidejuſſori noſtro debitum perſolvamus: ut vitam ſubindè totam, in ejus laudem, & obſequium, &, ad veræ juſtitiæ leges compoſitam agamus:* prout Abulenſis idem noſter Antonius eximiè concluſit; & ipſe Mediolanenſis Archi-Præſul commonuit: *Sic Chirographum peccati, quod in Crucé deletum eſt, non reſcribamus.* Rursùs enim peccantes, reſcribunt vetus Chirographum; nec pro ſê tenent (niſi ſatìs ipſi quóque de ſuô fecerint) ſed,

P. Antonius Velasquez. Tom. 1. in cap. 2. v. 8. Ep. ad Phil. Annot. 7. num. 2.

Idem Velasq. locô cit. in fine.

S. Ambroſ. Lib. 1. de Jacob. c. 5.

1. Petr. 2. v. 24.

ſed, contrà ſe, chirographum Fidejuſſoris exaggerant.

XII. Hôc myſteriô Spiritum ſuum, totúmque Redemtionis humanæ, poſitum â ſê, ſolutúmque pretium, Redemtor noſter, in Crucê moriens, inſtar Depoſiti, Patri ſuo commendavit; &, quicquid noſtrâ fuit actum pro Cauſâ, ſic paternîs in manibûs eſſe voluit; utindè nobis (non aliter, niſi, prout cum Patrê, factus Fidejuſſor conſtituit) univerſim diſpenſaretur. Hunc arcanum ſenſum venerati ſunt plures Interpretes, in illô ſupremô morientis Domini verbô: *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum!* præſertim, quòd Syrus, pro: *commendo*, ſignanter poſuerit: *depono Spiritum meum. Per hoc enim ſignificat* (arbitrô Cardinalî Cajetanô) *commendationem Depoſiti, reſumendi.* Fuit quidem circà Depoſitum hoc, ab exſpirantê Servatorê Patri commendatum, alia, cum S. Athanaſiô, Victoris Antiocheni, pietatis, & ſolatii plena ſententia: quòd nimirum *ea commendatio noſtrarum animarum in commodum cedat; quas ille, quaſi quoddam Depoſitum, in DEI viventis manus, eâ Orationê tradebat.* * *Omnes igitur, in ſê, DEO commendat:* quod luculentiùs, atquè copioſiùs, D. Laurentius Juſtinianus expoſuit: *In manus tuas*, inquit, *commendo Spiritum meum: Spiritum utiquè meum; non tantùm, quem gero, ùt homo; ſed, quem, ùt Mediator, & Redemtor, acquiſivi mihi. Meum planè dixerim Spiritum, membra mea, Eccleſiam meam, &c.* Sed hôc in myſteriô, ſtare magis lubet â ſententiâ Salmeronis; cenſeréque: Depoſitum Patris in manus, cum Spiritu, negotium univerſæ Reparationis, & omne pretium, pro nobis impenſum, eidem commiſſum fuiſſe: *tùm, at agat de eô, prout ipſi viſum fuerit; tum, ut ſubcit. ejus cuſtodiâ, protectionéque permaneat:* prout, ex eôdem, Joſephus Manſius digeſſit, inquiens: *Chriſtum Patri commendâſſe Spiritum: ut per illum omnia humani generis debita aboleret, efficerétque; ut ad univerſalem applicaretur ſalutem: nè Redemtionis ſuæ merita inutilia remanerent.* Hæc enim Depoſiti ratio communis, & Fidejuſſoris obligata ſolet eſſe conditio (quam etiam, exſpirans Advocatus noſter, Spiritum ſuum, cum Paſſionê tam amarâ, mortêque, deponendo, Patri ſuo commendâſſe videtur) ut, ſicut *Fidejuſſor*, pro Debitorê ſolvens, *eſt Auctor Credenti*, (prout loquitur Donatus) *alium*, ſcilicet, ipſum Debitorem, *aliquid daturum, facturúmve, ſuâ fidê, ſuôque periculô promittens*; ità ſpoponderit & ipſe pro cunctîs, volens: ut nulli ſuæ merita Mortis, in manus Patris depoſita, paternâ diſpenſationê ſubvenirent; qui poſtulatum â ſê debitum, per dignos pœnitentiæ fructus, & conformem Crucifixo vitam,

Lucæ 23. v. 46.

Lect. Syriac. & Arabica. apud Sylv. Tom. 5. fol 619. Cajetan. in Lucam.

Victor, Antiochen. in Matth.

** S. Athan. contrà Arianos, de hum. Nat. ſuſceptâ à Chr.*

S. Laurent. Juſtin. de Triumph. Chr. Agon. cap. 20.

Salmeron. Tom. 3. Tract. 67. Diſc. 22. n. 5.

Donatus de Fidejuſſ.

vitam, pro facultatê ſuâ non ipſe ſolviſſet. Sic judicavit Abulenſis noſter: *His verbis (Pater in manus tuas commendo Spiritum meum) nos urgeri, ad ſatisfaciendum Fidejuſſori noſtro, effuſi ſanguinis ſui pro peccatis noſtris pretium, â nobis exigenti: dum monet: eam nos juſtitiæ, & ſanctitatis viam inire; quam ipſe in Paſſionê ſuâ noſtrô nominê Patri promiſit: nè, ùt dicebat Hieronymus, mendacem eum faciamus.*

Velasquez. loco cit. num 9.

S. Hieronym. in cap. 38. v. 14. Iſaiæ.

XIII. Poſſunt hæc, imò debent, ſolicitos reddere credentes in Chriſtum; qui de reparatâ ſuâ ſalutê, Causîsque, per Eundem, âb æternô (quô certiſſimè fuiſſent oppreſſæ) judiciô vindicatîs, gratulantur ſibi. Nec enim in eô ſtat noſtræ Redemtionis conſummata felicitas; aut integra, cunctarum Actionum abſolutio, cum efficaciâ nobis indulta: quòd eandem ſuô ſanguinê, ſuôque Spiritu, per mortem in Patris manus depoſitô, Vindex noſter, abundantî ſolutionê, pro nobis factâ, juſtificatam obſignaverit, nobisque tradiderit: nisì ſponſionem etiam, quam, Patri Spiritum ſuum commendans, adjunxit, impleverimus. Id, quod Palæſtinæ ſolitudinis memoratus Doctor, atquè Fundator, admonitos voluit univerſos: *Cernimus, quid in ſuâ Paſſionê Salvator pro ſalutê noſtrâ promiſerit? Non faciamus mendacem JEſum! Mundi ſimus ab universîs peccatorum ſordibus: ut nos DEO Patri offerret victimas; quas voverat.* Injurius igitur ipſe ſibi fit, & in ſuæ conſcientiæ maniſeſtam contradictionem reus delinquit; ſi quis, de ſpê Redemtionis participandæ ſibi blanditur, omnis expers conatûs, de ſuô quicquam, pro culpîs admiſsîs præſtandi; vel, ad exactam Crucifixi Servatoris conformitatem perveniendi. Sic enim de ſuâ nos voluit eſſe conſummationê ſecuros: ut nihil nobis deficeret ad omnem juſtitiam; ubi, quam noſtro ſpopondit nominê, non defuerit in nobîs, obligata ſcilicèt, congrua, cum juſtitiæ contentionê, ſatisfactio noſtra. Nam (ùt Agellius ex Catholicô Theologorum ſenſu locutus eſt) non, nisî *per ſponſionem illam, DEI Filius, cùm ſe vadem obtuliſſet, ac morti pro nobis objeciſſet, nos á morte liberavit*: nolens, ut otioſa, de reliquô vivendi nobis licentia remaneret; aut, quod magìs impium cogitatu, præſumtâ cum indemnitatê, peccandi libertas indè tantò magìs inſoleſceret; quantò liberalior DEI dilectio, ſuæ theſauros largitatis effudit: ſed (quod ſuprà jam, ab Apoſtolorum Principê meminimus apprimè commendatum, & urgendum ſemper eſt) volens: *ut, peccatis mortui, juſtitiæ vivamus.*

Agellius loc. cit. apud Ant. Velaſqu.

S. Hieron. loco citato.

1. Petr. 2. v. 24.

XIV. Quæ, ſi ſeveriùs expendantur, per Apoſtolicam hanc admonitionem duo videbuntur,

poſt impetratam â Servatorê Cauſarum abſolutionem, inſuper exigi. Primùm enim, *peccatis mortuos eſſe*; tùm verò, *juſtitiæ vivere*, verborum ipſorum aperta ſignificatio poſtulat. Illud autem cenſere prudens nemo poteſt: niſi talis fuerit, ergà peccata, mentis, & conſcientiæ ſtatus; qualis mortuorum eſſe ſolet: ut, nequè concupiſcentia, per voluntatis aſſenſum animata, contaminetur ex appetentiâ contrà legem; nequè facultas exterior, ad interdicta ſe, vel operibûs extendat, vel verbîs ingerat. Ut enim, qui mortui ſunt, nihil agunt, loquuntur nihil, nullam in rem, quæ ſe ſenſibus offert, votô feruntur: talis, ut ſit eorum conditio, quos peccatîs mortuos efficax participatio conſummatæ Redemtionis exigit, neceſſarium eſt. Alterum autem huic accedit: ut, ſic mortui, *juſtitiæ vivant*: quod geminîs conatibûs, &, ambabûs velut manibûs, adimpletur: prout ſenſiſſe videtur D. Auguſtinus, exiſtimans: *Ideò extenſæ ſunt manus ejus in Crucê; ut manus noſtræ extendantur in bona opera.* Cùm enim geminas in Crucê manus omnis juſtitiæ Conſummator extenderit; alteram quidem, ad ſatisfaciendum, ſolvendúmque pro noſtrîs reatibûs; alteram, ad ea, quæ placita fuêre Patri, ſemper, in finem usquè, perficienda: geminum â nobîs, ut abſolutionis ejus participes fiamus, officium juſtitiæ, per omnem vitam noſtram adimplendæ, de geminîs noſtrîs manibûs exigit, itáque præſtolatur: ut hinc, ad fructus pœnitentiæ dignos, id eſt, congrua voluntariæ ſatisfactionis opera, ſemper ſit fervor extenſus; inde verò, perpetuam ad imitationem Servatoris in Crucê, nunquam non ſit ſtudium omne defixum. Quisquis enim *irrevocabilî pactô ſe adſtrinxit ad hoc: ut Chriſtum ſequatur in omnibûs*; hunc tandem judicavit S. Baſilius, *DEO integrè, ac perfectè vivere.*

S. Baſilius. Lib. 2. de Baptiſ. c. 1.

S. Auguſtin. in Pſal. 62. v. 1.

XV. Sed, meô quidem arbitriô, quod hàc tenùs perſuadere, pluribûs diffuſè contendi, ſtrictim paucîs, noſter Abulenſis, & optimè totum complexus, expreſſit, inquiens: *Eos, qui Chriſto nomen dant, ſimul cum fidê DEO repromittere: ſe, pœnitentiâ, & bonîs operibûs ſoluturos pro ſuîs peccatîs; quicquid Bonus Fidejuſſor pro eîs priùs perſolvit: ut hâc rationê ſimus in laudem gloriæ ejus: hoc eſt: ut Redemtionis gratia, in Fidelibûs, juſtè, & ſanctè viventibûs, clara, & ſplendida reddatur: dum tam egregium beneficium non in ingratîs, aut impiîs, ſed in hîs, qui, gratiarum memores, in Redemtoris ſui obſequium ſe totos impendunt, optimè collocatum conſpicitur.* Hæc eſt aſſecurationis totius conditio; quam in ſuâ, per Crucem conſummatâ, Paſſionê, pro Maleficîs, per abſolutoriam ſententiam liberatîs, cum

Velasquez, locô citatô. num. 8.

ſuo

ſuô Spiritu, paternas in manus Advocatus noſter, ſuîs de manibûs, extensîs in Crucê, tradidit, ſuos omnes Patri labores ità commendans: ut, quisquis abſolutionis efficaciâ frui vellet, &, ſalutis eſſe ſecurus, manus ipſe quoquè ſuas extenderet; cùm, ad mortificandum, per congruos pœnitentiæ fructus, peccatum; tùm, ad vitam omnem, illi juſtitiæ conformandam; cujus, in Crucê, conſummata perfectio, cruentîs juxtà, ac luculentîs characteribûs, illud exigit univerſim ab omnibûs: *ut exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viventem, ſanctam, DEO placentem!* id eſt, illi juſtitiæ conformem; ex quâ Vindex ipſe noſter mortuus eſt, *juſtus, pro injuſtîs* (ùt loquitur Apoſtolicus Hierarcha) *ut nos offerret DEO, mortificatos quidem carnê, vivificatos autem Spiritu*; ſicut ipſe ſemet obtulit (ex vulgatâ lectionê) *mortificatus carnê, vivificatus Spiritu.* Nam in Crucê, peccatorum Chirographum delens, pro nobîs fidejuſſit, noſtrôque nominê Patri devovit nos, hoſtias ſpirituales, victimásque perfectas; peccatis videlicet mortuas, juſtitiæ verò viventes, per dignos pœnitentiæ fructus, in juſtitiâ, cum ſanctitatê. Neutrum quippè ſolum, abſolutos, & Chirographi ſecuritatis, in Patris manus depoſiti, præſtat eſſe participes. Cùm ſatis non ſit, â peccatîs liberos eſſe: niſi fuerit, eorum de mortificationê, pœnitentiæ ſolicitudo conjuncta. Neqùe pœnitentia confeciſſe totum eſt exiſtimanda: niſi jugis contentio, legis omnis, juſtitiæque conſummandæ, ſtudium exactæ noſtræ cooperationis adjunxerit, ſinè ceſſationê perfectum.

Rom. 12. v. 1.

1. Petr. 3. v. 18. Bibl. Complut. & Regia, Vulgata, loco cit.

XVI. Ex hîs claret: oportere quemvis, de ſalutis æternæ ſecuritatê ſolicitum, inſtar Negotiatoris illius, qui, pretioſam comparaturus margaritam, facultates in eam omnes expendit, nihil non virium ſuarum, &, quicquid mentê, corporêque valet, ac liberum habet, liberaliſſimè, ſecum ipsô, totum impendere. Cùm enim illius Emtor margaritæ, de ſuô ſibi, ſecretum nihil eſſe, ſervatúmque voluerit; quod non, geminîs quaſi manibûs, ejus redimendæ cauſâ, cupidiſſimus negotiator expenderet: æquitatis ratio non adimpleretur; niſi, totô redemtus â Servatorê, totum ſe, nullâ ſui partê, vel ſibi ſervatâ, vel alienis, â ſalutis negotiô, ſtudiis impensâ, pretio tanto reddiderit. Nullus noſtræ ſubſtantiæ cenſus hôc in officiô quicquam æſtimandus eſt: cùm nihil ſit in nobîs, nec ad ſalutem quicquam proficiat, omne, quod habemus, aut ſumus; totum ſi non inſumimus, quod ſumus,

Matth. 13. v. 46.

ad pretioſum illud obtinendum Depoſitum, quô redemti ſumus. Indè namquè Negotiatoris prædicata felicitas eſt; quòd omnia ſua pro cupitâ margaritâ tradiderit: è converſò, Virginum eſt reprobata, rejectáque fatuitas: quòd oleum, ſinè quô nullus lampadum fulgor, nullus reſpectus eſt, eô tempore comparare ſibi, quô fuerat venale, neglexerint. Hæc magni Patris Ambroſii, non pia tantùm commentatio, ſed etiam, argumento præſenti conveniens, hortatio fuit. *Neque enim pretium quæſivit â nobîs; qui pro nobîs ſanguinis ſui pretium ſolvit: quia non auro, & argentô, ſed pretioſô nos redemit ſanguinê. Ergo id pretium debes, quô redemtus es. Eme tibi Chriſtum, non eô, quod pauci habent, ſed eô, quod omnes habent per naturam, pauci offerunt per timorem. Suum eſt, quod â tê Chriſtus repoſcit. Ipſe vitam pro omnibûs dedit: ipſe mortem ſuam pro omnibûs obtulit. Solve pro Auctorê, quod ſoluturus es legê. Non mediocris iſte contractus eſt. ---- Illæ Virgines in Evangeliô, quas veniens ſponſus excluſit, ideò foris relictæ ſunt; quia venale oleum non emerunt.* At, *Negotiator non immeritò prædicatur: quia vendidit omnia ſua, & emit margaritam.* Totos igitur ſuis obſequiis, per juſtitiæ ſtudium impenſos nos vult eſſe; qui totum ſe nobis redimendis expendit.

S. Ambroſ. Lib. 1. de Joſeph. c. 7.

XVII. An iſtud myſterium, per gradus, purpurâ rubeſcentes, & , ad Salomonis divini ſolium aſcenſuris objectos, inſinuatum fuiſſe credendum eſt? Nec enim unquàm exiſtimavi, cauſam additam eſſe, ſinè causâ: cùm, *aſcenſum purpureum, mediâ charitaté* conſtratum legi, *propter filias Jeruſalem.* Quidſi, per filias Jeruſalem, intelligere nos velit, ſacri carminis autor, S. Spiritus, animas electas, ad illud regale ſolium cœleſtis Jeroſolymæ perventuras; quod, â Patrê promiſſum, Rex ipſe Regum, omnibus â ſe liberatis cruorê ſuo comparavit; ſed non, nisì cruenta per veſtigia, greſſúsque, purpurâ tinctos, adeundum? Accedit huic firmandæ conjecturæ regii Vatis Auctoritas, hortans: *ut intingatur pes tuus in ſanguiné!* Quaſi verò nullius cenſenda ſit, ſecura ſalutis æternæ, per JEſum Chriſtum aſſertæ, conſecutio, certáq; futura participatio regni cœleſtis; niſi filiarum Jeruſalem: quarum, in hôc ſingularis pateſcit electio; quòd per cruenta Chriſti Servatoris veſtigia, cùm, peccata mortificando, tùm, juſtitiam ſectando, contendant ipſæ quoquè, dignos pœnitentiæ fructus, patiendo, laborandóque conferre. Sic propoſitum hoc urgere Gilberto placuit, hortaríque: *Hic tu pedem libenter pone; ut pes tuus intingatur in ſanguinê Chriſti. Huic tu non modò pedem, ſed*

Cantic. 3. v. 10.

Pſalm. 67. v. 24.

Gilbertus. ſerm. 18. in Cant.

etiam

etiam manum, & caput intinge: ut tota purpurea, tota regalis, & Paſſionê Chriſti tota nobilitata aſcendas. Nam &, ſi compateris, conregnas. Tandem illud, ad ſolatii ſummam, adjecit: *Purpura hæc magnum quoddam eſt pignus amoris, quem tibi dilectus exhibuit. Verè magnum pignus amoris, mortis paſſio!* Sed, intingatur hôc in ſanguinê pes tuus; &, utì purpurea per veſtigia gradienti, certus eſt ad regnum aſcenſus; ità ſecùs, â regiâ ſcilicèt, ac purpuratâ, conſectandæ Dominicæ Paſſionis viâ, pro genii ſui libertatê transverſùm currentibus, nihil proderit, ſanguinê tantô comparatus, & paratus aſcenſus.

XVIII. Non eſt hâc de veritatê vel deliberatio, vel minima diſceptatio relicta Fidelibus: poſtquàm, ex ipſis divinîs litterîs Aſſertoris noſtri conſilium patet, eâ conditionê firmatum: ut nulli, niſi per Crucem, participium Crucis obtingeret: nec, ad conſortium gloriæ, per Crucifixum aſſertæ, quisquam pertingeret; qui Crucifixo non fuerit ſuâ conformis in vitâ. Sic diſertè Salvator ipſe: *Qui non bajulat Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt mê dignus.* Et: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* Sic etiam, abreptus olim in cœlum, indéque doctiſſimus arcanorum cœleſtium Doctor, Apoſtolus: *Vetus homo noſter*, ait, *ſimul crucifixus eſt.* Et: *qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiîs, & concupiſcentiîs ſuîs.* Atquè, quod mihi frequens eſt, ac familiare, nec, ſinè ſenſibilî percuſſionê mentis, unquàm â mê cogitatur, aut memoratur: *Prædeſtinavit, conformes fieri imaginis Filij ſui. Conformes*, ſcilicèt, ùt in gloriâ, ſic priùs in Crucê. Nam, *niſi per Chriſtum, non itur ad Chriſtum: per ipſum autem, tendis ad ipſum*, juxtà magni Leonis oraculum. Omnibûs autem hîs, illud in primîs, & maximè confirmatur; quod hucusquè perſtringere laboravi: Salutis Chirographum, quod noſtræ nobis Cauſæ Vindex in sêmet Crucifixô reliquit, nulli profuturum; niſi, qui debitum, pro quô Fidejuſſor ille ſpopondit, Spiritum ſuum in Patris manus, inſtar Depoſiti, commendans, per congruos ipſe pœnitentiæ fructus, in ſuæmet vitæ crucifixionê perſolverit. Ambroſius ab hâc ſententiâ ſtetit, idipſum inſtanter urgens, cùm ait: *Bonus ſervus pretium ſtudet reparare Domino; quod pro ſê ſolutum eſt. Sanguinem ſolvit; ſanguinem debes. Ille pro tê ſolvit: tu, pro eô redde. Sed, ſi non potes pretium reddere; vel hoc facies: nè pretiô videaris indignus. Nè veniat Chriſtus, qui te redemit; &, ſi te in peccatô invenerit, dicat tibi: quæ utilitas in ſanguinê meô, dum deſcendo in corruptionem?*

Rom. 6. v. 6. Galat. 5. v. 24.

Rom. 8. v. 29.

S. Leo cit. ab Adriano Lyr. de Imit. Chr. Pat. lib. 1. cap. 5. fol. 22. C. 2.

S. Ambroſ. lib. 3. de Virgin.

Matth. 10. v. 38. Matth. 16. v. 24.

Pſalm. 29. v. 10.

ad pretioſum illud obtinendum Depoſitum, quô redemti ſumus. Indè namquè Negotiatoris prædicata felicitas eſt; quòd omnia ſua pro cupitâ margaritâ tradiderit: è converſô, Virginum eſt reprobata, rejectáque fatuitas: quòd oleum, ſinè quô nullus lampadum fulgor, nullus reſpectus eſt, eô temporê comparare ſibi, quô fuerat venale, neglexerint. Hæc magni Patris Ambroſii, non pia tantùm commentatio, ſed etiam, argumento præſenti conveniens, hortatio fuit. *Neque enim pretium quæſivit â nobîs; qui pro nobîs ſanguinis ſui pretium ſolvit: quia non auro, & argentô, ſed pretioſô nos redemit ſanguinê. Ergo id pretium debes, quô redemtus es. Eme tibi Chriſtum, non eô, quod pauci habent, ſed eô, quod omnes habent per naturam, pauci offerunt per timorem. Suum eſt, quod â tê Chriſtus repoſcit. Ipſe vitam pro omnibûs dedit: ipſe mortem ſuam pro omnibûs obtulit. Solve pro Auctorê, quod ſoluturus es legê. Non mediocris iſte contractus eſt. ---- Illæ Virgines in Evangeliô, quas veniens ſponſus excluſit, ideò foris relictæ ſunt; quia venale oleum non emerunt.* At, *Negotiator non immeritò prædicatur: quia vendidit omnia ſua, & emit margaritam.* Totos igitur ſuis obſequiis, per juſtitiæ ſtudium impenſos nos vult eſſe; qui totum ſe nobis redimendis expendit.

S. Ambroſ. Lib. 1. de Joſeph. c. 7.

XVII. An iſtud myſterium, per gradus, purpurâ rubeſcentes, & , ad Salomonis divini ſolium aſcenſuris objectos, inſinuatum fuiſſe credendum eſt? Nec enim unquàm exiſtimavi, cauſam additam eſſe, ſinè causâ: cùm, *aſcenſum purpureum, mediâ charitaté* conſtratum legi, *propter filias Jeruſalem.* Quidſi, per filias Jeruſalem, intelligere nos velit, ſacri carminis autor, S. Spiritus, animas electas, ad illud regale ſolium cœleſtis Jeroſolymæ perventuras; quod, â Patrê promiſſum, Rex ipſe Regum, omnibus â ſe liberatis cruorê ſuo comparavit; ſed non, nisì cruenta per veſtigia, greſſúsque, purpurâ tinctos, adeundum? Accedit huic firmandæ conjecturæ regii Vatis Auctoritas, hortans: *ut intingatur pes tuus in ſanguinê!* Quaſi verò nullius cenſenda ſit, ſecura ſalutis æternæ, per JEſum Chriſtum aſſertæ, conſecutio, certáq; futura participatio regni cœleſtis; niſi filiarum Jeruſalem: quarum, in hôc ſingularis pateſcit electio; quòd per cruenta Chriſti Servatoris veſtigia, cùm, peccata mortificando, tùm, juſtitiam ſectando, contendant ipſæ quoquè, dignos pœnitentiæ fructus, patiendo, laborandóque conferre. Sic propoſitum hoc urgere Gilberto placuit, hortaríque: *Hic tu pedem libenter pone; ut pes tuus intingatur in ſanguinê Chriſti. Huic tu non modò pedem, ſed etiam*

Cantic. 3. v. 10.

Pſalm. 67. v. 24.

Gilbertus. ſerm. 18. in Cant.

etiam manum, & caput intinge: ut tota purpurea, tota regalis, & Paſſionê Chriſti tota nobilitata aſcendas. Nam &, ſi compateris, conregnas. Tandem illud, ad ſolatii ſummam, adjecit: *Purpura hæc magnum quoddam eſt pignus amoris, quem tibi dilectus exhibuit. Verè magnum pignus amoris, mortis paſſio!* Sed, intingatur hôc in ſanguinê pes tuus; &, utì purpurea per veſtigia gradienti, certus eſt ad regnum aſcenſus; ità ſecùs, â regiâ ſcilicèt, ac purpuratâ, conſectandæ Dominicæ Paſſionis viâ, pro genii ſui libertatê transverſùm currentibus, nihil proderit, ſanguinê tantô comparatus, & paratus aſcenſus.

XVIII. Non eſt hâc de veritatê vel deliberatio, vel minima diſceptatio relicta Fidelibus: poſtquàm, ex ipſis divinîs litterîs Aſſertoris noſtri conſilium patet, eâ conditionê firmatum: ut nulli, niſi per Crucem, participium Crucis obtingeret: nec, ad conſortium gloriæ, per Crucifixum aſſertæ, quisquam pertingeret; qui Crucifixo non fuerit ſuâ conformis in vitâ. Sic diſertè Salvator ipſe: *Qui non bajulat Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt mê dignus.* Et: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* Sic etiam, abreptus olim in cœlum, indéque doctiſſimus arcanorum cœleſtium Doctor, Apoſtolus: *Vetus homo noſter*, ait, *ſimul crucifixus eſt.* Et: *qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiîs, & concupiſcentiîs ſuîs.* Atquè, quod mihi frequens eſt, ac familiare, nec, ſinè ſenſibilî percuſſionê mentis, unquàm â mê cogitatur, aut memoratur: *Prædeſtinavit, conformes fieri imaginis Filij ſui. Conformes*, ſcilicèt, ùt in gloriâ, ſic priùs in Crucê. Nam, *niſi per Chriſtum, non itur ad Chriſtum: per ipſum autem, tendis ad ipſum*, juxtà magni Leonis oraculum. Omnibûs autem hîs, illud in primîs, & maximè confirmatur; quod hucusquè perſtringere laboravi: Salutis Chirographum, quod noſtræ nobis Cauſæ Vindex in sêmet Crucifixô reliquit, nulli profuturum; niſi, qui debitum, pro quô Fidejuſſor ille ſpopondit, Spiritum ſuum in Patris manus, inſtar Depoſiti, commendans, per congruos ipſe pœnitentiæ fructus, in ſuæmet vitæ crucifixionê perſolverit. Ambroſius ab hâc ſententiâ ſtetit, idipſum inſtanter urgens, cùm ait: *Bonus ſervus pretium ſtudet reparare Domino; quod pro ſê ſolutum eſt. Sanguinem ſolvit; ſanguinem debes. Ille pro tê ſolvit: tu, pro eô redde. Sed, ſi non potes pretium reddere; vel hoc facies: nè pretiô videaris indignus. Nè veniat Chriſtus, qui te redemit; &, ſi te in peccatô invenerit, dicat tibi: quæ utilitas in ſanguinê meô, dum deſcendo in corruptionem?*

Rom. 6. v. 6. Galat. 5. v. 24.

Rom. 8. v. 29.

S. Leo cit. ab Adriano Lyr. de Imit. Chr. Pat. lib. 1. cap. 5. fol. 22. C. 2.

S. Ambroſ. lib. 3. de Virgin.

Matth. 10. v. 38. Matth. 16. v. 24.

Pſalm. 29. v. 10.

XIX. Huc referendum cenſeo, veteris Propitiatorii, divinô factam ex inſtitutô, ſtructuram; in quâ futuræ reparationis, ipſiúsque Reparatoris noſtri conſilium, quâdâ velut in umbrâ præfiguratum invenio: *Facies* (inquit, operis arcani dictator, Deus) *& Propitiatorium de aurô mundiſſimô: duos cubitos, & dimidium, tenebit longitudo ejus; & cubitum, ac ſemiſſem, latitudo ejus.* In hujus Propitiatorii præceptâ fabricationê multa ſunt, accuratâ magìs indaginê diſcutienda. Propitiatorium enim iſtud, quaſi locus placationis, ipſius arcæ fuit operculum; ubi, duos inter Cherubinos, Moyſi DEUS apparens, & cum eô loquens, populo reconciliatus placabatur: quod ex eô manifeſtum eſt: *Cúmque ingrederetur Moyſes tabernaculum fœderis, & conſuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad ſe, de Propitiatoriô; quod erat ſuper arcam teſtimonij, inter duos Cherubin: unde & loquebatur ei.* Ad hæc, tam ipſius Propitiatorii, quàm geminorum Cherubinorum, quibûs divina majeſtas, reconcilianda mortalibus, incumbebat, & ſuſtentabatur, non alia fuit, niſi de mundiſſimô tantùm aurô ſubſtantia. Quod quidem ipſum arcanô factum eſſe conſiliô vel exinde conjicitur: quòd per aurum, huic formæ ſubſerviens, divinæ Sapientiæ diſpenſatio fuerit indicata; quæ, licèt in omni Numinis gubernationê mirô ſplendorê præfulgeat, nuſquàm tamen admirabilior, ac, in propitiationê cum peccatoribûs, deprehenditur. Nec enim temerè Deum, ſed ſapienter, hominibus propitiari, vel hôc ipsô claret: quòd, aureum illud Propitiatorium, forma quædam fuerit, & figura Redemtoris noſtri; *quem*, ùt faſtus Apoſtolus eſt, *propoſuit DEUS propitiationem* (ſeu, quod alii legunt, *Propitiatorem*) *per fidem, in ſanguinê ipſius.* Cùm autem idem ipſe Propitiator noſter, æterna fuerit Sapientia; ſic omnis eſt per eum inſtituta, cùm propitiatio, tùm ſanctificatio noſtra: nullius ut eſſet, abſoluta penitùs, &, Chirographô ſecuritatis munita Cauſa; qui de ſuâ quoquè juſtitiâ, per dignos pœnitentiæ fructus, ipſe non attulerit; quod Fidejuſſor, & Propitiationis Autor, ab eô ſolutum iri ſpopondit. Non enim ſic, & abſolutè, nihil ut nobis remaneret, ſeu faciendum, ſeu tolerandum, ipſe paſſus eſt: ſed, *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum*; quod perpetuîs exactionibûs inſtat, & increpat: *ut ſequamini veſtigia ejus!* Per hæc, quisquis non acceſſerit, partem cum illô non habebit. *Omnia, Primo ſui generis, menſurantur*, ex naturæ regulâ; quam Philoſophiæ Princeps enunciavit, ſic obſervandam: ut ad primum quemvis,

Exod. 25. v. 17.

Num. 7. v. 89. ult.

Roman. 3. v. 21. Vide Cornel. in locum cit. Exod.

1. Petri, 2. v. 21.

Ariſtot. in Metaphyſ.

vis, in omnî generê viventium, velut ad regulam, regularémque menſuram, cæterorum omnis habitudo conformaretur. Idem, potiorî jurê, gratia videtur exigere: nec ratiocinari ſapienter aliud ſinit; quàm, illud Antuerpienſis Adriani: *Filius Dei, Primus prædeſtinatorum, primogenitus ex multîs Fratribûs, Crucem ſubiit, ac, de Crucê cœlum ingreſſus eſt: ſi prædeſtinationê eâdem gaudere velimus; eâdem nobis viâ ſequendus eſt.* Urget hoc ipſum, illud, inter Juris-conſultos decantatum axioma: *Adoptio ſequitur naturam*; eâ legê ſcilicèt: ut, privilegii plùs, non habeat adoptatus; quàm, naturâ Filius. Hunc igitur, dum *oportuit pati, &, ità intrare in gloriam ſuam*; nemo non ipſe diſcernit: quâ legê teneatur; ut adoptionis gratiam efficaciter conſequatur?

Adrianus Lyræus de Imit. Chr. Pat. lib. 6. cap. 12. fol. 437. D. 2.

Text. Inſtit. de Adopt. §. minorem.

Luc. 24. v. 27.

XX. Ex arcanâ verò Propitiatorii menſurâ, quam, ſuperiùs inſinuatam, dimittere fas non eſt, non diſcuſſam, aut, non penitùs exploratam, eadem noſtræ ſatisfactionis neceſſitas, tantùm non ad oculum pateſcit. Quid enim, amabo? quòd, integris duobus cubitis, dimidium cubiti debuit eſſe conjunctum; ut longitudo noſceretur? Cur, latitudinis etiam cubitus, adnexum ſibi voluit eſſe ſemiſſem? *Duos cubitos, & dimidium, tenebit longitudo ejus: & cubitum, ac ſemiſſem, latitudo ejus.* An credendum? idcircò Propitiatorii ſtructuram, divinô dictaminê factam, ex non perfectâ, ſed inchoatâ, *dimidii, ſemiſſísque* dimenſionê conſtare: quòd, propitiatio futura, per illud Propitiatorium præfigurata, non ſolâ Chriſti Paſſionê, ſed noſtrâ ſimul ex pœnitentiâ coäleſcat? ut, quaſi duâbus ex partibûs, Chriſti ſcilicet mortê, tùm, & noſtrâ mortificationê, ſalutis noſtræ conſtet, cùm abſolutio plena, tùm aſſecuratio certa. Reſpexit huc, â Tillmanô nominatus, V. Bruno, ſic meditata perſtringens: *Fit Propitiatorium de auró mundiſſimô: quoniam tam ſapienter propitiatur DEUS; ut in ſuâ propitiationê nunquàm fallatur. Quoniam, niſi pœniteas, nulli unquàm propitiabitur. Et quoniam, nec ſemper, nec omnibus, DEUS propitiatur: ideò, in Propitiatorij quoquè dimenſionê, imperfectum aliquid, ſemiſſem videlicet, & dimidium poſuit.* Egregia prorſùs, nec obvia cuivis, obſcuri ſanè, celatíque ſenſûs explicatio! cui non parùm favet Apoſtolici Doctoris confeſſio; quâ, gaudens *in paſſionibûs*, de sê fatetur: *Adimpleo ea, quæ deſunt Paſſionum Chriſti, in carné meâ.* Abſit: eô ſenſu dictum hoc, â D. Paulô prolatum, accipere (prout Angelicus ejus interpres admonuit) *quòd Chriſti Paſſio non eſſet ſufficiens ad Redemtionem; ſed, additæ ſint, ad complendum, paſſiones Sanctorum.* Hoc enim

V. Bruno in alleg. Tillm. ad cap. 25. Exod.

Coloſſ. 1. v. 24.

S. Thom. in loc. cit. ad Coloſſ. Lect. 6.

Exod. 25. v. 17.

enim in fidem impingeret, & Apoſtolum evacuaret, & blaſphemiæ cenſuram incurreret: *Quia ſanguis Chriſti ſufficiens eſt, ad redemtionem etiam multorum Mundorum.* Ut paucîs geminum Pauli ſenſum exponam; &, citrà divinæ ſatisfactionis injuriam, quam infinitæ fuiſſe virtutis nemo diffitetur, id, quod ille verè dixit, impletum â sê (ſuâ nimirum in carnê deficiens) integrè, dilucidéque pateſcat, miſsîs aliorum expoſitionibûs, hanc, â clariſſimô diſcuſſamPatrê,definitámque quæſtionem ſubnecto: *Quid adimpleat?* rogat Auguſtinus; *quæ deſint? cui deſint Paſſiones Chriſti? Nunquid aliquid preſſurarum deerat in illô hominé? --- Paſſus enim eſt, quicquid pati deberet: &, videtur; quòd omnia. In Crucê enim poſitus, accepit aceтum in ultimô, & ait: Perfectum eſt! &, inclinatô Capitê, emiſit Spiritum. Quid eſt? perfectum eſt: Jam de menſurâ paſſionum nihil deeſt: quia omnia, quæ de mê ſcripta ſunt, completa ſunt. Ergo impletæ erant omnes paſſiones? ſed, in Capitê. Reſtabant adhuc Chriſti paſſiones in corporê. Vos autem eſtis Corpus Chriſti, & membra. In iîs ergo membris cùm eſſet Apoſtolus, dixit: Adimpleo, quæ deſunt Paſſionum Chriſti, in carnê meâ.* Non eſt enim, ùtùt ſuperabundans, in nobîs tamen, adimpleta Redemtio; niſi, quam Redemtor cum Patrê conſtituit, fidejubens pro nobîs, ejus Paſſioni conjuncta ſuerit noſtra compaſſio, noſtræ carnis crucifixio, noſtráque, prædeſtinationis ad effectum requiſita, cum Crucifixô Servatorê conformitas.

Idem, ibid. cit. à Manſ. Tom. 3. Bibl. Tract. 59. Diſc. 12. num. 1.

S. Auguſt. cit. ab Hadriano Lyræô locô ſupra cit. fol. 29. A. 1.

XXI. Vacat hæc omnî diſputationê Veritas, non fidê tantùm, & Apoſtolicâ doctrinâ ſolidiſſimè ſubſiſtens; verùm etiam ampliſſimîs, Patrum primorum, Doctorúmque ſuffragiîs illuſtrata. Nam, *prædeſtinatis*, ait ſcholarum Oraculum, *conandum eſt, ad benê operandum, & orandum: quia per talia Prædeſtinationis effectus certitudinaliter impletur.* Imò, quod Magnus maximè commendatum omnibus volebat eſſe Gregorius: *Ità eſt ab omnipotentî Deô diſpoſita prædeſtinatio: ut, ad Cœlum electi, non, niſi ex laborê perveniant.* Quô referendum videtur illud; quod, in ſuâ carnê deficiens, â sê dicebat impleri Paulus. Nam, *Remanſit quidem*, inquit Papa ſanctus: *quia non omnia noſtra Chriſtus explevit. Per Crucem quidem ſuam omnes redemit; ſed, remanſit: ut, quì redimi, & regnare cum eô nititur, crucifigatur. Hoc profectò reſiduum viderat, qui dicebat: Si compatimur, & conregnabimus. Quaſi dicat: quod explevit Chriſtus, non valet; niſi, & qui id, quod remanſit, adimplet. Hinc Paulus ait: Adimpleo ea, quæ deſunt, &c.* Id, quod ſagacî perſcrutationê Radulphus deprehendit, in illîs Exodi verbîs: *Portabit Aaron iniquitates eorum; quæ ob-*

S. Thom. 1. p. quæſt. 23. art. 8. in corp.

S. Gregor. M. lib. 4. Moral.

Idem lib. 4. in 1. Reg.

Exod. 28. v. 38.

obtulerunt, & ſanctificaverunt Filii Iſraël. Pungit animum reflexio ſingularis: quòd, non omnium iniquitates, Aaron portâſſe, vel, in ſe ſuſcepiſſe, tùm, & ſuſtuliſſe, ſed, *eorum* duntaxat, memoretur; *quæ obtulerunt, & ſanctificaverunt filii Iſraël.* Dicámne, ſed, quantô terrorê veſtrô? quantâ multorum, perperàm hactenùs de Chriſti Paſſionê præfidentium, confuſionê dicam? quod, Aaronem in Servatorê contemplatus, quem dixi ſuprà, Radulphus, aſſeverationê, non Catholicâ minùs, quàm Theologicâ pronunciavit: *Nequè ſanguis Chriſti expiat omnes; nequè fides ſola ſufficit: ut, inter eos, quos expiat, numeremur: nisì ſanguinis Chriſti utilitatem congruæ pœnitentiæ ſatisfactionê meremur. Undè ſcriptum eſt: portabit Aaron iniquitates eorum; quæ obtulerunt, & ſanctificaverunt filii Iſraël. Aaron quippè noſter, Dominus JESUS, eas tantùm fidelium iniquitates portat, & Paſſionis ſuæ ſuppliciô expiat; quarum Confeſſionem DEO obtulerint, & ſanctificaverint eas: hoc eſt, dignâ emendationê correxerint*, peccatis videlicet mortui, juſtitiæ verò viventes.

Radulph. apud Gotfr. in Allegor. Exod. 28.

XXII. An iſta Concluſio pariter omnibus grata ſit, & ex votô, vanè fortaſsis nec dubito, nec inquiro? Non paucis enim, hôc objectô rigorê, præcluditur inſolens ille præpoſteræ fiduciæ ſaltus; quô, quidlibet acturos (etſi nihil impleverint ex officiô Chriſtiani, quod etiam evangelicâ legê, ſanctum conſtat, & â Vindicê noſtrô, Servatorêque præceptum) ex meritîs tamen infinitæ virtutis, ab eôdem Aſſertorê noſtrô, patientê, morientêque depoſitîs, procul dubiô (quin, & neceſſariò) ſe ſalvatum iri, peccantes etiam, nec pœnitentes, præſumunt, & jactant. Proh! abortiva fidei, peſſimè corruptæ, perſuaſio! quam (Veritas divina prohibeat!) nê quiſpiam, ex eôdem argumentô, quod hôc ſacrô temporê declamatum eſt, perverſè forſan acceptô conceperit, indè confiſus: â benigniſſimô Redemtorê, quem, Advocati nominê, pro maleficîs omnibûs, omnia conſummâſſe percepit, ità ſuam quoquè Cauſam, integram jam eſſe, vindicatámque penitùs; ut omnem pœnitentiæ curam in poſtremîs habens, omnem etiam, ſuâ de ſalutê ſolicitudinem, timorémque diſſolverit! Quod quidem ab hominê (niſi, ſanâ cum fidê, mentê quoquè totâ laboret, & rectæ ſit rationis uſu deſtitutus) cogitari poſſe, non cenſeo, non credo; nec, ut ſuſpicer, adduci poſſum, retentus ab oraculô Sapientiæ; quô definitur: *Stultus homo, qui plaudet manibûs; cùm ſpoponderit pro amicô ſuô.* Senſum enim, Paulinus interpres, hunc eſſe vult, iſtius, â Sapientê nominatæ, ſtultitiæ, combinatâ

Proverb. 17. v. 18.

septuaginta celebrium Interpretum versionê: *quasi dicat: maximè imprudens ille est; qui, alieni debitor æris, præstitâ satisdationê irridet, sibique gratulatur: quòd ejus sponsor, obligationis laqueîs irretitus teneatur; acsi ipse eosdem declinásset.* Hæc enim vana gratulatio duplicî laborat insaniâ: tùm, quia suum ad periculum non advertit animum, quod ex Fidejussionis jurê contraxit (cui, quicquid habet, obnoxium fit, ex ipsô creditoris Chirographô) tùm, quòd infamiam non agnoscat illius, de quâ plaudit, ingratitudinis; quam Sapiens idem, alibi, perstrinxit, improperans: *Bona repromissionis sibi adscribit peccator; &, ingratus sensu, derelinquit liberantem se*: dicere volens: Peccator, jam sibi liber, &, â debitô videtur immunis: quasi Vindicis, & Assertoris bona, Passionis videlicet, & sanguinis ejus merita, sic accepissет; ut iîs, pro libitu, perditè quoquè, luxurioséque vivendo, posset uti; non secùs de salutis Chirographô præfidens, ac ij; qui superstitiosis amuletîs muniti, quælibet in pericula temerè se conjicere consueverunt.

Velasquez. locô cit. fol. 473. col. 1. in princ.

Eccli. 29. v. 21.

XXIII. Enormis est hujus temeritatis fatuitas, tam ob præfidentiam, quàm ob ingratitudinem, execrationê nullâ satìs detestabilis: in quam terribiles illas minas, â Sophoniâ, reor fuisse pronunciatas: *Væ provocatrix, & redemta Civitas!* Conjunctio *Redemtionis*, cum *Provocationê*, vel, *Prævaricationê*, mirabilis apparuit Stephano Cantuarensi: sed ideò terribilis esse non desiit, aut lamentabilis; quin exclamaverit idem quoquè, perculsus inde: *O Perversitas! Provocatrix; &, redemta! Quid enim tam arguit malitiam nostram: quàm, Redemtionis nostræ modus, & causa?* Dicere vult: indè severius judicium provocari, formidabiliúsque reddi; quòd, post adeptæ redemtionis infinitâ pietatem, peccandi protervia, salutísque præsumtio fiat auctior; &, ex ipsô beneficiô Servatoris, petulantiùs insolescat. Væ! sic provocanti, jam redemto, jam asserto! Væ! Quia Chirographum absolutionis, in manus paternas depositum, nisi pias ipse quisquè manus extenderit, frustrà sibi, vanéque policetur. *Non enim exorat Christus* (ità S. Cyrillus) *pro omnibûs peccatoribûs. Pro iis exorat tantùm; qui sunt sors Domini: qui eum præ foribûs exspectant; qui non recedunt de templô, jejuniis, & orationibus vacantes.* Añon tinnient, ex hôc, aures? & cor, arcanîs conscientiæ stimulîs agitatum, non palpitabit in iîs; qui sibi, per Advocatum Peccatorum, grande jam Absolutoriæ sententiæ Diploma, non tam suas in manus, extensas videlicet ad opus, datum iri, sed ingeri potiùs, aut objici, nihil agen-

Stephan. Cantuar. in Allegor. Gotfridi in loc. cit. Sophon.

S. Cyrillus Alexandrin. Lib. 9. in Levit. 16. v. 7.

Sophon. 3. v. 1.

agentibus, pollicebantur, verè, ſibimet ipſis mendaces, & infideles? Preſſiùs autem eoſdem Alexandrinus idem Præſul exagitat, requirendo: *An tu putas; qui, vix diebûs feſtis in Eccleſiam venis; nec intentus es ad audienda verba divina; nec das operam ad implenda mandata: quòd poſſit ſors Domini venire ſuper te?* vel; quòd Unigenitus Patris, qui factus eſt omnium Advocatus, & ſanguinem ſuum in Redemtionem univerſorum effudit, itáque, liberaliſſimâ pietatê moriens, omnes, unà cum ſpiritu ſuô, quem emiſit, Patris in manus commendavit, orans pro cunctîs, exoraverit pariter ità pro cunctîs: ut, nihil etiam eorum, quæ voluit â ſingulis præſtari, fideliter exequentibus, inſuper, & voluntariâ pravitatê peccantibus, Advocationis tamen ejus efficacia, divinúmque Depoſitum, ùt ſalutis cauſa, ſuffragaretur?

S. Cyrillus loc. cit.

XXIV. Quid, quæſo, tam nobis infenſi ſumus: ut adeò ſtultè nobis imponere, per ſtrophas confictas, ipſi non horreamus, in Servatoris noſtri conſilium æternum, cùm, & apertiſſima oracula, tùm & Patrum omnium ſanctorum, & univerſalis Eccleſiæ religioſiſſimam conſenſionem, præfractam per diſſenſionem contumaces? Nunquid pro nobîs, in Crucê *Conſummatus, factus eſt omnibus, obtemperantibus ſibi* (quid iſta conditionê ſpecificetur, advertite!) *factus eſt omnibus*, non quomodocúnque, ſed, *obtemperantibus ſibi, Cauſa ſalutis æternæ?* Sic Hebræos erudivit Apoſtolus. Porrò: *Dedit ſemet-ipſum: ut mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Ut, etſi quidem datus omnibus, non tamen ab omnî, niſi bonorum operum ſectatorê populô, teneretur. Ità Titum voluit admonitum, idem Gentium Doctor. Adhæc: *Voluntariè peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, non jam relinquitur pro peccatîs hoſtia: terribilis autem quædam exſpectatio Judicij, & ignis æmulatio; quæ conſumtura eſt adverſarios*: ut, non tam patrocinium ſalutis, pro sê, quàm, judicialem Actionem, contrà ſe noverint, âb Advocatô ſuſceptum iri; qui per Eum tam copiosâ Redemtionê liberati, voluntariâ perverſionê, ſui ſunt facti Vindicis Adverſarii. Potéſtne luculentius aliud adhuc optari, vel exigi, firmandæ, quam ſuadere volui, Concluſioni? Nihil his addo, nisì millies decantatum Auguſtini Patris Catholicum axioma: *Sinè voluntatê tuâ, non erit in tê Juſtitia DEI. Voluntas quidem non eſt, niſi tua: Juſtitia non eſt, niſi DEI. Eſſe poteſt Juſtitia DEI, ſinè voluntaté tuâ; ſed, in tê eſſe non poteſt, nisì per voluntatem tuam. Qui ergo fecit te, ſinè tê; non te juſtificabit, ſinè tê. Ergo*

Hebr. 5. v. 9.

Tit. 2. v. 14.

Hebr. 10. v. 26.

S. Auguſtin. de verb. Apoſt.

fecit, neſcientem; juſtificat verò, volentem.

XXV. Sufficiant iſta, vel ignorantiâ, vel, ex heterodoxâ perverſitatê laborantibus: nè, ſcandali relinquatur his, non offenſum, non motum, non exagitatum ſaltem, ſi, per obſtinationem ipſorum obfirmatam, non omninò ſublatum argumentum: illis verò, nè remaneat etiam, erroris, non exhibiti, non admoniti, non dedocti, nec excuſſi, vel, neceſſariæ veritatis eruditionê correcti, prætextus. Illud nunc (ut unà, quod omnium ſalutis intereſſe cognovimus, tandem concludamus) ab omnibus poſtulo: Quid (etſi periculum omne, nobîs deficientibûs, deforet) quid, inquam, infinitæ Charitatis officium, quod immeritis nobis, ab unigenitô DEI Verbô, mortualem voluntariè, noſtrî causâ, carnem indutô, paſsô, mortuô, nè perditæ res noſtræ manerent, impenſum, & ſuperimpenſum eſt, univerſim nobîs ab omnibûs, omnî, quod nominari, vel excogitari poteſt, jurê, debitô, nominê, meretur, exigit, ſibique vendicat rependi? Novimus: quòd, niſi per illum, erectæ nunquàm Cauſæ noſtræ ſtetiſſent. Conſtat: quòd ipſius duntaxat ſanguinê, confectum, conſummatum, &, in virgineâ, dilacerati, diſpunctiquè corporis ejus membranâ, ſubſcriptum fuerit, â tot ſeculîs optatum, abſolutionis noſtræ Chirographum. An poteſt aliud (etſi tantùm hominem fuiſſe ſciremus, qui tanti nos fecit; ut, pati tanta, ſpontè, noſtrâ pro ſalutê, voluerit) an inquam, noſtram poteſt in mentem aliud, ab eô, venire? quod aliquando, meditatus eadem, S. Bernardus concluſit: *Etſi cætera taceam, hôc ſolô, non immeritò ſibi vendicat vitam noſtram* (vitam, ait; non horam unam, aut unum, alterúmve diem, vel hebdomadam ſacram, ſanctè, ſed, omnem vitam noſtram, obſequio ſuo, ſuæquè ſanctitatis imitationi ſtudioſiſſimæ conſecrandam) *quia, pro eâ, poſuit ſuam.* Ut inde ſit eadem omnium, & una mens, una concluſio, contentióque: *Nemo igitur ſibi vivat; ſed ei, qui pro ſe mortuus eſt! Cui enim juſtiùs vivam, quàm ei? qui, ſi non moreretur, ego non viverem.*

S. Bernard. de diligendâ Deô.

Idem. ibid.

XXVI. Nolo gratitudinem per exempla (ſi fas dicere, dicenda potiùs, acta) ferarum extorquere. Satìs infamat humanitatem noſtram; quòd â Leonibûs, atquè Draconibûs, ùt ſuperata, confuſa quoquè fuerit, in Imperatorê Baſiliô; qui fideliſſimi Palatini beneficium, in extremô diſcriminê, non ſinè proprii capitis periculô præſtitum, capitis multationê vitiavit:

vit: cùm eundem, â quô, per zonam, cervi de cornibûs, quibus jam implexus tenebatur, ereptus, aſſertúsque fuit, contactûs temerarii reum, capitalî ſupplicîô tolli juſſit. Pudet, ingratitudinis monſtra meminiſſe! Naturam ipſam erubuiſſe credo, facinus Athenienſium; quô Socrati, pro ſapientiæ candidiſſimô lactê, quod omnis eô magiſtrô juventus in reipublicæ totius incrementũ hauſit, lethiferum virus propinaverit. Nec in Imperatorê Juſtinianô, juſtitiæ nomen, niſi vitiatum ingrati contumeliâ, Mundus arbiter ſuſtinuit: poſtquàm ab eôdem, oculîs orbatum, &, ad ſordes abjectiſſimæ paupertatis redactum, vidit Beliſarium, illum, tot victoriîs, hoſtibûsque victîs nominatiſſimum, Imperatoriæ Majeſtatis Vindicem, & felicitatis Auctorem! Aliud ſuppetit, quod veſtræ devotioni perurgendæ, non opportuniùs tantùm, ſed etiam efficaciùs futurum, de præludiô pietatis exiſtimo. Barbarorum obſidionê pertinaciſſimâ preſſi, periclitabantur Gabalitani Cives; exhauſtæquè jam plurium vires, cùm reſiſtere vix porrò poſſent, in deditionem inclinare videbantur. Hoc, ut univerſim extorqueret ab omnibûs, qui privatus interim in ſpecu latebat, pro ſuorum ſalutê, non tam exploraturus viam, quàm, è cœlô ſubſidium imploraturus, urbis Præſul, ſanctus Privatus, ibidem â Barbarîs deprehenſus, minîs, verberibûs, multiplicatîſque flagrorum ictibûs, etſi nihil proficientibûs, urgebatur. Ille verò dulciùs nihil in votîs habuit; atquè, populi ſui pro ſalutê, ſuâ privatus vitâ defungi. Quantò minùs igitur â ſacrô Paſtorê poterat obtineri; tantò furor hoſtium atrocior effectus, quam non valuit in Cives, exeruit ſanctum in Præſulem, auxitque ferociam: ut, qui ſtaret pro cunctîs unus, unus omnium pertinaciam lueret, ſuſciperet vulnera, mortes pateretur; itáque publicæ rei ſalus affligeretur in unô, tota, Privatô. Tandem, ubi Præſulis â fortitudinê fatigata crudelitas, traditionem pavidæ plebis extorquere nequivit, animam, quam tot inter vulnera, fruſtrà tentavit â pietatê ſuorum avertere, fauciô de corporê truculenter exegit; eôque, velut in oſtentationem immanitatis, relictô, ſolvit obſidionem Impietas, â victricê Privati Pietatê ſuperata. Quid verò, vacuos diſcriminis, obſidionê Barbarorum, ac furorê liberos, & omnem jam in partem immunes, hoſtiúmque ſecuros, egiſſe Gabalitanos arbitramur? Non prima tantùm, ſed omnis, & omnium una, cura fuit: ut, quô Paſtoris amantiſſimi ſalus in-

Baron. ad ann. 869.

Sabellicus lib. 7. cap. 2.

Crinitus lib. 9. cap. 6.

Vide Theatr. ſeu offic. Textoris lib. 2. cap. 58.

Surius 21. Auguſti.

ſtatu, quô res ejus eſſent locô, cognoſcerent? Exploratîs circùm, receptaculîs omnibûs, quibûs abdi noverant, pro ſuarum orationum opportunitatê, Virum ſanctum, tandem ad illius clivi ſpecum ſagax pietas inquirentes detulit; in quô barbarus furor, excubantem in ſalutem ſuorum adortus, immerſum cruori reliquit, vitâque, ſed non æquè Paſtoris boni gloriâ, coronâque privatum. Succumbit autem hìc omnis facundia; per quam ea pietatis officia, quæ certatim, Aſſertori tam ſolicito, pro Civium incolumitatê, tantis periculis expoſito, ac, tam atrocî mortê ſublato præſtita fuerunt, utì facta ſunt, memorari queant. Pauca Surius indicavit ex iîs, quæ nemo ſufficiet effari cuncta. *Alij*, ait, *ejus genibus advolvuntur: alij, ſuô orê ſacro ejus corpori inflicta lingunt vulnera: alij, profuſîs lacrymîs, ſuam, in Epiſcopi mortê, libertatem, & vitam contemplantur.*

Surius in vit. ſanct. locô cit.

XXVII. Jam verò, cùm hæc devotæ gratitudinis officia nos contemplamur, â piîs Civibûs exhibita Præſuli (cujus periculô, vulneribûs, & mortê, ſalus ipſorum ſtetit; & urbs omnis, atquè comunis incolumitas, non â periculô tantum, ſed ab interitu vindicata fuit) quid in rê noſtrâ deliberatum â nobîs eſt? quid, reliquam omnem in vitam ſuſceptum, atquè DEO, Vindici noſtro, perpetuæ gratitudinis officiô retribuendum, concluſum eſt univerſim? Pungit animum recordatio verbi; quod olim, amarô cum ſuſpiriô, de Friderici Cæſaris orê prorumpens, non potuit non, cordis, graviſſimô dolorê preſſi, ſenſum altiſſimum indicare. Faſſus enim, ingemiſcens, fertur Imperator: *Ex iîs, quos extuli, pauciſſimos gratos inveni: itáque muneribûs meîs actum eſt: ut, ex fidelibûs, infideles fierent!* Horret animus: aliquid ſuſpicari duntaxat ſimile, de Chriſtianorum ullô, vel poſſe, vel oportere. Quis autem is eſt; quem illa redarguit, â D. Bernardô percepta, relatáque, morientis jam, &, in Crucê queruli, Servatoris objurgatio? *O homo! vide; quæ pro tê patior? Non eſt dolor; ſicut, quô crucior. Ad te clamo; qui pro tê morior! Vide pœnas, quibûs afficior! vide clavos, quibûs confodior! Cùm ſit dolor tantus, exterior; eſt planctus gravior: cùm te, tam ingratum, reperio!* Num quempiam eorum hæc objurgatio petit, incuſat, & perſtringit; qui coràm ſunt? Non mihi perſuadeo. Si tamen quispiam foret (quod abſit) aliter ſanè non poſſem adverſûs eum, niſi, prout ipſum contrà me, ſi talis eſſem, pronunciare, ſanctôque cum Auguſtinô decernere: *Domine! qui tibi non ſervit, quia creatus eſt; Infernum meruit: ſed, qui non*

Lohner. Tom. 1. Bibl. Edit. 1. v. Ingratitudo §. 11. num. 10.

S. Bernard. in ſerm. quodlibet.

S. Auguſt. cit. à Lohner ibidem. Tit. 91. §. 3. num. 4.

non ſervit tibi, quia redemtus eſt; meretur: ut novus pro ipſô Infernus fiat! Ea potiùs, ex ejuſdem S. Patris conſiliô, ſit omnium noſtra, Cauſarum omnium conſolatoriâ pro Concluſionê, conſenſio. *Quantùm valeat, & quantùm debeat, quilibet agnoſcat: ut, dum pretium ſuum cogitat, vitiis ſubjectus eſſe deſinat; & potiùs, vicem muneris Salvatori, ex ipſô bonô ſuô, id eſt, de conſervatâ ſalutê reſtituat. Reus enim erit, non parvi pretii, ſed ſanguinis Chriſti; qui violat, & commaculat animam, Chriſti ſanguinê, & Paſſionê mundatam.* Hæc, obſecro, notate benè! Amen.

S. Auguſtin. ſerm. 120. de tempore.

FERIA VI.
MAJORIS HEBDOMADÆ.
Seu,
DIE SANCTO PARASCEVES.
SERMO TRIGESIMUS PRIMUS.

Argumentum.

Conſummatâ, per Mortem, Cauſâ Maleficorum,
Defunctus jam vitâ, fungens tamen adhuc Eloquiô,
In Cordê Terræ,
Suô ſcilicet in ſepulchrô loquitur Advocatus:
Dum per latus, Lanceâ militis apertum,
Conſpicuum exhibet Cor ſuum,
Ad oculum demonſtrans omnibus,
Ex eôdem, ità patentê:
Argumenta cuncta, Cauſæ noſtræ vindicandæ,
Solô tantùm ex Amorê, ſic accepta, prolatáque fuiſſe;
Ut perſuaſum eſſe debeat univerſis:
Eum veraciter, pro nobis, fuiſſe locutum,
Ex Cordê;
Utinam autem, pariter omnibus,
Ad Cor!

Teſſera. Unus militum Lanceâ latus ejus aperuit.
Joann. 19. v. 34.

I. Heu!

I. HEu! quàm enormis hodiè commiſſus error eſt! vah! milites impii! proh! carnifices excæcati! Vah! iniquiſſima corruptorum tribunalium capita! Quid (DEUM immortalem!) delirâſtis? quid judicâſtis? quem, proh dolor! mortê damnâſtis? in quem transfixiſtis? Ah! totô cælô peccatum eſt! hinc nullus cœlo fulgor, & oculus utérque cœli, mœroris affluentiâ contenebratus, triſtiſſimô latet in luctu; totôque terrarum orbê dies omnis, nocturnîs velut umbrîs interruptus, conſpicuas, mœſtiſſimô ſiderê, ſtellas * fecit. Horribilî mugitu tremefaciens univerſa motus intonuit; quô non una tantùm pars terræ, ſed omne ſolum, inſolitâ trepidationê, contrà * nativæ ſuæ gravitatis immobilem firmitatem, ab ipſius centri ſui viſceribûs intimîs commotum, altioris vindictæ ſenſum, in ſui tam terribilî concuſſionê monſtravit. Ipſæ petræ, ſeu rupes, & ſaxa duriſſima, ** Golgothana præſertim, dirô cum fragorê diſrupta, crudeliſſimi facinoris injuriam, intolerabilem ſibi, per immanes hiatus prodiderunt. Mortis ipſius clauſtra, ſciſsîs, dijectîsque marmoribûs, ùtùt abdita, ſecretáque, non potuêre tamen, enormis delicti communem ſenſum, ſuîs in receſſibûs non percipere, nequè ſe continere; quin, per violentiam reſerata, divulſas oſſium compages eructando diffunderent. Deniquè Numen offenſum, & læſæ ſupremæ Majeſtatis *indignationem*, *ima*, *ſummáque* teſtata ſunt, *ob admiſſi ſceleris indignitatem*: quô, regii vatis oraculum patuit: *commota eſt, & contremuit terra*: *fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt*: *quoniam iratus eſt eis.* * *Divina igitur indignatio, terræ motu, & petrarum diruptionê indicata eſt.* Nec â ſacrîs adytîs abſtinuit univerſalis naturæ convulſio: cùm omnia, non humana ſolùm, ſed etiam divina, pariter everſa, convulſa, protritáque jura fuêre. Templi velum, â ſummô deorſum (ſcilicet: *ut diviná virtutê, deſuper dominantê, non humaná, de imis agente*, portenta tanta fieri, quisquè dignoſceret) horrendô crepitu ſciſſum in duas partes, omnia veteris inſtituti ſacramenta patefecit; itáque *ſciſſum eſt ſacrum illud, myſticúmque ſecretum*: *ut nihil jam eſſet diſcretionis*; *ubi nihil reſidebat ſanctitatis.* Hâc autem dilacerationê terrificâ (prout, cum S. Cyrillô, Theophylactus, & Euthymius, cenſoriè notaverunt) *quod in calamitatibûs facere ſolent Judæi, cùm veſtes dilacerant, hoc & Templum, quaſi animatum eſſet, fecit, compatiens Conditori ſuo, patienti; &, veſtes ſuas dirumpens.*

Joann. 19. v. 37.

Lucæ 23. v. 44.

** Phlegon. Lib. 14. Olympiad.*

Didymus S. Hieronym. Mag. in Caten. 24. PP. græcor. in Job.

** Ariſtot. lib. 2. de cœlô cap. 13.*

** * Franciſ. Lucas in cap. 27. Matth. v. 51.*

B. Simeon de Caſſiâ lib. 13. de Paſſ.

Titus Boſtrenſ. cit. à P. Gregorio à JEſu Maria Tom. 2. Lect. 59. num. 10.

Pſalm. 17. v. 8.

** Franciſ. Lucas ibid.*

Matth. 27. v. 52.

B. Simeon. de Caſſiâ de Paſſ.

S. Leo ſerm. 10. de Paſſ.

S. Cyrillus Alex. Euthym. Theophylact. cit. à P. Gregorio cit. locô Lect. 58. num. 12.

II. Quis

II. Quis autem, inter prodigia tanta, non totus ipſe diſſolvitur, cauſæ conſcius; ex quâ tam horrenda confuſio totum ſtitit univerſalis naturæ curſum, & ordinem omnem, ſuperioris juxtà, atquè inferioris, viſibilis naturæ pervertit? Recrudeſcit, cum erroris commiſſi memoriâ, dolor! Vah! ſcelus, nullîs explicabile verbîs! vah! delictum, nullîs expiabile lacrymîs! nullîs luctibûs, nullîs execrationibûs, hiſcentis licèt, ac, diras inter, deficientis Mundi, deteſtabile ſatìs! Quid enim actum hodiè, peccatúmque Jeroſolymîs, tam iniquum, impium, abominandum? ut gravitatem ejus nulla, non commota, ſuſtinere potuerint elementa. Retulit inter horrenda, ſupremíque judicii rea judicia Majolus, inconſulti cujusdam, & præcipitis nimiùm Tribunalis errorem, ſerò deploratum. Cæcus enim quidam delationis furor, unum reos redegerat in carcerem, geminos, unô nominê, vultûs etiam eâdem ſpeciê, cæterîsque nullîs humanæ differentiæ ſignîs externîs, unô tantùm, interni reatûs, & innocentiæ diſcriminê diverſos, quô diſſidebant, alter ab alterô, cæteróquin (præſertim amoris conjunctionê) tantùm non unus, & idem. Pronunciatâ ſententiâ jubetur, eam ad excipiendam, reus adduci, pœnas pro criminê daturus. Incautus Lictorum impetus ex ergaſtuli tenebrîs, pro reô, tractum innocentem, amorê cauſam diſſimulantê, Tribunali ſiſtit. Inde decernitur in caput innocuum; luítque ſuppliciô crimen, expers criminis; & obnoxius, abſolvitur â noxâ; nequè priùs iniquitatê judicii ſe gravatum Judex, & criminê deprehendit obſtrictum: niſi, cùm ſuſpenſa jam in patibulô patuerat innocentia; nocens verò, culpâ ſimul, & judiciô (ſed non ſinè perpetuâ Tribunalis illius, tam iniqui, criminationê) diſceſſerat abſolutus.

Majol. L. 1. Dier. Canic. Col. 4.

III. Error fuerit ille, pacê meâ, juſtitiæ cenſurâ damnabilis; procul tamen eâ, vel indignationê, vel execrationê; quam, adverſùs hodiernum Jeroſolymæ delictum, rerum omnium, etiam ſenſu carentium, indignatio conclamans deteſtatur, criminatur, condemnat. Quod enim errorem illum accuſat, & gravat, ex eô totum, ac ſolùm eſt: quòd innocuum, pro noxiô, debitæ diſcretionis inquiſitionê neglectâ, crucê damnaverit; quem nequè ſublimior ulla muneris dignitas, nec amplior, minimô, naturæ conditio, ſed, cauſæ ſolius diverſitas, alium ab alterô, ſuppliciôque fecit indignum. Quantùm autem erroris hujus crimen, ùt ùt incuſatum, exprobratúmque, ſu-

perat, atquè transcendit, supplicii Golgothani perversitas? quâ (*factus in similitudinem hominum; & habitu inventus, ùt homo; pro similitudine, tamèn absquè peccatô*) pro peccatorê justus, ipsáque summa justitia; pro maleficô, Vindex ejus, & Advocatus, imò, per quod omnia facta sunt, Verbum; pro miserô, mortalî, reôque damnationis hominê, DEUS immortalis, hominum, & Angelorum, cœlíque, terræquè Conditor, mortê damnatus, infamî trabê suspensus, duósque medius inter latrones, iniquissimè, ignominiosissimè, atrocissimè sublatus est! Hoc Lunam, perterritam, concitavit: ut, plená tum gaudens lucê, suam contrà naturam, in Occidentem ab Orientê contenderit, cursúque velocissimô, triginta dierum ambitu, tribûs horîs absolutô, sic se Soli supposuerit in Occidentê; totum ut aspectum illius, per inauditam eclypsin, Universo subtraxerit, *miraculô, super omnia miracula, quæ facta sunt in cælô*; judicê M. Albertô. Non poterat (utì S. Chrysostomus animadvertit) *ferre creatura injuriam Creatoris. Unde Sol retraxit radios suos: nè videret impiorum facinora.* Sic tenebræ factæ sunt, super universam terram. Hinc, terrarum etiam Orbis omnis terribiliter agitatus contremuit. *Spectabant enim cuncta* (quod Sanctus idem Præsul Antiochenus interpretatus est) *elementa, proprii Conditoris exitium. Axem suum Mundus extremum vergere cupiebat in limitem. Volebat, credo, seculum ire penitùs in ruinam: nè Autoris sui tacens præteriret injuriam: Ut*, Servatorê, tam iniquè sublatô, * *sentiretur in universô terrarum Orbê mortis ejus injustitia. Tremuit igitur terra, velut pavens, ad insolitas actiones, hôc suô tremorê mentes omnium informans fidelium: ut credant, & contremiscant* (Simeonê de Cassiâ monentê) *quoniam, pro injustis, justus; pro impiis, pius; pro peccatoribûs, sanctus; pro hominibûs, in carnê passus est DEUS.* Eâdem indignationê, cui rerum omnium perturbata natura succubuit, *petrarum* quoquè, *seu, saxorum scissio*, non fuit, nisi *rerum insensibilium acclamatio: quòd Autor vitæ damnatur injustè*! prout idem Cassianus, argutè, Judæis improperavit, per Antitheton exaggeratum illud: *Acclamaverunt Judæi, altè sonantibûs vocibûs, Christi mortem: nunc verò petræ, per scissuras, quasi per aperta labia, contrà illos inclamitant: &, ubi homines, in hâc injustitiâ, pro veritatê tacent, saxa scissa loquuntur.* Tandem velaminis etiam, vetera Sacramenta tegentis, violenta diruptio, grandis fuit, manifestáque contestatio læsæ, per injuriam extremam, supremæ Justitiæ. *Hoc enim primùm*, interpretê Franciscô Lucâ, *veli dilaceratione testatus est DEUS: Eum, qui occisus est,*

2. Philipp. v. 7. Hebr. 4. v. 15.

S. Dionys. Areopag. Soarez. Tom. 2. in 3. p. q. 50. Art. 6. Disp. 39. Sect. 11.

Bellarm. Lib. 2. de 7. Verb. c. 3. Cornel. à Lapid. in Matth. cap. 27. Albert. M. in cap. 27. Matth. Matth. 27. v. 45. S. Chrysost. cit. in Expos. S. Cyprian. serm. de bonô pac.

S. Chrysost. Hom. 3. de Pass.

* B. Simeon de Cassia de Pass. Dom.

Idem. Ibid.

Franciscus Lucas in cap. 27. Matth.

eſt, Filium eſſe ſuum; ſéque, ob ejus cædem, iratum, Templum illud, ejúsque ſacra reprobaturum; &, relictis Paricidîs, aliò migraturum.

IV. Jam verò qualénam de ſê ſentiendi judicium relinqueret; ſi quem, in tam terribilî rerum inſenſibilium commotionê, ſenſus nullus injuriæ, tam atrocis, nulla, communis adeò doloris compaſſio, vel in hanc usquè horam, non dico, corripuiſſet, aut reſolviſſet, aut conſcidiſſet; ſed, nec piô duntaxat motu devoti mœroris attigiſſet: poſtquàm ea, quæ totô terrarum Orbê ſunt acta, cognovit? *Cùm ad tantam Divinitatis inclinationem* (utì Leo ſanctus irrugiît) *totius Mundi compago quateretur. Cùm facinus impium omnes, ſui confuſionê, creaturæ damnarent; & manifeſtam in reos ſententiam elementa proferrent?* Næ durior is, rupibûs diruptîs; &, in ſuæ duritatê malitiæ, magìs obfirmatus; quàm ipſa, per nativam gravitatem immobilis, terræ firmitas: *quæ fixa*, Stagyritâ docentê, *conquieſcit, & non, niſi per vim, contrà naturam, movetur.* Cujus igitur eſſe naturæ? vel, quô locô defixum cor ſuum cenſendus eſt habere? qui nihil, eô dolorê ſe motum, perſentiſcit; cujus vehementiæ tota ceſſit, ad injuriam Conditoris iniquiſſimâ mortê ſublati, commota, rerum omnium natura. *Saxa ſciſſa*, (ſi fas dicere cum Caſſianô, ſæpiùs memoratô) *loquuntur; & ſuô modô provocant dura corda hominum: ut ſcindantur, & recogitent eum; qui talem pro omnibûs ſuſtinuit Paſſionem:* imô, niſi fallor, exprobrant, & expoſtulando ſolicitant, ab impiâ ſtupidorum cordium apathiâ, per S. Leonem: *Fiat in cordibûs!* quod factum eſt in cœlô, ſideribûs, rupibûs, & in ipſô cordê terræ. *Contremiſcat in Redemtoris ſui ſuppliciô terrena ſubſtantia! Rumpantur infidelium mentium petræ! & qui mortalitatis gravantur ſepulchrîs, diſcuſſâ obſtaculorum molê proſiliant!* Verbô: *ſcindite corda veſtra!* nè, qualis fuit Judæorum, hodiè ſit Fidelium, &, per Crucifixi Servatoris injuriam, â mortê juſtâ vindicatorum, *immobilis, Orbé concuſſô, duritia.*

V. An hæc, ut â chriſtianîs obtineantur, ſuadenda ſunt argumentîs? hortationibûs urgenda? multîs demùm exprobrationibûs, ac objurgationibûs extorquenda? quæ pietas humana, pro familiarî tributô doloris, ergà mortales, triſtî ſortè fatô ſublatos, largiſſimè conſuevit, nullîs etiam ſolicitata verbîs, profundere? Modum propè luctus Iſraëlis omnem exceſſit; cùm, in Mageddonê campô, Joſias Rex, vitæ longè probatiſſimæ, Princeps religioſiſſimus, mortê non tantùm præmaturâ, ſed etiam cruentâ ſublatus, ævô viridî cecidit, lethalî ſagittâ

S. Leo ſerm. 4. de Paſſ. Dom. cap. 4.

Ariſtot. l. 2. de Cœl. cap. 13.

B. Simon. de Caſſia cit. locô. num. 12. Lect. 59. apud P. Gregorium. in Divinit. & Innoc. Dom. Tom. 2.

S. Leo. ſerm. 13. de Paſſ.

S. Ambroſ. lib. 10. in Lucam.

percuſſus, indéque proſtratus, ab impiô pius, â profanô ſanctus, âb hoſtê barbarô, mitiſſimus, & omnium virtutum prærogativîs, DEO, populóque gratiſſimus. Non ſtetit autem in ſolâ funeris lamentationê, mœror publicus. Exanime corpus Jeroſolymam revectum, & funeris apparatu magnificô paternîs monumentîs conditum quidem, ſepultúmque fuit; memoria tamen ejus, *in compoſitionem odoris, facta*, Syracidê canentê, velut *opus pigmentarij* fuit: cùm viveret, extinctus; &, in perpetuô populi planctu, per multas, & longas poſterorum generationes deploratus, unguenta pietatis, regiarúmque virtutum redoleret. Nam *univerſus Juda, & Jeruſalem luxerunt eum*, planctibûs, in annum uſquè centeſimum, ſolennî ſemper lamentationê repetitîs, â Jeremiâ maximè: *cujus omnes Cantores, atquè Cantatrices, uſquè in præſentem diem, lamentationes ſuper Joſiam explicant; &, quaſi lex obtinuit in Iſraël*: ut, velutì de rê conſuetâ, legêque receptâ, ſuper Joſiæ planctu, linguîs omnium celebratô, diceretur: *Ecce ſcriptum fertur in lamentationibûs.* Exegerat autem idem propè devoti luctûs officium, pridem anteà, piiſſimus in æmulum, licèt impium, ſuæquè ſemper invidum fortunæ, Saülem, David Rex. Non enim privatô ſuô mœrorê ſufficiens videbatur ſibi debitum, ergà Chriſtum Domini, mortê ſublatum, ſolviſſe: cùm *planxit planctum hujuscemodi ſuper Saul*: --- *Quomodò ceciderunt fortes Iſraël? Sed præcepit; ut docerent filios Juda arcum*, (id eſt, lugubre carmen) *ſicut ſcriptum eſt in librô juſtorum*; id eſt: utì ſacrorum juſtorum legalibûs inſtitutîs decretum erat. Adhæc autem, etiam Filias Iſraël, commemoratîs interfecti Regis beneficiîs, ad fletum, devotique luctûs publicum officium, ſuâ voluit você provocatas, adhortans: *Filiæ Iſraël; ſuper Saul, flete! qui veſtiebat vos coccinô, in deliciis; qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro.*

2. Paralip. 35. v. 25. 4. Reg. 23. v. 30. Eccli. 49. v. 1. 2. Paralip. 35. & 24. Ibidem. v. 25. 2. Reg. 1. v. 17. & 18. Tirinus. in locum citat. 2. Reg. 1. v. 24.

VI. Poteritnè (ſi quis hodiè, durus cordê, nihil adhuc liquidi doloris in sê, ſuper Advocati ſui dilectiſſimi turpiſſimâ mortê perſentiſcit) abſquè ruborê, tùm in animum admittere, quæ ſunt memorata; tum illa, memoriæ tantùm ſubjecta percipere; quæ profanus etiam amor, ergà dilectos, violentâ mortê ſublatos, crudelis exactor, inſanæ magìs, ac impiæ, quàm, pro modô piæ, juſtæquè compaſſionis, exhibuit? Panthéa fertur (nec eſt, qui refert, obſcuri, ſed clariſſimi, ſacríque nominis Pater) ubi corpus exanime ſponſi ſui, pluribûs ab hoſtê vulneribûs conciſum, &, in omnem partem cruorê defœdatum,

S. Hieron. lib. 1. contra Jovinianum.

tum, oculis objectum accepit, continuò, doloris ictu tam atrocî ſauciatum ſenſiſſe cor ſuum (ſi tamen adhuc ſenſum habuiſſe, quæ cordê totô, per Abradaci ſui conſpicuas plagas transfixa fuit, credi poteſt?) ut, è veſtigiô collapſa, totôque corporê, cadaveri toti ſuperinjecta jacuerit; ſeu, ſuô funus funerê geminatura; ſeu, per gemitus, lamenta, planctus, infuſúmquè, cum lacrymîs, diſſoluti jam cordis dimidium, inhalatámque ſui ſpiritûs portionem, charam animam, alterum ſcilicet, vitæ ſuæ dimidium, revocatura. Tandem, ubi tantîs exhauſta mœroribûs, nihil ſe profeciſſe luctibûs vidit, quem ſocium habere vitæ, per lacrymas, in Mundô nequivit; ad ejus umbram adnatare, per ſanguinem ſtatuit ſuum: & confeſtim, doloris inſaniâ prævalentê, ſuum in pectus enſem adegit; ut, aut, cum cruorê, totam impenderet, pro sê mortuo, vitam; aut, per infuſum ſui ſanguinis calorem, rigentia dilecti membra, novum in vigorem excitanda, deficiens ipſa rigaret.

VII. Sed juvat, exploratas impendii tanti cauſas, & argumenta, tam exaggerati, ſævique luctûs agnoſcere. Quid enim, quod fletus iſtos, & perpetuos (utì de Joſiâ percepimus) & rituales (quos pro Saülê Regni ſucceſſor inſtituit) & enormes (quibûs Abradacum audivimus â Panthéâ fuiſſe deploratum) planctus, mœrorésque merebatur, beneficiorum tantorum, in illîs præceſſerat; quorum, adeò locuples dolorum, lamentorúmque, memoria fuit? Si, vel amor, quô fovebantur; vel munera, quibûs ornabantur; vel virtus bellica, quâ defendebantur, tam diuturni, tam abundantis, tam ſævi queſtûs, & amari luctûs tyrannicum potiùs, quàm æquum exigere potuerunt, & obtinere vectigal? Quis, eorum intuitu, quæ Golgothanô ſunt in montê, noſtrî causâ, tranſacta, noſtram in ſalutem tolerata, pro nobîs, ab hominê Deô, Servatorê noſtrô depoſita, nobiſq; vindicandis, ad ultimam uſquè ſanguinis guttam, cum ſpiritu, vitâque (cujus omne momentum infiniti pretii fuit, ac meriti) liberaliſſimè profuſa, non, totus ut colliqueſcat, jam exoptat? aut obſcurô contractus locô, ſeclusîs omnibûs, totus, fletu diſſolvi, deficere gemitibûs, planctibûs, & ſuſpiriis exſpirare non flagrat? cum illô devotô; qui, diem hanc exigere ſolus, dum plorando conſtituit, procul â sê, quicquid luctum vel diminuere, vel perturbare poſſet, partem in omnem faceſſere juſſit, inclamans: *Recedite! recedite* *Thom. de Kemp. de dome- Paſſ. Chriſt.*

domeſtici, & externi! dimittite me, ſolum, ac deſolatum, ſedere: ut plangam paululùm Dilectum meum, pro mê Crucifixum! Quî verò poterit expers talis eſſe doloris, Fidelis, per Chriſti Crucem, & mortem aſſertus? cùm, non ea tantùm, quæ ſuprà memorata ſunt, elementa Mundi, ſed, animantia quoquè bruta, rationis omnis expertia, naturæ tamen communis planctui, ſuum quoquè dolorem, hôc diê, vel, ſuppreſsô cantu, vel, alîs in crucem expanſis, &, agitationê nullâ commotîs, vel omnî vitâ (diversîs aliîs, â naturâ præcepti luctûs modîs) diſſimulatâ, conjunxiſſe noverimus. Hoc urſit melliſluus Abbas: *Nequè enim fas eſt, nos petrîs duriores eſſe, & creaturîs, rationis expertibûs, inſenſibiliores. Doloré ergo cor noſtrum ſcindatur, & viſcera dividantur!* Exigit hoc â nobîs, qui pro nobîs mortê damnari ſe paſſus; & infamî ſuppliciô Crucis innocens tolli ſuſtinuit: nè nos, nocentes, in malam crucem abjecti, prout merebamur, tolleremur æternùm.

Arnold. Ragius. in Hierogazophyl. Belg. fol. 247. vid. Euſeb. Nierenberg. in Hiſt. Nat. Lib. 10.

S. Bernard. cit. â Godef. Lit. in Sacr. Veſpert. Conc. 1.

VIII. In hôc autem, infinitæ charitatis divinô prodigiô, nullusnè permoveri ſe ſenſit adhuc, ad illud, ſociandæ Paſſionis, teſtandæque ſinceræ dilectionis officium, innocuo ſuo Redemtori reddendum; quod, adverſùs innoxium, ſuâ cauſâ damnatum, & extremô jam diſcriminê laborantem, ac, tantùm non ipſô ſub ictu cadentem, innocentiæ ſuæ Vindicem, generoſa virtus, inclytæ Virginis, Theodoræ ſuſcepit? Ad lupanar infame Virgo (quia Chriſto fieri perfida noluit) ut, quæ violare fidem abhorruit, violata virginitatê vitiaretur, mandantê Tyrannô deducitur, factâ cuilibet in caſtum ejus, libidini proſtitutum corpus, Venereâ poteſtatê. Magnanima Theodora, Lenones inter, non ſe minùs ab eô ſervatum iri confiſa, qui famentium leonum rictus concluſit, Providentiæ ſupernæ virgineam, integrô cum corporê, commiſit animam ſuam, probè gnara: *Nihil prodeſſe corporis cuſtodiam; ſi ſpiritalis caſtitas fuerit in mentê corrupta*: cæterùm, nec illud latebat Virginem, verè prudentem: *Ubicunquè Virgo eſt, DEI templum eſt: nec lupanaria inſamant virginitatem: ſed virginitas, etiam loci abhorret* (imò aufert) *infamiam.* Adfuit iñocentiæ, tam confidenti, protector, & auxiliator DEUS; qui nunquàm, in ſe ſperantes, opê cœleſtî deſtituit. Conſcius quippè Caſtitatis, in eô proſtibulô, magìs, quàm ardentes inter flammas afflictæ, Didymus adoleſcens, mentê Chriſto, manu verò, Martis devotus obſequiis, diſſimulatô pietatis conſiliô, fornicem illum pudicitiæ periclitantis ingreſſus (dum aliud age-

S. Fulgent. Epiſt. 6. ad Probam. cap. 6. Bib. PP. Veter. Tom. 6. pag. 1. Col. Edit.

S. Ambroſ. Lib. 2. de Virgin. à med. Tom. 1. Col. 90. A. Metaphraſt. in vit. S. Theodoræ.

Nadaſi in Annâ cœleſt. 28. April.

agere perverſorum arbitriô cenſebatur) ut innocuam â duplici periculô Virginem vindicaret, habitu mutatô, Theodoram induit; &, ſimilî ſacrâ cum fraudê, Didymum, in Theodorâ, per cuſtodes ipſos, nihil minùs, quàm, quod erat, ſuſpicantes, infamî de cellâ progredi, neminê, vel obſtantê, vel prohibentê, facit. Offendit impietatem, ità deluſam, deprehenſa Chriſtiani militis pietas, & charitatis impoſtura, tam ſancta: nec longâ judicii deliberationê probrum tantum ſuſtinere voluit, ſuorum irritata conſiliorum irritationê Tyrannis. Decernitur, non unô jam nominê, capitale ſupplicium: ut, qui Theodora voluit videri, pro Didymô, ſimul, & officium illuſoriæ pietatis, Didymus lueret; &, Chriſtianæ religionis confeſſæ, pœnas pariter, pro Theodorâ, quam ſuſtinebat, exſolveret. Sic damnatus, cùm in aſſumtâ perſonâ deducitur ad ſupplicii locum, non potuit, ut alienô periculô ſua ſtaret ſalus, & vita, diſſimulare porrò Theodora. Lictorum igitur ultrò ſe manibus ingerere, ſeſéque, Theodoram fateri, ſe, mortê damnatam, & capitê multandam, Didymum innoxium, vinculîs abſolvendum, liberúmque dimittendum, proteſtari multîs clamoribûs, & ardorê mirabilî priùs non deſiit: quàm, ſuo ſociata Vindici, cum eôdem, una, fidei ſimul, &, charitatis non minùs, quàm, caſtitatis victima, non ſublata mortê, ſed oblata, vivere defecit.

IX. Non temerè dictum accipite, de generosô Theodoræ ſpiritu: defecit! qui, dum â periculô, ſui causâ ſuſceptô, ſuum non potuit Aſſertorem aſſerere, vivere porrò ſibi ducebat inglorium; nec eô, propter ſe ſublatô, ſupereſſe ſe, ſinè criminê, poſſe cenſebat. Defecit enim verò magnanimitatis hujus, & gratitudinis gloria: dum nullus, etiam inter illos, quibus â viribûs, & virtutê nomen, eô nunc cernitur animô; quem pro ſuò teſtata Didymô Theodora. Nusquàm apparet; qui mortê damnatum, & patibulo Crucis affixum, &, in eô terribilî ſupplicîô, nullâ ſuâ, ſolâ ſuorum, causâ morientem, quìn & iñocentiſſimè, cœli, terræquè conteſtantibûs prodigiîs, mortuum, Servatorem ſuum, dum eruere non ampliùs vacat â mortê, commoriendi tamen affectu, non fictô, vitæquè ſuæ conſecrationê ſincerâ, proſequi jam defunctum, & honorare, ſerium induxerit in animum! Acculant hunc debitæ pietatis defectum. (enormem ingratitudinis Chriſtianæ contumeliam) notæ Patrum piorum querelæ. Palæſtinæ ſolitudinis incola, quantùm exin-

exinde gemuit? *Omnis creatura compatitur Christo morienti! sol obscuratur, terra movetur, petræ scinduntur, velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur: solus, homo miser, non compatitur; pro quô solô Christus patitur!* Noluit quicquam alterius consilii, tam in suam hodiè, quàm in alius cujusquam Christiani mentem venire, Præsul Hipponensis, præter unum illud, universale decretum: *ut, qui Domini Crucifixi Passionem celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsi faciamus!* Quid non anxii voti testatus fuit, hôc in propositô, D. Laurentius Justinianus, querendo requirens: *Cujus saxeum pectus non emolliant vulnera Salvatoris? Quis pati renuat, patiente Dominô?* Quis animô sic affectus, & comparatus est? ut non tantùm cum Seraphicô Doctorê constituerit: *Nolo, Domine, vivere sinè vulnerê; cùm te video vulneratum:* sed, vitam omnem despiciens, non gestiat, nisi Crucem, & mortem, cum Seraphicô Patrê recogitans: *DEUS, mortuus est pro mê!*

S. Hieron: super Matth. cit. à Lohner in Bibl. Edit. 1. Tit. 91. §. 3. n. 29.

S. August. in sermon. Quadrag. cit. ibidem.

S. Laurent. Justin. de castô coñub. cap. 8.

S. Bonav. cit. A Lohner. ibid. n. 32.

X. Auctior indignationis, justæquè querelæ causa movetur: quòd in illîs ipsîs (quorum nullus, in afflictæ totius naturæ luctu, planctus, mœror nullus, oculi sicci, cor durum, &, omnem ad compassionem obfirmatum est) erroris ejus communis iniquitas deprehenditur; cujus cæcitas in perfidâ gentê damnatur! Quis verò crimini tanto par judex erit? quæ, tam impiæ crudelitatis, æqua censura? Suspensus, ad ferendam sententiam, super atrocissimô facinorê Sextilii, vir, maximi licèt judicii, visus est hæsitâsse, Valerius M. Cùm enim C. Cæsarem, â quô non solerter minùs, quàm efficaciter, in criminê capitalî defensus, assertúsque Sextilius fuerat, proditum, & (quod enormiùs) hostium insuper furori, manibúsque truculentis, nequicquàm deprecantem, ultrô traditum ab eô, perditúmque meminisset: ignarus, quid, ingratitudinê de tam inhumanâ decerneret? ità demùm pronunciavit: *Si metu mortis id fecit? vitâ indignus: si præmij spê? morte dignissimus!* Magis adhuc ambiguus, &, judiciô propè totô defectus in Cneii Popilii criminê, tùm accusandô, tùm condemnando, fuit idem Valerius. Postquàm enim nefarium postulatum hominis, in ipsum nomen humanitatis rei, retulisset; quô copiam, â Senatu fieri sibi depoposcerat, ensem, justitiæ vindicem, in venerandum M. Tullii Ciceronis caput stringendi; cujus eloquentiâ, non pridem, ejúsmet capitis, jam inclinata, revocata tamen, servatáque, non modò steterat, sed in triumphum etiam elevata fuerat causa: quasi verborum omnium obli-

Valer. Max. Lib. 5. c. 3.

Idem. Ibid.

oblitus, aut expers, Vir, aliàs, eloquiô valentiſſimus, unicum illud ſubjunxit: *Invalidæ, ad hoc monſtrum ſugillandum, litteræ! Quoniam, qui talem Ciceronis cauſam ſatìs dignè deplorare poſſet, alius Cicero non exſtat.*

XI. Deficientibûs autem ad ea crimina, prout par eſt, infamanda, damnandáque nominibûs (quibûs hominum, in homines, ingratitudo perſtringitur) obmuteſcere ſanè meus omnis ille zelus cogetur; quô, non lacrymas tantùm, in communî rerum omnium luctu, fruſtrà deſideratas, accuſare ſimul, ac deplorare, ſed, ejus etiam erroris, criminiſque participalem cauſam deteſtari ſuſcepi; quem ſol obſcuratus, Lunæ curſus inverſus, æther horridus, tellus quaſſata, rupes diſruptæ, mortis fauces, apertæ, *corda demùm omnium hominum, ſenſibilî dolorê transfixa, licèt, unde paterentur, ignara, communî tamen execrata compaſſionê fuerunt. Id interim vereor: nè tantâ contaminatus iniquitatê, præſens in hâc ipsâ, quam intueor, concionê paricida ſit! Lubétne tam arcani reatûs inde facere periculum; unde, non ſemel, occulti paricidii crimen ignotum innotuit, & manifeſtè damnatum eſt? Miſsîs aliorum commentariîs, quod Oenanæ Tyrolis metropolis, in æneô conſpicuum exhibet monumentô, meminiſſe ſatìs fuerit, ſupérque. Cernitur ibidem *viri nobilis, ex metallô, triſte ſimulachrum, haſtæ militari velut innixum. Veterî traditionê dicitur: eâ ſpeciê ſtare memoriam filii paricidæ; qui, non tantùm loricâ, ſed caſſidê quoquè totâ munitum, convelatúmque Patrem, lanceâ, per latus (quod fibulâ forſan diſſolutâ patebat) adactâ, ratus hoſtem, dum præliaretur, interfecit. Exploratîs, â conflictu peractô, cadaveribûs, ubi, quod ignorans egiſſet, & Patris revelati vultus agnitus, & haſtæ cuſpis, in vulneris menſurâ convictus, ad oculum exprobrâſſent paricidium; victor infelix, tam, occiſi Patris dolorê, quàm, conſpicui facinoris horrorê, dum utrúmque ſuimet ſeveriſſimus judex expendit, utì (ſuæ ſcilicet innixus haſtæ) fuerat, in eô ſtuporê, rigeſcens exſpirâſſe dicitur; exanimatus, haud dubiè, tacitâ paterni cadaveris exprobrationê: Tu me, Patrem Filius, occidiſti!

XII. Nihílne ſimilis, mitiſſimæ quidem, redargutionis, ex lividîs plagîs divini cadaveris, quod lugens hodiè communis devotio Fidelium, in ſepulchrô, pias inter lacrymas, adoravit, ullus noſtrûm, ſenſu cordis internô percepit? An Servator aman-

*in Templo PP. S. Franc. Oenipont.

* *Revelat. S. Birgittæ. lib. 6. cap. 11.*

P. Benignus Kübler. Mund. mirab. p. 1. Tract. 2. ſont. 3. num. 118.

amantiſſimus, &, mortê tam indignâ, ſublatus pro nobîs Advocatus, etſi vitâ jam, & oris você defunctus, neminem omnium unum, per tot vulnera, quæ patent, allocutus, arcanâ compellationê perterruit? Peregrinum eſſe non debet, quod requiro: cùm, etſi quidem inſolitum, prorſùs tamen alienum non ſit â verô: quòd mortuis quoquè ſua ſit vox; & quòd (quamvìs â corporê ſolutus per mortem ſpiritus, cum illô verò, linguæ ſimul, & vocalis loquelæ facultas defecerit) auditum tamen, etiam ſinè linguâ, fuerit Cordis eloquium. Portentoſam ejusmodi vocem, non ſinè vehementî conſternationê perceperunt illi Barbari, tantùm non exanimati terrorê; qui venerabilẽ Dei ſervũ, è Societatê noſtrâ, Rochum Gonſález, Chriſtianæ Veritatis odiô trucidârunt; quam, Apoſtolicâ libertatê, magnanimus ille Chriſti Confeſſor, dum exſpiravit, prædicare non ceſſavit. Poſtquàm enim, capitê jam â cervicê reſectô, truncum in terrâ corpus, exanimémque jacuerat, percepta cordis, ex cadaverê, vox eſt, clamantis: JESUS! Confeſſio mirabilis! portentoſa loquela! ſtupendum, â mortê, jam acephali cadaveris idioma! Vera tamen percepta vox fuit; &, quia de cordê profecta, cordisque loquentis vox erat, alia nequè cogitari, nequè dici poteſt, niſi, vox amoris, & amantis loquela, ſeu, conteſtatio fuiſſe. Nullum igitur (ſi, quod forſan perceptum necdum eſt, audietur autem adhuc) loquentis è ſepulchrô, mortui jam Servatoris Verbum, horridô pavorê percellat. Quamvìs enim plagarum omnium, & mortis turpiſſimæ, quam Crucifixus, inter latrones, gloriæ Dominus, Vindex noſter innocentiſſimus obiit, univerſim omnes, reos agi, nos intellexerimus (ut, ſicut nullus immunis eſt culpæ, ſic nemo ſit extraneus, ab, irrogatæ Domino, necis cauſâ cenſendus) neminem tamen ea redargutio ſacri cadaveris, ingeſtâ confuſionê perturbet: cùm tota defuncti vox, non tantùm non improperet illata, vel exprobret; ſed, in mortis acceptæ cauſâ, quam aperit, non aliud eloquatur, niſi manifeſtum, cùm ex cordê loquatur, amorem.

XIII. Ut hoc perſuadeam, opùs aliîs non eſt, quàm patentibûs, & (unde defunctus loquitur) in apertô ſepulchrô conſpicuîs argumentîs. Quid aio? num è ſepulchrô percepta vox? Iſtud autem ubi terrarum eſt? Ipſe prædixit: *Erit Filius hominis in Matth. 12. Cordê terræ.* De cordê terræ ſi vox v. 4. inſonuit (quia de Cordê profecta) non potuit ab eâ, niſi verbum amoris prolatũ fuiſſe: præſertim, quando de cordê terræ,

Lobbet. de Fortitud. Chriſt. pag. 185.

Cor

Cor ipſum illius, qui jacet in cordê terræ, dedit vocem ſuam. Juvat igitur ipſum intueri Cor Servatoris; quod unus militum, dum lanceâ latus aperuit, ità totum transfixit: *ut effluerent indè ſanguis, & aqua; &, cum ipsîs, ſalutis, & redemtionis noſtræ myſteria.* Cùm enim ſacrarium illud Amoris divini, Cor ſacratiſſimum Advocati noſtri, Longini lanceâ *tam amarè punctum fuerit, & immiſericorditer* (ùt ex maternâ revelationê D. Birgitta transcripſit) *quòd pungens non deſtitit: donec lancea attigit coſtam; & ambæ partes Cordis eſſent in lanceâ*: nemo non facillimè jam, ex tam apertô Cordis orê (quod omnia myſteria, cùm primùm patuit, unà cum ſanguinê ſimul, & aquâ, profluentibûs, continuò revelata profudit) unde, non tam vulneris ultimi, quàm omnis Paſſionis, & iniquiſſimæ mortis ictus fuerit acceptus, illa per verba, patenter expreſſum cognoſcet: *Vulneráſti Cor meum, ſoror mea, ſponſa! vulneráſti Cor meum!* Duo ſunt, quibus accuratior animus intendendus eſt: ut hæc amoris lingua, cum indicatô vulneris autorê; adhæc, & integer illatæ plagæ ſenſus pateſcat. Primum, quod noſtram attentionem exigit, cùm, in ſponſæ, tùm, & ſororis, in appellationê conſiſtit; â quâ ſuo vulnus inflictum Cordi, tam dirè transfixo, fatetur ſepultus. Arduum hoc (ſi ratio fidem exigeret) aſſenſu foret: niſi vulnus, quod â ſponſâ, ſororê, dilectâque, dicitur irrogatum, inflictum fuiſſe Cordi conſtaret. Quid enim ſponſæ, dilectæque poteſt animæ, præter Cor dilecti, vel, ſcopus eſſe pro vulnere? vel, ſauciantis amoris meta? Huc omnis dilectio collimat; quæ nihil, niſi Cor, in dilectô requirit. Hæc igitur, ſi vulnus arguitur inflixiſſe, non aliud, niſi Cor, vulnerâſſe manifeſtè convincitur. Nec ipſe, qui ſauciatum ſe confitetur, amor, plagam, quam dilectâ ſe ſenſiſſe fatetur âb animâ, niſi, ſolô duntaxat in Cordê ſuſceptam teſtatur.

Daniel Mallon. de Vuln. Lat. Cbr. cap. 20.

Revel. S. Birg. Lib. 2. cap. 21.

Cantic. 4. v. 9.

XIV. Verùm, quod alteram poſtulat altioris indaginis curam, iîs latet in verbîs; quibûs, totô transfixus Cordê Servator noſter, duplex illatum Cordi ſuo vulnus inſinuat, ingeminans vocem, Vulneris, &, Cordis: *Vulneráſti Cor meum*, ſoror mea, ſponſa! *Vulneráſti Cor meum*! Videbatur ſibi quidem, arcani ſenſûs hujus gemini, genuinus interpres fuiſſe D. Bernardus; cùm eâ cenſuit mentê repetitam â vulneratô fuiſſe Dilectô vulneris vim: quaſi dicere dilectæ ſuæ voluiſſet: *Utriúſque Vulneris cauſa es. Quia enim zelô amoris tui vulneráſti me; lanceâ quoquè militis vulneratus ſum. Quis enim cor ſuum ferrô vulnerari permitteret: niſi priùs amoris illius vulnus accepiſſet?* Non poſſum non ab hâc

S. Bernard. ſerm. 2. de Paſſ. Dom.

ſtare ſententiâ; quam tamen ſic amplector: ut integrum eſſe mihi velim, ejuſdem aliquam, prout in præſens argumentum concepi, paraphraſin adjungere. Dum enim, geminatô vulnerê, Cor, â dilectâ ſatetur animâ ſauciatum: illud primùm, quod foràs patet, & per apertum â Longinô latus, conſummatæquè Paſſionis, ac mortis, manifeſtum omnibus argumentum exhibuit, non tam Longino, quàm dilectæ ſuæ, vulnus attribuit. Ab hôc autem, & alterius, illius vulneris, quô ſuerat priùs affectum, quàm ferrô transfixum, Cor divinum, plagam intimam, ab eâdem dilectâ, ſibi, ſuóque Cordi ſic fatetur illatam: ut ex Cordê, poſt mortem adeò patentê, totus Mundus perciperet, & intelligeret: ab Eô cuncta, quæ paſſus eſt, non tam ad noſtra referri delicta, quæ Paſſionis ejus, & mortis cauſa fuerunt, quàm, noſtrum omnia, per amorem excuſari: qui, ſi ſacratiſſimum illud Cor, internô priùs vulnerê non occupâſſet; nullum vulneri locum, nec in corporê flagra, nec in verticê ſpinæ, nec in manibûs, pedibûsque clavi, nec in laterê lancea, reperiſſent. Unde, meâ quidem ſententiâ, nihil apertiùs conficitur: quàm, quòd, per apertum lanceâ latus, ex vulneratô ſuô, transfixôque Cordê, maleficis omnibus, quorum non in Causâ tantùm, ſed pro Causâ, divinus mori voluit Advocatus, hoc unum, utì dicere, ſic & notum, & perſpectum voluerit eſſe: Quicquid pro nobîs, & in Causâ noſtrâ, factîs magìs, quàm verbîs, iîsque, per infinita vulnera, copioſúmque cruorem, abundanter confirmatîs, tranſactum ab eô fuit, ùt ex amorê, ſic profectum, veraciter, *ex Cordé*, fuiſſe.

XV. Ipſe verò Claræ*vallis* Abbas hoc expendiſſe credendus eſt; qui præter ea, quæ jam attigi, non tantùm ex dilectâ, cui gemini Vulneris cauſam attribuit, nominê Vulnerati quæſivit: *Quid neceſſarium fuit* (cor meum) *ab inimicîs ultrà vulnerari? ſi vulneratum eſt; imò, quia vulneratum eſt; quid ſecundum vulnus apponis?* verùm, & aperti lateris, & alterius in eô, ſic patentê, vulneris rationem inſuper ſubjecit, inquiens: *Propterea latus vulneratum eſt: ut, per vulnus viſibile, vulnus Amoris inviſibile videamus.* Hoc enim altiſſimum Advocati noſtri conſilium fuit; quod, â ſuâ mortê, per lateris aperti vulnus, in Cordê ſic patentê, notum omnibus, & manifeſtum eſſe, ſuôque, velut, ex Cordê dicere voluit; cùm orê jam loqui porrò non poſſet: Omnia, quæ noſtrâ patiens in Causâ pro nobîs allegavit, mera tantùm amoris ar-

S. Bernard. cap. 3. de vitâ.

Idem ſerm. 3. de Paſſ.

argumenta fuiſſe: nec aliud jam â nobîs, in tam liquidâ demonſtrationê, confici debere; quàm: Ipſum pro nobîs, *ex Cordé*, fuiſſe locutum. Ità perſuaſum, intuitu ſepulti Servatoris, fuiſſe S. Ambroſio, perſuadeo mihi. Poſtquàm enim omnia defuncti Domini membra, noſtrâ pro ſalutê vulnerata, contemplationê piâ veneratus, expendiſſet; nihílque, quod noſtræ Cauſæ non opitularetur, in exanimî corporê deprehendiſſet, quid ſingulis inde fiduciæ concipiendum eſſet, apertè, diſertéque ſuggeſſit: *Ipſe Chriſtus, orê ſuô, fellê, & acetô potatô, os noſtrum eſt; per quod Patri loquimur, atquè iram ejus placamus. Cordê ſuô, quod lanceâ transfixum eſt, cor noſtrum eſt; per quod Patrem amamus. Oculi ejus, ſanguineîs lacrymîs fluentes, oculi noſtri ſunt; per quos Patrem videmus. Manus ejus, clavîs confoſſæ, manus noſtræ ſunt; per quas nos Patri offerimus. Pedes ejus vulnerati, pedes noſtri ſunt; per quos, ùt Filii prodigi, redimus ad Patrem: ut totus Salvator, quantus eſt, & quicquid in eô eſt, nobis patrocinetur.* Hæc (ſi meâ licet ex conjecturâ loqui) velutì loquentem adhuc nobis, & pro nobîs, etiam emortuîs jam, & rigidîs in membrîs, ità nobis exhibent amantiſſimum Advocatum: ut (cùm eum, ſic totum pro Cauſâ noſtrâ, cognoſcimus exhauſtum; ut omne, quod ejus eſt, jam noſtrum eſſe, manifeſtè pateſcat) per omnia, quæ tam profuſus amor non modò communia nobis eſſe, ſed, propria voluit, præcipuè noſtram in eô fidem exigant: totos nos illius eſſe Cordê ſuſceptos; qui totum, quod egit, paſſúsque fuit, in orê, fellê potatus; in oculîs, cruorê conſuſus; in manibûs, clavîs confoſſus; in pedibûs, Cruci ſuffixus; in cordê, lanceâ militarî transfixus, eâ maximè cauſâ ſuſtinuit: ut, quantus eſſet, noſter, totô, totus eſſet, *ex Cordê.*

S. Ambroſ. Lib. 2. de Iſaac, & anim. c. 8.

XVI. In hôc autem amoris divini, per Cor apertum revelatô jam, dulciſſimô myſteriô, Servatoris Cordi, de quô noſtræ ſalutis omnia ſunt argumenta ſuſcepta, non ineptè tribuetur id ipſum, itáq; pœnis omnibus, quibûs negotium univerſæ Redemtionis abſolutum ſtetit, cogitationê piâ ſubjicietur; quod olim, in prælîô cæſi, pro patriâ, Filii, præclara publicîs elogiîs audiens cantari facta Mater, ad ſingulas ejus virtutes, cum præconiô memoratas, jactabundâ repetitionê geſtiens, & identidem exclamando, ſubjecit: *Meus erat!* ut, (quoties laudabile quicquam Præconis fuerat você prolatum, toties, unde virtus illa tanta nata foret, &, quônam ex Cordê profecta, populus omnis agnoſceret) nempè: *Meus erat!* ingeſſerit. Sanè, lanceâ militis apertum latus, &, eô vulnerê manifeſta-

tum divini Cordis arcanum, ex omnibûs, â Vindicê ſalutis humanæ ſuſceptîs, doloribûs, hoc desê fieri poſcit univerſale judicium: ut omnis pœnarum omnium commemoratio ſolum referatur ad Cor, totius videlicet voluntariæ Paſſionis, ex amorê toleratæ, principium. Hoc enim ità ſibi vendicat omnes dolores; ut, cùm factus forſan, in agoniâ, ſudor ſanguinis memoratur, Cor meritò clamet: *Meus erat!* Ubi vinculorum fortè duriſſimorum, Domino libertatis ignominioſiſſimus, nexus ingeritur: idem quoquè Cor continuò reclamet: *Meus erat!* Eadem cæteris omnibûs de doloribûs eſt intelligenda divini Cordis proteſtatio. Nullũ profectò, niſi Cordis amor ſuppeditâſſet, cruorẽ ſudor obtinuiſſet: *Quantùm enim anima Chriſti, charitatis ignê, in intimis* (cordê videlicet) *bulliendo ferveret, ſcaturitio ſanguinis manifeſtat*; ideò facta (Simonê Caſſianô judicê) *ut, ſuprà naturam communem hominum, ſuum oſtenderet eſſe amorem.* Nec vinculum ullum conſtringere manus illas omnipotentiæ valuiſſet: niſi priùs amoris vincula Cor ſuſcepiſſet: utì pariter agnovit, manifeſtúmque fecit S. Bernardus: *Cognoſco, te priùs in Cordê, charitatis nexibûs, fuiſſe conſtrictum; qui, ad deteriora vincula ſufferenda te leviter attrahere potuerunt.* Quî verò vel unicum Verbum ex illô pro nobîs orê factum eſſet; quod acetô, fellêque potatum eſt? niſi cum eô, tam amaricatô, Cordis interceſſiſſet amoroſa conjunctio. Nam, *ex abundantiâ Cordis, os loquitur.* Quomodô, ſuffuſi lacrymîs oculi, cruorêque rubentes, in Cauſâ quicquâ noſtrâ perorâſſent? niſi Cor, quæ conceperat, ſuggeſſiſſet; cujus *januæ*, dicti ſunt oculi, *nunciique*, veriquè, *Cordis interpretes.* Undè tandem adeò copioſa Redemtio; quæ millê Mundîs maleficîs expiandîs potior eſt: cùm, *quoad ſufficientiam* (Angelicô librantê Theologô) *una minima paſſio ſuffeciſſet, ad redimendum genus humanum ab omnibûs peccatîs*? Quid ergò, *cùm poſſet guttâ, redimit undâ*? tantâque profuſionê? totum ut ſanguinem (nè guttâ quidem reliquâ) cum aquâ, jam exhauſti cruoris omnis indicê, liberalitas impenderit prodigioſa? Nempè: *meus erat!* etiam in hôc divinæ dilectionis, tam abundantis, argumentô ſupremô, Cor exclamat: utì perceptum â ſê Seraphicus, divini Cordis interpres, teſtatus eſt, expreſsô, ſuam illam ad quæſtionem, reſponsô: *Dic, quæſo, mi Domine! dic: cùm unica ſanguinis gutta potuiſſet ſufficere ad totius Mundi redemtionem: cur tantum ſanguinem de corporê tuô profundi permiſiſti? ſcio Domine; &, verè ſcio: quia non propter aliud feciſti; niſi, ut oſtenderes: quantô affectu diligeres me!*

Matth. 12. v. 34.

S. Auguſt. Tom. 10. ſerm. 31. ad FF. in eremo. & Tom. 1. Reg. 3. ad Cler. S. Thom. 3. p. quæſt. 46. art. 5. ad 3. S. Bernard. ſerm. 22. in Cant.

S. Bernard. Senenſ. ſerm. 55. de Paſſ. Art. 1. c. 2. B. Simon. de Caſſ. de Paſſ.

S. Bernard. de Paſſ. c. 4.

S. Bonavent. Opuſ. de perf. cap. 6.

me! Nimirum, hoc erat omnibus demonſtrandum : quantô ſingulos affectu, divinum illud Advocati Cor, qui noſtræ ſe Cauſæ totum, ùt impendit, expendit, amaret! & ideò : *quod ſufficiebat Redemtioni, non ſatis erat Amori.*

S. Petr. Chryſol. homil. 122. cit. à Schönleben Tract. 2. de Paſſ. Conſid. 2. n. 4.

XVII. Quantùm aſſequor, videtur illud, immolatus pro nobîs, in ſuô, valoris infiniti ſacrificiô, ſinè quô placere nulla victima poteſt, apprimè ſpectâſſe, Mundi Salvator : ut, quod ipſe quâvis ab hoſtiâ poſtulâſſet, Patri quoquè poſcenti (*Fili, præbe mihi Cor tuum*!) in omnibûs, quæ patiens pro nobîs obtulit, exhiberet : cùm, non tantùm (quod inquit S. Ambroſius) *operationes bonô commendentur affectu*; ſed, nihil eſſe poſſit, ex oblatîs gratum, & efficax ad placandum; quod excors, &, vel cum cordê, vel, ex cordê, libatum non fuerit. *Nullum quippè charius, digniúsque ſacrificium DEO omnipotenti offerri poteſt; quàm, Cor.* Hoc autem in Advocatô noſtrô, cùm omnibus omninò maleficis, ad vindicandas, &, per ſui ſacrificium, abſolvendas peccatorum omnium Cauſas, omnia factum eſſe noverimus (quia ſatisfactum ex ipsô conſtat eſſe pro cunctîs) quis, amabo, Cordis ejus immenſitatem aſſequetur cogitando? nè dicam, complectetur menſurando? Cauſam hujus quæſtionis ex admirabilî factô, quod Lutetiæ Pariſiorum accidiſſe fertur, aſſumſi. Contendens ibi viâ publicâ, per forum, ad regiam, nobilis adoleſcens, qui domô progreſſus integrâ gaudens valetudinê fuerat, nullâ, nè leviſſimâ quidem ſymptomatis ullius animadverſionê gravatus, derepentê prolapſus, & omnî reſpirationê continuò defectus, jacuit exanime, terrificúmque, circùm affluentibus, funus. Mirus univerſos tenuit ſtupor : diverſîsque diverſa, quod in ſimilibûs fieri ſolet, inquirentibûs, &, cumulatô jam, ad cadaver, populi tumultu, nihil priùs agendum cenſuit, qui primos inter accurrerat, clariſſimus famâ Chirurgus : quàm, ut, pectorê diſciſsô, ſtatus Cordis exploratus eſſet ; ex quô ſubitaneum vitalis reſpirationis defectum, fatique, tam properati cauſam profluxiſſe, ſuſpicio non imprudens conjecerat. Id, quod palàm continuò factum, & omnium oculis patuit. Pericardium namquè, quod primum occurrerat, auctum extenſionê terribilî, molem cordis, non ſolitò tantùm ampliorem, ſed, collatîs ex æquô menſurîs, tantîs incrementîs horrendam exhibuit; ut pueri par eſſe capiti cerneretur. Inde, neminê jam contrà vertentê, de casûs, & mortis adeò feſtinatæ cau-

Prov. 23. v. 26.

S. Ambroſ. lib. 1. de Jacob. cap. 8.

Ludov. Bloſ. in Apol. pro Tauler. cap. 6.

Laurent. Med. in Anatom. apud Marcellin. de Piſe. Tom. 1. homil. 6. de Euchariſt.

causâ, pronunciatũ è veſtigiô fuit: cum Amorê laborâſſe, qui tantum in præcordiîs Cor geſtâſſet.

XVIII. Grande cor illud, & omnî majus humani cordis menſurâ, nemo non, ſed, nequè priùs, niſi triſtem poſt caſum, & â mortê primum, ubi monſtrum vidit, agnovit. Quando verò noſtri patuit Cor Servatoris? niſi, poſtquàm lanceâ latus ejus miles aperuit: ut, per Vulnus viſibile, vulnus inviſibile, videlicet Amoris, qui latuerat, videremus. Amor igitur, cum Cordê, revelandus erat: ut, ex Amoris manifeſtationê Cordis vaſtitas, & amplitudo clareſceret; &, ex Amoris menſurâ, de Cordis quantitatê judicium ſtaret. Quis verò nunc, de divini Cordis immenſitatê pronunciare quicquam audebit; cujus omnis ex Amoris diffuſionê cenſeri dimenſio debet? Cùm enim universîs in pœnîs, quibûs, â plantâ pedis, ad uſquè verticem capitis, innocentiſſimi corporis tenerrima membra (nullô non, vulnerê ſuper vulnus, concisô) doluerunt afflicta, Cordis dolor fuerit cum Amorê conjunctus: partim, quòd, Auguſtinô docentê, *Dolor eſt, ſicut Amor (quoniam omnis dolor ex amorê provenit; & ideò, ubi ſummus, & improportionabilis dolor eſt, ibi & ſummus, & improportionabilis Amor eſt*) partim autem, etiam ex eô capitê, neceſſe fuit, omnibus, membrorum omnium doloribus conjunctum Cordis, cum aſſenſu, ſenſum fuiſſe: quòd Advocatus noſter, pro noſtrâ Causâ, quam in ſe, ſuáque ſuſcepit membra, totô corporê, cunctîsque membrîs laborans, peroraverit. Illa namquè vox amoris, per quam abſolutoria nobis eſt impetrata ſententia, nequaquàm interveniſſet; nisi Cor, omnis amoris fons, eandem cum Amorê ſuggeſſiſſet. Juvat hîc officium Cordis, ex interpretê ſacrô, verbîs, prorſùs in hoc argumentum opportunîs, exponere. *Cor enim, id eſt, voluntas*, ait ille, *quaſi regina, omnibus ſenſibus, potentiis, & membris -- imperat. Movet intellectum; ut in eô, quod amat, rationes, & motiva, ad amandum, inveniat. Movet memoriam; ut eorum jugiter recordetur, ſibîque, ad jugiter amandum, repræſentet. Movet oculos; ad intuendum rem amatam: aures; ad audiendum ejus laudes: tactum; ad illam amplectendam* (nec non, ad quælibet, ejus pro causâ, toleranda) *pedes; ut ambulent ad eam poſſidendam: manus; ut eam prehendant.* Quid autem hîs ex omnibûs Cordis motibûs, officiîs, &, in omnes, hominis, tam externi, quam interni, vitales functiones influxibûs, conficitur aliud? quàm, ut perſuaſum habeamus: quendam nobis Jndicem, tam Actionum univerſarum, â quibûs divini noſtri Vindicis nos

Cornel. à Lapid. in Prov. cap. 23. v. 26. fol. 250. D. 2.

S. Auguſt. in Pſalm. 58. B. Albertus M. ſuper miſſ. cap. 116.

Amor

Amor aſſeruit; quàm argumentorum omnium, quæ pro nobîs idem, indigniſſima patiendo, noviſſimum ad uſquè ſpiritum allegavit (ut in omnem partem liberos, abſolutósque præſtaret) in ejuſdem Advocati noſtri benigniſſimi transfixô Cordê, manifeſtum, explicatúmque patere.

XIX. Advertamus igitur non tam oculos, quàm animos, ad abyſſum hanc infinitæ charitatis, devotâ perluſtrationê (cui ſemet aperta jam exhibet, & intimè vult eſſe perſpecta) cum admirandîs illîs efficaciſſimæ virtutis adinventionibûs cognoſcendam; quibûs, ab impendentê judiciô damnationis eruti, ſervatique ſumus. Hîc enim liquet jam: unde facta fuerit illa prima, conſolationis plena, promiſſio: cùm, pavidis nobis, dicta dies tantùm non ſpem omnem eripuit, ex conſcientiâ reatûs; quem nullius â nobîs patrocinium, oratio nulla Cauſidici, valuiſſent avertere: niſi Verbum illud ex hôc nobis Cordê datum fuiſſet: *Ego, ſi exaltatus fuero á terrá, omnia traham ad me ipſum!* ſeu, prout ex Interpretê ter mitratô cognovimus: *Totam Cauſam humani generis agam; &, olim perditam, in integrum revocabo naturam.* Apparet nunc ad oculum: unde robur illud animæ, per Corporis criminoſam exprobrationê, ad anguſtias extremas redactæ, cum aſſecurationis pronunciatæ fiduciâ tam certâ, provenerit: *Ego de tuô fui trepidus; tu de meô eſto ſecurus!* Clareſcit ex hôc Indicê dilectionis divinæ: quônam ex fontê reum in Corpus, æternis jam rogis addicendum, illa dimanaverit, ad exhaurienda peccatorum omnium ſupplicia, liberaliſſima reſolutio: *Si non poteſt hic calix tranſire á mê; niſi bibam illum? fiat voluntas tua!* Quicquid per hæc, adhuc in aditu divini Tribunalis trepidantibus nobis, (nè, metu criminationum, jam apparentium, & indictâ cauſâ, deficeremus) indultũ eſt; ex hôc ſacratiſſimô Cordê, ſoliciti pro nobîs, Advocati noſtri ſuſcepimus: ut unô cogamur orê fateri: *ſecundùm Cor tuum feciſti omnia magnalia hæc!*

Idem ſerm. 9. de Paſſ. Dom. cap. 4.

Matth. 26. v. 42.

2. Reg. 7. v. 21.

XX. Id ipſum agnovit, & eôdem intellectu ſuſcepit, antiquorum Patrum pietas; quæ, poſtquàm ſanguinis grumos (animâ Domini, mœrorum, horrorúmque cumulatîs incurſibûs, ad mortis angores, agonémque triſtiſſimum jam redactâ) per tremula, frigidáque membra defluentes, devotè fuerat contemplata, deprehendit ipſa: *triſtitiâ, & angoribûs, adactum cruorem interiùs, ad refocillandum Cor* (uti doctè Barradius argutit) *poſteà, ſuccedentibûs amoris affectibûs, extractum ad corporis ſuperficiem, per oſtia proſiliiſſe.* Inde Leo Papa concluſit: *In nobîs,*

Barradius Tom. 4. lib. 6. cap. 13.

Joann. 12. v. 32.

& Leo in loc. cit.

S. Leo ſerm. 3. de Paſſ.

S. Ambroſ. in Lucam.

B. Simeon de Caſſ. lib. 17. de Paſſ.

Pſalm. 107. v. 2.

bis, noſtrô pavore trepidabat: ut ſuſceptionem noſtræ infirmitatis indueret. Indè Mediolanenſis Præſul aſſeveravit: *Veſtigiis noſtris deſcendit uſquè ad mortis ærumnas: ut nos ſuis veſtigiis revocaret ad vitam.* Amoris videlicet ille labor fuerat; per quem Cor divinum, noſtram in ſe Cauſam accerſivit, eámque, cùm animæ ſuæ, tùm & corpori, paſſionibûs infinitîs expiandam, impoſuit: *ut, ſuprà communem naturam hominum, ſuum teſtaretur Amorem*: ſcilicèt, ex Cordê, tam preſsô, tam afflictô, tam lethales ad anguſtias, cruentô cum ſudorê proruptas, redactô; de quô, nullô non momentô, totus jam noſter, benigniſſimus Advocatus, ad omnia, quæ conſcius futurorum animus, ignominioſa juxtà, atquè atrocia, ſuggerebat, nè minimùm reluctans, anhelationê perpetuâ teſtatus eſt: *Paratum Cor meum DEUS! paratum Cor meum!* Geminâ ſcilicet conſenſionê paratum: tam ad ea, quæ, corporis pro delictîs, Corpori; quàm ad illa, quæ, pro reatibûs animæ, ſpiritui perferenda, decreta ſunt. Non poſſunt hæc amoris argumenta quenquam adhuc, vel abdita, vel obſcura latere: cûm nulli non apertum pateat; oculisque fidelibus objectum, Cor totum ſit. Hujus intuitu, quid amoris conſpicuum non eſt? quando ſinceritatis indubitabilis argumentum ſupremum eſſe ſolet in votô; quô, qui fidem depoſcit, cor ſuum, ſi pandere liceret! expoſcit.

XXI. Eô fuit animô magnus ille, nulli certè, niſi nominê ſolô Secundus, Hiſpanæ Monarchiæ Rex potentiſſimus, Philippus, in illô Cordê; quod Barbarô Nangaſaci Dynaſtæ, per Legatum, amoris, verè regii, clariſſimum æquè, ac fulgentiſſimum ſymbolum, aureum ex totô, transmiſit: eô munerê volens, ut agnoſceret Barbarus: quantùm cæterîs metallîs omnibûs præſtaret aurum; tantùm reliquîs omnibûs, quæcunquè longè poſitîs ex regionibûs optari ſolent, ſuperius eſſe ſui Cordis votum: quô Nangaſaci Regem, una fidê ſecum conjunctum, anhelaret! Nec opùs erat interpretê: dum Cor, adeò pretioſum, oculîs, manibûsque ſuſceptum, quid indicaret, ipſe continuò, qui recepit, agnovit. Confeſtim enim ſuo cordi Cor, aureum illud, admovit; &, ſibimet apprimens, exclamavit: *O, quàm gaudeo!* ſcilicet: non, quòd aurum; ſed, quòd Cor aureum, &, in aureô cordê, totum ſibi videbatur, tam accepiſſe, quàm intellexiſſe Philippum. Nec jam ullum ei dubium eſſe poterat: quæ per litteras ab Hiſpanô fuerant Regê promiſſa, regiô pariter ex Cordê

Perard. in Conc. Dom. 16. poſt Pent. cit. ab Englgr. p. 1. L. E. Dom. 12. poſt Pent. §. 1. poſt init.

dê fuiſſe prolata: quando ſincerius nullum pignus, & monumentum amoris eſſe poteſt, niſi Cor. Hoc, in emortuô Domini Corporê, piè quondam intuitus, Hebronenſis Epiſcopus, apertum ſibi viſus eſt myſterium Arcæ veteris inſpexiſſe; cujus beneficiô, nè totum ſimul extingueretur genus hominum, cum familiâ ſuâ, Noë juſtus, â diluviô ſervatus eſt. Non attingo cætera myſtici ſenſûs capita; quibûs, inter illud grande ſalutis aſylum, Salvatoríſque noſtri ſacrum cadaver, myſticæ conſolationis Analogia ſubſiſtit. Unica ſufficit in præſens feneſtræ conſideratio; per quam, ex Numinis ipſius præſcriptô, deſuper, in Arcæ totius interiora, lux omnis deſcenderat. Hanc enim, veterî traditionê Rabbinorum, alii, de cryſtallô fabricatam; alii, de carbunculô (quô ſplendidior in omnes Arcæ receſſus illuſtratio diſpenſaretur) â Noëmô fuiſſe factam, contendunt. Hâc in feneſtrâ, per quam, ad ſolis illapſum, adeò conſpicua cuncta reddebantur Arcæ totius abdita, veneratus eſt, apertô patens laterê, Cor JEſu, Præſul ille, quàm dignitatê, tam eruditionê clariſſimus: quòd, exinde conſpicuum nobis factum eſſe (quem in mortem uſquè Dominus noſter teſtatus patiendo fuerat) amorem omnem agnoviſſet. *In Arcâ Noë*, (ſic ſuum ipſe ſenſum declarat) *feneſtra*, aut *cryſtallina*, *aut*, *è fulgentiſſimô Carbunculô confecta*, *ſolarî radiô perfuſa*, *omnia*, *intrà Arcam contenta*, *conſpicienti manifeſtabat*. *Per feneſtram*, *animatæ novi fœderis Arcæ*, *vulnus inquam*, *Cordis*, *& lateris Salvatoris*, *viſcera DEI noſtri*, *ardentiſſimô amoris ignê ſuccenſa*, *perſpicienti per hujus vulneris cancellos*, *admirabilî lucê*, *& claritatê reſplendent*. Hinc manifeſtum, & meridianâ lucê clarius eſt: omnia, quæ facta percepimus, *ex Cordé*, divini ſcilicet amoris motu, conſiliô, decretôque facta fuiſſe. Idem ibidem.

XXII. Cùm ità ſe nobis explicatus, arcanorum Servatoris noſtri conſiliorum Index, legendum indulgeat; non eſt, quod ex antiquîs requiramus oraculîs: Cur in hortô Gethſemani, ſeparatus â Diſcipulîs, orationem, ternîs dormientium viſitationibûs interruptam, pronus in terram, & prolixiùs, pro Contumacibûs inſtando, peregerit Advocatus? Cur, â ſacrilegô, perfidôque Diſcipulô, ſervilî pretiô venditus, & hoſtium poteſtati jam traditus, inter ipſa vincula, quibûs ligari ſe, teneríque permiſit, laborare tamen eorum pro Causâ voluerit: qui cupiditatê turpiſſimi, viliſſimíque, temporalis Lucri, flagrantes, innocentiam ſuam, & animam,

Geneſ. 6. v. 16.

Rabbini. cit. apud Forner. in Parad. malor. pun. Tom. 2. Conc. 42.

& æterna bona, cum ipsô summô Bonô, prostituere, venundare, traderéque perfidè, non verentur? Cur, per immodicas expensas, in enormè paricidii sacrilegi scelus, ab iîsdem, nullâ cum redargutionê conscientiæ, factas, qui de numismatê, Cæsari tribuendô, priùs anxiè trepidabant, inter numerosas lucernas, & faces, â stipendiariâ manu deductus, patrocinium tamen, illorum tunc egerit: qui superfluam necessitati suæ pecuniam (ex quâ miseris commune subsidium Providentia cœlestis constituit, &, naturæ præceptô, pendi jussit) injuriâ subtractam, in vanos, & iniquos etiam, ac flagitiosos usûs depravant? Cur, per nequissimam officii simulationem, osculô proditoriô traditus in mortem, Advocati tamen partes agere non desierit, etiam illorum extremâ pro malitiâ: qui, propriam vitam sceleribûs contaminâsse non contenti, diû, noctûque, perditè, perfidéque negotiantur: ut, per nundinarias strophas amicæ conversationis, deceptam innocentiam, alienis concupiscentiis reddere possint obnoxiam, & victimam immolare? Tantorum criminum accusationes æquissimæ, quônam fuerint argumentô subversæ? quibûs ex juris visceribûs evacuatæ penitùs, & exhaustæ sint, ab Advocatô malefici Mundi? nemo, dum Cor patet, inquirat. Ea, quæ memoratîs in persecutionibûs voluntariâ tolerantiâ passus est, *omnia* (prout agnovit, intimè contemplatus universa, sanctus Justinianus) *habent voces suas*, *Amoris*! Hic igitur, si munerê functus est Advocati? suô locutus, illô scilicet, ex Codicê fuit; undè loqui quàm efficacissimè consuevit, *ex Cordê*. *S. Laurent. Justinian. de Connub. Verbi & Anim. cap. 5.*

XXIII. Indè loquentem intellexit Amorem primô statim intuitu, quô Cor interfecti, propter se, Dilecti conspexit, Salernitani Principis infelix Filia (quia, ne què cautîs, nequè castîs amoribûs deperita) Sigismunda. Latebat, ùt fieri solet, aulâ conscià, solum Patrem, familiaris, adolescentis Palatini, cum filiâ, consuetudo: donec ejus in manus, imprudentiâ Tabellarii, locus, per litteras Guiscardo destinatus, &, ad infandum condicta negotium hora, pervênit. Insidiîs igitur (ad optatos amplexus per tenebras festinanti, bis cæco) constitutîs, miser Amasius, in ardorê Sigismundæ, quam deperibat, comprehensus, non unô vulnerê confossus in corporê, periit; qui diù jam in Cordê, vulneratus amorê, soli vixit, quam adeò perditè dilexit. Ità verò violenter trucidato Tancredus, non minùs adversùs Filiam, ac, ejus in amores, vindex crudelis, Cor, adhuc penè spirantî, de *Beyerlinck in Theatr. vit. hum. cit. ab Engel. p. 1. L. E. §. 3. Dom. 12. post Pent. in princ. vide D. A. Burg. à verit. c. 37. Leon. Aretin. cit. ab eodem. ibid. Dom. 2. Advent. §. 4. in fin.*

de viſceribûs exſecari juſſit, & in aureâ phialâ, calens adhuc, ac fumans, ad Filiam deferri. Nunquàm Sigiſmunda tam evidens amoris argumentum, & palpabile, ſuîs in oculîs, manibûsque tenuit, ſuô de Guiſcardô; quàm, ubi Cor ejus, adeò dilectum (quod nunquàm aliàs exploratũ habere potuit) exſectum vidit. Non aliô tunc opùs teſtimoniô fuit; quô convicta, crederet: ea, quæ verbîs olim fuerant ab amantê promiſſa, veraciter ex Cordê fuiſſe profecta. Poteritne verò minor eſſe noſtra, de Servatoris amantiſſimi transfixô Cordê Fides? Aut, erit ejus, ergà nos amoris, per omnia demonſtrati, certior adhuc, in votîs alia, manifeſtiórque perſuaſio? Reclamat S. Bernardus: *Ad hoc perforatum eſt latus: ad hoc vulneratum eſt Cor: ut inviſibile vulnus amoris videamus. Quomodò hic ardor meliùs oſtendi poteſt?*

S. Bernard. cap. 3. de Paſſ.

XXIV. Utinam talis eſſet omnium una ſententia! nullâ ſanè deforet ex partê (quod ità patens exigit amor) Cordium, veraciter intelligentium, tributum. Erubeſco, meminiſſe ſolùm; quod probroſus, & laſcivus amor, per eviſceratum Amaſii Cor, oculis objectum, adeptus eſt. Vix illud, intuitu primô, Sigismunda conſpexit; ſuô, totum, in Cordê continuò ſenſit; oblitáque ſui, quod primum omnium adeò patens amor exigere videbatur, lacrymoſæ pollinctiuræ munus impendit, liquidô penè dolorê diffluens; quem, unionum inſtar, oculus uterquè, ſui tantùm non ipſius prodigus, & profuſor (ut pretioſè litaret) exhauſit. Indè charum Cor Cordi ſuo, quantâ valuit, appreſſit, ut uniret, virtute: miſsâque deliberationê (nè ſuô ſinè Guiſcardô longam vivere mortem cogeretur) mixtum venenô calicem arreptum exhauſit, unum illud â Patrê, moribunda depoſcens: nè Corda, tam chara, tumuli disjunctionê, ſævus plecteret: ut, qui crudelis in vivos fuerat, perhorreſceret, in mortuos etiam, impius, tam acerbâ ſeparationê delinquere! Vah! amantes, amentes! Non eſt autê hæc indignatio mea, fatuos iſtos tantùm, in amores, cum doloribûs pariter inſanîs, per hujus improperii juſtam contumeliam ejecta. Illos amantes, amentes criminor, & indignor; quorum in oculîs, (dum apertum, perfoſſúmque Cor intima pandit) omnî dubiô vacat: quàm fuerit ex Cordê locutus, in deſperatîs omnium causîs, quas vindicare nemo valuiſſet, Advocatus noſter divinus! Exclamat magnus mecum Auguſtinus: *Patent arcana Cordis! patet magnum pietatis Sacramentum! patent viſcera miſericordiæ* *S. Auguſt. in Manuali. cap. 21. & 22.*

DEI noſtri, plena pietaté, plena dulcedinê, & charitaté! Sed, ubi lacrymæ piæ, liquida nimirum, per doloris tributum, teſtatæ dilectionis argumenta? Quale percepti mœroris indicium, & amoris, inde cogniti, judicium, illa præbent corda? quæ, nec unicô devotô ſuſpiriô, ruptam in ſê duritiam antiquæ pravitatis fatentur. Cur non pariter cum Sigismundâ manum extendimus? &

Pſalm. 115. v. 13. *Calicem*, non toxici, ſed *ſalutaris*, quem Salvator ipſe prior exhauſit, accipimus? cupidíque mortis, modicum illud, quod exſorbendum nobis reliquit (ut omnibus omninò vitiis, & concupiſcentiis moriamur) avidæ pietatis labrîs excipimus? Quid verò prohibet etiam, aut retinet nos? quìn votîs omnibûs tantô cum Cordê corda noſtra, non conjungi tantùm, ſed uniri quoquè flagitemus? unúmque, cum eô, Cor, in uno ſpiritu Chriſti JEſu,

Rom. 6. v. 4. *conſepulti cum illô*, fieri, longè prudentiorî, feliciorîque votô contendamus; quàm inſanus amor, ille, ſuimet funeris violentus exactor, concupivit? Si noſtra corda talî ferverent affectu; qualî Cor Matris Virgineæ tunc flagrabat: cùm, ſepultum pro nobîs Filium ſuum, jugî proſecuta mœrorê, lacrymîsque devotiſſimîs, tantùm non corporê conſepulta, deploravit; jam eôdem illa, cum Cordê maternô, ſentiremus locô condita, divinóque noſtri Servatoris Cordi conjuncta. Sic enim afflictiſſima parens dilectæ ſuæ faſſa fuit Birgittæ: *O, quàm libenter tunc fuiſſem ſepulta cum Filiô meô! Paſſio ejus in Cordê meô fixa ſit erat: quòd, ſive comedebam, ſive laborabam, quaſi recens erat in memoriá meâ. Verè dicere poſſum: quòd, ſepultô Filiô meô, quaſi duo Corda in unô fuerint ſepulchrô; ſic in ſepulchrô Filii mei ſemper cogitatio mea, & cor meum verſabatur.* *Revelat. S. Birgitta, lib. 6. cap. 57. & 21. & alibi.*

XXV. Nequè verò perſuadere mihi poſſum, neminem eorum, in tantâ concionê, quam hîc cerno, licèt non parî, ſimilî tamen affectu devotum eſſe; quô ſuum Cor Virgo Mater, conſepultum JESU Cordi, perſenſit: cùm, & manantes ab oculîs videam lacrymas; &, pallentes mœrorê, conſpiciam vultus; & ſingultus de cordibûs, altè vulneratîs, proruptos inaudiam. Quis non arbitretur ſenſum Cordis, indè transfixi (qui mortuo Redemtori defuit, cùm vulnus illud accepit) ſic in corda penetrâſſe plurimorum; ut, ad reliqua divini Cordis illius perſpicienda myſteria ſit apertus intellectus: quô, non ea tantùm percepta, cognitáque fuêre; quæ pro malefactoribûs, in primô divinæ Juſtitiæ Forô, Servator, ex Cordê ſuô ſacratiſſimô locutus eſt: ſed, quæ cæterîs in Causîs, pariter, ex eôdem dile-

dilectionis infinitæ ſacrariô, pro miſerîs allegavit? Nôrunt igitur hi, quod viderunt: Undè verborum illa vis, & efficacia deſumta ſit; quam â Dominô, Tribunalibus, æquè ſacris, atquè profanis, utrisque perverſiſſimis, iniquè delatô, ſed, iniquiùs, ab iîsdem condemnatô, feliciter experti fuerunt, criminoſiſſimè delati. Sacrilegâ namquè percuſſus alapâ (proh! contumeliam, nullô ſatìs fulminê conterendam!) Crimen læſæ Majeſtatis, lethalî quôlibet peccatô contractum, diluendum in ſe ſuſcepit. Coëmtîs â teſtibûs, venalibûs illis Orci mancipîs, coràm Pontificê perjuratus (vah! ora, faucium inſtar gehennalium diducta!) pernicioſiſſimam impietatem Pejerantium, eloquentiſſimâ ſuâ taciturnitatê, nè judicaretur, ſuppreſſit. Noctem totam in ſordidô Pontificiæ domûs receſſu, turpitudinis omnis petulantiſſimas illuſiones, â viliſſimorum hominum inſultantê fæcê perpeſſus (heu! probra, non, nisì poſtremâ Mundi lucê revelanda!) nocturna tamen, illa fœda, flagitioſáque Conventicula, multîs nominibûs accuſata, dum, repletô ſputîs orê, non valuit, ſuſpiriîs tamen, affectu mirabilî multiplicatîs, periculô liberavit. Per Albæ veſtis ludibrium, ùt fatuus, ab Herodê ſubſannatus (proh! illuſionem, æternâ ſubſannationê percutiendam!) nec illis patrociniô ſuô defuit: qui, corruptam in aliîs innocentiam, perverſitatê diabolicâ, præcipitem ad inferna dederunt. Non eſt, hâc ſuper abſolutionê Cauſarum perditiſſimarum, quod verbô quæramus: Unde prolata ſint in medium ea Verba; quibûs adverſariarum Actionum omnis cedere debuit expugnata criminatio? Dum in patens Cor JESU defixus eſt animus; quis non illud indè jam ſibi dictum audivit: *Eructavit Cor meum verbum bonum?* Audivit hoc, qui Cauſæ ſuæ penitùs diffiſus, continuò meliorem in ſpem, intuitu transfixi Cordis, erectus, exclamavit: *Peccavi peccatum grande! turbatur conſcientia: ſed non perturbor: quoniam vulnerum Domini recordabor.* * *Ad hoc perforatum eſt latus: ad hoc vulneratum eſt Cor: ut in illô, ab exterioribûs perturbationibûs abſolutus* (quia per illud vindicatus, & aſſertus) *inhabitem!*

Pſalm. 44. v. 2.

S. Bernard. ſerm. 65. in Cant. & Cap. 3. de Paſſion.

XXVI. Qui ſenſum hunc, ex objectô, verborum allegatorum Indicê Cordialî, non ipſe jam conjicit, aut intelligit: næ peregrinum eum, in amoris alphabetô, dixerim; &, ab idiomatis illius intelligentiâ, totô Cordê remotum. Accuratior fuit, & ingeniô feliciorî (quamvis in ipsô multùm erraverit amorê) dile-

Claud. Fauber. ex antiq. Chron. ann, 1191.

dilecta Reginaldo, Fayelia. Nihil Orbis universus (cæcô scilicet ejus affectu judicê) thesaurîs in omnibûs, pretiosius habuit Reginaldô; nihil, in universâ venustatê, sapientiâ, gratiâ, præter illum unum, amorê dignum. Ejus præsentia quantùm illi contulit ad solatium; tantùm huic, unà cum vitâ, subtractô Reginaldô, continuò defuit: ut singulîs momentîs, quibus, cum alloquiô dilecti, nutrimentum defecerat amoris, etiam ægrior in amatâ, debiliórq; facta sit vita; quæ tota, solô propè, pendebat ex Reginaldô. Sacri tum belli Christianus fervor, utì reliquos plures, fidei zelô nobiles adolescentes, in Palæstinam traxit; ità generosam etiam indolem Reginaldi, de Concy, vitæ periculum, &, quæ cætera sunt mortalibus chara, Causæ tam piæ posthabere persuasit. Ivit, relictâ, sed, quantô dolorê? Fayeliâ: si tamen dici potest relicta; quæ, non ipsa tantùm â suô non dimisit Cordê dilectum; sed, in ipsius quoquè Cordê, prima vitæ pars, ùt amoris fuerat summa, permansit. Prælîô subindè cum Saracenîs commissô, cùm fortiùs in hostem auderet, minùs cautus Reginaldus, lethalî vulnerê saucius continuò, nè confligentiũ pedibûs protritus deficeret, ad securiora delatus est: non ità tamen corporis, telô confixi, sicut alterum, ex Fayeliâ, quam acerbissimè tum sensit, vulnus Cordis indoluit. Inevitabilis paulò pòst mortis conscius, aliud potiùs nihil, â fidelî manu, cujus in obsequiîs deficere vita jam, & exspirare cœperat, præter hujus unicam postulati fidem exegit: ut, è mortuô suô corporê, cor evulsum, non tam in charas Fayeliæ manus veniret; quàm ejus ipsius uniretur cum Cordê, sic tandem, evidens amoris illius testimonium, quem jurata priùs tot verba loquebantur, acceptura. Non fefellit affectum effectus; &, qui fidem dedit, exsolvit; ac, itineribûs tantîs, quod ultimâ voluntatê decreverat Reginaldus, attulit, obtulitque Fayeliæ, Cor amati, sed ignaræ; nec videndum duntaxat illud, sed, edulii rarissimi nominê, comedendum dedit. Ità pasta, postquàm (quid in oculîs, manibûsque tenuisset, imò verò, suo jam etiam Cordi junxisset) edocta cognovit: illud scilicèt, esse sui Reginaldi Cor: confestim acroamatê memorabilî sensum Cordis acutissimum indicavit, exclamans: *hoc est, amare*! Quantùm assequor, tribûs hîs verbîs, quid, amati cordis intuitu, pastúque cognoverit, palàm fateri voluit: integram sibi jam eorum omnium patêre, firmámque fidem; quæ, vivens olim, orê, de suîs Reginaldus amoribûs testabatur:

batur: ut nullum illi, nè minimum quidem, dubiũ ſupereſſe potuerit (ubi Cor adeò charum, non modò coràm sê, ſed etiam intrà ſe tenuit) Eum omnia, quæ liberalî fuerat orê pollicitus, totô locutum *ex Cordê fuiſſe.*

XXVII. Hôc intellectô, mortui ſcilicet, Cordis oraculô, nulla Fayeliæ vita, chara porrò, ſed, omne momentum ejus, inviſum, nec potius quicquam in votîs fuit; quàm ſui, de corporê, dimidii, quod modicum ſuper adhuc erat, feſtinata reſolutio. Nullius igitur hominis affatus, nullum ullius conſolationis levamen ingeri ſibi ſuſtinens, voluntariâ ſolitudinê ſe ſubtractam omnibus, pertinacî continuò damnavit inediâ; negans, vel convenire, vel oportere, cùm amores alios, tùm alimentum aliud, Cordi ſuo porrò concedi, tam probatâ fidê dilecto, tam inauditîs cupediîs paſto. Mihi ſanè deliberatum adeò, properatúmque rerum omnium hujus vitæ faſtidium, firmiſſimam facit fidem: idioma Cordis intellectum â Fayelia fuiſſe; quod, oculis objectum, &, manibûs receptum, &, intrà Cor ipſum tandem abditum, certam quoquè reddidit amatam: omnia Dilecti verba veraciter ex Cordê prolata fuiſſe. Sed contrariam planè conjecturam, quam inde quoquè ſuſcepi, non ingravatè fero. Cùm enim omnia cætera, quæ vitæ ſunt hujus, multis quidem ſapere magis, appeti verò, noverim etiam â non paucîs, aviditatê, ſuper ea, quæ dilecti noſtri ſunt, multò ferventiorî: quid inde cogor, extortô, ſi nollem etiam, aſſenſu credere? niſi, quod gemebundus ille, Seraphici Patris genuinus, divini ſcilicet amoris ardorê flagrans, verè Seraphicus Filius, B. Jacoponus, mœſtô vultu per plateas decurrens, &, manantibûs per genas lacrymîs, lamentans accuſavit: *Amor non amatur!* Hoc autem apertè convincit: Cor illud Servatoris noſtri, conſpectum ſortè, guſtatum verò nequaquàm, & ideò, quid loqueretur, ac teſtaretur, nec intellectum fuiſſe: quicquid interim acclamans grandî você contenderet, ex illô dulciſſimè paſtus, & mirificè doctus Bernardus: *Latus lanceá perforárunt: per has rimas licet guſtare, & videre: quàm ſuavis eſt Dominus!* Dicere videtur per hæc velle: quòd apertô laterê Cor pateat; ut inde non legi tantùm, colligíque manifeſtè poſſit; quantâ charitatê locutus in Paſſionê ſuâ Servator amantiſſimus fuerit: ſed, ut ipſa quoquè charitatis ejus dulcedo, ſic agnita, dum ſeſe cordibus dulciter ingerit, intimîs omninò viſceribûs guſtata recipiatur!

P. Engelgr. p. 1. Cœl. Panthei. in Feſt. Pentecoſt. §. 3. in fine.

S. Bernard. ſerm. 61. in Cant.

XXVIII. Quàm optandum!

ut eôdem essemus omnes, vel oculô, vel Cordê, vel utrôquè (quod magìs optandum) sic affecti; sicut erat, ætatê tenerâ, nec duodenarium annorum supergressa, tamen tunc jam electa Christi sponsa, Lutgardis: quam, ut ab incautæ simplicitatis familiaritatê, cum adolescentê, cœptâ, divinus amator (nê cor ejus innocens, partitîs divisum amoribûs, interiret) confestim abstraheret, integréque possideret, molimine multô nequaquàm aggressus fuit. Unicô res est acta momentô; quô se, Rex cordium, hiantê vulnerê confossi lateris, &, apparentis exindè Cordis amorê conspicuum dedit; simúlque, Cordi digitũ admovens, admonuit: ut, quis amores ejus meritò sibi vindicâsset, agnosceret. Satìs, in ictu oculi, quid Cor JESU postularet, Lutgardis intellexit: nec alterius, ex illô momentô, memor ampliùs amoris ullius esse voluit, præter eum; cujus impensam, in causâ suâ, solicitudinem, ex patefactîs Cordis arcanîs agnovit.

Nadæsi in Ant. Cœlesti 16. Junii.

XXIX. Hîs igitur sanctæ Lutgardis oculîs, explicatum hunc, divini, pro nobîs allegati, juris, & amoris Indicem intuentes, accuratissimè perspiciemus; quicquid in Prætoriô Pilati, gravissimas cùm pœnas, tùm injurias passus, cruentîs characteribûs in membranâ virgineâ sui sacratissimi corporis exaratum, divino Tribunali pro maleficîs obtulit, indè conceptum, assumtúmque fuisse. Diffidebant suæ, penitùs conclamatæ Causæ; qui, post confessam scelerum pœnitentiam, velut ejusdem, actæ jam, pœnitentiæ pœnitentes, & peremtores, in rebûs pessimîs gloriantes, flagitia, per jactantiam, elata magìs, gravioráque reddiderant. Hos verò, mirabiliter, in fiduciam gratiæ, per constantiam illam Servator erexit; quâ stetit, infamem ad columnam ligatus, inter ictus concertantium, de crudelitatis immanitatê, carnificum: quos inter, *ille præstantior credebatur; qui in infligendis verberibûs crudelior extitisset.* Adeò verò crepitantibûs ictibûs concussum Dominum, suæ tamen eloquentiæ patrocinium non continuisse, sed, abundantiùs profudisse salutis verba, plùs profectò miraculi, quàm profluvium illius aquæ, testatur; quod è saxô, virgâ Moysis percussô, promanavit. Non poterant, nisi judicium damnationis, actionê nimiùm aggravatâ, depressi jam ad Inferni fauces, criminis illius incusati præstolari; quod omnem propè, per brutales concupiscentias corruptam humanitatem, ùt sordere, sic fœtere fecit, &, intolerabilẽ suo reddidit Conditori. Nequè tamen hos ipsos, in suô stercorê putrescentes,

S. Laurent. Justin. c. 10. de triumph. agonis.

Exod. 17. v. 6.

Joël. 1. v. 17.

cæló-

cœlóque penitùs abominabiles, Verbô ſuô deſtituit Advocatus, vehementiſſimè tunc locutus; cùm, in ſuô jam cruorê natantis, humîque jacentis, lumbi caſtiſſimi, flagrîs immanibûs dilacerati, per immane vulnus, immenſam inclamârunt miſericordiam! Iſte verò clamor, plùs habuiſſe vocis, quàm, & infinitâ virtutê potior fuiſſe cenſendus eſt, eô; quem, Zopyri de vulneribûs, cùm ſuis eadem oculîs objecta conſpexit, pro quô fuerant excepta, Rex Darius accepit. Quantum in diſcrimen, per criminationem exaggeratam, eorum adductus jam reatus erat? qui, nihil non iniquitatis, furtim, raptímque, ſacrilegîs etiam auſibûs (omnibûs conſcientiæ redargutionibûs, cæcô quôdam furorê protritîs) conſcientiam ſuprà ſuam (inexcuſabilî violentiâ, ſibimet ipſis injurii) cumulârunt. Sed & horum accuſationes, â Conſcientiâ nimiùm preſsâ ponderoſiſſimîs rationibûs prægravatas, amantiſſimus idem Vindex noſter excuſſit: cùm, in circumfluô ſuô penè merſus cruorê, funeſtum illum clamorem hoſtium, rabiê tigrinâ frementium, inaudivit: *Sanguis ejus ſuper nos; & ſuper filios noſtros!* quô culpam, & pœnam pretii tanti, tam iniquè profuſi, conſcientiæ ſuæ, veluti nihil inde paſſuræ, relinqui volebant. Num verò, ſanguinis illius vocem, longè meliùs, quàm Abel, fuiſſe locutam, totô non Orbê jam notum, vulgatúmque tenetur? Nulla demùm apparebat effugio via, nullus declinandæ ſententiæ modus, accuſatis, Domino Majeſtatis, inhumanis illis, tyrannicísque dominiis; quibus nullus, in ſubjectorum exigendîs, & extorquendîs obſequiîs modus, veniæ ſpem omnem eripuiſſe videbatur: niſi modum inveniſſet, omnem ſuprà modum, cùm ignominiæ, tùm crudelitatis, per ſpineam coronam afflictiſſimus Mediator. Quamvis enim illô tormentô ſuffocatum propè, quod ceciderat in ſpinas, apparebat Verbum: admirabilî tamen adinventionê modus interpellandi, quem in manibûs habuit, per illam ipſam arundinem, ab Amorê repertus eſt; quâ, ſuomet intinctâ cruori, ſcriptum confecit, plenum characteribûs arcanîs infinitæ dilectionis, & ſuprà Themiſtoclis illum, adverſûs immeritos Gentiles, admirandum affectum, quô, ſuîs ille proſcriptus ab Athenienſibûs (dum non licuit aliter) devotum ſe, tam ingratis, cruorê ſuô, pro linguâ, teſtatus eſt, adorandum.

Herodot. Lib. 3.

Marci. 4. v. 7.

Textor. Offic. ſeu Theatr. L. 5. c. 2.

Matth. 27. v. 25.

Hebr. 12. v. 24.

XXX. Eritne verò, qui requiret: ut veſtram pietatem, ad Cordialem aperti lateris Indicem explorandum, rurſùs exhorter? An autem primùm intuenti non ſta-

ſtatim patet; quod S. Laurentio Juſtiniano viſum? Amorem fuiſſe; qui Samſonem noſtrum, vinculîs omnibûs potiorem, alligavit columnæ: *Nullum vinculum*, ait ille, *Filium DEI tenere potuiſſet; ſi charitatis vinculum defuiſſet.* An occultum eſſe, poteſt ulli; quod apertiſſimè legit S. Hieronymus? Amorem feciſſe; quòd inter flagella ſe non ſubtraxerit innocentia: *Hoc factum eſt: ut, quia ſcriptum erat (multa flagella peccatorum) illô flagellatô nos â verberibûs liberaremur*: ſic ille. An latére quenquam poteſt; quod palàm agnovit, cum Aſcetâ Kempensî, Ponferradienſis noſter? Amorem urſiſſe: nè, deficientibûs Tortorum viribûs, deficeret ſuſtinentia tolerantis: *Quoties Chriſtus*, inquit ille, *ictum aliquem verberantis accepit; mox illum Patri pro nobis obtulit, petens: ut delictis noſtris ignoſceret. Tortores laſſabantur: non laſſabatur Dei in homines amor.* An velut abditum, & obſcurũ, inquirendũ adhuc eſt indagine multâ; quod primô cum aſpectu penetravit in animum Tertulliani? Cordis imperium fuiſſe; quô ſpinoſum diadema Capiti ſuo ſuſtinuit Amor imponi: *Dominica Chriſti tempora lancinaverunt* (ſic ille fatus) *mortiferi: quidem vulneribûs ſpinæ: ſed novarum pœnarum ardorê ſuſtentabatur amans.* Cæcus igitur, magis animô, quam, vultûs oculô, nequè dignus, vulnerati Servatoris Cor intueri, judicandus eſt; qui tantæ patientiæ, tantæquè conſtantiæ vocem, pro reîs interpellantem, aliundè, quàm ex illô cenſet eſſe profectâ Cordê; quod, ſingulos innocui Corporis ictus, omnésque plagas, utì, non niſi volens, ità ſuô de ſenſu, pro cauſîs reorum expiandîs admiſit. Non adeò ſtupida, ſtultô licèt amorê, corrupta non minùs, atquè correpta, Princeps illa Narbonenſis Galliæ, Saliani conjunx fuit. Hanc deperierat Gabellanus, vir nobilis, perditè, geminam in perditionê. Salianus enim, Ægyſthum execratus, atrocî ſupplicio trucidatum, jubet privari Cordê Gabellanum; quô Conjugem rebatur eſſe receptam. Illud ſubinde, minutiſſimè conciſum, aſſatúmque, devorandũ uxori porrexit: quæ, certior exactæ crudelitatis facta, cùm inſuper exanime Gabellani cadaver, ab atrociſſimô Conjugê ſuis objectum oculis cerneret, non diù, quam agnovit, amoris exprobrationem, ſufferre vivens potuit. Ut ergo, vociferando, teſtabatur: (*Periiſti amoris mei cauſâ, Gabellane! non moriêris inultus! Cor vivum, pro mortuô, reddo: ut, cùm tecum vivere nequeam, unà moriar!*) has inter voces prolapſa, loqui ſimul, ſpiraréque, viveréque deſiit.

XXXI. Quòdſi par nobis, de transfixi JESU Cordis amorê, fides

S. Laurent. Juſtin. de ligno vitæ. cap. 4.

S. Hieron: in cap. 26. Matth.

Thom. Kemp. de Paſſ. Chri.

Didacus de Baeza. Lib. 4. in Evang. cap. 3. §. 28.

Tertullian. de Coron. Milit.

Hiſtor. Gall. Narbon. ann. 1267.

des eſt: quid non exclamamus, pietatê tantò ferventiorî, quantò juſtiorî? vel, S. cum Auguſtinô teſtantes: *Dilexiſti me, Domine, plùs, quàm te; quia mori voluiſti pro mé!* Vel, cum Abbatê Guarricô gementes: *O DEUM! (ſi fas eſt dicere?) prodigum ſui, præ deſiderîô hominis? An non prodigum? qui non ſolùm ſua, ſed etiam ſe impendit: ut hominem recuperaret, non tam ſibi, quàm ipſi homini?* Nequè verò ſufficiet, ità clamare (ſatìs perſuaſum ut habeam: integram ſauciati Cordis cognitionê inhærere cordibûs noſtris) niſi pariter, amorê vulneratis, totus vulnerum eorum, dolorúmque ſenſus, fuerit infixus: utì quondam clariſſimæ, de montê Falconê, Claræ, virgineo totus inſculptus, & impreſſus cordi fuerat, pro votô ſcilicet illô, Doctoris gentium: *hoc ſentite in vobis; quod & in Chriſtô JESU!* Sic affecti ſi fuerimus, nullus inquiret: Unde, preſſus etiam ignominioſiſſimæ Crucis, dupliciter aggravatô, ſuppliciô, progrediens ad Calvariæ montem, in quartô ſcilicet Forô juſtitiæ divinæ, Cauſas graviſſimas Maleficorum tueri voluerit; &, in ſe ſuſceptas, cùm portare, tùm expiare? Primùm enim, inter latrones, onerê ſublevatos, innocens ipſe progreſſus, & fatalî ſolus lignô gravatus, iniquorum ſuſtinuit Judicum Cauſam. Indè deplora-

. Auguſt. ſoliloq. ap. 13.

Guarricus Abbas. ſerm. de Pent.

Philip. 2. v. 5.

tus â Matribûs Tortorum ſuorum, pro parentibûs, prolium ſuarum ſpiritualibûs paricidîs, & auctoribûs exitii ſempiterni, ſolicitus fuit. Ab hîs, tertiùm, ſub, &, cum Crucê, prolapſus (etſi ſuorum gentilium â nullô, ſed, ab extraneô ſublevatus Cyrenæô fuerit) illis tamen patrocinando deeſſe noluit; qui, legem Crucis, & Veritatem ejus, ex prædicationê conſpicuam, etiam agnitam, tantúmque non palpabilem, amplecti tamen, cum Judæîs, pertinaciſſimè renuerunt. Cùm verò, poſt hæc, peplo capitali Veronicæ, cruentum de vultu ſudorem abſtergentis, impreſſum ſuæ Paſſionis memoriale reliquit; idem ipſum divinæ ſupplex juſtitiæ, ſuppreſsâ licèt você, velut patentes litteras exhibuit, eorum implexâ pro cauſâ; qui, per exoticum, & enormem capillorum, comendique capitis luxum, ipſi ſibi funes, rudentésque texuerunt in peccatîs; quibûs ad infernale detrahi barathrum debuiſſent.

XXXII. Hanc, tam luculentam Advocati ſolicitudinem, nec immanî ponderê Crucis oppreſſam, nec perturbatam, aut â propoſitô procurandarum Cauſarum avocatam, cùm in memoriam revocavi, videtur mihi, conſtanter adeò progreſſus, etſi per ipſorum ſcelera, pro quibûs inter-

ceſſit, incumbens humeris lignum, in immenſum, & humanis importabile viribus onus, auctum, aggravatúmque ſuerit, ſingulos ad paſſus, Cordê ſcilicet robur occultum jugiter ſuggerentê, dixiſſe: *Pondus meum, Amor eſt! eò feror, quocúnque feror.* Et hinc, exinaniti corporis, tam immenſò ſub ponderê, mirabilis eluxit fortitudo. Nunquàm enim oneri tam horrendo, viſibiliter non minùs, quàm inviſibiliter, omnium ſcilicet accumulationê peccatorum, terribiliter aucto, ſuos Dominus humeros, aſſumtô cum onerê, pro cunctis loquendi, ſubjeciſſet: niſi, divinô plenum amorê, Cor JESU, de ſuâ virtutê, quæ portat omnia, robur Corpori ſuppeditâſſet. Admirandam hanc bajulæ charitatis, acceptam â Cordê, fortitudinem, ad omnia, cunctorum reorum onera, ſupportanda, Carnotenſis Abbas, ùt agnovit, obſtupeſcens exclamavit: *Ad portanda aliena onera urgetur: ultrò, demiſsô poplitê, curvat ſcapulas: nec grave judicat, eos pati; qui ſeipſos ferre non poſſunt.* Cur hoc? niſi: *quia pondus meum, amor eſt.* Ità judicavit Eccleſiæ Catholicæ Salomon Africanus: *Crucem portabat, ponderê gravem, itinerê longô: grave quidem pondus Corpori; ſed, leve charitati.* Quiddam ampliùs adhuc viſum eſt magno Præſuli Mediolanenſium; qui, non modò ſuppeditatum â Cordê robur, ad onus tam immane portandum, ſed, gaudium etiam, exinde diffuſum, â ſê teſtatur agnitum fuiſſe; quod verbîs illîs expreſſit. *Ablaturus omnium lacrymas, ſuæ beneficiô Crucis, in Paſſionê propriâ, futuræ inſtar beatitudinis lætitiam exhibebat.* Amor igitur infatigabilis, quô miſerorum ſalutem, Advocatus, etiam ipſe preſſus, flagrabat, illud ei robur inexpugnabile ſuggeſſit; cujus virtutê pondus illorum omne ſublevatum, omnîsque, cum eô, reatus ablatus eſt. Hinc autem aliud confici nullâ ratiocinationê poteſt: niſi (cùm omnis amoris motus, vigor, & vita, ſuum habeant ex Cordê principium) quicquid Amori, ponderis illius immenſùm cumulati Bajulo, fortitudinis, etiam tantô ſub onerê geſtientis, inſpiratum, ſuggeſtúmque fuit, eô totum ex Cordê profluxiſſe; quod, in emortuô corporê, ſui nobis amoris argumenta, tam fortia, tam evidentia demonſtrat.

XXXIII. Huic adeò luculento Cordi, non eſt quicquam, aut roboris, aut ſplendoris; quod, ejus illuſtrandæ virtuti, vel minimum conferre queat. Perdit (ei forſan devotâ cogitationê ſubjectum) quicquid fulgoris, conjunctíque roboris habuit, illud, ex adamantê, lucidiſſimô juxtà, atquè duriſſimô, formatum Cor; quod Maria, Scotiæ Regina, cùm fidei,

S. Auguſt. lib. 13. Confeſſ. cap. 9. in medio. Tom. 1 pag. 147. A.

S. Ambroſ. de Cruce Domini.

Arnold. Abbas Carnot. Tract. de 7. Verb.

S. Auguſt. cit. ab Adriano Lyr. de Imit. Chr. Pat. L. 4. c. 1. f. 165. 2. A.

Florim. Raymun. de Orig. Herſ. l. 6. c. 16.

fidei, tùm coronatæ Virtutis heroina, perfidæ cognatæ, genuinum ſuæ, non ſolùm, inter enormes perſecutiones infractæ conſtantiæ, ſed, ad perferenda quævis, ipſius amorê, promtæ pariter voluntatis, cordísque regii ſymbolum, transmiſit. Omnibûs enim totius Orbis adamantibûs rutilat clariùs, fulget lucidiùs, durat fortiùs, & infinitâ virtutê, fortitudinis, atquè dilectionis præſtat, Cor JESU, *Cor*, ſcilicet, Adamantis Divini, *ſplendidum, & bonum.* Quisquis hoc intuetur (cùm in eô cernit: *Fortis, ùt Mors, dilectio*) facilè, quantùm hujus Cordis amor ſuperet amores omnes, diſcernet; nequè ſibi poterit imperare; quin exclamet, cum amantê Bernardô: *O gratiam! O vim amoris! quid violentius? triumphat de DEO amor!* Sed nec ſuo ſatìs feciſſe quisquam ſibi videbitur debito: niſi tanto, quod exigit, rependerit amori. Quod idem ipſe S. Abbas, â ſe poſtulatum agnovit; &, fidelis ejuſdem Exactor, â nullô voluit alienum eſſe, cunctis imperans: *Quis tam amantem non amet?* Quis, amorê conformî, ſimilibûs obſequiîs, &, ad omne pondus (quod ſuam, Amans ille, per legem impoſuit, ac ſua per veſtigia nobis portandum reliquit) ſubmiſsâ cordis totius promtiſſimâ voluntatê, tanto ſuum non reddat amorem Amanti? Verùm: *ille non amat Chriſtum; qui non amat Crucem Chriſti*; cenſorê, Petrô Damiani. *Crux autem Chriſti Domini* (Macarii definitionê) *non illa tantùm dicitur; quæ Paſſionis temporê ligni affixionê conſtruitur: ſed & illa; quæ, totius vitæ curriculô, cunctarum diſciplinarum virtutibûs coaptatur. Ut intelligas: Crucem, non ſolum ligni eſſe patibulum; ſed, & vitæ Virtutis propoſitum.*

Eccleſ. 30. v. 27. Cant. 8. v. 6.

S. Bernard. ſerm. 64. in Cant.

S. Bernard. de Paſſ. c. 3.

S. Petrus Dam. ſer. 18. de Invent. S. Cruc. p. 193. Col. 1. D. S. Macar. Homil. 17. Tom. 5. Bibl. SS. PP. Colon. pag. 72. D. Col. 1.

XXXIV. Quædam adhuc, ea ſcilicet, quæ poſtremùm, & in ultimô Forô Cauſæ noſtræ, jam ad extrema devolutæ, ſuſpenſus inter maleficos, contentioſiſſimâ você, noviſſimum ad uſquè ſpiritum, efficaciſſimè locutus fuit, cùm demum explorare conſtitui; ſimul autem, etiam exploratum oſtendere (quicquid eô locô prolatum, noſtrâque pro ſalutê feliciter actum eſſe jam intelleximus) ex iſtô, cùm juſtitiæ, tùm divinæ miſericordiæ theſaurô profluxiſſe: Cor ipſum, intuenti mihi, ſe totum, ut nihil non pateret, exhibuit. Inde námque fuit illa potens interpellatio; quâ, ſua, Luſores inter, eoſdem, & Crucifixores, aleârum ſortê, partiri cernens, atquè diſcerpi veſtimenta, Cauſam tamen egit illorum; quos, immodica ludendi conſuetudo, diſtractos penitùs ab officiîs Chriſtianæ religionis, &, quàm DEI, tam ſuæ ſalutis, ac æquitatis omnis, atquè pietatis oblitos, irre-

irreparabilem in jacturam adduxit. Indè vim sumsit illa vehemens deprecatio; quâ, desperantem, juxtà se, latronem, acerbissimè dolens, Causam illorum felicissimè vindicavit; quibus veniam omnem, ipsa veniæ desperatio, per voluntariam pertinaciam desperatæ salutis exaggerata subtraxerat. Inde robur hausit ille validæ vocis clamor; quô, blasphemiîs, & opprobriîs, ipse derisus, & subsannatus in Crucê, deploratam illorum conditionem Patri suo commendare non desiit; quos, tam, per Diabolicam rabiem eructatæ, quàm, per iniquissimam ignaviam dissimulatæ, publicæ, privatæquè blasphemiæ, tantùm non ipsîs jam cum spiritibûs blasphemîs condemnatos esse voluerunt. Indè demùm, os exhaustum, aridáque lingua, virtutis illius vocem attraxêre; quâ, torridam licèt sitim passus, & acetô, fellêque, tormentô scilicet auctiorê, potatus, absolutoriam tamen criminum illorum sententiam impetravit; quibus, propter pecuariam, gulæ luxuriantis, &, perpetuæ potationis intemperantiam, venenum aspidum, & fel draconum, &, cum ignê devorantê, sulphur, hauriendum sinè cessationê, decretum erat. Qui tantam Verborum istorum efficaciam, ex Cordê suffectam non vidit adhuc? oculos, quibûs id agnoscat, â Philonê requirat. Is optimè novit: *Quòd sponsam suam Crucifixus â sempiternâ mortê redemerit; & per ineffabilem charitatem* (quæ Cordis partus est) *solutô omnî debitô, sibimet amantissimè reconciliaverit.* Eâdem rationê, si quis fortè tantîs in clamoribûs amoris, necdum Cordis vocem, & idioma percepit? â D. Petrô Chrysologô pias pariter mutetur aures; quibûs ille Dominum, affixum Cruci, loquentem excepit: *Clavi isti non mihi infigunt dolorem; sed vestram mihi infigunt altiùs charitatem. Vulnera hæc non educunt gemitus meos; sed magìs meis visceribus vos introducunt. Extensio Corporis mei vos dilatat in gremium!* Satìs erit igitur id, quod observandum initiô dixeram, nunc unicô duntaxat verbô memoriæ piæ suggerere. Nimirum: ità locutus est; qui, victima pro nobîs factus, *& oblatus est; quia ipse voluit.* Cùm enim, vox victimæ fuisse cognoscatur, in omnî verbô Crucifixi: cùm pateat etiam; quàm efficax illa vox, per obtentam, Causarum omnium absolutoriam sententiam, fuerit: non potest non judicari: Cor, omnibûs illîs in verbîs fuisse. Defectus enim Cordis, in victimîs, nunquàm non triste fuit, & infelix portentum.

Philo Carp. in Cant. 8.

S. Petrus Chrysolog. serm. 18.

Isaiæ 53. v. 7.

Appian. Alexandrin. in Jul. Cæsar.

XXXV. Evidentiùs igitur argumentum Advocati nostri Cordati, seu (quod perindè censendum)

dum) Amoris, in aſſerendâ Causâ noſtrâ conſummati, præter ſaucium, transfixúmque Cor, nullum aliud optari, vel excogitari poteſt. Hoc Spadiati calumniam accerſivit æternam, *non Cordati Militis*: quòd, etſi reliquô ſaucius corporê, nullum tamen, ex prælîs, vulnus in pectorê, ſed, immunî ſemper ab omni vulnerê, ſit reverſus cum cordê. Non ità Vindex noſter divinus: quàm ex Cordê pro nobîs, Cordatéque ſteterit; ipsô ſui Cordis transfixi vulnerê teſtari voluit; quod, etiam â mortê jam redivivus, oculis Diſcipulorum ingeſſit: *ut* (prouti noſter Abulenſis exploratum habuit) *eundem ſe, verbis, ac Cordê, & rebûs oſtenderet: ac ſi diceret: En labia, & manus, & latus, eódem euntia. Quam pacem* (tot ſcilicet Causîs veſtrîs, penitùs jam abſolutîs) *orê, eam Cordê, eam manibûs reddo.* Certos hôc indiciô nos eſſe juſſit: Se totô pro nobîs Cordê locutum fuiſſe. Quin, idipſum indicare, tum quoque voluit; quando caput, Cor verſûs, priùs, quàm ſpiritum emiſerat, inclinavit: futurum ſcilicet: *Ut aliud, paulò poſt, os aperiatur in lateré; per quod ſe Cor, effuſô totô ſanguinê, declaraturum eſſet: quàm ſincerè, pro peccatoribûs, Patrem oráſſet, eorúmque Cauſas defendiſſet.*

Novarin. in Schediaſm. p. 261.

Velasquez in Ep. ad Phil. cap. 2. v. 15. Annot. 10.

Autor quidam, in M. S. ſinè nomint.

XXXVI. Hæc ſi, locutus *ex Cordê*, locutus etiam omnibus, *ad Cor*, hàc tenûs fuit; non eſt, quod ego porrò loquar. Quotquot enim ità loquentem exceperunt, jam ipſi, ſinguli loquuntur, ex abundantiâ cordis, cum Patrê mellifluô: *Omnes cogitationes, & affectus mentis commutabo, jactans omnem cogitationem in Cor, Domini mei, JESU. O! quàm bonum, quàm jucundum, habitare in Cordê hôc! quod ad hoc vulneratum eſt; ut in illô* (prout ſuprà jam audivimus) *ab exterioribûs perturbationibûs abſoluti habitare poſſimus.* Hoc unum videtur â nobîs Advocatus noſter exigere: nunquàm ut, ejus â cordê, noſtra ſe fiducia patiatur averti. Qui noſtras omnes cauſas adeò ſibi Cordi ſumſit; tantam ſuam charitatem, ut nobis quoquè cordi ſumamus, expoſcit; quô, quàm certi de ſalutis aſſertionê per illud facti ſumus; tam ejus, per amorem obſervandi, ſoliciti ſemper, ac ſtudioſi permaneamus: tùm & illud (ſicut ex hôc momentô, cordibûs noſtrîs, altiſſimô cum ſenſu recepimus) donec ea defecerint, characteribûs indelebilibûs retineamus; quod in S. Mechtildis cordê, legibiliter â mortê repertum fuit: *Mallem mori! quàm, minimâ noxâ, â tê, O bone JESU! ſeparari!*

S. Bernard. ſerm. 3. de Paſſ.

Lib. 3. grat. S. Mechtild. cap. 7. cit. à P. Engelgr. p. 1. L. E. Domin. 12. poſt. Pent. §. 2.

XXXVII. Qui talî pietatê Cordatum ergà JESUM, & apertum ejus Cor affecti ſunt; næ illi quicquam ſuſs in cordibûs adhuc ſentire (nè dicam, retinere) cen-

cenſebuntur, adverſùs ea; quæ fuerunt hôc temporê ſacrô, veraciter ex Cordê, non meô, ſed Advocati noſtri propoſita. Repeto, quod aſſerui: nihil â mê, de meô, ſed, ex Cordê JESU cuncta, quæ dixi, ſuſcepta, prolatáque fuiſſe. JESUS enim eſt; qui me loqui juſſit. JESUS eſt; qui verba, qui vocem, qui ſpiritum, & vires, ad loquendum ſuggeſſit. JESUS eſt; cujus, utì felix pro nobîs labor, in amoris plenâ Paſſionê monſtratus, omnium fuit Sermonum argumentum; ità major ejus, in veſtræ procuratiônê ſalutis, gloria, ſcopus unicus, omnis exacti laboris mei fuit. Nec inde ſolatium aliud, vel opto, vel exſpecto; quàm: nihil illorum ab Eô rejectum iri; quæ fòrs, â paucîs quibûsdam, veritatem ſemper exosîs, non rejecta tantùm, ſed execrata fuerunt. Ità Cordatus, quidquid ex Domini mei Cordê ſuſcepi, devotiſſimè repono. Sic autem, JESU Cordi redditum, nolite tangere! Quòdſi, prout oportebat, intellecta non æquè ſunt omnia, quæ dicta ſunt, hoc tamen paret, iſtô nunc ex *Cordé*: directa fuiſſe cuncta, quæ dicta ſunt, *ad Cor*, *ex Cordé*,

A M E N.

O. A. M. D. G.

IN-

INDEX ALPHABETICUS,

Rerum Singularium, ac Memorabilium;
Quæ in hôc voluminê continentur.
Numeris paginæ designantur.

Abel.

ABel sanguis, clamans in cœlum, typus animarum, alienâ malitiâ seductarum. 222.
Abel, â fratrê paricidâ, in agrum eductus, significat Christum, ductum ad Calvariæ montem. 386.

Abigail.

Abigail, mulier prudentissima, & formosa. 528.
Abigail, Davidis furorem, contrà Nabal maritum, placat. 528.
Abigail, B. V. Mariæ, Deum peccatoribus placantis, typus. 528.

Abimelech.

Abimelech contrà Sichimitas pugnat. 446.
Abimelech novum bellandi genus. 446.
Abimelech, cum militibûs, humeris arbores deportat. 446.
Abimelech, Christum crucifixum designat. 446.

Abraham.

Abrahamo, in montê, demonstratur sacrificium. 475.
Abraham, solus cum victimâ, montem ascendit. 475.
Abraham, Isaac immolaturus, Christiani, Deum orantis, typus. 475.

Absalon.

Absalon, perfidiæ in Patrem pœnas dat. 14.
Absalon, in querçu pendens, triplicî ictu transfigitur. 99.
Absalonis, in Amnonem fratrem, doli. 14.
Absalon, temulentum fratrem occidere parat. 99.
Absalonis epitaphium. 100.
Absalon manus, quid? 100.
Absalon, proditorum manus. 100.
Absalonis, nimius capillorum ornatus, in quercu punitus. 436.
Absalon, eâ partê corporis punitus, quâ peccaverat. 436.
Absalon, inter cœlum, & terram, medius pendet, utriúsque indignus. 436.
Absalonis superbiam terra dedignatur. 436.
Absalon, occisi fratris criminê contaminatur. 530.
Absalon, triennió, ob occisum fratrem exulat. 530.
Absalonem David persequitur. 530.
Absalonis solicitus amicus, Joab. 530.
Absalon, per mulierem Thecuitidem, Davidis gratiam obtinet. 530.
Absalon, â Patre revocatur. 530.

Absolutio.

Absolutionis signum, Crux. 382. 637. 639.

Abscondita.

Abscondita omnia patent DEO. 185.

Abstinentia.

Abstinentiæ dies profanati. 194.
Abstinentiæ diebûs, institutæ nocturnæ epulæ, reprehenduntur graviter. 194.
Abstinentia, Sanctis summè semper cordi. 599.
Abstinentia, animæ salutaris. 599. 600.

Abſtinentia Anachoretarum veterum, commendata. 599. 600.
Abſtinentiæ rigidiſſimæ exempla. 605. 606.
Abſtinentia, teſtamenti veteris exemplis comprobata. 606. 607. 608.. 609.
Abſtinentia B. V. M. 609.
Abſtinentia ducit ad DEUM. 609.

Abſynthium.

Abſynthium, myſticè, damnatorum cibus dicitur. 15.

Acatholicus.

Acatholicis, Catholicorum ſcelera, ſcandala. 257.
Acatholici Catholicam fidem, ob Catholicorum vivendi licentiam, monſtrum æſtimant. 257.
Acatholicorum variæ ſortes, & deliria. 454.
Acatholici, ſtolidè, fidei arcana, pro deliriis habent. 454.
Acatholici, pro ſuô arbitratu, credendi regulam ſibi fabricant. 454.
Acatholici ſolô DEI Verbô, explosîs traditionibûs Eccleſiæ, pervicaciter nituntur. 454.
Acatholici manifeſtum in judicium ſe præcipitant. 454.
Acatholici, cognitîs tot veræ fidei ſignîs, non ſunt excuſabiles. 455.
Acatholici, veræ Eccleſiæ ſignîs manifeſtîs convincuntur. 455.
Acatholicorum obſtinatio, character damnationis. 458.
Acatholici, cur maximè, â fidê verâ ſuſcipiendâ alieni? 457.
Acatholicorum pertinacia, inter Catholicos degentium, inexcuſabilis. 459.
Acatholici, Sanctitatê, & miraculîs veræ fidei ſic illuſtrantur; ut, reluctando, voluntariè cæcutiant. 458.
Acatholici, nullô prætextu, excuſare ſuam pertinaciam valent. 458.
Acatholicorum validiſſimæ rationes expugnatæ. 458. 459.
Acatholicorum, in perſcrutandîs fidei rebûs, error, atquè temeritas. 458.
Acatholicorum inanis, & blaſphema objectio: Per legem Catholicam, impoſſibilia imponi. 458.
Acatholici, cur â fidê Catholicâ alieni? 458.
Acatholicorum, in rebûs fidei cæcitas, ex eorum obſtinationê naſcitur. 459.
Acatholici magnâ inſaniâ laborant. 461.
Acatholicorum pertinax malitia. 461.

Vide: Hæreſis, Hæretici.

Acceptatio munerum.

Acceptatio munerum, Judici vetita. 378.
Acceptatio munerum, excæcat oculos. 378.
Acceptationê munerum plurimi, ſuam in perniciem, diteſcunt. 378.
Acceptatio munerum, graviter â Deô vindicanda. 378.
Acceptatio munerum, quàm libera, & licentioſa, hôc ſeculô? 378. 379.

Acetum.

Acetô, quô Chriſtus potatus, primi pomi ſuccus fatalis eliditur. 614.

Achan.

Achan, ob raptum, ex ſpoliîs hoſtium, pallium coccineum, ducentos ſiclos, & regulam auream, lapidibûs obruitur. 310.

Acies oculorum.

Aciê oculorum, Viſinus, pugil, hoſtiles gladios hebetat. 177

Actio. Actor.

Actio corporis, contrà animam. 32. 33. 34. 35. 36. 37.
Actio animæ, contrà corpus. 16. 17. 18.
Actiones juris publici, ac Civilis, variæ, ſingulîs propè ſermonibûs indicatæ, ac nominatæ. 19. 20.
Actio, in unô forô ſuſcepta, ad alterum transferri non debet. 203. 204.
Actionum criminoſarum ſtipendium, odium. 227.
Actio popularis, cuilibet competit. 322.
Actiones miſerorum, omnî jurê implorare poſſunt ſuperius judicium. 322.
Actio, de malè judicatô, quæ? 369.
Actoris, in judiciô, officium, quale? 9.
Actori, in judiciô, contrà accuſatum, quomodò agendum? 9.
Actor, certus eſſe debet. 9.
Actor, paratus veniat ad judicium. 9.

Actor, per dissimulationem, nihil supprimat. 9.
Actor, reum priùs amicè admoneat. 9.
Actor, non solus, in judiciô audiendus. 24.
Actor mendax, Talionis pœnâ plectendus. 24.
Actor unus, utriúsq; partis causas suscipere non potest. 35.
Actor, debet sequi forum Rei. 38.
Actoris personam, contrà pejerantem, Dœmon assumit. 165.
Actor, in quô alios accusat, innocens sit. 229.
Actoris prudentis idea, Demosthenes. 229.
Actori minùs favoris, quàm reo, exhibeat Judex. 291.
Actores singuli, contrà singula primaria peccata, recensentur. 617.

Accusatio. Accusator.

Accusatio, quomodò in judiciis instituenda? 9.
Accusator solus, non audiendus. 24.
Accusatores Christi, pecuniâ corrupti. 160.
Accusatores Christi, judicium, ex iniquô, æquum facere debuerant. 160.
Accusator in eô, quô alios accusat, innocens sit. 229.
Accusator, si probare non potest, luat. 245.

Adam.

Adami, ob peccatum, misera conditio. 12. 13.
Adam, in audiendâ você Dei, contumacia. 38.
Adam, tertiò â Deô vocatus. 38.
Adam, commissô peccatô latebras quærit. 38. 39.
Adam, nuditatis suæ pudet. 39.
Adam, â Deô, Paradisô ejicitur. 39.
Adam, exul, & proscriptus. 39.
Adam, ad laborem, & sudorem damnatur. 39.
Adam secundus, Christus. 39.
Adam secundus, Christus, in hortô obediens invenitur. 39.
Adam, quando â Deô creatus? 520.
Adam, originalî, à Deô, justitiâ, & divinâ benedictionê, repletus. 520.
Adam, pravô conjugis amorê seducitur. 520.
Adam, quando lapsus? 520.
Adam, totam posteritatem contaminavit. 520.
Adam, ad pœnitentiam â Deô invitatur. 556.

Adoptati. Adoptio.

Adoptatus, non habet plùs privilegij, quàm naturalis filius. 655.
Adoptati Dei filij, per Christum, omnes. 655.
Adoptio sequitur naturam. 655.

Adrianus.

Adrianus Imp: mirè munificus. 636.
Adrianus, debitoribus suis, 27. milliones condonat. 636.

Adventus.

Adventus Christi, duplex. 8.

Adversarii.

Adversariorum amor, in Demosthenê laudatus. 229.

Vide: Inimicus.

Adversitates.

Adversitates â Deô, in pœnam peccatorum, immittuntur. 11. 14.
Adversitatibus, optimè, orationê resistitur. 475. 476.
Adversitates, cur tam arduæ accidant? 478.
Adversitates, resignatô in Deum animô ferendæ. 478.
Adversitatum, fortiter toleratarum exempla. 478.
Adversitatum invicta tolerantia, in Ethnicis, laudata. 481. 482.
Adversitates, quomodò ferendæ, exemplô suô docet Christus. 482.

Vide: Tribulatio. Tristitia. Miseriæ. Patientia. Tolerantia.

Adulterium. Adulteri.

Adulterium, etiam voluntatê committitur. 27.
Adulteriorum origo, temerarii alienæ formæ aspectus. 27.
Adulteriorum incentivum, corporis nimius cultus. 27.
Adulterii fomes, habendi, & pecuniæ cupiditas. 66.
Adulterum, Athenienses capitê mulctârunt. 105.
Adulterant imaginem Dei, in sê, peccatores. 152.
Adulteriorum vindex, Deus. 192.
Adulteria renovant Passionem Christi. 190.
Adulteriorum origo, videre; &, videri velle. 197.
Adulteria gravissimam DEI iram provocant. 269. 273.

Adulteræ mulieres, comparantur jumentis, putrescentibus in stercorê suô. 269. 273.
Adulteri transgrediuntur, naturæ, & honesti limites. 269.
Adulteria Deus gravissimè detestatur. 269.
Adulteris gravissimæ, per Prophetas, pœnæ prædictæ. 269.
Pro Adulteris Deus orare vetat. 269.
Adulterandi inter homines licentia. 269. 270.
Adulteriorum summa impudentia. 271.
Adulteri omnia tentant, omnia jura subvertunt. 271.
Adulteris gravissimæ pœnæ, tam sacris, quàm profanis legibûs constitutæ. 272.
Adulteri, quomodò in veterî legê puniti? 272.
Adulterorum utríque moriendum. 272.
Adultera, lapidibûs obruitur. 272.
Adulterarum semitæ ad Infernum. 272.
Adulteris nulla pœna sufficiens constituta. 272.
Adulterium, in Filiô, â Zaleucô punitum. 375.
Adulteri, oculîs privantur. 375.
Adulter, in ipsô scelerê confossus, divinæ justitiæ tragicum exemplum. 392.

Vide: Libido. Luxuria. Stuprum. Incestus.

Advocatus.

Advocatus hominum, ad Patrem, Christus. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 37. 38. 120. 128. 277. 279. 280. 281. 289. 293. 470. 471. 472. 545. 546. 586. 614. 623. 624. 628. 637.
Advocatorum Fides, aurô sæpê infringitur. 69.
Advocatus, post mortem, linguâ carens inventus. 69.
Advocatus pauperum, S. Ambrosius, alijque. 81. 82.
Advocati, pauperibus âCuriâ constituendi. ibid.
Advocatorum, in Causîs pauperum, quanta obligatio? 81.
Advocatus pauperum egregius, S. Elzearius. 81.
Advocatus, rectæ, & immaculatæ fidei, S. Cyrillus Alexandrinus. 81.
Advocatus fidelis Israëlitici populi, Moyses. ibid.
Advocatum pro pauperibus agere, opus misericordiæ. 81.
Advocatus, Causas pauperum (cùm potest) non agens, damnatur. 81.
Advocatorum proborum ideæ. 81. 366.
Advocatorum opera, præmianda. 120.
Advocatis, salarium exigere, ac recipere, licitum. 120.
Advocatis, ad facundiam, salaria computanda. 121.
Advocatus noster, Christus, quid â nobis exigat? 122.
Advocatus, Justitiæ sit amans. 122.
Advocati quidam, litigantibus, plûs, quàm totum auferunt. 122.
Advocati iniqui, sunt, corvi Fori; togati vultures; accipitres pecuniæ; Diaboli Oratores.
Advocati iniqui, puniendi. ibid. ibid.
Advocatus incognitus, innocenter damnatum, â furcâ liberat. 164.
Advocatum innocentis, ipse dæmon agit. 164.
Advocatus Peccatorum peculiaris, Christus. 277.
Advocatus, Christus, egit apud Patrem absolutionem nostram, tam â culpâ, quàm â pœnâ æternâ. 277.
Advocatus Christus, asseruit nos in Filios DEI. 277.
Advocatus efficax, Hysperides. 289.
Advocatus, pro innocentiâ, glorioſus, S. Joannes Chrysostomus. 369.
Advocati, tam sacri, quàm profani, una miserorum salus sunt. 568.
Advocatorum, justitiæ amantium, mira encomia. 469.
Advocati, sunt templa justitiæ. 469.
Advocatorum scientiâ, totus Orbis illustratur. 469.
Advocatus omnes Causas agat, tanquàm suas. 470.
Advocata humani Generis, B. V. MARIA. 525. & seq.
Advocata Absalonis, mulier Thecuitis, typus B. V. Mariæ. 530.
Advocatus noster, Christus mortuus, etiamnum pro nobîs perorat. 683. & seq.

Vide: Acceptatio munerum.

Ægyptij.

Ægyptij, cum Pharaonê, ob duritiem cordis, puniuntur. 14.
Ægyptij, ob contemptum Dei, primogenitorum cædê puniuntur. 140.

Ægy-

Ægyptij, numinum ſuorum violatores acriter caſtigant. 169.
Ægyptij, perjuros mortê plectunt. 169.
Ægyptus, Mundi typus. 446.
Ægyptus, temporẽ Palladij, numeravit vicena Virginum millia. 457.

Æmilius.

L. Æmilius, Perſei, Macedonum Regis, victor, 338.
L. Æmilij, in proſperis, æquanimitas. 338.
L. Æmilij, in hoſtem, humanitas. 338.

Æquitas.

Æquitatis fons, ipſe DEUS. 22.
Æquitas, privatîs commodîs infringitur. 364.
Æquitati contraria maximîs pœnîs plectuntur. 366. 369.
Æquitatê carens Respublica, diù conſiſtere non poteſt. 374.

Vide, Judices. Juſtitia.

Affectus.

Affectus, hominem, brutis ſimilem efficiunt. 31.
Affectus, in hominê, quàm potentes. 152. 153.
Affectus, ſimiles ſunt perſpicillis, varij coloris, pro varietatê affectuum. 375.
Affectûs omnis expers, ſit judex. 371. 372.
Affectus commendat opera. 679.

Afflictiones.

Afflictiones, pœna peccati. 11.

Vide, Adverſitates.

Agnus.

Agnus, objectus Elephanti, furorem mitigat. 255.

Agonia.

Agonia Chriſti, animæ peccatricis refrigerium. 19.
Agonia Chriſti, affectuosè expreſſa. 19. 20.
Agonia, animæ Chriſti plurimùm doloris attulit. 19. 20.
Agoniæ Chriſti in montê, triſtitia quanta? 121. 122. 123. 124. 127.
Agoniam patientis Chriſti, David Rex, typus. 124.
Agonizans Chriſtus, ad mortis ærumnas deſcendit. 125.
Agoniam ſuſcepit Chriſtus; ut nobis lætitiam ſuam largiretur. 125.
Agonia, infinitam dilectionem Chriſti in humanum genus manifeſtat. 125.
Agonia Chriſti, duriſſima corda expugnat. 125. 134.
Agoniæ Chriſti, maxima cauſa. 127. 133.
Agonia Chriſti cruenta. 127.
Agoniæ Chriſti dolor, nullô intellectu conceptibilis. 127. 130.
Agonizans Chriſtus, quomodò ſibi relictus, atquè deſertus? 127.
Agonia Chriſti, dolorum mare. 127. 128.
Agonizans Chriſtus, omnia peccata comprehendit. 128. 133.
Agonia Chriſti, exceſſit omnem dolorem, & triſtitiam omnium creaturarum. 128. 129.
Agonia Chriſti tam ardua; quia ex ſummâ ſapientiâ, & charitatê proceſſit. 128.
Agonia Chriſti, pro damnandîs omnibûs ſatisfecit. 128.
In Agoniâ, Chriſtus totô corporê ſanguinem profudit. 128. 131.
In Agoniâ, Chriſtus, botrus Cypri, ſub torculari. 128.
In Agoniâ, quantùm Chriſtus ſanguinis ſudaverit? 128.
In Agoniâ, Chriſti ſuũmus, & mirabilis amor. 129.
In Agoniâ, Chriſtus, amorê velutì ardebat. 129.
In Agoniâ, Chriſti amor, communem naturæ modum ſuperavit. 129.
Agonia Chriſti, eleganter, oraculô Iſaiæ expreſſa. 129.
In Agoniâ, Chriſtus deſiderabat plura pati pro humanô genere. 130.
In Agoniâ, ſanguinis guttæ comparantur pretioſis mercibus. 132.
In Agoniâ, Chriſtum Angelus confortat. 133.
In Agoniâ, quomodò Chriſtus ab Angelô confortatus? 133.
Agoniam Chriſti maximè augebat, Paſſio Chriſti, ab hominibûs fruſtrata. 133. 134.
In Agoniâ, Angelus confortans, calicem deportare pingitur, ùt compendium totius Paſſionis. 133. 134.

In

In Agoniâ, Christi, ab Angelô facta, confortatio, dolorem non minuit, sed auxit. 134.

Agri.

Agrorum limites transgredi, iniquum. 270.
Agrorum limites transgressi, moraliter exposiți, in luxuriæ vitiô. 368. 369. 370.

Alapa.

Alapâ, Christus cæditur. 137.
Alapam inflictam Christus acerbè tulit. 137.
Alapa, Christo inflicta, summa contumelia. 137. 138.
Alapam sibi inflictam, silens patî, noluit Christus. 137.
Alapa, Christo inflicta, totam significabat Passionem. 137.
Alapæ, Christo inflictæ, nulla contumelia potest coæquari. 137.
Alapam Christus, acerbiùs, quàm crucem, tulit. 137.
Alapa gravissima, quia inflicta personæ, summæ dignitatis. 137.
Alapa, Christo inflicta fuit, manû, ferrô armatâ. 137.
Alapæ, Christo inflictæ, atrocitas. 138.
Alapâ, Christus in terram prostratus. 138.
Alapâ cæsi, Christi, mira patientia. 138.
Alapâ cæsus, Christus, patientiam nos docere voluit. 138. 139.
Alapa, maximarum simultatum origo. 138.
Alapa, mutuâ cædê vindicatur. 138. 139.
Alapa, fœminæ inflicta, inveterati odij causa. 138. 139.
Alapâ, Christo inflictâ, totus Orbis obstupuit. 139.
Alapâ, Christo inflictâ, ad vindictam, tota natura, attonita, obriguit. 139. 140.
Alapa, S. Thomæ Apostolo inflicta, morsu canis vindicata. 139.
Alapa, Euzoïo, â Julianô, Orientis præfectô inflicta, tabê viscerum punita. 139.
Alapæ, Christo inflictæ, scelus, graviter exaggeratur. 137. 138. 139. 140.
Alapâ, Christo inflictâ, suas Angeli facies alîs contexerunt. 141.
Alapâ Christum, quotidiè, peccatores cædunt. 141. 142.

Alba Vestis.

Albâ vestê Christus, ab Herodê induitur. 207. 208.
Alba vestis, Christo injecta, Nota illusionis. ibid.
Albam vestem Herodes prostituit. ibid.
Alba vestis, Nobilitatis insigne. 208.
Alba vestis, potestatis Nota. 208.
Albâ vestê, templum ingrediens, Archelaus induitur. ibid.
Albam vestem, in signum Regiæ dignitatis, Salomon induit. 208.
Alba vestis, triumphantium habitus. ibid.
Albâ vestê, Scipio, urbem ingrediens, tacens, victoriam indicat. 208.
Alba vestis, apud Hebræos, lætitiæ signum. ibid.
Alba vestis, innocentiam denotat. ibid.
Albam vestem, rei, portare prohibiti. 208.
Albâ vestê, Christus, Agnus innocens designatur. 208.
Albâ cum vestê, Christo, simul omnia Mundi peccata denotantur injecta. 208. 209.
Albâ cum vestè Christus, consensum Herodis, de necê suâ, retulit. 209.
Alba Christi vestimenta, in montê Thabor. 209.

Albertus M.

Alberti M. fictum hominis simulacrum. 114.
Alberti M. Labor, triginta annorum, â S. Thomâ, tum discipulô, unicô ictu confractus. ibid.

Album.

Album, quid? 209.
Albi corruptio, quid in jurê? ibid.
Albi Prætorij actio, quæ? ibid.

Aleæ. Aleatores.

Alearum jactus, periculosus. 191.
Alearum lusus, nullâ mensurâ temporis, frequentatur impiè. 191. 510.
Alearum lusus, opus impietatis admirabile. 192. 505.
Aleatores, maledicti, & indiabolati. 192.
Alearum immodicus lusus, multis (& impiè) non videtur peccatum. 192. 505.
Alearum lusus, infinita mala secum infert. 192.
Aleatores, ultionis divinæ gladiô feriuntur. 192.

Aleatores, innocentiæ perſecutores, verecundiæ proſtitutores, Dei crucifixores. 494.
Aleatorum Primipili, qui? 494.
Aleâ milites, Chriſti ſub crucê congregrati, ludunt. 494.
Aleæ luſus, grande, Chriſti tormentorum augmentum. 454.
Aleatorum, avara lucri cupiditas expingitur. 495.
Aleatorum militum, de veſtibûs Chriſti ſortientium, iniquitas exaggerata. 485.
Aleatores, â nullô ſcelerê ſunt alieni. 496.
Aleatores, abominanda quæquè præſumunt. 496.
Aleatores fuerunt iidem, qui, crucifixores Chriſti. 496. 499.
Aleatores, omnem exuunt verecundiam. 496.
Aleatoribus, nihil ſacrum, ſanctúmque. 49[illegible].
Aleatorem eſſe, ſufficiens argumentum ſceleris præſumendi 496. 499.
Aleatores, protritâ, cùm conſcientiâ, tùm rationê, nihil non, etiam iniquiſſimum præſumunt. 499.
Aleatores, in DEum ipſum temerarij. 499.
Aleator, nudus Mundum ſequitur, & Diabolum. 499.
Aleatorum dominus, Dæmon. 499.
Aleatores, omnia Fortunæ conſecrant. 499.
Aleatores, Chriſti Paſſionem innovant. 500.
Aleatorum omnis, ex aleâ, vita. 501.
Alearum in lusu, ſcelerum omnium colluvies. 501.
Alearum luſus, divinîs, humanîsque legibûs vetitus. 501.
Alearum luſus, infame negotium. 502.
Alearum luſus, totius corruptionis occaſio. 502.
Aleatores â SS. Patribûs graviſſimè vapulant. 502. 505.
Aleatores (ſi qui alij) æternâ damnationê digniſſimi ſunt. 505.
Aleatores, etiam vitâ, quâ turpiter abutuntur, indigni. 504.
Alearum luſus, quando licitus? 504.
Alearum luſus, quando peccatum mortale? 505.
Aleatorum nomen, & ſcelus, omnibus communia luſoribus. 505.
Aleatores vitam, pecuniam, ac tempus, amittunt. 505.
Aleatorum, unum, alterô gravius, peccatum eſt. 505.
Aleatores, D. Carolus Borromæus laudabilî ſeveritatê perſecutus. 506.
Aleatorum domibus, interdictum benedictionê ſacrâ. 506.
Alearum luſui, ſcelera recenſentur affinia. 506. 509.
Aleatores, quàm ſeveriſſimè puniendi. 507.
Alearum luſus, jurê civilî prohibitus. 509.
Aleatorum nomen, infamiâ notatum. 509.
Alearum luſus immodicus, pugnat cum legê naturæ. 509.
Aleatores, cum alterius damnô, diteſcere volunt. 509.
Aleatores, DEUM, & ſalutem, luſui poſtponunt. 510.
Aleatorum ara, Fortunæ menſa. 510.
Alearum immodicus luſus, peccaminoſus eſſe, multîs demonſtratur. 510.
Aleatores Deo, de temporê perditô, rationem reddent exactam. 511.
Aleatores damna graviſſima manent. 512.
Aleatores, ut ludendi tempus habeant, omnia divina negligunt. 512.
Aleatores, etiam ſanctiſſimîs diebûs abutuntur impiè. 512.
Aleatorum non poſtrema malitia, voluntas ſpoliandi ceteros. 512.
Aleatorum negotium, lucrari, cum alterius jacturâ. 512.
Aleatores, â furibûs, & raptoribûs non differunt. 512.
Alearum lucrum, omnî turpius uſurâ. 513.
Aleatores, frequenter, perdunt ſua, non rarò, ſe, ſemper, tempus. 513.
Aleatores, in periculum proprium armati. 513.
Aleatores, paternas opes miſerè dilapidant. 513.
Aleatores, in ſuum ludunt, & laborant exitium. 513.
Aleatores fraudulenti, Falsíque (non rarò) rei. 514.
Alearum luſus, plurimorum ſacrilegiorum origo. 514.
Aleatores, ad artes diabolicas proni. 514.
Alearum luſus, apoſtaſiam â fidê negotiatur. 514.

Aleatorum commune vitium, perjurium. 514.
Alearum luſus, hominem exuit rationê. 514.
Alearum luſus, humanam ſocietatem perturbat. 514.
Alearum luſus, mutuas cædes cauſat. 514.
Aleatores, blasphemi. 514. 515.
Aleatores, impiè volunt ſuo ſceleri DEUM favere. 515.
Aleatores, DEum odiô habent. 515.
Aleatores, in Chriſti, tùm & Sanctorum effigies, impiè ſacrilegi. 515.
Aleatores, graviter â DEO puniti. 515.
Aleatores, in omne genus humanum impij. 515. 516.
Alearum oculi, ſuper menſam luſoriam, divinô judiciô cadunt. 517.
Aleatores, â Dæmonê vexantur. 517.
Aleatoris blasphemum os, â Dæmonê, terribiliter intortum. 517.
Aleatores graviter perſtringuntur. 515. 117. 518.

Vide: Ludus. Luſores.

Alexander M.

Alexandri coràm tribunalî Lynceſtes obmutuit. 15.
Alexander, Jovis filij dignitatem affectat. 23.
Alexander, vehemens juſtitiæ zelator. 23.
Alexander, aurem alteram reo reſervat. 24.
Alexandri pietas in matrem. 177.
Alexander, unam lacrymam ſuæ matris quanti fecerit? 177.
Alexandro, vulneribûs oſtenſis, culpam omnem expurgat Antipater. 293.
Alexander divinos honores arrogat ſibi. 331.
Alexandri turpis avaritia carpitur. 331.

Amalecitæ.

Amalecitas Joſue, pugnans, perſequitur. 477.
Amalecitas Moyſes, orationê magìs, quàm, gladiô Joſue, depugnavit. 477.
Amalecitæ, in orê gladij, â Joſuê fugati. 477.

Amaſa.

Amaſam Joab, per amicitiæ ſimulationem perimit. 99.

Amaſius.

Amaſium, ſponſa, ſtultô deperiens amorê, perit. 668. 669.

Vide: Amor, Amatores.

Amatores libidinoſi.

Amatores laſcivi, Dæmonis emiſſarij. 218.
Amorum furtivorum procuratores, turpitudinum negotiatores, Veneris conciliatores, animarum latrones. 218.
Amatores, per obſequia, primùm oculos, tum, &, per munera, familiaritatem venantur amatæ. 218.
Amatores, ut finê ſuô fruantur, nihil intentatum relinquunt. 218. 219.
Amatorum ſumma ſtudia, quæ? 220.
Amatores, ab officiîs pietatis, & conſcientiæ curâ, quas procantur, avertere conantur. 220.
Amatores, omnî ſtudiô cavent: nè quôquô modô deperdant amatarum affectum. 220.
Amatores omnia, licèt moleſtiſſima, tolerant; ut finem ſuum conſequantur. 220.
Amatores ijs, quibus inſidiantur, excutere laborant horrorem peccati. 221.
Amatorum effrenis temeritas graviter accuſatur. 220. 221. 222.
Amatoris libidinoſi ſcelus quantum? 223. 224.
Amatores, incendiarijs comparantur. 222.
Amatores laſcivi, corruptores Albi, quô ſenſu? 225.

Vide: Amor. Laſcivia. Libido. Lenones.

S. Amatus.

S. Amatus, baculô ſuô fontem elicit. 594.

Ambitio. Ambitioſi.

Ambitio mentium humanarum exploſa. 359.
Ambitio comparatur fatuis ignibus. 359.
Ambitio humana, Deo injuria. 359.
Ambitioſi, ſeſe ſuper homines æſtimant. 359.
Ambitio, cum avaritiâ, peſſimi Conſultores. 359.
Ambitio Judæorum redarguitur. 359.
Ambitio cauſa fuit; quô minùs innocentia Chriſti, cognita licèt, abſolveretur. 359.
Ambitio, veſtium ex luxu, ſtolidè quæſita. 420. & ſeq.
Ambitio, deteſtabilis. 490.
Ambitioſorum fatuitas, in titulis. 490.
Ambitioſi, peſtes humani conſortij. 490.
Ambitioſi, DEO ſunt abominabiles, & odibiles. 495.
Ambitio, cum contumeliâ DEI conjuncta. 491.

Ambitio, ſcelerum reliquorum fomes. 495.
Ambitio, cauſa pœnarum communium. 491.
Ambitio, damnatorum Angelorum interitûs cauſa. 491.
Ambitionis pœna, confuſio. 491.

Vide: Superbia.

S. Ambroſius.

S. Ambroſius, pauperum Advocatus eximius. 82.
S. Ambroſius, Cauſarum Actor, pro miſerîs, in Prætoriô. 82.

Amicitia. Amicus.

Amicitia vera, quæ? 51.
Amicitia muta, non differt ab odiô. 51.
Amicitiam, avaritia deſtruit. 51.
Amicitia tecta, ſeu ſimulata. 97. 98. 99.
Amicitia, per oſculum firmatur. 98.
Amicitiæ prætextu, Boleslaus, fratrem ſanctum, Wenceslaum, interemit. 99.
Amicum Callicrates, perfidâ ſimulationê perſequitur. 99.
Amicitiæ prætextu, parat Abſalon Amnonem, fratrem, tollere. 99.
Amicitiæ ſimulatæ crudelitas, in Tryphonê, contrà Jonatham execrabilis. 99. 10.
Amicitiæ violatio, plùs, quàm belluina feritas. 100.
Amico fideli nulla comparatio. 308.
Amicus verus, amici commodo ſtudeat. 308.
Amicorum fidelium perexiguus numerus. 308.
Amicus Mundi, neceſſariò inimicus Numinis. 428.
Amici Dæmonis, qui nimiùm ſunt ſtudioſi cultûs corporis. 428. 429. 433.
Amici fidelis, typus. 530.
Amicus Abſalonis fidelis, Joab. 530.
Amicus, pro amicô moriens. 665.

Vide: Amor.

Ammonitæ.

Ammonitarum idola adorat Salomon. 258.
Ammonitarum idolo, in montê contrà Jeruſalem, fanum ſtruit Salomon. 258.

Amnon.

Amnonem in fratrem, Abſalonis doli. 99.

Amor.

Amoris proprij, ſeu, philautiæ mala. 31.
Amorê propriô fit: ut Domina, ſerviat; ancilla, dominetur. 31.
Amor proprius infirmat ſpiritualem animi vigorem. 32.
Amor Chriſti, in homines, admirandus. 126. 127. 128. 129. 30.
Amor Chriſti, omnem amoris magnitudinem excedit. 226.
Amorê ſuô, in homines, mirô Chriſtus, DEum ſe manifeſtavit. 127.
Amor Chriſtum adegit, ad omnia perferenda. 127. 130.
Amorê Chriſtus, totus in homines profuſus. 128.
Amor Chriſti, mirabilis, fortis, & ardens. 129.
Amor verus, nova ſemper meditatur. 129.
Amor Chriſti ſemper intentus; ùt ardentiùs nos diligat. 129.
Amor Chriſti, ſanguineum ſudorem exegit è corporê. 129. 130. 681.
Amor verus, quomodò probetur? 129.
Amor in DEum, omnia poteſt. 130.
Amori Salvatoris noſtri debemus omnia. 139.
Amor totus, DEus eſt. 131.
Amor beſtiarum in homines, ob acceptum beneficium. 131.
Amor Crucis, & Paſſiônis, ex ipsô ſe prodit ejus deſideriô in Chriſtô. 359.
Amorem Chriſti, Paſſio tota loquitur abundè. 384.
Amor immodicus Parentum, ergà filios, æternæ damnationi obnoxius. 391. 394. 395. 407.
Amor Parentum inordinatus, in voraginem vitiorum præcipitat filios. 391. 394.
Amor nimius, Parentum in filios, atrox injuria naturæ. 391.
Amor nimius, Parentum in filios, hæreditatem æternam ijs ſubtrahit. 392. 393. 400.
Amor Parentum nimius, Dæmoni filios educat, & Inferno. 392. 397. 398. 400.
Amoris Parentum, in filios, vitioſi, tragicum exemplum. 392.
Amor Parentum in filios, occæcat illos. 392.
